THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM.

THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM

COMPLECTENS

SELECTISSIMA CLARISSIMORUM VIRORUM OPUSCULA,

IN QUIBUS

VETERUM HEBRÆORUM MORES

LEGES, INSTITUTA, RITUS SACRI, ET CIVILES ILLUSTRANTUR:

OPUS

Ad illustrationem utriusque Testamenti, & ad Philologiam sacram, & profanam utilissimum, maximeque necessarium.

VOLUMEN DUODECIMUM.

AUTORE

BLASIO UGOLINO.



VENETIIS

MDCCLI.

APUD JOANNEM GABRIELEM HERTHZ, ET SEBASTIANUM COLETTI.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

NEREO CARDINALI CORSINO

BLASIUS UGOLINUS
FELICITATEM.

DEbebantur, Eminentissime Princeps, *hæc a me Tibi, quæcunque illa sint, pietatis, & observantiæ testimonia, qui de omnibus Literis ita meritus sis, ut omnia abs Te illis affuerint præsidia & ornamenta. Quo lautius una cum Liberalibus Artibus, quæ abs Te regia quadam munificentia excitatæ, recreatæque sunt, in Ædibus tuis diversarentur, comparata est Bibliotheca, om-*

nium

nium generum Codicibus, vel ab ipso Oriente conquisitis instructa, Museumque, Signis, Tabulis, Diagrammatum præsertim copia, varietate, præstantia, nobilitate, elegantia, artificio, venustate, totius ferme Europæ celeberrimum, cujus fama, incredibili civium, & peregrinorum studio, & frequentia, domus tua, tantarum rerum promtuario nobilitata, quotidie celebratur. Patent omnibus tantæ opes invisendæ, spectandæque, ex quibus præ ceteris clarissimi illi in Republica Literaria Quatuorviri, Bottarius, Ursius, Mammachius & Fogginus ea depromserunt monimenta, ex quibus plurimum Etruscis, Ecclesiasticis, & Christianis Literis impartitum est lucis & dignitatis. Præter hæc præsidia, præclara & illustria tua fuerunt in tantos Viros studia & officia, ut assequerentur ea præmia, quæ omnium judicio illis deberentur. Musis quoque, ne humanioribus Literis defuisse viderere, nobilissimum in Hortis tuis est apparatum hospitium, in quibus quotannis incredibili totius Urbis celebritate & frequentia Quirinorum Academia convenire consuevit. Utinam Antiquitatibus *quoque* Sacris *tuæ pateant Ædes, quæ Literis omnibus patuere! Jamdiu enim Hierosolyma, urbe, vetustate, amplitudine, opulentia, munitione, sanctitate, veteris fama religionis, Theocratia, Templo, totius Asiæ nobilissima, incensa dirutaque, cujus excidio ipse Victor ingemuisse fertur, ex Palæstina, barbararum gentium imperio, & colluvione deformata, extorres errantesque, tandiu peregrinatæ, Te orant, ut patiare apud Te cum ceteris diversari. Dignæ illæ sunt, quibus tuam opem & gratiam impertiare. Ceteris omnibus, quas tuendas ornandasque suscepisti, antiquitate, præstantia, sancti-*

tate,

tate, atque utilitate plurimum excellunt. Si Leges, politia, & res militaris ſpectentur, Jehova *Legumlatore, Rege, Imperatore gloriantur. Præclara, & omnium literis ac laude celebrata iſta ſunt, ſed tamen abs Te pro veteri gentis tuæ inſtituto erant expectanda. Debebantur hæc generi tuo, pietate, doctrina, ſanctitate, rebus domi bellique geſtis, imperiis, legationibus, Pontificatu nobiliſſimo. Aderant Tibi puero Majorum imagines, domeſticam gloriam Tibi diu noctuque memorantes, a quibus monebare, ne deflecteres ab ea via, in qua vetuſta & recentia inſpicerentur adhuc impreſſa veſtigia. Ab* Laurentio *Patruo Cardinali quamplurima Adoleſcens, a* Clemente *XII. Pontificum omnium, quos adhuc meminimus, ſanctitate & ſapientia Optimo Maximoque, omnia virtutum omnium exempla Cardinalis petere potuiſti. Excelluit plane omnibus, inprimis pietate, quæ ſummum præcipue decebat Eccleſiæ Chriſtianæ Sacerdotem, & magnificentia. Celebratur inprimis Atrium Lateranenſe, Vaticano, quod magnificentiſſimum, ampliſſimumque in Orbe terrarum prædicatur, amplitudine, ſymmetria, ornamentis, dignitate comparandum, futurum poſteritati omni, ſuæ pietatis & magnificentiæ præclariſſimum atque immortale monimentum. Conſpicitur ſingulari quadam admiratione in hoc ipſo Templo Sacellum,* S. Andreæ *gentilis ara, tanti Pontificis tumulo, auri, argenti, æris, marmoris copia, varietate, artificio, elegantia, totius Urbis ornatiſſimum. Aqua Trivia quanto ab eo ſplendore & dignitate exornata eſt! Aquæductibus vel reſtitutis, vel innovatis, quo purior & uberior in Urbem e fonte longo intervallo derivaretur. Capitolio quantum decoris & nobilitatis comparatum eſt ex ſtatuis & ſimu-*

lacris,

lacris, sua cura & munificentia restitutis, quorum fama Græcia atque Asia tantopere celebrata est! Præclara & insignia ista sunt tanti Viri monimenta; quid illa? nonne majoris, quam ista, erunt æstimanda? quod ejus opera & immenso sumtu, ut universi populi utilitati consuleretur, Anconæ institueretur Emporium, portu, aggere, munitione, quo statio illa à tempestatibus, & maritimo æstu tutior esset, Loemocomio, omnium gentium commercio, mercatorum opulentia, totius Italiæ celeberrimum. In tanta rerum gestarum varietate, & magnitudine præcipua Tibi quoque laus impertita est, qui ab omnibus crederere, pro affecta Patrui ætate, & valetudine, non interfuisse solum, sed plerumque etiam præfuisse iis consiliis, quibus populorum felicitati, ornamento Urbis, & Orbis terrarum saluti atque incolumitati consuleretur. Florebas enim apud tantum Virum singulari quadam prudentiæ ac sapientiæ fama, quæ ex maximarum rerum tractatione apud Gallos, Belgas, & Anglos comparata Tibi est. In tanta rerum potestate omnium laudibus Tua celebrata est integritas, modestia, innocentia; Hoc unum Tibi gratulabare, oblatam Tibi esse facultatem, ut bene mereri posses de omnibus, præsertim de iis, qui a doctrina, & a probitate commendarentur. Pulcherrimus, & lætissimus illuxisse Tibi videbatur ille dies, qui singulari quadam tua beneficentia esset insignitus. Prætereo consulto reliqua, neque enim illa sunt commemoranda, quæ sunt omnium literis, & commendatione celebrata. Hoc unum Deum Optimum Maximum oro obtestorque, ut vivas, quandiu Christianæ, & Literariæ Reipublicæ tempora, & bonorum omnium vota postulabunt. Vale.

BLA-



BLASIUS UGOLINUS
LECTORI.

QUÆ *Maximum* spectant Hebræorum *Pontificem*, ejus *Vicarium*, *Sacerdotem Castrensem*, & *Pontificia Vestimenta*, in hoc Volumine satis, ut arbitror, illustrata sunt. Inprimis data est opera, curatumque, ut quantum fieri posset, lucis aliquid impertiretur sanctissimo illi Oraculo *Urim* & *Thummim*, quæ innumeris Judæorum, & Christianorum disputationibus tantopere celebrata sunt. Cl. *Johannis Braunii* præstantissimum, atque eruditissimum de Vestitu Sacerdotum Hebræorum commentarium consulto prætereundum censuimus, operis mole deterriti, veriti, ne mei arguendi, accusandique nonnullis causa præberetur, qui mihi immerito turbas excitarunt, quod in hoc Thesauro jampridem ediderim Celeberrimi *Relandi Palæstinam*, cui sacra Geographia præ ceteris tantopere debet. In Decimo tertio quod proxime consequetur, volumine, opuscula, quæ *Sacerdotes*, ceteras sacras personas, & Templi Ministerium illustrant, edenda curabimus: posthæc *MeKiltha*, *Siphra*, *Siphri*, & *PesiKtha*, vetustissima, atque eruditissima in *Pentateuchum* commentaria, quæ Philologiæ Sacræ promtuaria ab omnibus habita sunt, nunc primum ex *Hebraico Latine* reddita edituri.

INDEX OPUSCULORUM,

Quæ in hoc volumine continentur.



JOHANNIS SAUBERTI
DE
SACERDOTIBUS ET SACRIS EBRÆORUM PERSONIS COMMENTARIUS
PARS PRIMA.

CAPUT I.

De sacerdotio ante legem Leviticam.

SAcerdotale munus ante legem Leviticam competebat tantum singularum familiarum primogenitis, qui jure primogenituræ suæ veluti patri in dignitate, honore, principatu & auctoritate in minores succedebant, & de hæreditate ex omnibus bonis paternis duas accipiebant portiones, ita etiam sacerdotali munere fungebantur; quod subindicare vult Moses in Exodo: *Et ædificavit Mose altare ad radices montis, & duodecim titulos per XII. tribus Israel: misitque juvenes de filiis Israel, & obtulerunt holocausta*, c. XXIV. 4. & 5. Ubi, quod in textu est *juvenes*, Chaldæi paraphrastæ vertunt, *primogenitos*. Clare testantur idem hoc Thalmudici: *Antequam tabernaculum constructum esset, altarium usus fuit licitus, & sacro munere fungebantur ad ea primogeniti*; cod. de Sacrificiis c. XIV. §. 4. Exinde argumentatur Paulus, quare, cum Christus non fuerit ex tribu Levi, tamen caput sit ecclesiæ & sacerdos summus? nempe ideo, quod *primogenitus* sit *omnis creaturæ*, ad Colos. I. 15. & 18. adeoque pontificem eum esse non ex ordine legis Mosaicæ, sed ex antiquiori illa consuetudine, quæ fuit ante legem, nimirum *secundum ordinem Melchisedech*, ad Ebr. VI. 20. In eadem epist. ad Ebræos Esau, *qui propter unicam escam vendidit sacrum illud primogeniti jus*, vocatur βέβηλος *profanus*, h. e. ad sacerdotium ineptus, c. XII. 16.

16. His vero, quæ jam diximus, obſtare videtur Moſis exemplum, quem, licet primogenitus non eſſet, ſed natu minor Aarone, uti patet ex Exodo c. VII. 7. Rabbini adſtruunt, ſacerdotem, & quidem ſummum fuiſſe toto XL. annorum ſpatio, quos in deſerto tranſegere Iſraelitæ. Videatur Gloſſa magna in Exod. ſect. XXXVII. Aben-Eſra & Salomo ben-Melech commentariis in Pſ. XCIX. Horum traditionibus circumventi doctiſſimi viri Jacobus Capellus ad verſ. 3. c. I. epiſt. ad Ebr. & Johannes Seldenus de Succeſſione Pontificis, c. I. Moſen fecere ſacerdotem ſummum, ſed extraordinarium. Cui ſententiæ adſtipulantur quoque Auguſtinus, Qu. XXIII. in Levit. tom. IV. p. 47. a. & enarrat. pſalmi XCIIX. tom. VIII. p. 241. b. Hieronymus, tom. II. lib. I. adverſus Jovinianum, fol. 32. Eamdem poſtea ambabus, quod ajunt, manibus amplexi ſunt Romano-Catholici, uti videre eſt apud Bellarminum de Verbo Dei, lib. III. c. IV. de Clericis, lib. I. c. III. & plures alios. Hinc tanquam certam & indubitatam conſtituerunt hanc hypotheſin. Moſen fuiſſe pontificem maximum, eamque probarunt duobus argumentis: (1) Quod ſacrificia ipſe obtulerit, & (2) quod Pſalm. XCIIX. 6. dicatur: *Moſe & Aaron in ſacerdotibus ejus*. Ex iſto fundamento poſtea hæc deduxerunt conſectaria: 1. Quemadmodum a Moſe pontifice maximo Vet. teſt. tanquam infallibili leges & conſtitutiones accipere debebat priſca eccleſia; ita Novi Teſt. pontifices maximos itidem eſſe infallibiles in ſanctionibus eccleſiaſticis condendis, & controverſiis dijudicandis. 2. Cum Moſe Aaronem & filios ejus conſecraverit, inde jus ordinandi miniſtros eccleſiæ ad ſolos epiſcopos reſtringunt, & per conſequens in Lutheranorum eccleſia ſacrum miniſterium plane nullum eſſe adſerunt. 3. Ex eodem principio confirmant, unam eamdemque perſonam juriſdictionem ſimul eccleſiaſticam atque politicam tenere poſſe, quod Moſe & ſummus princeps temporalis, & ſummus pontifex fuerit. 4. Si quando nos Romano-Catholicis objicimus, clericos ſubeſſe debere magiſtratui politico exemplo Levitarum, qui Moſis imperio paruerint, illi regerunt illico, Levitas ſubjectos fuiſſe Moſi non ut principi totius populi, ſed ut ſacerdoti ſummo. Enimvero quatuor hæ concluſiones falſa nituntur hypotheſi, ac proinde hac labefactata ſponte ſua corruunt. Nos quippe cum Luth. tom. I. Lat. fol. 307. col. 1. rectiſſime pernegamus, * Moſen fuiſſe ſacerdotem, nedum pontificem maximum. Neque duæ illæ rationes ante allatæ, quibus hypotheſin ſuam ſuperſtruunt, quidquam hanc in rem probant.

Ad I. reſpondemus, ſacrificii oblationem non ſemper & ubique & præciſe in eo, qui offert illud, præſupponere ſacerdotale munus, v. g. Samuelem non fuiſſe ſacerdotem fatetur Bellarminus, & nos infra demonſtrabimus, c. XV. & tamen is agnum obtulit, & pro populo oravit; pro quo ſacrificaverat, I. Sam. VII. 9. Manoah de ſtirpe Dan ſacrificavit hœdum, Judic. XIII. 16. & 19. Elias de tribu Gad conſcidit in fruſta juvencum, & poſuit ſuper ligna, I. Reg. XIII. 23. Ergo is quoque ſacrificare aliquando poterat, qui ſacerdos non eſſet.

Ad II. reſpondemus, vocabulum Ebraicum כהן, quod *ſacerdotem* ſignificat, non ſemper eſſe in Scriptura nomen ſacri & Eccleſiaſtici officii, ſed interdum & honoris & dignitatis notam, ut innuat quemcumque principem aut excellentem virum, præfectum, toparcham, gubernatorem politicum, item-ma-

* Moyſen fuiſſe veri nominis Sacerdotem a Numine Sanctiſſimo electum ex Scripturis divinitus revelatis invictiſſime probat Doctiſſimus Jeſuita Bonfrerius. Nam Deus ipſe Exod. cap. 29. v. 4. 5. 6. 7. ut ſummi Sacerdotis fungatur muneribus, Moyſi imperat; ex Dei quidem juſſu Aaronem conſecravit oleoque inunxit, ac ejuſdem Aaronis liberos ritibus a Deo præſcriptis Sacerdotes creavit. Hoſtias mactavit, Deoque obtulit, Populum benedixit, ac pro populo oravit: quæ quidem omnia non niſi ſummo Sacerdoti convenire poſſunt. Accedit etiam Philonis documentum qui Moſis vitam conſcripſit, eamque ex Dei verbo ſcripto, & tradito collegit, ejus quippe vitæ finem his verbis claudit. *Hæc eſt vita, hic exitus Moſis, Regis, Legislatoris, Pontificis, & Prophetæ*. Non fuit tamen, ut addit eruditus Bonfrerius, Sacerdos factus unctione viſibili, ſed interna, & inviſibili, neque ipſe fuit Sacerdos ordinarius, cum nemo in ejus ſacerdotium ſuccedere debuiſſet.

Ejuſdem plane furfuris ſunt ea quæ Saubertus addit de Samuele ac ceteris ſanctis viris qui aliquando Deo ſacrificium obtulerunt: & primo quidem Samuelem verum fuiſſe Sacerdotem ex Divina diſpenſatione multis argumentis invictiſſime probat Jo: Sinnichius in ſuo Saule ex Rege. Inſuper ſi ipſe Samuel, aut quis alius ſanctus vir aliquando ſacrificium, vel aliquod ſacerdotale munus ex Dei ſpeciali privilegio obierit, non inde ſequitur ſacrificandi juge munus ali cuipiam quam Sacerdoti convenire. Quandoquidem Deus ipſe innumeris quidem in locis ſolis Sacerdotibus ſacrificii miniſterium præſcribit. Moyſes tamen præter ſacrificium multa alia egit, quæ nonniſi ſupremo Pontifici ac Sacerdoti conveniunt. Firma igitur ſtat ſtabitque ſemper Bellarmini ac cæterorum Catholicorum ſententia ſuammam fuiſſe ſummamque eſſe Supremi Pontificis poſſeſſionem juriſdictionemque in Dei ac Chriſti Eccleſia.

Inania prorſus ſunt ea, quæ Saubertus addit de nomine Choen, nam hic non de nomine, ſed de vero Sacerdotis officio ac munere agitur.

que eum, qui alicujus regis aut principis amicissimus est, ut a secretis illius, a consiliis: verba sunt hæc Johannis de Pineda Jesuitæ Hispani, commentariis in Jobum c. 12. 19. Idem sentiunt Kimchi comment. in Jesaiam c. LXI. 10. Bellarminus de Verbo Dei lib. III. c. IV. Cornelius a Lapide, & Emanuel Sà notis ad II. Sam. VIII. vers. 18. Id quoque testantur Lexicographi. Johannes Reuchlinus vocem illam exponit: *Prælatus*, *Caput plebis*, *sive plebanus*, *Præses*, *Magistratus*, *Sacerdos*, in Lexico, fol. 236. Sebast. Munsterus: *Sacerdos*, *Prælatus*, *Magistratus*, *Præses*; in Dictionario Ebr. fol. 291. M. Marinus: *Dicitur nonnunquam eleganter de his, qui honoratiores regi famulantur & ei charissimi sunt*; in arca Noæ, Tom. I. fol. 315. Adde Forsterum in Diction. fol. 368. Schindlerum in Lexico fol. 840. Buxtorfium in Lexic. min. p. 353. & in Lex. major. fol. 1016. Barth. Scheræum in Itinerar. fol. 381. & in additione sub fin. p. antepenult. & ult. Hoc porro confirmatur ex aliis manifestis Scripturæ locis, v. g. II. Sam. VIII. 18. *Et filii David sacerdotes erant* h. e. *principes*, *magnates*, *dominatores*, uti explicant Chaldæus paraphrasta, Rabbi Salomo, R. Kimchi, & R. Levi ben Gerson, Pagninus, Vatablus, Flacius in Clave, voce *Sacerdos*, Jacobus Martini, lib. I. de tribus Elohim c. XXXIII. Luth. verterat: Und die Söhne David waren Priester. Quod in Vinariensibus Bibliis declaratur: Sie waren die Furnehmsten zu Hofe / und bedienten die stattlichsten Aemter. Et ne quis dubitet, quo sensu vox illa accipienda sit, iidem Davidis filii I. Paral. XVIII. 17. fuisse dicuntur *primi ad manum regis*, minime autem sacerdotes. Ita II. Sam. XX. 26. quidam nomine *Hira* dicitur fuisse *sacerdos Davidis*, quod Chaldæus & Pagninus transferunt: *princeps Davidis*; Kimchi & Vatablus: *præcellens & consiliarius ejus*; Tremellius: *præses pro Davide seu prorex*, ein Stadthalter. Adde his Genes. XLI. 45. Exod. II. 16. III. 1. XVIII. 1. Job. XII. 19. Si quando igitur Psal. XCIX. 6. Mose & Aaron dicuntur *sacerdotes*, vox hæc denotabit in genere *præfectos populi* seu *eminentissimos principes*. Et sic cadit tota Romano-Catholicorum hypothesis & probatio, manetque adhuc inconcussum Luth. adsertum: *Mosen non fuisse sacerdotem, multo minus pontificem maximum*.

CAPUT II.

De sacerdotio Levitico, seu ex lege instituto.

Arone postea & filiis ejus ritu solenni jussuque divino sacro muneri initiatis, pristinum sacerdotium, quod anterioribus a mundo condito seculis obtinuit, h. e. sacrum primogenitorum jus inter Ebræos exspiravit. Atque dein Aaron posterique ejus soli ex sola tribu Levi fuere sacerdotes. Aaron audiebat pontifex maximus, ejus filii sacerdotes minores: horum exstitere quatuor, Nadab, Abihu, Eleasar & Ithamar. Priores duo occisi a Domino, quod alienum ignem obtulissent, & mortui sunt ἄτεκνοι, solique relicti cum patre Eleasar & Ithamar. Quæritur autem heic, cum primogeniti ante legem latam sacerdotalem functionem obierint, & postea etiam Deo placuerit, omne primogenitum sibi dicari & esse proprium, quare ex XII. tribubus Israeliticis non primo, sed tertiogeniti Jacobi filii Levi tribus seu posteri, ut perpetui sacrorum essent ministri, a DEO fuerint delecti? Rabbini, & post eos Alphonsus Tostatus ac alii respondent: factum hoc esse eo, quod omnes tribus præter Leviticam adoraverint vitulum conflatilem: ideo hanc prima vice electam esse, ut deinceps divina exsequeretur ministeria. Verum etsi illi disertum hoc suum probare nituntur, nihilominus Lyra, Junius & alii certiori argumento ex Exod. XXXII. 27. petito adstruunt, non omnes Levitas innocentes fuisse a moscholatria, sed multos Aaronis exemplum secutos cum idololatris interiisse. Itaque nonnulli circa quæstionem allatam aliter sentiunt: nimirum quandoquidem hoc satis fuerit cognitum ex lege ac voluntate divina, decimas rerum DEO fuisse consecrandas, Jacobum duodecim filiorum patrem a Benjamine numerationem auspicatum, cum Levi Decimum reperisset, hunc DEO devovisse, & ad sacrum ejus ministerium delegasse. Ita Suidas in Lexico voce κλῆρος.

CAPUT III.

De divisione sacerdotii & familiis sacerdotalibus.

Omnes sacerdotes erant ex tribu Levi, sed non omnes ex tribu Levi

vi erant ſacerdotes. Quidam ex tribu Levi tantum miniſtrabant ſacerdotibus; nonnullos ab hoc miniſterio etiam excludebat labes vel generis, vel famæ, vel corporis. Quod ut rectius intelligatur, ſciendum eſt, ſacrum miniſterium diviſum fuiſſe in tres ordines ſive claſſes: primam occupabat *pontif. max.* cum ſuo *vicario*; alteram *ſacerdotes minores* ſeu *gregarii*; tertiam *miniſtri ſacerdotum* ſeu *Levitæ* ſtricte proprieque ita nuncupati. Primus pontificis maximi munere inſignis erat Aaron, minoribus ſacerdotibus exiſtentibus ejus filiis, Eleaſar & Ithamar. Eleaſar mortuo patri ſucceſſit, & deinde ad ejus poſteros venit pontificatus, duravitque penes eos tribus ſeculis, donec tandem ad poſteros Ithamar transferretur, quorum primus, qui ad faſtigium illud ſacerdotale aſcendit, fuit Eli. Eli ſucceſſere nepos Achitob, pronepotes Achias & Achimelech, abnepos Abjathar. Huic vicarius junctus eſt a Davide rege Zadok, quem ex poſteris Eleaſaris fuiſſe liquet ex I. Paral. VI. 50. Cum autem Salomo regnare cœpiſſet, Abjathare plane exauctorato Zadokum pontificem conſtituit ille, & ita in Eleaſaris familiam remigravit dignitas pontificia, ſic ut perpetua in ea & hæreditaria ſucceſſione ſtabiliretur. Ablata autem eſt a domo Eli & familia Ithamar, prout minatus fuerat DEUS I. Sam. II. 30. & ſeqq. Altera claſſis, in qua ſacerdotes minores conſiſtebant, partim ex aliis filiis Eleaſar, partim ex poſteris Ithamar originem duxit & conflata fuit. Ex utraque familia hac, nec non ex poſteris Moſis eligebantur quoque Levitæ ſtricte ita dicti ſeu miniſtri, qui ſacerdotibus minoribus in portandis oneribus, purgandis vaſis, lavandis indumentis, & cuſtodiendis iis, quæ ſibi committerentur, fuerunt ad manus.

CAPUT IV.

De pontifice maximo.

CEterorum ſacerdotum princeps, præfectus ſeu inſpector appellabatur κατ' ἐξοχὴν *ſacerdos*, item כהן הגדול i. e. *ſacerdos ſummus* ſive *pontifex maximus*: cujus epitheti ratio generalis etſi quidem conſtare poteſt ex eo, quod primum inter eos tenuerit locum, eaque auctoritate ac propterea veneratione enituerit, ut ſoli ipſi liceret ingredi ſanctum ſanctorum; nihilominus Rabbini etiam alias ſpecialiores cauſſas reddunt, videlicet appellatum eſſe *maximum* ſeu *ſummum*, quod maximus fuerit, (1) *ſapientia*, (2) *robore in oblatione & agitatione ſacrificiorum*, (3) *pulchritudine*, (4) *divitiis*. in Gloſſa magna in Levit. ſect. XXVI. Dignitas ejus porro patet ex habitu: Solus enim inter ceteros ſacerdotes geſtabat ille pallium, ſolus amiculum nuncupatum *ephod*, ſolus laminam ſeu frontale, ſolus pectorale, ſolus conſulebat Urim & Thummim, æqualem etiam alterum non agnoſcebat: ſiquidem non plures præter unum uno & eodem tempore admoti fuerunt ad munus pontificis max. quo mortuo alius demum eligebatur & creabatur: & quidem jure recepto mortui filius aut nepos aut frater ad pontificatum, nemine impediente aut controverſiam movente, ſtatim deveniebat. Poſterioribus autem temporibus, templi nempe ſecundi, cum res Judæorum paulatim vergerent in deterius, & majeſtas ſenſim frangeretur, Romani præſides ac procuratores pontificatus conferendi poteſtatem ſuo pro libitu exercebant, atque ita ut plurimum accidebat, ut vivo alicui alius ſurrogaretur priore illo exauctorato, v. g. Joazar Simon, filius Boethi & uxoris Herodis frater (in cujus pontificatu natus eſt Jeſus Chriſtus, teſtante Nicephoro) ſucceſſit Matthiæ Theophili filio, ob conjurationis in Herodem ſuſpicionem ab officio remoto. Vide Joſephum, Antiquit. Judaic. lib. XVII. c. VI. Huic iterum ſummoto ſuffectus eſt frater ipſius Eleaſar, referente Joſepho, lib. XVII. Antiquit. Judaic. c. XV. Neque tamen hic pontificatum diu geſſit, ſed paullo poſt in viventis locum ſubſtitutus eſt Jeſus filius Sie, uti ibidem Joſephus annotavit. Mortuo huic ſucceſſit denuo Joazar ſupra dictus, atque deinceps altera vice a Quirino præſide pulſus eſt, ejuſque loco pontif. max. conſtitutus Ananias filius Seth, quem Evangeliſtæ Annam vocitant. Narrat id Joſephus Antiq. Jud. lib. XVIII. c. I. & III. Annæ dignitatem ademit Valerius Gratus, præſes Judææ ſub Tiberio Cæſare, eamque obtulit Iſmaeli, Phabi filio; huic remoto ab eodem Valerio ſucceſſor datus eſt Eleaſar Annæ pontificis memorati filius, & ab eodem ſubſtitutus eſt filius Simon patri Eleaſari poſt annum in dignitate exactum. Rurſus poſt annum Simonis pontificatum ab eodem Valerio illi depoſito ſuffectus eſt Joſephus Caiphas, Annæ gener, ſub quo Chriſtus paſſus eſt. Caipha poſt decennium a Vitellio Syriæ proconſule remoto pontifex

creatus eſt Jonathan, alter filius Annæ.

Exempli loco propoſuimus ſeriem eorum duntaxat pontificum, qui Chriſti ætate clavum ſacri illius miniſterii tenuerunt. Ex quo ſatis liquet id, quod ſupra dictum; & inſuper hoc quoque inde colligitur, pontificem ſemel exauctoratum poſt intervallum denuo ad eminens illud officium potuiſſe adſpirare. Unde cum ſteterit primum templum annis CCCCXX., fuerintque ſub eo non niſi XVIII. pontifices, ſub templo II. quod CCCCXXC. annis ſtetit, plures quam trecenti fuerunt. Fundamentum totius rei & cauſſa tam deſultoriæ dignitatis erat hæc, quod perdito illo ævo pontificatus a Præſidibus Judæorum magni emeretur & venalis proſtaret. Quo præterea factum, ut peſsimus quiſque, ſi modo eſſet locuples, faſtigium illud poſſet occupare. Id quod Talmudici quoque teſtantur: *Pontifices templi II. conſtituebantur per munera, quæ dabant propter pontificatum maximum Regibus domus Haſmonæorum*, in Gloſſa ad cod. de Die Expiat. c. I. fol. 8. col. 2. Et ibidem: *Martha filia Baithi, vidua dives erat, quam deſponſavit ſibi Joſua, filius Gamlæ: ea vero dedit munera Jannæo regi, propter quæ factus eſt maritus pontifex maximus*; fol. 18. col. 1. Immo in tantum Præſidum avaritia, Judæorum vero arrogantia excrevit, ut aliquando annuatim pontificatus permutaretur, uti referunt Thalmudiſtæ, loc. cit. Splendor autem ſummi ſacerdotii redundabat quoque in eos, qui cognati erant pontificis, eique ſanguine juncti, qui omnes quoque ab eo denominati fuere *pontifices maximi*, quod commode vertas, die Hoheprieſterliche, magnæque præ ceteris ſacerdotibus exſtiterunt auctoritatis teſtibus, Joſepho & Zonara.

CAPUT V.

Cur Annas & Caiphas Luc. III. 2. ſimul dicantur pontifices maximi?

SUpra diximus, unum tantum, non plures, eodem tempore pontificatum tenuiſſe, & in Judæorum ſcriptis ſæpe hoc memoratur, non conſtitutos fuiſſe ſimul binos. Vide cod. Talmudicum de Documentis Judicum, c. III. fol. 38. col. 4. & cod. de Volumine Eſther c. I. fol. 72. col. 1. Maimonidem de Vaſis Sanctuarii c. IV. &c. Quod cum certum ſit atque indubitatum, quæritur, quomodo intelligendum ſit illud Luc. III. 2. *Sub pontificibus maximis Anna & Caipha factum eſt verbum Domini?* De cujus loci explicatione & ſenſu diverſæ ſunt ſententiæ. I. Sunt, qui putant, corruptiſſimo illo ſeculo, quo venalis etiam erat pontificatus, duos ſimul ad dignitatem iſtam fuiſſe admiſſos, idque ex avaritia Romanorum Præſidum, contra tamen veterum Ebræorum inſtitutum. Atque eo inclinant Joach. Camerarius, comm. in N. T. fol. 158. Benedictus Aretius, comm. in Lucam fol. 59. col. 1. Cornelius Janſenius, Concord. Evang. part. 1. c. XIII. fol. 76. Carolus Molinæus, collat. Evangeliſt. in annot. ad part. VII. fol. 96. & ſeq. Alphonſus Salmero, comm. in Evang. hiſt. tom. IV. part. 1. tract. 2. fol. 11. Sed cum hæc mera ſit conjectura, nullo prorſus teſtimonio fulta, cui inſuper antiquiſſima Judæorum ſcripta ſupra allegata repugnant, facile a doctis repudiata fuit. II. Alii paulo aliter rem extricare laborant, duos quidem pontifices ſimul conſtitutos, ſed per vices eo munere fuiſſe defunctos: quam opinionem etiam fovet Beza, notis ad l. c. Lucæ fol. 236. eamque admodum vetuſtam eſſe patet ex Auguſtino, Tractat. CXIII. in Joh. Tom. IX. fol. 115. col. 3. & Nicephoro, Hiſt. Eccleſ. lib. I. c. XVIII. fol. 56. Verum huic quoque nulla antiquitas ſuffragatur. Demus enim, alternatim ſummo imperio fuiſſe uſos, *falſum* tamen eſt prius, *duos unquam pontificatus nomen & faſtigium tenuiſſe*; verba ſunt Talmudis; cod. de Documentis Judic. c. III. Nonnulli ſentiunt, pontificatum illo ſeculo fuiſſe annuum, non perpetuum ad dies vitæ. Igitur eo anno, quo Lucas illud ſcripſerit, muneri illi valedixiſſe Annam, aggreſſum vero illud Caipham, quo reſpectu ambo iſti recte dicantur *Pontifices*. Ita Theophylactus in Joh. c. XI. fol. 286. Quod attinet primo hypotheſin, unde explicatio hæc deducta eſt, non temere ea videtur eſſe poſita: nam & in Talmude, cod. de Die Expiat. c. I. fol. 8. perſpicua mentio fit uſus annui pontificatus; qua autem ætate peſſima conſuetudo iſta obtinuerit, id nobis incognitum. Certum ſaltim hoc eſt, Chriſti ætate non obtinuiſſe, quandoquidem Caipham integro decennio pontificatum geſſiſſe, ex Joſepho abunde ſit notum; adeoque corruit tota hypotheſis, pontificatum ea ætate fuiſſe annuum. Deinde falſum & hoc eſt, Annam & Caipham ſibi ſucceſſiſſe, & immediate eodem anno in ſacerdotali faſtigio enituiſſe: tres quippe interceſſere pontifices

alii inter Annæ & Caiphæ sacerdotium, quos superiori c. enarravimus ex Josepho, & ex eodem annotavit Eusebius, Hist. Eccles. lib. I. c. X. Sententia IV. est Caroli Sigonii de Reb. Ebræorum, lib. V. c. II. nimirum etiam eos, qui pontificatu jam essent defuncti & exauctorati, quemadmodum Annas, dictos fuisse pontifices; qua re nihil certius esse, ex Josepho & aliis liquet. V. Nonnulli existimant, quandoquidem omnes cognati pontificis & sanguine juncti nuncuparentur pontifices, Annas autem socer fuerit Caiphæ, ex hac caussa eum dictum fuisse pontificem maximum. VI. Sententiam referunt Scaliger de Emendat. Tempor. in Prolegomenis, Constant. l'Empereur ad Talm. cod. de Mensuris p. 180. & Casaubonus, Exercit. XIII. §. IV. & V. p. 214. & seqq. vicarium olim sacerdotis summi nominatum fuisse pontificem alterum, & cum hic pontifex dicatur Annas, forte eum exstitisse talem secundarium, atque in sacris Caiphæ adjutorem. Tres istæ sententiæ specie non carent, laborant tamen hoc scrupulo, quod Annas Caiphæ a Luca præpositus legatur, cum tamen & exauctoratus pontifex, & sanguine juncti, & vicarius dignitate fuerint inferiores pontifice maximo. Deinde in dinumeratione temporum, qualis est apud Lucam, certissimum est, communi consuetudini adversari, & tantum non absurdum esse, annos atque ætates ab exauctorato aliquo aut vicario, aut sanguine junctis designari; quin potius tempora denotata fuere a nominibus eorum, qui rebus ipsis præerant. VII. Sententia est Euthymii, Annam fuisse pontificem maximum, Caipham vero secundarium seu propontificem; verum & hæc ex modo dictis facile refutari potest. VIII. Sententia Baronii est in Annal. Ecclesiast. ad annum Christi XXXI. fol. 104. & seq. nec non Seldeni de Successione in pontificatum Ebræorum, lib. II. c. XII. p. 353. & seqq: eaque omnium verisimillima, Annam cum Caipha titulo pontificis insigniri, non respectu sacræ functionis, sed civilis rerum administrationis in synedrio magno, cujus capita duæ erant personæ, altera dicebatur *Princeps Synedrii*, altera *Pater Synedrii*: hic principi secundarius fuit in ipso judicio, tametsi esset pontifex maximus, & extra illud judicium principe major. Dicebantur duo illi vulgo *principes populi* aliquando *principes sacerdotum*, ἀρχιερεῖς: & veluti fastos a consulibus designabant Romani, ita a duobus istis principibus Ebræi. Erat etiam dignitas illa ambulatoria, ita ut pontifex max. uno anno esset princeps synedrii, altero pater. Unde jam multa N. T. loca intelligentur, in quibus mentio fit pontificum maximorum, cum tamen inter sacerdotes unus κατ' ἐξοχὴν titulo isthoc fuerit insignitus. Vid. Matth. XX. 18. XXI. 15. 23. & 45. XXVI. 3. 14. 47. & 59. XXVII. 6. 12. 20. 41. & 62. XXVIII. 11. Ita Luc. III. 2. Annas intelligendus est fuisse synedrii princeps, Caiphas pater. Quæ ut omnia rectius intelligantur, breviter jam de synedrio magno, quantum ad id sacerdotes pertinuerunt, differemus.

CAPUT VI.

De Synedrio magno ac minori, & de Judicio triumvirali.

Erat apud Ebræos Hierosolymis collegium constans ex uno & septuaginta viris, dictum *Synedrium magnum*, originem trahens ex præcepto divino, quod habetur Num. XI. 16. 17. & magnum quidem appellatur ad differentiam judiciorum XXIII. virorum, quæ per cæteras urbes dispositа erant, & *presbyteria* vocabantur. Illud vero præterea nuncupabatur γερουσία Judith. XI. 11. I. Maccab. XII. 6. Actor. V. 21. itemque πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ Luc. XXII. 66. ejusque assessores πρεσβύτεροι, ἄρχοντες προὔχοντες. Vid. Bonaventur. Cornelium Bertramum de Politia Judaica, c. XIII. p. 88. Judicavit id de rebus forensibus & politicis, ita ut jurisdictio tantum pertineret ad Principes & Synedrium; sacri vero ordinis statuta ad Pontificem maximum. Illo pacto Pontifex maximus subjectus fuit Synedrio, neque ejus decisiones verbo arguere poterat aut immutare. Postea Judæis in Romanorum potestatem tandem redactis eo modo, quo pontificia dignitas pro arbitrio Præsidum ac Procuratorum conferebatur, jurisdictio quoque Hierosolymis Præsidibus Romanis cessit, sic tamen ut Ebræis aliqua, utcumque exigua, relinqueretur, qua judicia aliquot juxta leges patrias exercerent. quod illustrabit loca Marc. XIV. 53. & 55. XV. 1. Joh. XI. 47. & plura alia. Iisdem quoque seculis Principis ac Pontificis dignitas conjuncta fuit; quo factum, ut Pontifex, qui olim fuisset extra synedrium, caput illius exsisteret. Fuerunt autem duo synedrii Præsides, alter primarius, dictus *Princeps Synedrii*, alter secundarius, nuncu-

cupatus *Pater Synedrii*, eorumque functio instar præfecturæ Mosis & Aaronis censebatur, utpote quorum quamdam præferebant similitudinem. De iis multa videri possunt in Talmude, cod. de Synedris, c. IV. & apud commentatores ejusdem. Pontifex max. præses fuit aliquando primarius, aliquando secundarius. Si secundarius esset in ipso synedrio, cathedram tenuit secundam, veluti primarius præses primam. Extra tamen synedrium dignitate ubique antevivit summus Sacerdos. Præsidum officium fuit præcipue, suffragia seniorum seu consessus synedrii colligere, quæstionem ex suffragiis determinare ac scripto annotare, exsequi conclusum & custodire. His exceptis intra judicandum nihil iis fuit proprium, quod non reliquis esset commune. Quod reliquum consessum synedrii attinet, iisdem temporibus ceteri etiam Sacerdotes & Levitæ in synedrium irruperunt, ita ut illud maximam partem constaret ex sacerdotibus, quod priscis temporibus ex Israelitis senioribus constiterat, ac proinde Pontifex & Sacerdotes acta in synedrio præ omnibus aliis promovere, atque summo cum nervo prosequi poterant, quippe qui plurima ejus subsellia occuparent. Sed & Scribæ & Pharisæi pars synedrii fuere facti. Adeoque synedrium constabat ex Sacerdotibus, Levitis & Israelitis, docente Maimonide de Synedr. c. II. *Sacerdotes & Levitæ* quotquot hic in synedrio assidebant, laxiori significatu dicebantur ἀρχιερεῖς: *Scribæ populi* autem nuncupabantur omnes isti è synedrio, qui non erant e clero. Receptaculum synedrii, in quo conveniebant & deliberabant, erat extraordinarie in aula Pontificis max. ordinarie in templo, in basilica magna, quæ appellabatur *conclave Gadsit* seu excisi lapidis, in parte templi australi. Videatur Matth. XXVI. 3. XXVII. 4. 5. 6. & 7. Excisis autem Hierosolymis, primum in urbem Jasne, postea subinde ad alia loca transportatum est. Habuerunt quidem & Sacerdotes proprium suum consistorium, quod *conclave* βȣλευτῶν *consiliariorum*, *nec non consilium* sacerdotum nuncupatum fuit. In eo à solis sacerdotibus conventum atque consessum est; at non judicantibus, sed consulentibus, idque de rebus & negotiis solum templi. Provisum hic est, ut præsto essent omnes, atque omnia ad cultum divinum necessaria, ut sarta tecta conservarentur ædificia templi & atriorum, atque rite procederet liturgia publica: interim ab- fuit ab iis omnino potestas judicialis aut punitiva, atque auctoritas vel mulctandi, vel flagellandi, vel interficiendi; immo suo examine & auctoritate nequiverunt vel candidatum in sacerdotium cooptare, sed hæc omnia fiebant auctoritate synedrii, quod, etsi majestas Judaica a Romanis multum erat dejecta, nihilominus capitalia judicia exercendi jus aliquando habebat. Hinc tam parum ausus est se synedrio credere Paulus, ut Cæsarem appellaret potius, Actor. XXV. 10. 11. & 12. & Christus martyria discipulis suis prædicens, *tradent vos*, ait, *in synedria*, Matth. X. 17. Adde Actor. IX. 1. 2. Synedrium itaque magnum judicabat majores caussas & graviora regni judicia, veluti de bello & pace, de commodis & juribus publicis, de communibus tribuum negotiis, de falso propheta, de summo sacerdote, de judicibus & magistratibus tribuum, & similibus.

Synedrium minus, quod constabat ex XXIII. viris & residebat in singulis urbibus, ubi CXX. cives sive œconomiæ essent & plures, non autem pauciores, minora sui loci negotia dijudicabat. Synedrium autem XXIII. virorum, quod Hierosolymis erat, conveniebat itidem in templo in diversis cubiculis ædificatis super portam inferiorem atrii mulierum versus plagam mundi Orientalem. Sedebant illi figura hemisphærii, coram iis vero considebant candidati synedrii (seu qui mortuo collegæ alicui synedrii succedebant) & quidem per tres series sive ordines. Horum candidatorum officium tantum erat attendere deliberationibus & sententiis collegarum synedrii. Ad latus Judicum consistebant duo λογογράφοι seu caussidici vel rabulæ, alter a dextra, alter a sinistra. Videatur codex Talmudicus de Synedr. c. XI. & XII. Plane idem considendi modus erat etiam in Synedrio magno, nempe in semicirculo, ita ut & hujus candidati coram Judicibus sederent, rationemque tractandi res forenses sensim addiscerent, etiamque adstarent ad latera Judicum duo caussidici, hic ad dextram, ille ad sinistram. Videatur codex de Synedriis, c. IV. §. 3. Tales λογογράφοι forte fuerunt illi duo testes, qui Christum in pleno synedrii consessu accusarunt, quod dixisset, *se velle templum Dei destruere, & post triduum illud reædificare*. Matth. XXVI. 61.

Synedrio minori subjunctum fuit *Judicium trium virale*, constans ex tribus vi-

viris, qui dijudicandis leviculis caussis erant præfecti v. g. de debitis pecuniariis, de furtis, raptis, damnis illatis, infamiis, plagiis &c. Videantur Joh. Lightfoot Commentar. in Matth. XXVI. 3. & Buxtorfii Lexicon Talmudic. fol. 1513. De Synedriis Ebræorum peculiari tractatu egit Joh. Seldenus.

CAPUT VII.

An regia dignitas apud Ebræos cum pontificia conjuncta fuerit.

Affirmavit id post antiquiores Christianorum doctores Sulpicius Severus: *Judæi non per externos magistratus, sed per sacerdotes suos regebantur;* Hist. Sacr. lib. II. c. XXVI. Inter ethnicos Trogus apud Justinum: *Post Mosen filius ejus Arruan sacerdos sacris Ægyptiis mox rex creatur, semperque exinde hic mos apud Judæos fuit, ut eosdem reges & sacerdotes haberent, quorum justitia religione permixta incredibile quantum coaluere;* lib. XXXVI. c. II. Verum quidem hoc est, si de certo & legitimo tempore intelligatur, eosdem fuisse reges, qui exstiterint pontifices. Crassum enim errorem errarunt hi, qui cum Trogo ad Aaronis tempora retulerunt, & illi, qui promiscue de seculis post primi templi excidium accepere: siquidem statim post captivitatem Babylonicam, seu sub initium politiæ templi secundi præfuere rebus Pontifices: verum non soli præfuere; neque pontifex idem atque rex erat, sed respubl. mixta erat, partim aristocratica, partim oligarchica. Cum autem Hasmonæi rerum potirentur, tunc demum cœpit regni & pontificatus conjunctio, quod egregie ostendit Seldenus de Successione in pontificatum, lib. I. c. XIII. Josephus: *Ut quidam Principes simul & pontifices essent, tempore Maccabæorum primo fieri cœpit, præsertim in principatu Aristobuli, qui primus principatum summo pontificatui junxit, & diadema sibi imposuit annis post captivitatem Babylonicam* 481. lib. XIII. Antiqu. Jud. c. XIX.

CAPUT VIII.

De Propontifice seu pontificis max. vicario.

Temporibus post liberationem ex captivitate Assiriaca substituebatur Pontifici maximo in casu necessitatis alius, qui Babylonica voce סגן *Sægæn*, secundus erat a pontifice, propontifex, pontifex secundarius, pontificis vicarius. Ad quam dignitatem eligebatur more consueto is, qui spe proximior erat pontificatus heres. Tradunt autem Talmudici, neminem ad pontificatum evectum fuisse, antequam factus fuisset *Sægæn*; itaque creabatur vel mortuo pontifice, vel ipso vivo. Si illud, uno eodemque actu primo ad gradum Sægæn, deinde ad gradum Pontificis evehebatur; quemadmodum in quibusdam Europæ Academiis in solemnibus inaugurationibus candidati primo Licentiati, dein statim simul Doctores renunciantur. Si hoc, electio ejus fiebat ad unicum diem, nempe si festo expiationis pontifici max. accidisset aliquid, quod eum profanaret v. g. fluxus seminis & hujusmodi alia, tum enim Sægæn vices ejus in ministerio sacro gerebat. Elapso festo atque mundata pollutione in integrum restituebatur primarius pontifex: Substitutus autem ille Sægænis nomen semper postea retinebat, & Pontifici vicarius erat perpetuus, ita tamen ut in sacris ipsis obeundis partes Pontifici proprias minime haberet, nisi tantum tempore, quo Pontifex max. pollutione aliqua impediebatur. Neque tamen sacerdotis etiam gregarii partes amplius rite agere poterat, aut in sacerdotum minorum gregem reverti, sed veluti medioxumi locum tenuit inter pontificem max. & sacerdotem minorem. Quamvis Maimonides contra reliquorum sententiam aliter tradat, nimirum idoneum eum mansisse præstandis omnibus, quæ ad pontificem ipsum attinebant, tametsi non fuerit ut pontifex habendus: Ceterum Sægæn hic Sacerdoti summo sive in loco sacro sive extra illum stabat ad latus dexterum, sive adsidebat, Princeps æditruorum autem sinistrum latus claudebat. Et præterea Propontifex particeps erat in sacro ærario & proventuum omnium æque ac ipse summus Sacerdos, eratque sacri ministerii ad altare Pontificis adjutor assiduus, habebat etiam in templo II. proprium conclave seu ædificium, de quo Jacob Juda Leo, lib. II. de Templo, c. XIX. §. 164. in Talmude Hierosolymitano, cod. de Die Expiat. ita de eo scribitur: *In quinque rebus serviebat Sægæn Sacerdoti summo, (1) dicebat Sægæn ad Sacerdotem summum: Domine mi, Sacerdos magne, attolle dexram tuam. (2) Sægæn stabat ad ipsius dexteram, & Princeps domus patrum a sinistra ejus. (3)*

Sa-

Sægan agitabat cum sudariis. (4) *Sægan tenebat manum Pontificis max. & adjuvit eum, cum ascenderet per gradus*. (5) *Non poterat Sacerdos magnus præfici, ut esset Sacerdos magnus, nisi prius fuisset Sægan*; c. III. fol. 41. col. 4.

CAPUT IX.

De Sacerdotibus minoribus.

SAcerdotes reliqui respectu Pontificis max. seu sacerdotis summi dicebantur *Sacerdotes minores*, alias *Sacerdotes gregarii*, *vulgares*, *partiarii*, *Sacerdotes idiotæ &c.* & eligebantur partim ex posteris Eleasar, partim ex filiis Ithamar. Universum hoc genus sacerdotale divisum erat in certas stationes, familias, seu classes, ut per vices singulæ qualibet hebdomade in templo adessent sacris ministeriis. Mose primum familias illas Eleasaritarum & Ithamaritarum in duas classes distribuit, crescente postea prole in octo, ut utrisque quatuor essent stationes; tandem in sedecim, ut utrisque essent octo. Deinceps David imparem nimis Ithamaritarum numerum videns, ex Eleasaritarum numero abundante quatuor primum stationes illorum stationibus adjecit, postea rursus alias quatuor, ut ita hisce sedecim familiæ, Ithamari autem octo classes sacerdotales remanerent, essentque in universum viginti quatuor classes. Ita fere Talmudici, cod. de Jejuniis, c. IV. fol. 67. col. 4. Singulis illis XXIV. classibus præerant singuli *Præfecti*, dicti itidem ἀρχιερεῖς. Confer. I. Paral. XXIV. 4. ubi præfectos illos LXX. Græci nominant ἄρχοντας τῶν πατριῶν τῶν ἱερῶν i. e. *principes familiarum sacerdotalium*. Hinc jam explicantur loca Matth. II. 4. XVI. 21. XXVII. 1. Marc. VIII. 31. X. 33. &c. Habuerunt illi in templo proprium conclave, dictum *conclave principum*, cujus etiam meminit Jeremias XXXV. 4. in quo congregabantur Principes Sacerdotum & Levitarum. Vide Leonem de Templo, lib. II. c. XIX. I. 145. De diversis gradibus sacerdotum videatur idem Leo de Templo, lib. I. p. 30. & seq. Numerus sacerdotum prope fuit immensus. Nam in sacrificio jugi bis quovis die suffimentum erat incendendum. Scribunt autem Talmudici, unum eumdemque sacerdotem nunquam per omnem ætatem suam duabus vicibus suffitum coram Domino ex decreto adolevisse, & tamen semper repertos fuisse novos sacerdotes, qui nunquam suffumigassent. Pontifici autem maximo semper competebat facultas & licentia suffiendi, quandocumque vellet. Inter minores sacerdotes quidam porro dicti fuere *Sacerdotes plebeji* כהנים עם הארץ, non quod e plebe essent, sed quod educatione scholastica caruissent: cum enim totum semen Aaronis esset sacerdotale & sacerdotes Ebræorum non tam facti quam nati, non mirum, si inter eos reperirentur etiam rudes & indocti. De his vide in primis Talm. Bab. cod. Sanhedr. fol. 90. col. 2. & Talm. Hierosol. cod. Trumoth. fol. 44. col. 1. & 2. Obierunt quidem & hi, prout sors ferebat, suas vices ad altare, regulis tamen generalibus edocti de eo, quid sibi esset peragendum, adeoque erant quasi medii inter Sacerdotes minores & Levitas, & quasi subordinati Sacerdotibus minoribus. Quin de ipsis etiam Pontificis Max. inscitia ac stupiditate plane stupenda præsupponuntur in Cod. Joma, c. I. Præterea alii iterum Sacerdotes vocabantur, *Sacerdotes idiotæ vel privati* כהנים הדיוטות, qui quamvis docti essent & publico munere ad altare fungerentur, privati tamen nuncupabantur, quod non eminentem aliquam dignitatem in ordine Sacerdotali obtinerent, qualis præter Pontificatum & Vicepontificatum erant tum præfecturæ supra hoc capite memoratæ, tum præfecturæ aliorum variorum officiorum in templo, tum denique etiam, si quis ex stirpe Sacerdotali in summum Synedrium cooptatus & augusti illius senatus pars esset.

CAPUT X.

De Levitis stricte ita dictis.

QUamquam totum genus Sacerdotale esset ex tribu Levi, adeoque constaret ex viris Levitis, attamen ministri Sacerdotum, quibus sacrificare non erat jus, specialius appellabantur *Levitæ*, non tam quod & ipsi ex tribu Levi prosapiam ducerent, quam quod adjuncti essent in operibus peragendis, & ministeriis exsequendis Sacerdotibus. Quippe Ebraicum verbum, unde denominati sunt Levitæ, לוה significat *adhæsit*, *adjunxit se*, *adjunctus fuit &c.* Unde expresse Sacerdotes a Levitis distinguuntur Joh. I. 19. Sacerdotes enim tantum ex posteris Aaron fuere, Levitæ autem ex aliis quoque familiis Levi, neque unquam merebantur nomen Sacerdotum, sed tantum ministrorum, & extra digni-

gnitatem Sacerdotum omnino erant. Differentiam satis declarat Scriptura S. *Locutus est Dominus ad Mosen dicens: Applica Tribum Levi, & fac stare in conspectu Aaronis Sacerdotis, ut ministrent ei & excubent & observent, quicquid ad cultum pertinet multitudinis coram Tabernaculo Testimonii, & custodiant vasa Tabernaculi servientes in ministerio; dabisque dono Levitas Aaroni & filiis ejus, quibus traditi sunt a filiis Israel: Aaronem autem & filios ejus constitues super cultum Sacerdotii. Externus, qui ad Ministrandum accesserit, morietur*. Num. III. 5. & seqq. Num. XVIII. 7. Hinc etiam cum Levitæ pro salario acciperent decimas ab Israelitis, ipsi decimarum harum decimas offerre tenebantur Aaroni & Sacerdotibus, Num. XVIII. De numero Levitarum scribunt Talmudici, fuisse eorum aliquando triginta duo millia, singulorum a triginta annis & supra usque ad ætatem quinquaginta annorum. Fuisse etiam dispertitos in XXIV. classes, quarum quælibet tractu unius hebdomadæ (veluti & classes Sacerdotales) ministrabat in templo, inde revertebatur, & alia classis templum adscendebat ad sacrum cultum, ut ita una classis revolutione reciproca ministraret in templo duabus vicibus in anno. Singulæ classes rursus dividebantur in septem cœtus, juxta numerum dierum hebdomadæ, quibus singuli ministrabant. Talisque ordo fuit perpetuus ministerii ipsorum.

CAPUT XI.

De Nethinæis.

QUemadmodum Levitæ ministrabant Sacerdotibus, ita Levitis Nethinæi, erantque adeo servi servorum, dicti ab Ebræo verbo נתן quod significat *dedit*, quasi *dati* aut *donati* Levitis ac templo, ut necessaria ministrarent: vel quod Sacerdotibus *darent* ac suppeditarent ad manum necessaria, uti sibi fingit Forsterus. Theodoretus in lib.I. Paralip. refert, se invenisse in nominum Ebraicorum interpretatione nomen hoc significare δόσιν Ιαώ, i. e. *donum DEI sive Domini*. Fuerunt autem servi publici & communes ad secanda ligna, hauriendas aquas aliaque similia munia & publicas angarias obeundas. Primi Nethinæi constituti fuerunt & ordinati a Josua Gibeonite, datique in castris ministerio universi populi in usum sacrum & profanum, Jos. IX. 21. consecrati autem postea a Davide ad servitium solorum Levitarum, uti constare potest inter alia ex Esræ c.VIII. 20. Salomo addidit rursus alios ex servis suis delectos, quos cum filiis nepotibusque & posteris servitio ejusmodi mancipatat. De his a conjugiis virorum Israelitarum arcendis bina facta decreta ajunt Judæi: alterum ab ipsomet Josua, quod quidem temporarium tantum fuerit; alterum deinde a Davide, sed quod semper observari debebat ob illam Gibeonitarum crudelitatem, qua haud alia ratione quam suspendio septem filiorum Saulis placari poterant. Vide D. Wagenseilium ad c. IV. Cod. Talm. Sota, p. 568. Habebant illi in templo propriam domum dictam *Conclave lectorum*, in qua noctu cubabant, cujus etiam mentio fit 2. Paral. XXII. 11. Horum Nethinæorum tempore Esræ fuere numero trecenti & nonaginta duo. Vide Esræ c. II. 43. & 58. Confer Hieronymum in I. Paralip. l. c. Nicolaum Lyram in I. Paralip. c. IX. Abulensem in eumdem lib. Quæst. IV. Franciscum Riberam de Templo, lib. III. c. IV. p. 210. M. Marinum in Arca Noæ, Tom. II. fol. 491. Schindler. in Lex. pentaglott. fol. 1184. Petrum Ravanellum, Bibl. S. part. II. fol. 359. col. 1. & in Additamentis novis part. II. fol. 136. col. 1. Plane aliam de his sententiam, sed mera conjectura nixam, fovet Joh. Forsterus: *Ego, scribit, fratres arbitror initio Regis, qui non succedebant in regno, sed quibus donationes dabantur, ita dictos esse, quasi* donatos, & *habitaverunt ceu custodes in munitione Ophel, ne in arcem David a seditiosis fieret irruptio. Deinde autem post Reges & reditum ex Babylone alii ita quoque sunt appellati, qui sacerdotibus necessaria suppeditarent, a dando seu porrigendo nomen habentes*; in Dictionar. fol. 532.

CAPUT XII.

De Æditiuis & Janitoribus.

ÆDitui dividebantur in κλείσαντας Thorschliesser, & θυρωρὸς Thorhüter, qui ostia templi claudebant & reserabant, clavesque atriorum tenebant. Illi tantum erant ex Sacerdotibus, & quidem seniores, dicti propterea *Seniores domus paternæ*; nuncupabantur alias *Camerarii*, item *Præpositi pecuniæ publici fisci sacri*, & erant primarii XXIV. familiarum sacerdotalium, de quibus egi-

gimus supra c. IX. Princeps eorum seu inspector, qui iis præsidebat, nominabatur *Caput domus paternæ*, de quo amplius conferri possunt R. Salomo Jarchi & Obadias bar Tenora, Comment. ad initium c. II. codicis יומא. Occlusis omni vespera singulis templi ostiis conveniebant hi in elegantissimo conclavi ædificato in atrio Sacerdotum a latere septentrionali, quod dicebatur *Camera custodiæ templi*, itemque *Camera domus foci*, nimirum propter ignem ibi exstructum, ad quem se æditui calefaciebant. Videatur Codex Talmudicus de Mensuris, c. I. §. VIII. In hac camera excisi erant gradus lapidei, seu stratum e muro prominens, scamnis lineatim distinctum, quorum unum altius erat altero, veluti in theatris, in quibus memorati illi Presbyteri templi cum suo Præfecto pernoctabant & dormiebant. In pavimento cameræ istius subterranea quædam crypta exstitit quadrata, cubito uno longa & uno lata, cujus orificio superimposita fuit tabula marmorea, atque huic infixus annulus, ut, si opus esset, ipsa tabula posset elevari. Subter cryptam illam catena fuit aurea, in qua claves templi pependerunt in clavo seu uncino. Cum igitur appeteret tempus obserationis, sustulit Sacerdos, quem ordo tunc tangebat, cum annulo tabulam istam, & de catena clavibus desumptis clausit ostia interius. Postquam omnia clausisset ac reposuisset claves in catenam tabulamque in locum suum, in hanc injecit vestimenta sua & dormivit per noctem super iis. Videatur Codex Talmudicus de Mensuris l. c. Janitorum autem, sive eorum, qui ad varia templi ostia noctu diuque vigilabant, quidam erant ex Sacerdotibus, quidam ex Levitis. Illi vulgo appellabantur *Juniores Sacerdotii*, eo quod ad hoc officium deligerentur, qui recens creati essent Sacerdotes, ceterisque essent annis minores, adeoque ad vigilandum vegetiores & alacriores. Hi dicti fuerunt *Koritæ*, quod maxima eorum pars esset ex posteris Korah, quem adversus Mosen rebellantem terra absorpsit, remanentibus tamen filiis ipsius, Num. XXVI. 11. Erat vero Korah filius Jezearis, nepos Kahath, pronepos Levi, quod constat ex Exod. VI. 16. 18. & 21. Hisce postea jungebantur aliquot ex posteris Merari, filii itidem Levi, distincti tamen appellatione a Levitis stricte ita appellatis, uti ex aliquot S. Scripturæ locis manifestum est. Nuncupabantur junctim simul *Janitores*, *Ostiarii*, *Custodes tabernaculi*, *sanctuarii*, *vel templi*. Præpositus etiam illis erat *Janitor princeps*, cui subordinati fuerunt alii Janitorum præsides nonnulli seu inspectores. Officium eorum erat, partim excubare ad ostia templi, & introitum cum armis custodire, ne profanus quisquam accederet, aut aliquid illegitimi inferretur: partim custodire & observare vasa & utensilia ministerii templi, ut bona fide quæque ex suis conclavibus efferrentur & reconderentur, neque aliquod de eorum numero decederet. Præerant quoque panibus propositionis, vino, oleo, thuri, aromatibus, sali & similibus. Colligebant pecuniam a populo ad conservationem ædificiorum sacrorum. Denique & inspectores erant eorum, qui ad diversos usus ministerii templi diversa onera bajulabant. Divisi autem erant in certas classes, quæ singulæ in singulis habitabant pagis aut prædiis suis, & per vices Hierosolymis munia sua obibant, sic, ut si quem tangeret ordo, Hierosolymas proficisceretur, ibique partium suarum satageret. Præfecti eo convenie-bant omni vespera in duobus conclavibus a latere septemtrionali atrii Sacerdotum, extra tamen illud sitis, quorum alterum superius erat, dictum *conclave superius domus Nitzotz*, in quo illi, qui ex Sacerdotibus Janitores agebant, congregabantur: alterum inferius, adsignatum Levitis Janitoribus, dictum *conclave sacrificii* (ædificatum enim erat prope templi portam, quæ cognominabatur porta sacrificii) atque in his excubias per diversa loca inter se sorte dispertiebantur, easque illico deinceps subibant, ita ut Sacerdotibus de suo conclavi descendentibus jungerent se Levitæ, & sic quilibet ad locum sorte sibi constitutum pergeret. Videatur Codex de Mensuris, c. I. sect. I. Ita sorte se dividebant in XXIV. catervas, quarum quælibet appellabatur *custodia*, item *congregatio*: ex his una & viginti erant ex Levitis, reliquæ tres de Sacerdotibus. Unaquæque in templo Salomonis non minor erat, quam decem hominum, ut ita semper excubarent ad minimum ducenti quadraginta. Porro illæ XXIV. catervæ sive custodiæ dividebantur per totidem loca, nimirum quatuor catervæ excubabant ad singulos IV. angulos porticuum exteriorum montis templi, quinque ad singulas quinque portas illarum porticuum, quatuor extrinsecus ad quatuor singulos angulos atrii Sacerdotum, quinque ad singulas quinque portas memorati

rati atrii, una in conclavi suffitus, una in conclavi Nitzotz, una in conclavi, quod vulgo dicebant *locum focarium*, (ibi sacer erat ignis) una in conclavi oblationis, una in conclavi postico, una in conclavi paullo remotiori a postico. Videatur Codex Talmudicus de Sacrificio assiduitatis, lib. I. sect. I. Hisce omnibus præerat *Præfectus vigilum* sive *Magister excubiarum*, qui stipatus aliquot ministris singulis noctibus cum facibus accensis circumibat & visitabat excubias templi. Et cum ad Janitorum aliquem appropinquaret, acclamabat ipsum certa formula sive tessera. Quod si hic non responderet dormiretque aut dormitaret, vel alio quovis modo officium suum non fecisset, magister vigilum eum baculo percutiebat & plagis male mulctabat, aut denique etiam pro re nata vestimenta ejus accendebat & comburebat. Vide Leonem de Templo, lib. I. p. 26. Custodiam autem altaris tantum tenuerunt Sacerdotes, oriundi e semine Zadok, qui fuit e posteris Eleasaris, id quod præter Talmudica testimoia colligere est etiam ex Ezech. XL. 46. Janitorum, tempore tabernaculi, fuere ducenti duodecim; temporibus Davidis & Salomonis quatuor mille; post captivitatem Babylonicam centum triginta novem; & postquam secundum templum esset ædificatum, centum triginta octo. Eligebantur autem æditui & janitores atque constituebantur a Rege & Judicibus sive Synedrio magno.

CAPUT XIII.

De Cantoribus.

Canendi munus qui obibant in sacris, erant ex tribu Levi, non autem dicebantur Levitæ, sed *Cantores*. Inter hos dignitate præcellebant posteri Kahath; alterum locum obtinebant Gerschonitæ; ultimo sequebantur filii Merari. Erant & hi distincti in certas classes, quæ habitabant ruri in prædiis, & alternatim officium suum peragebant in templo, ita ut cuique per sortem suæ partes distribuerentur: canebant enim tam voce, quam variis instrumentis, quæ maximam partem nobis sunt incognita, variosque & singulares canendi tenebant modos, quibus addiscendis certas frequentare tenebantur scholas, & in iis aliquot annos conterere. Quare vulgo dividebantur in *Magistros* & *discipulos*. Cantores in universum MMMM. & inter hos CCLXXXVIII. numerabantur Davidis tempore, qui & primus eos instituit, & ad cultum divinum ordinavit. Cantoribus istis, ut & Janitoribus, temporibus Esræ, singulis diebus salarium porrigebatur. Instrumenta eorum musica, quibus in templo utebantur, ex materia pretiosissima, ebeno vel argento aut auro erant confecta, & in sacro loco adservabantur. Ipsi Cantores certo habitu, stolaque byssina varie ornata incedebant, & præter solennia festa quotidie bis fungebantur officio suo, mane nempe & vesperi. In oblatione sacrificii assiduitatis consistebant inter canendum in gradu quodam lapideo alto a terra mensura cubiti, longo CXXXV. cubitis, a septentrione versus meridiem. Gradus ille discrimen faciebat inter atrium Israelis & atrium Sacerdotum, in quorum medio erat exstructus. Super illo tres alii exsistebant gradus, quorum quisque altus fuit dimidio cubito, dimidio etiam latus, qui nuncupati fuere *suggestum Levitarum*. In iis Levitæ & oblationis sacrificii & libationis tempore cantabant & modulabantur versus orientalem plagam altaris. Cumque incenderetur holocaustum, tam diu concinebant, usque dum conflagrasset illud, & rite libatum esset. Videatur codex Talmudicus de Mensuris, c. II. sect. VI. codex de Æstimationibus, c. II. sect. VI. Josephus, Antiquitat. Judaic. lib. XV. c. XIV. Eorum Levitarum, qui tempore sacrificii assiduitatis ore canebant, ad minimum fuere duodecim, exceptis iis, qui in instrumentis musicis modulabantur. Cantica loco isto a Levitis ordinarie decantata erant sequentia: Primo hebdomadæ die Psalmus XXIV. Secundo die Psalmus XLVIII. Tertio die Psalmus LXXXII. Quarto die Psalmus XCIV. Quinto die Psalmus LXXXI. vel XCI. Sexto die Psalmus XCIII. Sabbatho denique Psalmus XCII. Id quod præter Mosen Maimonidem testantur quoque LXX. interpretes Græci in inscriptionibus istorum psalmorum. Præfecti illis erant duo Præsides: alter dicebatur *Præfectus cantorum*, qui quotidie eligebat eos, qui in templo vel voce vel instrumentis musicis dedebant canere: alter dicebatur *Præfectus cymbali & ceterorum instrumentorum musicorum*, qui cantores ad suggestum supra memoratum jam constitutos super illum convenienti ordine locabat & in certos choros disponebat. Vide Leonem de Templo, lib. I. p. 26. & seq. Licet autem cantores non

non exiſterent Sacerdotes, tamen Sacerdotes cantorum gregi ſe aliquando jungebant, (vide II. Paral. V. 12.) verum ita, ut 1. non niſi tubis canerent, 2. non ſemper conſiſterent in eorum ante memorato ſuggeſtu, ſed ſtarent ſuper columnis penes menſam marmoream conſtitutam ad latus meridionale altaris, quæ cognominabatur *menſa adipum*. Videatur codex Talmudicus de Sacrificio aſſiduitatis, c. VII. ſect. III. Clangebant etiam tubis Sacerdotes, cum Iſraelitæ pararent bellum adverſus hoſtes ſuos, itemque omni veſpera ante ſabbatum aut feſtum majus; quod ſignum erat, confeſtim quieſcendum eſſe a quovis opere quotidiano. Numer. X. 8. & ſeqq. Codex Talmudicus de Tabernaculo, c. V. ſect. V. Joſephus de Bello Judaic. lib. XV. c. XIV. Porro Cantores apud Judæos alii erant *ſacri*, de quibus hactenus egimus, alii *profani*, quorum iterum certa ſocietas, non modo ex viris ſed & mulierculis cantatricibus conſtans, qui adhibebantur in funerum deductione, triumphorum pompa, comeſsationibus, ceteriſque ſolemnibus hilaritatibus. Iſtorum differentia conſtabit ei, qui probe contulerit Eſræ c. II. 41. cum 65. nec non Nehem. c. VII. 44. cum 67.

CAPUT XIV.

De Prophetis.

AD ſacras perſonas ipſaque templi atria pertinent quoque *Prophetæ* qui non tantum divino inſtinctu prædixerunt futura, ſed & populum docendo in ordinem redegerunt. Nuncupabantur olim *videntes*, quam nomenclaturam antiquiſſimam eſſe teſtatur verſ. 9. c. IX. lib. I. Samuelis. Dicti alias fuere *viri Dei*, uti notant ex Scriptura Rabbini. Ante Moſen quidem Prophetæ illi erant, qui hodie eccleſiarum & ſcholarum ſunt antiſtites, qui docendo magis ordinarie, quam extraordinarie vaticinando eccleſiæ & familiæ ſuæ præerant. Quo pertinent Patriarchæ Abraham, Iſaac, Jacob, Levi, Amram, Domus judicii Eber, Schola Mathuſalem &c. Poſt Moſen vero Prophetæ non modo erant inſtar concionatorum, doctorum vel præceptorum, qui corrigebant vel admonebant homines, eoſque ad cuſtodiendam legem & timorem Dei vocabant, ſed & certas ac peculiares impiis comminabantur pœnas, piis vero bona quæque hoc vel iſto tempore eventura deſignabant atque prædicabant. Vide Maimonidem in Doctore perplexorum, lib. II. c. XXXIX. Prophetias iſtas pro concione publica in loco publico vel recitabant, vel cantabant aliquando una cum muſicis inſtrumentis; primarii enim inter cantores ſacros exſtitere ſimul Prophetæ, adeoque non pauci prophetarum fuerunt ex tribu Levi I. Paral. XV. 27. legitur: *David erat indutus ſtola byſſina & univerſi Levitæ, qui portabant arcam, & Cantores, & Chonanias princeps prophetiæ inter cantores &c.* & c. XXV. 1. 2. 3. 4. & 5. *Igitur David & Magiſtratus exercitus ſegregaverunt in miniſterium filios Aſaph & Heman & Jeduthun, qui prophetarent in cytharis & pſalteriis & cymbalis ſecundum numerum ſuum, dedicato ſibi officio ſervientes. De filiis Aſaph: Sachur & Joſeph & Nathania & Aſarela filii Aſaph, ſub manu Aſaph prophetantes juxta Regem. Porro Jeduthun: Filii Jeduthun, Godolias, Sori, Jeſaias & Haſabias & Mathithias ſex ſub manu patris ſui Jeduthun, qui in cythara prophetabat ſuper confitentes & laudantes Dominum. Omnes iſti filii Heman videntis Regis in ſermonibus Dei, univerſi ſub manu patris ſui ad cantandum in templo Domini diſtributi erant &c.* Poſtquam prophetæ concionem vel voce vel cantu habuiſsent ad populum, brevem ejus ſummam colligebant, quam affixerunt valvis templi, ut omnibus pateret ac melius innoteſceret prophetia. Quod magnam lucem afferet c. II. 2. prophetiæ Habacuc & Jeſaiæ XXX. 8. Cum igitur prophetia ſcripto conſignata ad fores templi ſatis patuiſset per aliquot dies, auferebatur a miniſtris templi atque reponebatur in theſaurum, ut perpetuum ejus rei exſtaret monumentum. Ex ſchedis iſtis collectis in unum conficiebantur poſtea libri prophetarum, qui hodie nobis exſtant. Hæc porro cauſa eſt, cur ordine ſæpe turbato & præpoſtero collocatæ ſint prophetiæ & materiæ in libris iſtis, quandoquidem ex concionibus iilis ſervatis in arca quadam templi non quo decebat ordine, ſed ut ferebat opportunitas, conflatum fuerit volumen prophetarum, quod hodie manibus terimus. Igitur cum prophetæ hominum ſcelera corriperent liberius, iiſque graves denunciarent pœnas, Judæi in tanto contemptu habuerunt verbum Domini, ut oracula prophetarum per deriſum *onus* vocarent (vide Ariam Montanum præfat. in Prophetas minores; Munſterum, notis ad XXIII. Jeremiæ) & ipſos prophetas ludibrio & pro fatuis haberent, uti conqueritur cap. XXIX. Jeſa-

saias, partim quod prædicerent, quæ a longinquo eventura essent, partim quod sæpe essent homines infimæ sortis atque conditionis. Judæorum enim gens, cum majestas eorum de fastigio suo rueret, in tantum fuit occæcata, ut omnia ad externam speciem metiretur; unde talem habuere canonem: *Non habitat Spiritus propheticus nisi apud sapientem, fortem, divitem atque excellentem*. Longe rectius sapit Maimonides: *Deus opt. max. ad munus prophetiæ eligit aliquem ex hominibus, qui ipsi placuerit, eumque mittit nulla habita ratione, nulloque respectu, an sit sapiens & eruditus, an vero indoctus & imperitus, senex an juvenis: tantum hoc requiritur, ut sit vir probus, bonus, honestus;* in Doctore Perplexorum, lib. II. c. XXXII. Ceterum Judæi distinguunt inter *Spiritum Sanctum*, cujus afflatu David aliique excellentioris ingenii viri scientes & vigilantes scripta fuerint meditati, qui tamen non exstiterint prophetæ, unde & Danielem prophetam fuisse negant, neque in ordinem eorum ponunt, (cujus caussas prolixius designarunt Maimonides in Doctore Perplexorum, lib. II. c. XLV. Cunæus de Rep. Ebræorum, lib. III. c. VII. p. 358. Constantinus l' Empereur in Paraphrasin Jachiadæ, p. 4.) & *Spiritum propheticum*, cujus instinctu per somnium seu visionem, aut per ἔκστασιν, aut per angelum futura acceperint divini vates, qui tamen omnes Jesaia excepto scopum & mysteria vaticiniorum suorum non intellexerint. Sublati fuerunt prophetæ sub initium templi secundi, uti perhibent Talmudici, cod. de Synedriis, c. I. & Lipmannus in lib. Victoriæ, p. 159. postquam nempe mortui essent Haggæus, Zacharias, Malachias. Totum prophetarum tempus definiunt Judæi cursum M. annorum, initio facto a temporibus Mosis, & fine posito in ætate Esræ. Deinceps cessavit prophetia, non, ut vult Maimon. in Doct. Perplex. lib. II. c. XXXVI. quod per mœrorem & tristitiam ex diuturno exilio conceptam nulli licuerit futura prædicere, sed quod ipse Messias jam jam expectaretur, atque adventum illius, haud alio interveniente, prophetæ fideles præstolarentur. De prophetia variisque ejus generibus exacte tractat Don Isaac Abarbenel, commentar. in Pentateuchum, fol. 130. & seqq.

CAPUT XV.

An Samuel Pontifex maximus fuerit?

Samuel Propheta fuit, Judex fuit, Levita fuit, non Pontifex, ne Sacerdos quidem. Hieron. Tom. II. lib. I. adversus Jovinian. p. 32. Sed vero quod unxisset ille Regem, Pontificem eum facere nituntur, successorem quidem Eli, Augustinus contra Faustum, Tom. VI. lib. XII. c. XXXIII. & de Civitate DEI, lib. XVII. c. IV. Tom. VIII. & comment. in psalm. XCVIII. Tom. V. Sulpicius Severus, Hist. Sacr. lib. I. c. LXIV. successorem autem Ahitob, nepotis Eli, Dionysius Petavius de Doctrina temporum, lib. X. c. XLVIII. Falsum hoc esse multis ostendunt Guilielmus Occam, Decisionibus de Potestate summi Pontif. qu. I. c. II. & XII. Josephus in Catalogo Pontificum, Abulensis, Liranus & Cornelius a Lapide, comment. in librum I. Samuelis, Drusius in cit. loc. Sulpicii, Seldenus de Successione in Pontificatum, lib. I. cap. III. Id. I. evincitur ex eo, quod Samuel non fuerit ex familia Aaronis seu sacerdotali, sed ex posteris Jezeharis, patrui Aaronis, adeoque impossibile fuerit vel Pontificis vel Sacerdotis munere eum fungi. II. Reclamant ipsa Ebræorum monumenta, fasti nempe Pontificum maximorum apud Josephum & alios, in quibus non reperitur Samuel. III. Hieronymus probationis argumentum quoque petit ab habitu ejus sacro, quod mater ipsius ei fecerit superhumerale lineum, *qui habitus proprie Levitarum fuerit & minoris ordinis:* verba ejus sunt Tom. II. lib. I. adversus Jovinian. p. 32. Neque obstat, quod Saulum unxerit in Regem: id enim non semper competiisse Pontifici maximo, constat ex II. Reg. c. IX. 1. 2. & 3. ubi discipulus prophetæ jussu prophetæ unxit regem Jehu; eodem modo Saulem propheta Samuel jussu Dei.

CAPUT XVI.

De Scribis & Legisperitis.

Scribæ appellatum apud Ebræos generalius quemlibet doctum denotat; specialius vero certis personarum generibus competebat. Et Scribæ quidem dividebantur in *sacros* & *profanos*. Profani vulgo dicebantur *Scribæ populi*, 1. Maccab. V. 42. eo quod Senioribus populi,

puli, i. e. Senatoribus Synedrii sive Collegio illi LXX. virorum essent adjuncti ad exsequenda judicia. Et hi rursus distincti erant in *superiores* sive *regios*, penes quos erant instrumenta publica, libelli annalium, temporum, gestorum, censuum, redituum, &c. & *inferiores* sive *plebejos*, qui actuarii erant communes, & a quibus acta privata conscribebantur: adeoque Scribæ erant notarii publici in synedriis, registrarii in Synagogis, amanuenses in transcribendis codicibus legis, phylacteriis, contractuum aut divortii libellis, &c. Quin & educationi scholasticæ, tractando calamo, atque scriptioni se addixerunt, docendo nimirum καλλιγραφίαν manusque in scribendo velocitatem. In Talmude mentio fit insignis talis scribæ, viri cujusdam Kamzaris, qui in sacris Ebræorum ad ignominiam memorabatur, eo quod silentio suppressisset singulare quoddam artificium scribendi. Perhibent enim, eum quatuor calamos manu simul tenuisse, &, si dictio quatuor constaret literis, singulas una vice & uno ductu expressisse. in Cod. de Die expiationis, c. III. sect. XI. Tales scribæ populi non ex Sacerdotali aut Levitica stirpe erant sati, sed ex aliis orti tribubus, immo si inferiores essent, erant quandoque plane exteri, neque de posteris Israelis, quemadmodum legimus 1. Paral. II. 55. Kinæos fuisse ejusmodi scribas.

Scribæ sacri vocabantur alias *Scribæ cleri*, omnesque e Sacerdotali sanguine originem suam ducebant, erantque doctores publici & ordinarii Professores, meditantes Scripturas, easdem exponentes, a corruptelis vindicantes, in templis & synagogis prælegentes, locorum obscurorum Juris utriusque tam sacri quam Civilis, ubi opus erat, interpretationem adjicientes, dubia ex Mose & Prophetis objecta solventes, perplexas quæstiones emendantes: nam & criticam sacram sectabantur, luxatos Bibliorum codices pristino nitori restituebant, depravatos dispungebant, varias lectiones annotabant. Multum proinde distulere a Prophetis, qui homines ad servandam legem admonebant, & violatores ejus minis & exsecrationibus percutiebant, cum e contrario Scribæ legem & Prophetas duntaxat prælegerint, explicarint & de dubiis textibus judicarint. Vide Matthæi VII. 29. XVII. 10. XXIII. 2. Marc. XII. 28. 1. Corinth. I. 20. Unde Christus accommodate secundum Judæorum consuetudinem loquens, discipulos & Apostolos suos vocat *scribas* & intelligit Legis doctorès. Confer. inter se Matth. XXIII. 34. & Luc. XI. 49. Chrysostomus, Tom. III. Homil. LII. ad Matth. c. XI. 1. recte scribit: *Per omnes tribus Scribas & Pharisæos fuisse dispersos, sed omnium arrogantissimos fuisse Hierosolymitanos*. Hi enim sapientissimi omnium vulgo habebantur, singuli subsellia in synedrio magno occupabant, ejusque erant adsessores; imo & in Ecclesiastico Sacerdotum consistorio loca tenebant, sacrumque senatum ibi explebant, (vide Matth. II. 4. XXVI. 3. 57. & plura alia Novi Testamenti loca) adeoque magna auctoritate & aliqua potestate judiciaria pollebant. Vide Matth. XX. 18. Docebant tum in templo, tum in synagogis, hebdomadatim bis jejunabant, multum precabantur, plerique etiam perpetuam servabant virginitatem Γραμματεῖς *Scribæ* vocabantur aliquando Νομικοὶ *Legis periti*, uti pater ex collatione locorum Matth. XXII. 35. & Marc. XII. 28. quamvis stricte loquendo talis inter eos esset constituta differentia, quod Scribæ in theoria magis & corrigendis Bibliorum codicibus fuerint versati; Legisperiti in praxi & practicis quæstionibus; illis Academica demandata esset functio, puta in synagogis, his Ecclesiastica cathedra, in templo. Videsis Spanhemium, Dubiorum Evangelicorum part. II. fol. 393. & 400. Quamvis autem Scribarum & Pharisæorum diversa essent officia: eumdem tamen aliquando fuisse Pharisæum & Scribam, adeoque Scribas nonnunquam Pharisæorum ordini se addixisse, patet ex collatione locorum Matth. XXII. 34. & seqq., & Marc. XII. 28. Nam qui hic nuncupatur Scriba, Pharisæus fuisse illic cognoscitur. Originem eorum arcessunt quidam a promulgatione legis, qua tradita Scribis opus fuerit, eamdem & describentibus & prælegentibus & interpretantibus: alii Regum temporibus. Talmudistæ primum Scribam asserunt fuisse Esram, quos tamen ex Jeremiæ c. VIII. 8. erroris convincere nititur Beza, notis ad Matth. c. II. 4. fol. 4. b. S. Hieronymus & alii post eum, Hillelem & Schamai (qui centum annis ante destructionem templi II. vixerunt) Scribarum Patriarchas constituunt. Verisimile autem est, muneris hujus necessitatem ortum traxisse ex ignavia ac ruditate Sacerdotum, &, quæ corrupto Ebræorum statu inolevit, honorum nundinatione. A nonnullis male Scribarum nomen sectæ inter Judæos, Pharisæo-

risæorum veluti, reputatur; in qua sententia videtur quoque fuisse Suidas, voce Φαρισαῖοι. Non enim sectæ, sed muneris erat, uti ostendunt Spanhemius, loc. cit. fol. 404. Joh. Camero in Myrothec. fol. 177. Casaubonus adversus Baronium, Exercit. I. §. XI. p. 57. Drusius de tribus Sectis Judæorum p. 51. Pluribus de Scribis tractat Beza, l. c. Camero, l. c. Casaubonus in Exercit. p. 52. Joh. Lightfoot in Horis Ebraicis, fol. 205. & 389. Hottingerus, Thesauro Philolog. lib. I. c. II. sect. I. p. 74. seqq. Buxtorfius in Tiber. c. VIII. Hugo Grotius, Comment. in Matth. c. II. 4. fol. 31. & seq.

CAPUT XVII.

De Nasiræis, quam viris tam femellis.

Vidimus hactenus varia Sacerdotum genera, tum vero etiam ministros, qui in functione ipsorum iis erant ad manus, suamque navabant operam. Nunc aliquot capitibus de Personis Sacris atque Deo devotis tractabimus, quæ licet non essent de Sacerdotum genere, cum tamen eximiam sanctitatis speciem partim præ se ferrent, partim cultui divino se consecrassent, parique cum Sacerdotibus, si non majori, essent in existimatione atque auctoritate inter Judæos, nec minus multiplex earum in S. Scriptura fiat mentio, in supplementum eorum, quæ hactenus enarravimus, paucula adjiciemus. Primo loco nominamus *Nasiræos*; quæ vox significat, *segregatos*, *divisos*, *separatos*. Fuerunt illi homines sive viri sive femellæ, qui ut liberius vacarent discendæ legi Deique benignitati expendendæ, aliorum commercio se abdicarunt, Deoque totos se dedentes certum abstinentiæ votum fecerunt. De iis ex professo agit Scriptura sacra Num. VI. Tria potissimum illorum exstitere genera: (1) Quidam erant Nasiræi nativi, i. e. ab utero materno tales, destinatione quidem aliena, non vero voto proprio, qualem fuisse Samsonem legimus Judic. XIII. & hi per omnem vitam voto obstringebantur. (2) Alii consecrati erant certo tempore ad mensem unicum seu triginta dies, quibus exactis voto rursus solvebantur. (3) Alii ad dies vitæ ita devovebantur, quamvis non ab incunabulis, sed initio facto a certa ætatis parte, cujus generis Nasiræa ex voto parentis facta fuerit filia Jephthæ. Quo etiam pertinent nostri ævi Judæi, quorum si quis hodie fecerit Nasiræatus votum, non solum obligatur ad illa, quæ lege Mosaica Nasiræis sunt præcepta, sed & insuper tenetur pergere Hierosolymas, illicque manere, & in voto perdurare, donec moriatur, aut donec templum, quod miselli isti frustra sperant, fuerit exstructum. Abstinentia eorum non solum spectat omnia, quæ in lege vetita erant immunda, sed & alia, quæ ceteris Israelitis licita essent atque munda; potissimum vinum & quicquid ex vite provenit. Maimonides: *Nasiræatus proprietas est, ut per prohibitionem ab omnibus ex vite confectis potibus homo ad excellentiorem dignitatem promoveatur, & rebus necessariis contentus esse discat, nam qui ab eo abstinet; vocatur* sanctus, *& collocatur in gradu Sacerdotis magni*, i. e. æquiparatur Sacerdoti maximo; In Doctore Perplexor. lib. III. c. XLVIII. Ceterum cibo utebantur tenui & vilissimo, quemadmodum de Johanne testatur Matthæus, c. III. 4. Mortuorum contactu, si vel maxime parentes ipsorum essent, omnimode prohibebantur, cai pillum alere tenebantur, & ab omni rasura sibi cavere; quod partim ex Samsonis historia, partim ex Num. VI. capite constat. Vestitu nihil differebant a Prophetis, sed utebantur eo saccino, pelliceo, cilicino, hirsuto, crassiori, villoso, atque aspero, qui rigido tetricoque Nasiræorum instituto ac voto valde conveniebat. De Johanne Baptista testantur Evangelistæ, Matthæus, c. III. 4. & Marc. I. 6. usum eum fuisse *vestimento e pilis camelorum*, unde quidam augurabantur, esse eum Eliam Joh. I. 21. eo quod Prophetæ & Nasiræi vestitu non discreparent. De Prophetis testatur Hieronymus: *Erat prophetarum habitus, ut, quando populum ad pœnitentiam provocabant, induerentur cilicio*. Videatur 2. Reg. I. 8. Zach. XIII. 4. Unde & declarabitur locus Matthæi VII. 15. Habitum istum receperunt quoque primitivæ Ecclesiæ Christiani, quod liquere potest ex Ebræorum c. XI. 37. Exacto postea tempore devotionis, triginta nempe diebus illis, voto suo solvebantur Nasiræi, primo certa sacrificii specie, quam prolixe descriptam habes Num. VI. deinde rasura capitis, quod perspicuum reddet locum Actor. XXI. 23. & 24. De Nasiræis videsis inter alios Drusium, Commentar. in Num. c. VI. Fullerum, Miscell. lib. IV. c. VII. Erat autem ordo eorum antiquissimus omnium: cum quo nihil prorsus commune habere Monachos hodiernos, dudum

dudum sufficienter evicerunt Hospinianus de Monachis, c. VI. Spanhemius, Dubior. Evangel. part. II. p. 640. Wagenseilius in Sota, p. 447. f. Notari hic meretur differentia inter *Nasiræos* & *Nazarenos* seu *Nazaræos* & *Nazoræos*, quos scriptores Ecclesiastici veteres, tam Græci quam Latini, male atque inepte confundunt. A diversis enim orta sunt vocabula ista radicibus, diversasque significant personas. Nasiræi qui sint, modo vidimus. Nazareni vero, Nazaræi vel Nazoræi, erant homines nati vel educati vel degentes in urbe Nazareth: ex qua caussa Christus etiam nuncupatur Nazarenus, & postea discipuli ejus ab eo denominati fuere Nazaræi vel Nazoræi. Hinc Judæi D. Paullum accusantes, *nacti sumus*, ajunt, *virum hunc pestiferum & concitantem seditionem omnibus Judæis in universo orbe, & auctorem hæreseos Nazaræorum*, Actor. XXIV. 5. & sic in Rabbinorum scriptis Christiani ad hodiernum usque diem in universum audiunt. Sed & statim post Christi tempora nomine Nazaræorum κατ' ἐξοχὴν insignita fuit certa hominum inter Judæos secta, qui cum divina signa per Apostolorum manus facta vidissent, prædicationemque de Jesu audivissent, in Christum quidem credebant, legi tamen adhuc erant obstricti, sabbatumque ac circumcisionem observabant, & carnis justitia salvos se futuros sperabant, idemque fere docebant, quod Cerinthiani & Ebionitæ. De quibus Epiphanius contra Hæreses, lib. I. Tom. II. hæres. XXIX. p. 52. & seqq. Theodoretus, lib. X. Hæretic. fabul. p. 321. Joh. Damascenus de Hæresib. fol. 550. Nicetas Thes. Orthod. lib. I. c. XLII. fol. 40. Augustinus, Catalog. hæres. num. 9. tom. VI. fol. 4. col. 1. De his & eorum imprimis Evangelio vide, quæ magno studio colligimus in prolegomenis Observationum nostrarum in Matth. p. 51. & seqq. Probe considerata isthac differentia facile intelligere erit, minus recte se habere Luth. glossam Germanicam in vulgaribus Bibliis ad Num. c. VI. 2.

CAPUT XVIII.

Ἀκρίδες Nasiræis comestæ qualenam alimenti genus fuerint?

UT eo rectius de Nasiræorum victu constet, ad illustrandam historiam Evangelicam, quæritur, quodnam cibi genus indigitetur vocabulo ἀκρίδων Matth. III. 4. Marc. I. 6. quo Jo. Baptistam fuisse usum, testatur Spiritus Sanctus. De eo tot fere habentur sententiæ, quot commentatores. I. Epiphanius in Panario, lib. I. hæres. XXX. p. 61. col. 2. notat legisse nonnullos pro ἀκρίδες, ἐγκρίδες, quod nomen exponit, *bellaria ex melle*, (Hönig-Kuchen) sed repugnat veterum Codicum consensus, in quorum nullo posterior hæc vox reperitur. Deinde tantum abest, ut Nasiræi tam delicate & laute vixerint, ut potius cibo usi fuerint aspero illorum ordini conveniente, tenui & facile parabili, qualem exstitisse ἀκρίδας testantur Aristophanes & Plutarchus, eosque inter viliores cibos numerant. II. Quidam ut cum Bucero Centur. Magd. cent. I. lib. I. c. VI. p. 250. *cancros* interpretantur, quos ad Jordanis ripam abjecerint piscatores, & inde in escam collegerit S. Johannes: quæ sententia absurda est (vid. Salmero Hist. Evang. tom. IV. part. I. tract. IV. p. 30.) ex eo, quod non fiat verisimile, sive Johannem Baptistam sive Nasiræos cibis vesci voluisse aut potuisse in lege prohibitis, quales erant cancri. Vide Levit. XI. 10. Erasm. Schmidius, Comment. in Matth. III. 4. *Cancrorum quoddam genus καρίδων nomine venit. Squillas alias dicunt. Quod non recte intelligentes aliqui, metathesi audaci ἀκρίδας hic idem notare putarunt*; fol. 49. III. Alii, v. g. Athanasius in scholiis N. T. Euthymius in Matth. I. c. & Nicephorus Callistus H. E. lib. I. c. XXIV. Paulinus, Baronius, Hammondus &c. significare autumant ἀκρόδρυα summos arbustorum apices, vel arborum gemmas, aut fœtus vel olerum etiam summas partes. Ita Isidorus Pelusiota: *Illæ acrides, quibus vescebatur Johannes, non sunt animalia Scarabæis similia, ut imperite quidam existimant, absit*, sed ἀκρέμονες, i. e. *germina herbarum*; lib. I. epist. CXXXII. Hanc sententiam amplexus quoque fuit Perottus, apud Jansenium in Concord. Evang. part. I. c. XIII. fol. 81. IV. Nonnulli pro ἀκρίδες legerunt ἀχράδες, quo nomine Græci *pira sylvestria* vocant. Verum neque hæc lectio ex ve-

tustis Codicibus probari potest. V. Theophylactus *herbas*, vel in genere *fructus agrestes* explicat, Comment. in Matthæi loc. cit. fol. 8. Denique Vulgatus Latinus, Syrus, & alii *locustas* vertunt, quæ inter mundas licitasque escas numerantur Levit. XI. 22. quibus Æthiopas (quorum vicini erant Judæi) ac Parthos vesci fuisse solitos fumo & sale duratis, testatur ex Strabone Plinius, Hist. Nat. lib. 6. c. XXX. & lib. XI. c. XXVIII. atque XXIX. Dioscorides de locustis scribens, ait: Hac abunde vescuntur Afri, qui Leptim incolunt; lib. II. c. LVII. p. 101. Barrius quidam Lusitanus hodieque locustas in cibum usurpari tradit ab iis, qui Arabiæ & Africæ solitudines incolunt; lib. III. dec. II. c. IV. Johannes de Vitriaco Hispanus narrat, locustas in Judæa & recentes edi solitas & servatas, Hist. Hierosol. c. XXVIII. Div. Hieronymus scribit, apud Orientales & Lybiæ populos, quia per desertum & calidam eremi vastitatem locustarum nubes reperiuntur, locustis vesci moris esse, & Johannis præsens citat exemplum; lib. II. adversus Jovinianum, Tom. II. p. 74. Anselmus: *Locustæ sunt animalia minuta, & similes nostris, sed alterius saporis, plenæ quasi melle, & dulces ad comedendum: sed caput habent amarum. Volant saltando, quasi nostræ*; Comment. in l. c. Matthæi, Tom. I. fol. 26. Quin & Ælianus, Hist. anim. lib. XII. c. VI. cicadas locustis simillimum animalculum in cibi usum verti solitum, testis est. Plura vide apud Casaubonum, Exercitat. XIII. num. 13. p. 219. seqq. De Indicis locustis proditum est, tres pedes longas esse, & crura feminarum serrarum usum præbere, si aruerint. Vide Aretium, Comment. in Matth. fol. 23. Inde quemadmodum populi quidam, piscibus solis qui vescebantur, dicti fuere ἰχθυοφάγοι, ita fuisse populos, qui locustis vescerentur, nuncupatos ἀκριδοφάγους, ex Eustathio refert Joach. Camerarius, Comment. in Matth. III. 4. fol. 26. Sententia igitur hæc omnium verisimillima est. Quibus accedit validissimum hac in re Talmudistarum testimonium, qui varias recensent locustarum species, quarum una Nasiræis erat prohibita. Ita enim illi Codice de Votis: *Qui voto se obligat, interdicatur carne piscium & locustarum*; fol. 40. col. 2. At in Codice de Profanis, fol. 65. col. 1. locustarum aliarum mentio fit, Nasiræis ad comedendum licitarum.

CAPUT XIX.

De Chasidæis.

CHasidæi, si vim nominis spectes, apud veteres Judæos, antequam ullæ ortæ essent sectæ, vocabantur quilibet pii, sancti & benigni: postea tempore Maccabæorum ii, qui nec minis nec blanditiis promissionibusque a vera religione poterant abduci; quales persecutionum tempore in primitiva Ecclesia apud priscos Cristianos dicti sunt *Catholici*. Vide Casaubonum contra Baronium, Exercit. I. p. 50. Tandem rebus Judæorum in melius conversis, Chasidæorum nomen sectæ proprium fuit eorum, qui peculiares sibi ac certas definitasque constituerunt regulas, quas vide apud Drusium de tribus Sectis Judæorum, lib. I. c. XI. & XII. Adde Scaligeri Elenchum trihæres. c. XXII. Cunæum de Republ. Ebræorum, p. 56. Contulerunt hi in templum aliasque res sacras multos sumptus, in exercitio religionis ardentissimum præ se tulere zelum, & a ceteris Judæis arctiori disciplinæ vinculo discreparunt.

CAPUT XX.

De Pharisæis.

PHarisæorum nomen nonnulli perperam deducunt ab ebræa radice פרש quæ significat *exposuit*, *explicavit*, quasi dicti sint expositores legis & interpretes traditionum. Falsum id esse evincitur ex eo, quod rudes & simplices femellæ etiam sectæ illius pars exstiterint. Rectius derivatur a radice ebraica פרס vel פרש quæ significat *separavit*, *abstinuit*, *continuit se temperavit*: quoniam Pharisæi sanctimonia vitæ, victu, cultu & moribus ab aliis hominibus & vulgari conversandi ratione *separati* videri voluerunt. Secta hæc ex Chasidæis partim, partim ex Nasiræis, non tamen simul & semel nata, sed diutinæ admodum conceptionis fuit. Fundamenta ejus ætate Esræ fuerunt jacta; cum enim in diebus Esræ ac Nehemiæ, post reditum ex captivitate Babylonica, summa & sanctissima cura fuerit, residuum semen Israeliticum ab incolis terræ sanctæ, ethnicis puta Samaritis, Asdodæis, Moabitis &c. segregandi, arripuerunt non multo post homines nonnulli nimium sibi arrogantes ansam, se etiam ab hominibus seminis Israe-

Israelitici separandi, quasi profanis & communione sua indignis. Post receptum semel hunc religionis prætextum, nimirum quod pium esset, separare se a vulgo, crevit in dies superciliosæ sectæ illius superstitio ita, ut vulgo dicerent: *Procul apage, ego te sanctior.* Hinc deinceps quoque se sub austeriorem subdiderunt regulam, severiori vivendi norma circumscripserunt. Ex quo ortæ infinitæ solicitudines de decimationibus & lotionibus, frequentibus jejuniis atque orationibus, phylacteriis & fimbriis, & de innumeris rebus aliis tricosæ quæstiones: ita ut statim post tempora Christi secta hæc in septem alias sectas subdivideretur ac scinderetur, mutuaque invidia depasceretur & agitaretur, ac Pharisæo Pharisæus idem esset, quod erudito idiota, & profanus religioso. Unde cum tempore Christi celebres essent Pharisæi in populo Israelitico, ac propterea pars synedrii magni, imo vulgo irreprehensibiles habiti, postea ob nimiam superstitionem & arrogantiam odio & ludibrio facti sunt aliis, singulæque illæ septem subordinatæ Pharisæorum sectæ septem ludicris, sed solennibus & in vulgus tritis nominibus a se invicem discretæ. Quorum primum est *Pharisæus Sichemita*, qui circumcidebantur in gratiam Israelitarum, non ad gloriam Dei, ceteraque opera sua faciebant, non ut iis coleretur Deus, sed ut ipsi viderentur & colerentur ab hominibus: quale erat, quod portarent publice ligna in festo tabernaculorum ad conficiendum tabernaculum. Secundum, *Pharisæus impingens pedes suos*, qui ex nimia humilitate quasi reptantes pedes suos in incessu non elevabant, ac proinde ad obvios lapides & obstacula facile impingebant. Tertium, *Pharisæus venæ sector, seu sanguinem eliciens*, item Pharisæus *cæcutiens*, qui ex affectata castitate oculis conniventibus & ferme clausis incedebant, ne unquam mulierem aut virginem obviam adspicerent, ac impuris tangerentur affectibus. Exinde fronte ad parietes sæpe occursabant, & cruenti fiebant, quasi venam capitis secuissent. Quartum: *Pharisæus pistilli sive mortarii*, qui capite & dorso versus terram inclinato incurvati & quasi duplicati incedebant instar mortarii, cujus superior circumferentia deorsum flectitur. Quintum, *Pharisæus, qui dicit: quod est debitum meum amplius? & faciam illud ex superabundantia*, qui operarii fuerunt superabundantes, gloriati, se omnia legis opera & plura insuper præstare posse. Sextum, *Pharisæus ex amore*, h. e. amore præmii, non timoris Domini atque honoris legis. Septimum, *Pharisæus ex timore*, scilicet pœnarum. Hæc ita Talmudici, codice de Benedictionibus, fol. 13. col. 2. & codice de Muliere declinante, fol. 20. col. 3. Observavit tamen Wagenseilius noster in Sota, p. 545. etiam octavum Pharisæorum genus, cognominatum *Opus est mihi*, quod addit R. Nathan in suis scholiis in Talmudem, quo forte vel designabantur πολυπράγμονες, qui omnibus rebus se ingerebant, vel qui officiosam simulabant sedulitatem aut ministerium suum gratis aliis addicebant. Dispersi autem erant Pharisæi per omnes Judææ civitates. Videatur Lucæ c. V. 17. habebantque munus & auctoritatem publice docendi, vel ipso Christo teste, Matth. XXIII. 2. & recentiores erant Scribis. Unde quando in N. Test. utrorumque fit mentio simul, observari meretur, Scribas plerumque anteponi Pharisæis. Habebant & suos Præsides, Principes sive Præfectos. Videatur Luc. XIV. 1. Jejunabant bis in hebdomade, secunda (Lunæ) & quinta (Jovis) die; decimabant bona sua, & de iis insuper dabant primitias, trigesimas, & quinquagesimas; pauperibus magnifica conferebant beneficia, sed non nisi in publico, spectante populo, & ad propriæ famæ gloriam. Talis fuit R. Abba, qui quoties in publicum prodibat, marsupium, cui pecuniam indiderat, a tergo pendens gestavit, ut scil. omnibus numos capiendi potestas esset, sese autem lateret, cujus mortalium inopiam sublevasset. Astronomiæ inprimis erant intenti; præscribebant sibi quadriennium aut decennium virginitatis; conjugati a gravidis uxoribus abstinebant, ut se non fruendarum voluptatum, sed liberorum suscipiendorum gratia uxores duxisse significarent; frequentissime orabant etiam per noctem, & inprimis enixe cavebant, ne inter orandum ex improviso obreperet somnus. Hinc nonnulli lapillos ex aquis collectos sibi ipsis substernebant, ut, dum his pungerentur, vigilantes essent, nec in profundum somnum deferrentur. Alii spinas pro strato habebant ob eamdem caussam. Alii asseres sibi ipsis parabant dodrantis tantum latitudine, & in hos in camera appensos procumbebant, ut, si incauti inter orandum obdormiscerent, in pavimentum deciderent, & rursus ita excitarentur ad orationem. Videatur Epiphanius contra Hære-

Hæreses, lib. I. Tom. I. hæres. XVI. fol. 15. Nicetas thesaur. n. 40. fol. 39. Amictu quoque a plebe discerni se voluerunt, quem induerunt peregrinum & peculiarem, ut vestibus statim agnoscerentur, quod essent sancti & pii: fimbriis vestium alligabant spinas, gestabant muliebria pallia, & in latis crepidis calceisque incedebant; neque in ordinem istum viri solum sed & feminæ recipiebantur, uti testatur Talmud. cod. de muliere declinante, c. III. sect. IV. Dogmata Pharisæorum primaria erant hæc: (1) Fato i. e. DEI præscientia ac immobili decreto omnia geri, manente tamen libero voluntatis humanæ assensu, ita ut, cum omnia ex DEI deliberatione dependeant, in homine tamen integra sit facultas ad virtutem aut vitium accedendi. (2) Animas esse incorruptibiles ac immortales, earumque judicia sub terris fieri, tum præmia contingere cuique seu virtutis seu vitiorum. (3) Piorum animas ab inferis in hanc vitam ad nova corpora reverti, rursus ex his in alia corpora migrare: improborum vero animas perpetuis damnatas carceribus interminabili supplicio excruciari. (4) Traditiones, quæ inter leges Mosaicas non sunt scriptæ, sed a majoribus per manus quasi traditæ, summa veneratione esse recipiendas, quin & ipsi legi Mosaicæ præferendas: in quod dogma acri reprehensione invehitur Christus Matth. XV. 3. & seqq. (5) Maiores natu venerandos, nec licitum esse aut contra responsare monentibus aut obloqui (6) Vice versa religionis & voti prætextu parentes non esse audiendos, & omnem στοργὴν abjiciendam: quod doctrinæ Pharisaicæ caput iterum damnat Christus Marc. c. VII. 11. Sectæ hujus Pharisaicæ vestigia hodienum restant apud Judæos. Quæritur hic, quare Christus Judæis commendaverit dogmata Pharisæorum Matth. XXIII. 3. cum viceversa Matth. XVI. 6. monuisset, *caverent sibi a fermento Pharisæorum:* quæ loca adversus se invicem e diametro pugnare videntur. Resp. Quidnam Christus per *fermentum Pharisæorum* intellexerit, disertius indicat Lucas, quando scribit: *Cavete vobis a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis;* c. XII. 1. Cum igitur Servator Matth. XXIII. 7. dicit: *Super cathedram Mosis sedent Scribæ & Pharisæi, omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, facite,* agit hic de Scribis & Pharisæis super cathedram Mosis sedentibus h. e. Mosis legem explicantibus, & ad divinorum præceptorum observantiam cohortantibus: quod, dum faciebant, credendum ipsis erat. In altero autem Matthæi loco c. XVI. 6. sermo ipsi est non de lege Mosis, sed de proprio eorum fermento seu hæretica doctrina, quando animos plebejorum temerariis traditionibus gravabant, inprimis de hypocrisi, quando aliud docebant, aliud faciebant: a quibus proinde cavere jubet. Vide Augustinum de Doctr. Christiana, lib. IV. c. XXVII. Tom. III. & contra Faustum, lib. XVI. c. XXIX. Tom. VI.

CAPUT XXI.

De Gaulonitis sive Galilæis.

PHarisaicæ sectæ tanquam species ejus recte accensetur secta *Gaulonitarum* seu *Galilæorum*, memorata inprimis etiam a Justino Mart. de verit. Christ. relig. tom. II. fol. 307. quæ originem suam cum nomine accepit a quodam Juda Gaulonita vel Galilæo, patria Gamalensi [cujus socius fuit Zadok quidam Pharisæus] cujus mentio fit Actor. V. 37. Hi eadem, quæ Pharisæi, sectabantur placita, hoc unum duntaxat de suo addentes, nempe solum DEUM pro Domino habendum, nullique mortalium Principum esse parendum, sed pro libertate adserenda dura quæque & aspera subeunda, Vide Barradium, tom. III. fol. 188. seq. Ravanellum, voc. *Galilæa*, Erasmum Schmidium & alios in Luc. XIII. 1. Act. V. 37. Hujus generis fuere illi, qui ex Christo capitose quæsiverunt: *Liceretne Cæsari dare censum, annon?* Matth. XXII. 17. & rursus isti Johannis VIII. qui de libertate gloriantes, ad Christum, in quem credidisse perhibentur vers. 30. dixerunt vers. 33. *Semen Abrahæ sumus, neque cuiquam servivimus unquam.* Idcirco autem præ ceteris omnibus adhæserunt hi Christo, quod eum sperarent fore aliquando Judaicæ libertatis adsertorem & vindicem. Refert Josephus, Antiquit. lib. XVIII. c. II. *Hoc hominum genus sæpe sollicitasse populos, ut regum & Dominorum imperia abjicerent, & solutionem censuum, (quæ manifestum sit servitutis testimonium,) detrectarent.* Idem scribit: *Horum Gaulonitarum fuisse Herodis tempore sex millia, qui, cum tota Judæorum Gens fidem suam jurejurando obligasset Cæsari & Regi, soli ipsi nec juramentum præstare nec polliceri fidem voluerint.* Conferatur

etiam

etiam Sixtus Senensis, Bibliothecæ Sanctæ lib. II. fol. 147.

CAPUT XXII.

De Sadducæis.

JUdæis primi hæretici creduntur *Sadducæi*, & propterea κατ' ἐξοχὴν vocantur Hæretici tum Judæis tum etiam Mahummedanis: ex quorum jure impune licet occidere Sadducæos. Vide Hottingerum Hist. Orient. lib. I. c. VIII. p. 255. Dicti sunt ita a Zadoko magistro ac duce suo, discipulo Antigoni Sochæi, qui Cathedram in Synedrio magno summam occupavit post mortem Simeonis Justi, successoris in eadem hac dignitate Esræ. Occasio & initium sectæ illius natum est ex verbis Antigoni commode dictis, sed in malum sensum a discipulis detortis: *Ne estote sicut servi, qui domino serviunt propter mercedem, ut nempe accipiant præmium, sed estote sicut qui ministrant principi sub hac conditione, ne accipiant præmium: & sit Dei timor super vos;* in Capitulis Patrum, c. I. Ex quo præcepto Antigoni duo ejus discipuli Zadok & Baithus hanc struxerunt sequelam: *Si DEO nullo mercedis intuitu, aut retributionis spe serviendum, ergo nulla resurrectio mortuorum erit exspectanda.* Hæc verissima perniciosæ istius sectæ origo eamdem in duas specie distinctas postmodum divisit classes, quarum una *Sadducæorum*, altera *Baithosæorum*. Illi quidem his longe pejores habiti, & plane pro infidelibus reputati, plerique summopere exosi fuerunt. Vide Actor. XXIII. 6. Quippe Baithosæi paullo post desierunt inficiari mortuorum resurrectionem. Quod pestilentissimum dogma ut primum vires & semina sua dispersisset, ejus caussa, cum antea omnes & singulæ publicæ orationes in templo & Synagogis Judæorum coronidis loco clauderentur solenni hac formula, *in seculum*, ad obtundendum blasphemum Sadducæorum os, dicentium, *non esse seculum nisi unum*, institutum fuit, ut sequentibus temporibus clauderentur isthac formula, *a seculo in seculum*, vel, *in secula seculorum*, uti referunt Talmudici, Codice de Benedictionibus, fol. 54. Dogmata Sadducæorum directe opposita erant Pharisæorum doctrinæ, quibus assidue contradicebant, & primaria quidem fuerunt hæc: (1) Animas cum corpore omnino exstingui, nullaque post hanc vitam manere præmia vel supplicia. (2) Nullum prorsus esse fatum, nec ullum divinæ deliberationis decretum, sed omnia ita esse in hominum potestate, ut tam felicitatis quam infortunii sibi quisque sit auctor. (3) Traditiones non-scriptas, sed hominum auctoritate conditas, ad probanda fidei dogmata, vitamque & mores dirigendos minime esse admittendas, sed solum verbum DEI scriptum. (4) Ex libris Biblicis solum Mosis pentateuchum, ceteris videntur prætulisse, ceu apud hodiernos Judæos maximo præ reliquis libris Biblicis habetur in pretio. Hinc, quod notatu dignum, Christus de resurrectione disputans cum Sadducæis, non aliis testimoniis quam pentateuchi, cum alia clariora essent, eos coarguit, Matth. XXII. 31. & seqq. Errarunt tamen plurimi, arbitrati, ceteros libros Biblicos eos non recepisse, aut minus sacram ipsorum habuisse auctoritatem. Quod equidem Samaritani, solo nempe pentateucho recepto, fecerunt, Sadducæi non item: ceu præter auctores ab Hottingero in Thes. Philol. lib. I. c. I. sect. V. p. 36. allegatos: splendide ostendit B. noster Hackspan. ad Lipman. p. 229. (5) Scripturam S. semper & ubique in literali sensu esse exponendam, tametsi incommodis id non careret. (6) Nihil quicquam, quod non sensu aut ratione manifesta comprehendi possit, credendum esse. (7) Angelorum nullam esse naturam, sed nomina duntaxat, quibus vel motus designentur, quos DEUS hominibus inspiret, vel eæ, quas ipse edit, virtutis suæ demonstrationes. Ceterum Sadducæi a reliquis Judæis differebant etiam exteris ceremoniis v. g. festo expiationis tribuebant biduum, ritibus Ecclesiasticis arctius adhærebant, quam Pharisæi, in contractibus & commerciis aliis Doctoribus Judaicis longe potiores existebant, denique a reliquis cum in explicatione multorum præceptorum & Scripturæ S. dictorum, tum in aliis dissentiebant. Narrat vero Nicetas, lib. I. fol. 38. in ceteris omnibus ipsos convenire cum *Dosithæis*, quorum plerique privatim ab animatorum esu, nec pauciores post liberos semel susceptos a consuetudine conjugali abstinebant, nonnulli virginitatem quoque perpetuam profitebantur, eodem Niceta teste, l. c. c. XXXVI. fol. 34. Adde Epiphanium lib. I. adv. hær. c. XIII. fol. 30. Tom. I.

CAPUT XXIII.

De Karræis, sive Karaitis.

Karræi, *sive Karaitæ* appellantur ita ab Ebr. radice קרא quæ significat *legit*, & commode exponuntur *Textuales*, *Biblici*, *Scripturarii:* quod nomen, quamvis ex se honestum sit, nec profanum, impositum tamen deinceps exosæ Sadducæorum sectæ, quod ea non modo, rejectis traditionibus, soli Scripturæ adhærendum esse contenderet, sed & hanc in literali solum sensu acciperet & explicaret, adeoque primis temporibus Karræi plane iidem fuere, qui Sadducæi. Postea vero cum resurrectionem inter Judæos publice negare non liceret, defecerunt a Sadducæis multi, qui resurrectionem præmiumque ac pœnas post mortem dari agnoscebant atque profitebantur contra Sadducæorum sententiam: cetera tamen eorum dogmata, inprimis illud de S. Scripturæ auctoritate, approbabant. Unde certa evasit species sectæ Sadducæicæ, *Karræorum* dicta, quam Pharisæi illi traditionum patroni immani & acerbo odio prosequebantur, eique quotidie imprecabantur. Talium Karaitarum, qui missis Talmudicis nugis & Rabbinicis commentis, solos libros θεοπνεύστους pro fidei norma agnoscunt, hodienum inter Judæos supersunt multi. In sola Polonia eorum numerantur ultra duo millia, multo plures dantur in Oriente, Turcicis nempe a Persicis ditionibus.

CAPUT XXIV.

De Essæis, sive Essenis.

Essæi, sive *Esseni* unde ita dicti fuerint, diversissimæ auctorum habentur sententiæ, quas omnes collegit Fullerus, Miscell. Sacr. lib. IV. c. III. Verissima omnium forte hæc est sententia, denominari eos ab Ebræor. radice חסה quæ significat *in locum aliquem se recipere*, *latitare &c.* quandoquidem Essæi abditi degebant ἐν μοναγρίοις καὶ κήποις, teste Eusebio, Hist. Eccles. lib. II. c. XVII. & commune aliquid habebant cum vita veterum Monachorum seu Eremitarum Christianorum. Quod decepit Eusebium, ut scriberet, Philonem Judæum monuisse, Monachos jam fuisse suo tempore. Vixerunt autem vitam prorsus solitariam & vere θεωρητικὴν, teste quoque Plinio, Histor. Natur. lib. V. c. XVII. Unde nuspiam leguntur Christo aut Apostolis negotium facessisse; sed potius delituerunt in suis hortis ad Asphaltitem haud ita procul a Hierichunte, ubi erant fragrantium balsamorum arboreta, atque ita exercuerunt se in pietatis studio, lites, odia, invidiam aversantes, seque invicem amantes, atque verecundiores aliis voluptatem tanquam probrum detestantes, inprimis vero temperantiam, continentiam, & vacuitatem a perturbationibus sectantes. Omne flagitium exterminabant, pauciloquio & modestæ dictioni studebant, cetera plerumque contemplationi addicti; quanquam & medicinæ scholas in sua solitudine & hortis habuerint. Et quamvis ipsi conjugium despicerent, alienos tamen pueros, adolescentulos adhuc, ad se receptos pro cognatis habebant, & suis institutis erudiebant. Originem huic sectæ dederunt corrupta & afflicta Maccabæorum tempora, quibus multi necessitate urgente in speculas se abdiderunt: quorum alii postea rebus in melius vergentibus ad pristinas redierunt sedes, facti Pharisæi: alii in montanis perseverarunt, Essenorum seu μοναζόντων nomine gaudentes. Eorum regulæ vivendi & præcipua dogmata, quæ ex Philone & Josepho decerpsimus, erant hæc: (1) Omnia fato, i. e. DEI voluntate regi, nec quicquam hominibus præter fati definitionem accidere. (2) Animas esse immortales, iisque post hanc vitam actorum præmia pœnasque rependi, bonis quidem ultra Oceanum, ubi regio sit, quam neque frigora neque æstus premant, sed in qua Zephyro adspirante omnia sint amœna; malis autem apud inferos, ubi loca sint ærumnosa & plena gemitibus. (3) Omne juramentum quasi perjurium esse vitandum, quasi quicquid vir perfectus dixerit, id omne juris jurandi vim habere debeat. (4) Summam post DEUM exhibendam esse legislatori Mosi reverentiam, quem si quis blasphemaverit, morte mulctandum esse. (5) Præcipuum studium divinis literis ac veterum Patrum scriptis adhibendum, indeque petenda, quæ animarum curæ expediant. (6) Communis sodalitii præfecto ita parendum esse, ut nihil sine ejus præcepto fieri liceat. (7) Diem æqualiter distribuendum esse in tria tempora, precum, laborum, cibi & potus. (8) In congressibus & colloquiis mutuis exspuere non licere. (9) Mortem, quæ cum laude, & gloria obiretur, immortalitate ipsa potiorem esse. (10) Continentem ac cœlibem vitam ducendam, &

ab omni conjugio prorsus abstinendum. (11) Omnes facultates communes esse, unumque omnium patrimonium, quod per communes procuratores dispensetur. (12) Nihil inter se aut mercari aut vendere licere, sed cunctis esse liberum, accipere, a quibus libuerit, quod sit opus. (13) Albis vestibus utendum, & amictum ac calceos non esse mutandos, nisi aut omnino conscissis prioribus, aut longi temporis usu consumtis. (14) Tantam etiam in naturalibus purgamentis habendam esse munditiæ curam, ut unusquisque sibi quotidie in secretissimis locis foveam dolabella effodiat, in quam ventrem exoneret, demissa primum circumquaque veste contegendi corporis gratia, ac deinde terra, quam quis effoderat, in locum suum reducta, ne divinæ lucis splendori fiat injuria. (15) Ante solis ortum publicis laudibus auctorem nascituri luminis celebrandum, postea ad suas cuique artes ac studia recedendum. (16) Hora quinta diei in commune cœnaculum sacris vestibus, h. e. lineis velaminibus indutis coeundum, ibique ex eodem plane & pulmento in silentio residentibus vescendum, neque aliquid gustare cuiquam fas esse debere, nisi publica oratio prandium præcedat & sequatur, quæ Deum datorem victus ante & post cibum collaudet. (17) Post prandium, depositis sacris indumentis, ad sua cuique opera recedendum. (18) Essenorum cultum nuper aggredientes non statim in consortium assumendos, sed candida veste & perizomate indutos atque dolabella incinctos a curatoribus suis explorandos per tres integros annos, donec probatæ virtutis dederint experimenta. Vide Josephum, Antiq. lib. II. Bell. Jud. c. VII. Philonem in Orat. cui titulus, *Omnes studiosos esse liberos*, Lud. Cæl. Rhodigin. lib. IX. c. V. Nicetam, 136. cum Scholiasta.

CAPUT XXV.

De Herodianis.

HErodianorum mentio fit Matth. XXII 16. Marc. III. 6. XII. 13. Quinam autem illi fuerint, non tam manifesto constat, ac proinde in diversas abeunt sententias auctores. Drusius ita: *Quinam fuerant Herodiani? quæsitum est a doctis. Variæ sententiæ. Ego, quam reperi apud auctores Ebræos, eam ponam. In lexico Juris lego, Herodianos Græcos fuisse, dictos autem ab Herode, qui primus eos traduxit ex deserto ad locum habitatum, educavitque. Ponam verba Ebraica, deinde reddam ut sonant ad verbum,* הורודוס המלך וכו׳ *id est, Herodes adduxit secum Græcos ex deserto, & educavit eos in terra habitata, & fecerunt sectam, vocatique sunt de nomine ejus Herodiani.* Hæc Drusius Commentar. ad voces hebraicas N. Test. c. XXIII. Confer ejusdem lib. I. Præteritorum, p. 48. Mens ejus est, quasi Herodes homo extreme profanus novam religionem ex Paganismo & Judaismo conflare fuerit ausus. Verum opinionem hanc solide refutavit Joh. Buxtorfius in Lexic. Talmudico, fol. 631. & seq. natam ex falsa versione loci illius ex Lexico Ebraico Juris a Drusio supra adducti, quem Buxtorfius ad oculum ostendit ita oportere reddi: *Herodes rex adduxit secum* [יונים] *columbas ex deserto, & educavit eas in terra habitata, factaque sunt* [תרבות] *mansuetæ, vocatæque secundum nomen ejus Herodianæ.* Adeoque cum Drusio fallitur quoque adsecla ipsius Casaubonus, Exercit. I. contra Baronium, num. 5. p. 44. Samuel Petitus Herodianos *servos* vel *libertos* putat *Herodis & Archelai, tributis exigendis præfectos*, Variar. Lect. lib. II. c. I. cui tamen plurimas instantias oggerit Dilherrus, Elector. lib. I. c. XIV. Syrus N. Test. interpres Herodianos vertit *domesticos Herodis*. Heinsius, Exercit. Sacr. ad Matth. c. XXII. 16. *milites aulæ Herodianæ* putat: alii denique aliter sentiunt. Verisimillima omnium sententia tum ex historia Nov. Test. tum ex monumentis Judaicis decerpta notari potest hæc: Actor. XIII. 1. mentio fit cujusdam Menachemi, qui una cum Herode Tetrarcha fuerit educatus. De hoc Menachemo refert R. Abraham Dsachus in libro Juchasin, fol. 19. col. 1. quod una cum Hillele præfecturam Synedrii magni gesserit, postea recesserit ad famulitium Herodis regis una cum LXXX. viris splendide vestitis. Cum enim ingenti lite apud magnam partem Judaicæ gentis solium tetrarchatus ascendisset atque firmasset Herodes, erant postea inter Judæos sub imperio ejus, qui pervicaciter ei resisterent, erantque, qui fortiter suffragarentur. His datum est nomen *Herodianorum*, quippe qui summis viribus regnum istius familiæ stabilirent & approbarent. Horum auctor & caput fuit σύντροφος ille Herodis *Menachemus*, addictus fidei ac doctrinæ Sadducææ, qui statim de eadem secta LXXX. viros insignioris notæ secum abduxit & una cum iis no-

vam

vam Herodianorum sectam inchoavit; Sadducæorum doctrinam profitentem, & Herodis imperium propugnantem. Ita astute Herodi atque Herodianis consultum fuit, ut ille horum doctrinæ. hi ipsius regni evaderent tutores & mutuum stabilimentum: Quod enim Sadducæorum doctrinæ asseclæ fuerint Herodiani, constat inter alia ex N. Test. historia Matth. XXII. quæ etiam describitur Marc. XII. & Lucæ XX. ubi Pharisæi (nempe Gaulonitæ) & Herodiani missi leguntur ad Christum, ut caperent eum in sermone. Ibi primum Pharisæi ex suæ doctrinæ capitibus spinosam proposuisse quæstionem, qua soluta, Sadducæi itidem aliam sui dogmatis in medium attulisse perhibentur, non autem in antecedentibus Sadducæi ad Christum missi dicuntur, sed Pharisæi & Herodiani. Igitur ex his liquet, Herodianos fuisse de genere Sadducæorum. Herodianos hosce postea aliquid rubiginis suæ adlevisse Herodi, & de doctrinæ Sadducæorum capitibus quædam ipsi instillasse, constat ex collatione locorum Matth. XVI. 6. & Marc. VIII. 15. nam quod illic in Matthæo *Sadducæorum*, vocatur, Marco est *fermentum Herodis*. Ceterum Herodiani a Sadducæorum secta adhuc in eo distulerunt, quod ipsi ad conciliandum auctoritatem Herodi, & in patrocinium imperii illius persuaderent populo, crederentque ipsimet atque docerent, Herodem esse tam longo tempore tot votis exspectatum Messiam, quoniam alienigenarum primus apud Judæos regnavit, idque probarunt ex Gen. XLIX. 10. uti narrant Tertullianus adversus Hæreticos, c. XLV. p. 219. Epiphanius, Tom. I. lib. I. Hæref. XX. p. 45. Nicetas in Thes. I. 44. Baronius in Apparatu ad Annales p. 4. Grotius de Veritate religionis Christanæ, lib. V. Tantum breviter de præcipuis Judæorum sectis, de quibus prolixius peculiaribus tractatibus egerunt Scaliger, Drusius & Serarius.

CAPUT XXVI.

De nostræ ætatis Judæorum Sacerdotio & Sacerdotibus.

POst ultimam a Christo prænunciatam captivitatem, cum misere Judæorum gens de fastigio suo penitus corrueret, & per totum dispergeretur mundum, immanis jugi gravitate pressi non solum omnium nationum evaserunt servi, sed & longinqua calamitate veluti Lethæo poculo inebriatis, ex qua singuli orta essent tribu, memoria plane effluxit, atque diuturnitate in oblivionem adductum est. Sic nihil spei reliquum illis mansit, nisi adventurum Eliam Messiæ præcursorem, suam cuique tribum ostensurum, & hoc pacto populum Israeliticum in ordinem rursus redacturum. Quod quidem cum plerique Judæorum inficiari nec ausint nec possint, certum hoc est, neminem amplius inter eos Sacerdotio rite more majorum fungi, quandoquidem plane incognitum hoc sit, quis ad tribum Levi pertineat, quis de familiis sit Sacerdotalibus? Sunt tamen inter eos pauci, qui prosapiam suam de genere Aaronis adhuc constare asseverant: ac proinde, cum alias vulgo nomina sua sic exprimant, v. g. *Mose Ben-Maimon*, *Juda Ben-Leo*, *Manasse Ben-Israel*: illi, qui se ex genere Sacerdotali ortos jactant, ad differentiam ceterorum & characterem tribus suæ, nomina suo hoc modo exprimunt, v. g. *Salomo Ben-Leab Adoni Majer*, *Mose Ben-Leab Adoni Isachar*. Hominum istorum in sacra dignitate inter ipsos exigua habetur ratio: talis quippe, ratione Sacerdotii sui de vino, frumento, pecude, nec non de iis, quæ voto sacrata sunt, plane nihil percipit, tantum de primogenito hominis masculi accipit quinque siclos, i. e. duos Imperiales ac dimidium, ex constitutione divina Num. XVIII. 16. brutorum animalium mundorum primogenita tenetur educare & alere, donec unumquodque moriatur, ita tamen, ut ad ipsum nihil iude ususfructus redeat. A labore omni immunis est, nisi quod, pro placito tamen suo, erudiendis liberis det operam, & in certis festis super Ecclesiam benedictiones recitet. Videatur Christiani Gersonis Jüden. Talmud lib. I. c. XXVII. circa finem. Ceterum qui opibus & favore apud primates Judæorum pollet, eminentiam Sacerdotalem facile sibi hodie redimit, & solenni ritu consequitur: quo fit, ut divites & parum docti, qui apud eos sunt, plerumque illum consequantur gradum; doctores autem & pauperes eo defraudentur; Neque hoc heri demum aut nudius tertius inter eos invaluit, sed dudum obtinuit, postquam Messiam revelatum aspernati sunt. Hic demum verus fons est, unde tot temerariæ traditiones, tot fabulæ Talmudicæ, tot blasphemæ in Deum ac verbum ejus locutiones profluxerunt: Unde etiam arrogantia malæque artes Rabbinorum

suum

ſuum traxerunt ortum, quarum inſignia exempla ex ipſo Talmude ſparſim allegat Chriſtianus Gerſon in ante laudato libello. Sacerdos ſummus hodie iis vocatur מורנו *Morenu* i. e. *Doctor noſter* qui in ſupremo honoris gradu eſt, & quodammodo comparari poteſt Principi Synedrii magni; ſiquidem non ſolum ſacra perficit ille, quæſtionesque & caſus dubios in ſacris rebus ſolvit, litesque diſputantium de ſenſu divinarum literarum dirimit, easque docet & explicat, verum etiam forenſes leges ſancit, civilesque cauſſas & politica negotia dijudicat. Cujuſmodi Morenu conſtituitur in ſingulis locis, in quibus paullo amplior Judæorum datur Eccleſia, adeoque eorum plures in Germania reperiuntur, v. g. in cœtu Francofurtenſi, Wormatienſi, Hildeſienſi, Halberſtadenſi. Alterum ab hoc gradum qui obtinet, vocatur חזן *Chadſan*. i. e. Inſpector Templi ſive Synagogæ ſeu rerum ſacrarum, alias dictus quoque שליח צבור, i. e. *nuncius vel Angelus Eccleſiæ*, Germ. Schul Klopfer. Curam gerit ille, ut rite procedat liturgia publica, prælegit ſingulis Sabbathis ſectiones ex lege, præeſt quotidie in Templo Eccleſiæ orando & canendo. In tertio gradu qui exiſtit, vocatur רבי *Rabbi* & רב *Raf*, quorum tamen ille excellentior habetur & honoratior eſt, hic paullo inferior. Et hi quodammodo comparari poſſunt Scribis & Legiſperitis veterum Judæorum. Quamvis & ipſos illos titulos & ambitioſa nomina perantiqua eſſe ſatis conſtet ex N. Teſt. hiſtoria; orta tamen ſunt inter Judæos circa Chriſti demum nativitatem. Nam prima antiquitas Prophetis proxima, æque ut Prophetæ ipſi, nullis omnino utebatur titulis. Sic viri Synedrii magni poſt Eſram, Haggæum, Zachariam & Malachiam nudis nominibus ſuis fuere appellati, pariter omnes, qui hos ſecuti ſunt uſque ad Hillelem. Attigit autem Hillel fere nativitatem Chriſti, ſenex centum & quinquaginta annorum factus. Hujus filius Simeon (qui non ex levibus conjecturis ille fuiſſe creditur, qui Chriſtum infantem brachiis excepit) primo appellatus fuit titulo *Rabban*, denotante eum, qui doctrina, prudentia, dignitate ceteris præſtat, & attributo iis tantum, qui principatum geſſerunt in populo Iſraelis. Poſt hunc idem prædicatum accepit Gamaliel, Apoſtoli Pauli præceptor, Hillelis nepos: & ſic una ſerie per CC. circiter annos quinque alii principes Judæorum fuerunt appellati. Præter ſeptem iſtos nemo amplius eo titulo legitur inſignitus, ſed idem cum iis exſpiravit. Primus itaque a N. C. titulus fuit *Rabban*, poſtea prodiere tituli *Rabbi* & *Ribbi* & *Rabba* denotantes Magiſtrum vel Doctorem, & uſitati in terra Iſraelis ſeu Palæſtina, pro quibus in Babylonia dixerunt רב רבא מר מרא מרי *Rof Roſo Mor*, *More*, qui pro arbitrio & ex favore hominum attribuebantur, non vero ritibus ſolennibus, ut hodie inter Judæos adſolet fieri, conferebantur. Raf itaque hodie æquipollet honori Baccalaureatus, Rabbi autem titulo Magiſtri vel Doctoris; neque aliquis Rabbi fieri poteſt, niſi prius Raf extiterit. Ritus inaugurandi Rabbinum peragitur a Morenu, vel ſi hic abſit, a Rabbino alio manuum impoſitione atque ſolenni in Synagoga proclamatione, v. g. Hunc vel iſtum ob inſignem induſtriam, eruditionem & pietatis ſtudium eſſe dignum, qui inſigniatur titulo Rabbini. Præcipit deinde ſub pœna anathematis, ut quiſque eumdem Rabbinum appellet. Denique in confirmationem rei ac teſtimonium diploma ſcriptum jam exhibet promoto. Officium Rabbinorum quale hodie ſit, deſcribit egregie Chriſtianus Gerſon: *Das Amt der beſtallten Rabbinen iſt furnemlich, daſs ſie auch andere zu Rabbinen machen chonnen, und vvann ein Iude dem andern etvvai ſchuldig iſt, und ihn nicht bezahlen vvill, muſs ihn der Rabbi mit und durch ſeinen Bann zur Bezahlung zvvingen. Item, vvann einer oder eine das Geſetz GOttes, oder der Rabbinen offentlich ubertretten hatte mit Ehebruch, Ulztſchande, Uerratherei, und dergleichen, oder hatte die geburliche Zeit nicht gefaſtet, oder hatte den Sabbaht entheiliget, demſelben muſs der Rabbi ordentliche Buſſe, nach Gelegenheit der Perſohnen und Sachen, ordnen und furſchreiben. Es chan auch cheine Ehe gemacht noch vvieder geſchieden vverden, et geſchede dann durch den Rabbi oder ſeinen Bollmachtigen. Auch muſs er Bericht thun, vvan ein Huhn oder Gans vvare hinchend vvorden, ob man es ſchlachten und eſſen durffe, oder ob man es den Chziſten verchauffen muſſe, und dergleichen Sachen ſehr viel. Furnemlich aber muſs er aller Geſunden und Kranchen, Iungen und Alten Natur und Eigenſchafften vvol zu unterſcheiden vviſſen, und ſo es ihm muglich iſt, muſs er auch alle Iahr dreimal predigen: Und ob vvol der Rabbinen. Stand gar nichts, oder doch ſehr vvenig ins Haus and Beutel bringet, iſt doch bei dieſem Volct den*

Egeitz so gross, dass auch ihrer mehr durch Gunst als Kunst zu Rabbinen gemacht vverden, und vvo einer den obersten Rabbi ein Stuch Geldes odor zvvantzig gibt, macht er einen viel ehe zu einen Rabbi, als vvann er tausend Stuch Geldes verstudiret hatte. Hæc ille in cit. *Iuden, Talmud*, lib. I. c. XXVII. p. 251. & seqq. Denique fatentur Judæi, se non amplius habere Sacerdotes, & hos tamen, qui sacra adhuc peragunt apud ipsos, Sacerdotes nominant. Fatentur etiam, Majestatem divinam nec non Spiritum Sanctum defecisse inter ipsos jam tum sub templo secundo. Vide Prolegom. nostra ad Jacobum Judam Leonem lit. C. col. 1. Et tradunt tamen eamdem Majestatem divinam recumbere etiamnum super manibus Sacerdotum benedictionem Ecclesiæ impertientium, præsertim expiationis die, de quo notatu imprimis digna vide apud Antonium Margaritam, lib. cit. lit. E. col. ult.

PARS SECUNDA.

DE SACERDOTIBUS

ET

SACRIS EBRÆORUM PERSONIS.

CAPUT I.

De necessariis Sacerdotum requisitis & primo de natalium puritate.

IN Sacerdotalis dignitatis candidato apud priscos Ebræos sollicite ante omnia considerabatur personæ qualitas, qua primum requisitum erat natalium puritas: nemini enim eo adspirare licebat, nisi qui *a Sacerdotali familia*, tribu nempe Levitica, & in specie stirpe Aaronica prosapiam duceret, qua de re prima parte egimus, cap. II. Neque qui ex hac stirpe ortus esset, statim quisque ad Sacerdotium admittebatur, sed tantum qui ex masculis posterorum Aaronis esset genitus, adeo ut excluderentur nepotes ex filiabus Sacerdotum, quemadmodum in genere ipse sequior sexus a Sacerdotali functione arcebatur. Igitur solum *masculi ex masculis stirpis Aaronicæ* sati sacra obibant munia, & ex his primogenitus seu natu maximus posterorum Eleasaris Pontifex Max. creabatur, atque ob ætatis prærogativam in successione ceteris anteponebatur, veluti Eleasar natu minori Ithamar, & prout ante legem Leviticam similis consuetudo simile jus primogenitorum obtinuit, de quo parte priori egimus, cap. I. Præterea nec hoc sufficiebat, ortum duxisse ex mascula familia stirpis Aaronicæ, nisi & *ex legitimo conjugio* natus aliquis esset. Eximebatur enim a dignitate illa ortus ex nuptiis seu coitu lege seu Sacerdotibus seu Pontifici vetito, ac proinde a Sacerdotio & Pontificatu Maximo prohibebatur conceptus ex scorto vel prostibulo vili, aut adultera, ex ea, quæ repudiata erat a marito, ex idololatra, vel in genere aliena, quæ non erat tribus Leviticæ, ex vitiata vel vi compressa, ex proselyto, ex ea, quæ prius in matrimonio vixerat cum extraneo, qui non fuerat de posteritate Israelis, ex fatria leviro renunciata, ex captiva, & libertina, aut serva. Eadem ratio erat, si avia aut proavia esset talis aliqua istarum. Quod si autem Pontificis filius esset, ad Sacerdotium ineptus reddebatur, si mater ejus parenti nupsisset vidua, aut si non fuisset de familia Sacerdotali, quamvis esset de tribu Levitica. Ubi circa id, quod supra de scorto diximus, notandum, quod tradunt Talmudici, *Si Sacerdos cum femella concubuisset prima vice, neque eum profanum fuisse redditum, neque prolem illegitimam, licet femella scorti nomen acceperit; sed si secunda vice cum eadem consuevisset, & ipsum cum ea, & filium ex eodem concubitu susceptum profanos redditos*. Quas autem supra Sacerdotibus creandis vetitas enarravimus, earum, paucis exceptis, conjugia ceteris Israelitis, etiam Levitis, permissa erant, neque nisi solis Sacerdotibus & Pontifici Maximo prohibebantur. Ut igitur eo melius de natalium puritate candidati alicujus sacri ministerii constaret, neve hujuscemodi inquinamenti suspicio fraudi esset alicui, aut saltim fama de in-

inquinatis natalibus sacræ functioni adversaretur, eorum, quibus ad Sacerdotium adspirare licebat, nomina parentum, genus, qualitas in certas tabulas referri solebant, servatas in ipso templo (qualium mentionem facit Suidas, voce Ἰησοῦς Χριστός) unde natalium puritas, qualis ad sacram functionem atque successionem exigebatur, præsto adsereretur. Tales tabulæ vulgo nuncupatæ sunt *Scripta* nec non *Libri familiæ*; in quibus qui non repireretur, arcebatur a Sacerdotio in perpetuum, quando, utrum natales ejus satis essent puri, non constabat. Hinc Esræ II. 62. legitur: *Et de filiis Sacerdotum hi quæsiverunt Scripturam genealogiæ suæ, & non invenerunt, & ejecti sunt de Sacerdotio, & dixit Atharsata eis, ut non comederent de Sancto Sanctorum.* Quod repetitur Nehem. VII. 64. & seq. Ipse Nehemias c. XIII. 28. 29. *De filiis autem Jojada filii Elersib Sacerdotis magni gener erat Sanaballat Horonites, quem fugavi a me. Recordare Domine, DEUS meus, adversus eos, qui polluunt Sacerdotium, jusque Sacerdotale & Leviticum. Igitur mundavi eos ob omnibus alienigenis, & constitui ordines Sacerdotum.*

CAPUT II.

De Corporis habitudine.

Alterum Sacerdotis requisitum erat legitima corporis habitudo, integra, & omni labe carens: de qua Lev. XXI. 17. expresse DEI habetur mandatum: *Quicumque de semine suo in generationibus suis habuerit maculam, non accedat, ut offerat panem DEO suo.* Maculæ illæ erant vitia tantum exterius apparentia, sive essent medicabilia, sive immedicabilia; secus, si labes esset intra hominem, ut, si v. g. pulmones corruptionem concepissent, si sauciata essent viscera &c. Id eum a sacro ministerio non impediebat. Istiusmodi vitiorum corporis in homine ad Sacerdotium nitente observatorum, & a certis inspectoribus ante initiationem ad Sacerdotium exploratorum, a priscis Ebræis sequentia enumerantur. *In Capite*: 1. Verticis Capitis concavitas. 2. Convexitas verticis nimium exsurgens, instar ovi. 3. Frons seu syncipput faciei surperpendens. 4. Occiput cervici superpendens. 5. Caput deorsum adeo amplum & diffusum, ut etiam colli locum pars ejus occuparet. 6. Calvitium in toto capite. 7. Calvitium in syncipite. 8. Calvitium in vertice, tametsi alias crinibus circumdaretur. *In aure*. 1. Auris arida & exsanguis. 2. Aures nimis exiguæ. 3. Aures nimis turgidæ, instar spongiæ. 4. Aures nimis languidæ & pendulæ. 5. Auris altera ab altera diversa. 6. Cartilago auris lacera vel discissa vel perforata. 7. In aure alterutra cartilago duplex. 8. Aures surdæ. *In palpebris* & *superciliis*: 1. Palpebra perforata vel lacera vel discissa. 2. Supercilia aliquantum pendula. 3. Supercilium tantum unicum. 4. Supercilia dissidentia sive longitudine sive colore pilorum. 5. Pilorum in palpebris defectus. Densitas in iisdem nimia pilorum. 7. Palpebræ non ita, ut par est, apertæ, sed nimium conniventes. *In oculo*: 1. Cæcitas sive in utroque sive in alterutro. 2. Lippitudo in alterutro. 3. Visus obscurior. 4. Tuberculum. 5. Albugo oculi in nigredinem oculi extensa. 6. Macula alba intra nigredinis oculi circuitum. 7. Macula nigrior in eadem nigredine expressa. 8. Oculi superius vel inferius, quam par est, siti. 9. Oculi omnino rotundi, nec in longitudinem aliquantulum extensi. 10. Oculi furibundorum instar. 11. Oculi majores, quam par est, instar vituli. 12. Oculi minores, quam par est, iustar anseris. 13. Lachrymæ perpetuo stillantes. 14. Humor ab alterutro oculi angulo fluitans. 15. Nictitatio oculorum. 16. Oculi dissidentes colore, magnitudine, loco. *In naso*: 1. Nares perforatæ, discissæ vel laceræ. 2. Superior pars nasi inter oculos depressior. 3. Nasi medium nimium eminens. 4. Extremitas nasi repanda. 5. Nasus alterutrinque divergens. 6. Nasus vel grandior vel exilior, quam ferret ceterorum membrorum ratio, ubi mensura erat digitus auricularis hominis illius, de quo fiebat quæstio, quo digito si nasus esset major vel minor, vitium erat. *In ore*: 1. Maxilla inferior superiori prominentior. 2. Lingua impeditior adeo, ut plerorumque verborum prolationi esset impar. 3. Os, quod in prolatione verborum quodammodo occlusum videri posset. *In labiis*: 1. Labium perforatum, discussum vel lacerum. 2. Labium inferius superiori prominentius. 3. Labium superius inferiori prominentius. 4. Os adeo laxatum, ut salivam non retineret. *In collo*: 1. Collum adeo breve seu depressum, ut caput humeris continuum videretur. 2. Collum adeo oblongum, ut humeris videretur eluxatum. *In manibus*: 1. Ossis manus fractura manifesta.

2. Usus dexteræ incommodus. *In digitis manuum & pedum*: 1. Digitorum numerus excrescens. 2. Digiti alicujus defectus. 3. Digitus alter alteri inequitans. 4. Primi digiti continenter juncti. 5. Caro ex pollicis extremitate extuberantior. *In pedibus*: 1. Claudus. 2. Femur alterum altero longius vel altiu. 3. Ossis pedis fractura manifesta. 4. Crura adeo extrorsum incurva, ut genua nunquam conjungerentur, sed pedes facile commiscerentur, veluti in valgis. 5. Talus extuberantior. 6. Calcaneus ita retrorsum extensus, ut crus medio pede inniti videretur. 7. Planta pedis in latum diffusa instar anseris, ut in plancis & plautis. 8. Pes adeo undiquaque sibi æqualis, ut a calce ad digitorum extremitates utrinque ac ubique eamdem haberet figuram. 9. Pes a calcaneo ad digitos ita incurvus, ut, arcus instar, alterutrinque distorqueretur, ut in loripede. 10. Pes excavatus seu planta sic concava, ut stans calcaneo & digitorum extremitate inniteretur. 11. Genua se mutuo inter eundum pulsantia. 12. Pedis sinistri potior usus. *In corpore toto*: 1. Corpus grandius, quam ceterorum membrorum ferret ratio. 2. Pumilionis statura. *In dorso*: 1. Dorsum incurvum. 2. Gibbositas ex vertebra spinæ luxata. 3. Gibbositas carnosa. *In ventre*. 1. Venter solito tumidior. 2. Umbilicus prominens & non depressior, ut esse solet. 3. Mammillæ super ventrem, instar muliebrium, jacentes, seu pendulæ. *In pudendis & vasis seminariis*: 1. Membrum genitale compressum, vel contusum, vel avulsum, vel abscissum. 2. Utriusque sexus membra, veluti hermaphroditi. 3. Genitalium loci obstructi, ut non cognoscere possis, utrum mas sit an fœmina. 4. Veretrum adeo longum, ut genua ferme attingeret. 5. Testiculus compressus vel contusus vel avulsus. 6. Testiculus unicus. 7. Uterque unico in loco. 8. Pars testiculi exsecta. 9. Scrotum ad genua ferme pendulum. 10. Scrotum percussum. 11. Hernia. *In cute & carne*: 1. Nigrities, qualis Æthiopis. 2. Pallor nimius, quasi casei. 3. Rubor nimius, qualis coccini. 4. Cutis ex caussa interiori vel exteriori decolorata, veluti ex pustulis, lentigine, cicatricibus. 5. Verruca unica seu nævus in facie, etiam minimus, modo ex eo crescat pilus. 6. Caro seu cutis languida vel pendula. *In superficie corporis*: 1. Scabies sicca. 2. Scabies humida sive Ægyptiaca. 3. Immundities. Quibus adduntur 1. Ab ætate provecta tremor. 2. Tremor ab ægritudine. 3. Sudor graveolens. 4. Fœtor oris. 5. Impotentia loquendi. 6. Fatuitas sive insania. 7. Epilepsia. 8. Obsessio dæmoniaca. Hæc fere sunt omnia illa vitia, quæ Sacerdotem ad sacrum ministerium reddebant ineptum, modo unicum eorum in ipso deprehenderetur. Quæ etsi singula in lege Sacerdotali Codicis Bibliorum expressa non exstant, singula tamen apud priscos Ebræos fuisse observata, ex multis aliis testatur Philo, lib. de Victimis, & lib. II. de Monarchia. Quod si vero quis ex genere Sacerdotali vitio, ex jam recensitis, laborans sacrificium offerre, aut aliud tale ministerium peragere auderet, actus ille sacer habebatur illegitimus, ipse autem administrans ad flagellationis pœnam protrahebatur. Licebat quidem talibus ingredi limina templi, sed non tendere ulterius: qua de re ita præcepit DEUS Levit. XXI. *Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron Sacerdotis, non accedet ad offerendum hostias Domino, nec panes Deo suo; vescetur tamen panibus, qui offeruntur in Sanctuario, ita duntaxat, ut intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, quia maculam habet, & contaminare non debet Sanctuarium meum*; vers. 21. 22. 23. Ceterum inter vitia illa fuere quædam, quæ pro libitu & momento corrigi poterant, ita ut a munere divino aliquis non excluderetur. Tale erat immundities lavacro facile sublata. Fœtorem oris aromate aliquo devorato corrigebant. Sudore illo gravi, quem hircinum vocant, inquinatum abluebant, itidemque certi aromatis conspersione purgabant. Talia quoque fuere præputium, crines intonsi.

CAPUT III.

De legitima ætate.

Ratione ætatis Sacerdos rite constitui poterat, qui annum exegisset vigesimum, neque tamen hæc ætas indifferenter sufficiebat: quod si enim aliquis de Sacerdotali stemmate annum XXIII. superasset, exploratio fiebat, an pubertatis signa in eo conspicerentur, & pili pubis excrevissent, dignus judicabatur, qui post XX. ætatis annum Sacerdotale munus reciperet; sin, tametsi annum XX. ageret, a dignitate illa excludebatur, & tum demum talis inquisitio in ista pubertatis signa fiebat; quæ si apparerent, trigesimo quinto demum anno

anno in ordinem istum sacrum admittebatur, si vero nulla deprehenderentur, spado declarabatur, atque ad Sacerdotium perpetuo ineptus. Illi igitur, qui manifesta pubertatis signa decimo tertio ætatis anno in pube dedisset, XX. ætatis anno Sacerdos creabatur, atque ille, qui demum anno XX. pilos pubis eduxisset, Sacerdotio fungi permittebatur anno trigesimo quinto. Talis vulgo dicebatur apud Ebræos *major*, & contradistinguebatur *minoribus*, quomodo nuncupati fuere, qui vel XIII. ætatis annum nondum explevissent, vel post eum pubem nondum produxissent. Eodem modo res sese habebat cum eo, qui successionis jure in locum demortui pontificis deveniebat: qui ante pubertatis signa annum nempe XX. vel XXXV. dignitatem illam non adipiscebatur, sed dabatur illi vicarius, qui intra terminum pubertatis ejus vice fungebatur, dictus *Secundus a Pontifice*, vel *Vicarius Pontificis Maximi*. Levitarum autem alia erat ratio, de quorum ætate legitur Num. VIII. 24. *Hæc est lex Levitarum, a XXV. annis & supra ingredientur, ut ministrent in tabernaculo fœderis.* Sed supra Num. IV. 3. & 30. trigesimus demum annus legitima & sacro ministerio idonea ætas illis definitur. Quæ quidem loca ita conciliari debent, ut XXV. annus intelligatur dedisse initium discendi, a quo termino ætatis usque ad XXX. annum, toto nempe quinquennio, Levitarum frequentabant scholas, discentes lectionem, cantum, & quæ sunt alia; interea tamen nati apti habebantur ad ministerium, & accedebat quoque ad juvandos fratres suos, erantque occupati in levioribus ministeriis. Vide Menassen Ben-Israel, Conciliat. in Num. Quæst. IV. Abulensem in c. VIII. Num. Quæst. XXXI. Seldenum de Successione in Pontificat. lib. II. c. IV. Judæos imitati fuere prisci Christiani, apud quos eadem fere ætas in Ecclesiæ ministris spectabatur, uti inter alia constat ex his verbis Justiniani: *Presbyterum autem minorem triginta quinque annorum fieri non permittimus, sed neque Diaconum aut Subdiaconum minorem viginti quinque &c.* in Auth. Nov. CXXIII. c. XIII. Apud Ebræos autem antiquissimos idcirco DEUS præcepit perfectos Levitas fieri viros triginta demum annorum, quod, cum nondum ædes sacra nomini ipsius esset exstructa, Tabernaculum & Arca Domini transportarentur de loco in locum, quibus oneribus ferendis requirebantur validiores humeri, hominesque firmiori ætate & præstantioribus viribus. Quo factum, ut David, postquam Deus stabiliturum se & fixurum sedem suam Hierosolymis promisisset, adeoque transportatione tali non amplius esset opus, legem illam Mosaicam tolleret, & sanciret, ut in postremum quilibet XX. ætatis anno, modo quoad cetera idoneus esset, in ordinem Levitarum reciperetur. Vide I. Paral. XXIII. 27. Esræ III. 8. Adde, quod Davidis temporibus & sequentibus pluribus etiam personis ex gente Levitica ad sacrum ministerium fuerit opus, plura & ampliora constituta munia, v. g. janitorum, cantorum, & similium. Quemadmodum vero primitus ante trigesimum annum nemo agere poterat perfectum Levitam, seu omnia & singula munia obire, quæ Levitarum erant propria, parili modo si Levita quinquagesimum attigisset annum, excidebat ordine suo, & in illum gradum collocabatur, in quo ante trigesimum annum constiterat, h. e. erat minister tantum & coadjutor ceterorum Levitarum, neque laborabat amplius oneribus portandis, sed duntaxat custodiebat ea, quæ ipsi essent commissa. Vide Numer. VIII. 25. & 26.

CAPUT IV.

De Animi, vitæ ac famæ integritate.

NOn sufficiebat ad Sacerdotalem dignitatem aspiranti, vel jam tum ea fungenti, corpore esse purum, nisi & animus & vita omni carerent macula: ut eo majus pretium, eoque sublimior veneratio tanto muneri apud plebem contingeret. Ideo futurus sive Pontifex sive Sacerdos coram synedrio magno examen cogebatur subire, quo de vitæ integritate sufficientem redderet rationem. Istorum animi vitiorum quædam poterant corrigi & pœnitentia tolli, quædam perpetuo contaminabant, & a sacro altari aliquem arcebant. Atque ut I. de conjugio dicamus, vitium, quo ad sacra peragenda præcludebatur aditus, erant *nuptiæ illicitæ*, & lege, sive sacerdotibus singulari, seu communi omnibus Israelitis, vetitæ. Talem fœminam qui duxisset, non permittebatur ad sacram functionem prius, quam si in consessum synedrii magni evocatus, magna populi frequentia præsente, illegitima consuetudine ista abstenturum se voto palam profiteretur, & actu ipso illicitam conjugem extemplo repudiaret. II. Ab altari

tari perpetuo arcebatur *idololatra*, nec minus is, qui in templo alio, quam Hierosolymitano sacrum aliquem cultum perfecisset; tametsi templum illud prorsus ad Hierosolymitani speciem esset exstructum, & cultus ille vero exhiberetur Numini, imo sacerdos ipse non sponte, sed ex errore cultum præstitisset. Ibi pœnitentia, quantumvis solennior, locum habebat nullum. III. In pari passu ambulabat *homicida*, sive spontaneus, sive invitus, & ex errore talis. Hic quidem ad asylum confugere poterat, at ille, qui voluntarie occidisset, tametsi in ipso constitutus esset altari, & sacrificium jamjam perageret, ab eo avellebatur, & ad ultimum supplicium rapiebatur ex DEI mandato, Exod. XXI. 14. IV. Eodem in censu habebantur *adulter* & *incestuosus*, qui, tantum abest, ut ad altaris ministerium invenirent aditum, ut ne ordinariam quidem pœnam potuerint effugere. V. Præterea, ut auctoritati pontificalis dignitatis consuleretur, etiam ille a sacro officio suspendebatur, *qui artes exercuisset sordidas ac viliores*. Quam rem ita ex antiquis Ebræorum monumentis explanat Maimonides: *Non constituunt sive Regem, sive Pontificem eum, qui est aut lanio, aut tonsor, aut balneator, aut textor, aut coriarius &c. etiam qui die unico aliquam ex ejusmodi artibus exercuerit, minime idoneus redditur*; Tractatu de Regibus, c. I.

CAPUT V.

De Ritibus initiandi Pontificem ac Sacerdotem.

Finito coram synedrio magno examine candidati sacri ministerii, is, in quo labes aliqua ratione natalium fuisset reperta, ex synedrii sententia declarabatur illegitimus, & actutum educebatur e societate fratrum suorum, atque sic pergebat ad domum suam, induebaturque habitu nigro quo perpetuo postea utebatur. Vicissim ille, qui vitio aliquo corporis tantum laborabat, permanebat in templo in conclavi, quod dicebatur *cella lignorum*, & gerebat officium cariosa ligna a vermibus purgandi, donec idonea fierent ad struem altaris, fruebaturque portione etiam aliqua e reditibus sacerdotalibus. Is vero, in quo nihil illegitimi esset repertum, a synedrio discedebat his verbis: *Benedictus, qui elegit semen Aaronis ad ministrandum in sancto sanctorum*. Inde instituebat festum atque convivium amicis suis, & postea consecrabatur. Vide Jacob Juda Leon. de Templo, lib. II. c. XVIII. Glossa ult. ad sect. 128. p. 109. In auguratione tum Pontificis max. tum Sacerdotum quatuor potissimum solennes & necessariæ spectandæ veniunt ceremoniæ: Prima est *ablutio*. Abluebantur aqua ad ostium tabernaculi sive templi, ut, veluti membra corporis sordibus purgabantur, sic animus ab interioribus vitiis pravisque concupiscentiis lustraretur, DEOque totus consecraretur. Secunda est *vestium sacrarum applicatio*. Induebantur exinde statim sacro amictu ipsis proprio. Vestes sacræ Sacerdotum fuere quatuor; pontificis maximi octo, de quibus c. seq. Eæ in initiatione certo ordine ac solenni ritu dabantur. Primo vestiebantur femoralibus supra lumbos constrictis; his accedebat tunica talaris, quæ postea cinguli crebris plicaturis sub axillis circumligabatur; denique imponebatur pileus seu cidaris. At pontifici insuper imponebatur pallium, cui ephod seu epomis addebatur: tunc induebatur tiara; cui tandem lamina aurea seu corona assigebatur. Neque satis rite initiabatur Pontifex, nisi ad eumdem modum per septem continuos dies investiretur. Tertia est *unctio*. Ungebantur sacerdotes oleo certo, solisque sacris rebus destinato, & a Mose ipso semel ad omnium sequentium seculorum usum præparato, tali confectione: Assumsit Mose ex præcepto DEI myrrhæ exquisitæ & purissimæ stateres quingentos (juxta nostram ponderationem XV. Pfund / 30. Loht) cynamomi aromatici stateres ducentos & quinquaginta (præter propter 7. Pfund und 31. Loth) totidem etiam calami aromatici: his addebantur quingenti stateres casiæ, quibus omnibus admiscebatur olei de olivetis mensura Hin (quæ constituit 3. Quartie oder Maas) & cum speciebus istis aromaticis coquebatur. Hanc confectionem recondidit Mose in arcam Domini, ut ea ungerentur sacerdotes, quotquot futuri essent. Neque illud sequentibus seculis de integro fieri fas erat, sed perpetuo illud Mosis manu confectum adhibebatur. Isthoc unguento nefas erat, & gravi sub pœna vetitum, cutem hominis, qui non esset sacerdos tangi, neque permissum alio confecto oleo sacerdotem ungi. Vide Exod. XXXI. al. XXX. 23. & seqq. Pontifex autem & Sacerdotes initiandi ungebantur eo per septem continuos dies, eodemque uncta fuere tabernaculum Domini, arca DEI, alta-

altaria, & candelabra, omnisque supellex ad cultum divinum requisita. Eam unctionem etiam die, non noctu peragi necessum erat. Figura ejus seu ungendi modus sollicite ante omnia observabatur, talis quidem, ut, antequam imponeretur tiara seu pileus, in verticem capitis funderetur oleum illud ita, ut per totum caput deflueret (quod declarabit Psalmi CXXXIII. 2.) inde mox ungens in fronte novi sacerdotis uncti in medietate seu loco, qui est inter oculos sive palpebras, digito suo ex oleo diducebat figuram X. literæ Græcorum, uti passim ex vetustis monumentis annotarunt Rabbini, Salomo Jarchi, Comment. ad Exod. c. XXIX. 7. Maimonides de Vasis sanctuarii, c. I. Obadias bar Tenora, Comment. ad cod. Talmud. de Excisionibus animarum, c. I. Mose Kozensis, præcepto affirmativo CLXVI. Nachmanides & Aben Esdra ad l. c. Exod. Abarbenel, Comment. in Legem, fol. 202. &c. hoc est, figuram crucis S. Andreæ, quam vocant, quemadmodum Reges coronæ figura solebant ungi. De hoc oleo & ritu unctionis plura vide apud Josephum de Voisin in notis ad Raymundi Pug. fid. fol. 247. seq. Unctio illa sacerdotum cessavit sub templo II. eo quod arca Domini esset deperdita, adeoque oleum illud sacerdotale a Mose confectum, quod cum illa adservari solebat; unde ea ætate nullus omnino amplius unctionis sacræ habebatur usus, sed sacerdotes duntaxat vestibus præter ablutionem & sacrificium initiabantur. Quamvis Talmudici tradant, quinquaginta circiter annis ante primi templi excidium oleum sanctum a Josua rege fuisse absconditum, nec postea repertum. Etiam tamen hoc meretur notari, sub templo primo, cum Israelitæ ituri essent in bellum, sacerdotem aliquem electum & constitutum fuisse, qui exercitum Israel alloquebatur. Is oleo sacrosancto ungebatur, vocabaturque *Sacerdos unctus ad bellum*, & dignitate anteibat Saganem seu vicarium Pontif. max. de quo plura D. Wagenseilius in Sota, p. 842. Quarta & ultima est *sacrificium*, quod unctionem sequebatur, & totam initiationem rite perficiebat. Offerebant decimam partem similæ, quæ in sartagine oleo adspersa coquebatur, postea in holocaustum Domino incendebatur, & tota cremabatur. Si quis futurus sacerdos gregarius, nondum tamen eo nomine initiatus, statim ad pontificatum eveheretur, primo sacrificium sacerdotis minoris nomine peragebat, dein idem repetebat, tanquam futurus Pontifex. Unde patet, neminem ad pontificatum pervenisse, nisi prius sacerdotis minoris ritu esset initiatus. Hæc de Pontifice & Sacerdotibus. At Levitarum inauguratio plane alios poscebat ritus. Primus est *lustratio*: nam & ipsi & vestimenta eorum lavabantur atque mundabantur, non aqua communi ac pura, sed certa, lustrali, quæ erat aqua, cui cineres vaccæ rufæ pro peccatis combustæ infundebantur: ea alias quoque adspergebantur in genere immundi. Secundus est *rasio*. Abradebant non caput, sed reliquum totum corpus. Quod iterum ad puritatem ac munditiem pertinebat. Tertius est *sacrificium*. Offerebant bovem unum & similam oleo conspersam, bovemque alterum in holocaustum pro antecedentis vitæ peccatis. Quartus est *introductio*. Convocata omnis Israelis multitudine, sistebant Levitam coram tabernaculo fœderis, & postea in templo in atrio Israelitarum. Quintus est *impositio manuum*; quæ fiebat ab ipsis Israelitis seu Senioribus populi.

CAPUT VI.

De Vestibus Pontificiis ac Sacerdotalibus.

Vestes sacræ aliæ erant Sacerdotum, aliæ Pontificis maximi, indutæ illis eo duntaxat tempore, quo ministrabant & cultui divino vacabant. Levitæ autem amictum proprium habebant nullum, etsi sæpe vestiebantur tunica linea. Sacerdotum vulgarium vestes sacræ numerabantur quatuor: *femoralia*, *tunica*, *cingulum*, & *tiara*; quibus Pontifex max. alias insuper quatuor addebat: *pallium*, *superhumerale*, *pectorale*, & *frontale*. Nunc ordine de iis. Primum locum obtinent *femoralia* seu feminalia: quæ erant braccæ lineæ, e bysso retorta confectæ (est autem byssus retorta, quæ fit ex lino, quod netur, & postea duplicatur ac torquetur, ex qua etiam fuere cortinæ tabernaculi) usque ad genua & poplites descendentes, nullibi scissura disjunctæ, quibus verenda celabantur, & superior pars sub umbilico vehementer adstringebatur, ut eo expeditiores essent, & ne, si quando mactarent victimas, attraherent tauros, arietes &c. portarent onera, etiamsi forte laberentur & femora revelarent, pateret nudum id, quod opertum esset. Femoralia itaque hæc non erant fibulæ loco, nec denotabant

ca-

castitatem sacerdotalem istiusmodi, qualis hodie apud Romano-Catholicos Clericis in jungitur, uti scribit Franciscus Ribera de Templo, lib. III. c. VI. cum id extra dubitationis aleam sit, sacerdotes Ebræorum matrimonia contraxisse; sed inserviebant sacerdotum fortitudini, agilitati atque pudori, si forte sacerdos caderet, & reliquæ vestes diffluerent. Unde etiam legimus, prohibitum fuisse fieri gradus ad altare, ne populus inferior obscœnas partes aspiceret. Istiusmodi femoralia paganis quoque erant in usu, dicta illis *campestria*, & *succinctoria*, de quibus vide Isidorum de Originibus, lib. XIX. c. XXII. & XXIII. Secunda vestis est *tunica*, quæ alias vocabatur *linea stricta*, & erat interula byssina, e duplicata tela confecta, sive tunica talaris interior supra femoralia induta, totum corpus usque ad pedes imos tegens corpori adstricta, habens manicas, & ipsas circa brachia strictas. Ita de ea inter alia multa Hieronymus: *Solent militantes habere lineas, quas camisias vocant, sic aptas membris & adstrictas corporibus, ut expediti sint vel ad cursum, vel ad prælia, dirigere jacula, tenere clypeum, ensem vibrare, & quocunque necessitas traxerit. Ergo & sacerdotes parati in ministerium Dei, utuntur hac tunica; ut nudorum celeritate discurrant*; Epist. ad Fabiolam, Tom. III. p. 59. Usus ejus Levitis sub Agrippa rege æque ac sacerdotibus, sed contra fas permittebatur, uti tradit Josephus, Antiq. lib. XX. c. VIII. Tertio tunica hæc accingebatur circa pectus paullo axillis inferius *cingulo*, baltheo, seu zona intus cava, ita contexta, ut exuviis serpentis esset similis, lata digitos quatuor, longa cubitos circiter triginta duos, adeo ut multoties circumplicata & circa pectus revoluta, corporis medium incingeret, reliqua autem pars extra cultum divinum ad talos usque deflueret. Cum vero in sacris esset ministrandum, ne residua illa pars propendens ventilata esset impedimento, rejiciebatur ea super humerum lævum. Quarto considerandа venit *tiara*, sive cidaris, aut pileus, sive mitra, quæ erat linea tela sedecim cubitos longa, & sæpe in orbem replicata, ac consuta, caputque multoties cingens ac operiens. Hanc alia tela superne integebat usque ad frontem descedens & toti cranio adhærens, quæ per superficiem verticis suturarum in pileo deformitatem celabat. Hoc capitis tegumentum accurate adptabatur, ne inter sacrificaudum delaberetur. Ab his non multum diversæ erant Persarum & Corybantum tiaræ, quemadmodum eas describunt scriptores ethnici. Pontificis max. autem pileus (veluti & zona) aliquantum discrepavit a ceterorum sacerdotum tiaris: (1) Enim multis contortis voluminibus capitis ejus partem involvit duntaxat superiorem, nec inferius descendit, ne laminæ fronti adnectendæ discommodaret. Similis erat pileo Turcico, quem Türckischen Bund vocamus. Quatuor prædictæ vestes Pontifici max. cum reliquis Sacerdotibus erant communes: nam licet vestes Pontificis max. paullo splendidiores fuerint, mollioresque & accuratius confectæ, imo tiara & cingulum aliquantum a ceteris discrepaverint, iisdem tamen appellabantur nominibus. Sed præter memoratas vestes Pontifex max. aliis sibi peculiaribus fuit insignis, cum quibus sacrum obivit munus: Earum prima erat *pallium*, vestis oblonga & talaris, sed exterior ita, ut interiori lineæ stricte responderet, confecta non ex duobus aut pluribus segmentis, sic ut suturas haberet in humeris, lateribus, a tergo &c. sed ex uno contexta, aperturam in summo habens non transversam, sed oblongam, descendentem a tergo, & ante usque ad medium pectus, cui scissuræ, ne ea appareret, ornatus caussa fimbria assuta erat. Eodem modo scissa fuit ea parte, qua manus & brachia exserebantur. In extremitate appensa illi erant mala punica & tintinnabula alternatim, ut Pontificis max. sonus audiretur, cum adiret sanctuarium, non vero, *ut in sancta sanctorum totus vocalis incederet*, uti ait Hieronymus, Epist. ad Fabiolam. Tom. III. p. 56. Secunda est *ephod*, ab Ebr. radice אפד quæ significat *cinxit*, dicta Græcis ἐπωμὶς, Latine *superhumerale*, brevior cubitali mensura, ita ut zonam memoratam attingeret, pallio superinjecta, sago militari fere similis, humeros tantum & pectus ornans, ex diversis coloribus auro intexta atque variegata, infra manicas utrinque consuta aut duntaxat fibulis connexa, in utroque autem humero Sardonyches auro inclusi fibularum vice epomida adnectebant. In altero istorum lapidum, dextri nempe humeri, nomina sex majorum natu filiorum Jacobi insculpta erant, videlicet Ruben, Simeon, Juda, Dan, Nephthali, Gad; in sinistra gemma sex ceterorum, Aser, Isaschar, Sebulon, Benjamin, Ephraim, Manasse, idque ideo, ut Pontifex ingressus Sancta Sanctorum, nomina populi, pro quo rogaturus esset Dominum, portaret in humeris.

De his porro Josephus: *Ex lapillis*, ait, *quos Pontifex in humeris gestabat, micabat alter, quoties litatum esset, is nempe, qui dextrum humerum occupabat, tantumque fulgorem emittebat, ut procul intuentibus conspiceretur præter naturam suam & consuetudinem;* Antiq. lib. III. c. IX. in medio superhumeralis lacuna relinquebatur in pectore, cui pectorale inserebatur. Ad similitudinem hujus ephod, quod Pontifici soli competebat, fiebat etiam alius amictus, sed lineus tantum, dictus itidem ephod, quo non solum Sacerdotes & Levitæ, sed & ex aliis tribubus omnes, qui DEO serviebant, & ipsius cultu occupabantur, uti poterant. Ita intelligentur loca 1. Sam. II. 18. *Samuel autem ministrabat ante faciem Domini puer, accinctus ephod lineo.* 1. Sam. XXII. 18. *Conversusque Doeg Idumæus, irruit in Sacerdotes & trucidavit in die illa LXXXV. viros, vestitos Ephod lineo.* II. Sam. VI. 14. *Porro David accinctus erat ephod lineo.* Tertia vestis dicebatur *pectorale*, item *rationale*, nec non *pectorale* vel *rationale judicii*, & proprie loquendo nova vestis non erat, sed prioris tantum pars, implens lacunam illam, quam in ephod relictam fuisse supra diximus. Erat autem pannus brevis, quadrangulus habens magnitudinem duodecim digitorum, sive dimidii cubiti in longitudine & latitudine, contextus ex auro, hyacintho, purpura & cocco, duplicatus, ut pondus gemmarum, quod in eo ponebatur, sustinere posset. Superhumerali non assuebatur, sed adligabatur: facies enim ejus interior in quatuor angulis quatuor habebat annulos aureos, quibus in superhumerali quatuor alii respondebant, qui cum illis copulabantur. Facies exterior habebat in duobus angulis superioribus duos annulos aureos eminentes, quibus catenæ aureæ inserebantur, quoniam annuli priores interiores non poterant soli gemmarum pondus sustinere. Ascendebant catenæ istæ per fistulas quasdam aureas ad humeros, & adnectebantur circulis aureis, qui erant a tergo in summitate posterioris partis superhumeralis, arctissime juxta se invicem siti. In panno pectoralis exteriori duodecim gemmæ quatuor ordinibus dispositæ fuerunt: in primo ordine erant lapis sardius, topasius & smaragdus: in secundo carbunculus, saphirus, jaspis; in tertio lyncurius, achates, amethistus: in quarto chrysolithus, sardonyx & berillus: quod erat immanis pretii ornamentum. Per illud Pontifex Max. divina responsa accepit de angustiis & necessitatibus totius populi, ediditque judicium de bello & pace, ceterisque ad salutem Reip. spectantibus: Si enim lætum optatumque responsum Pontificem oporteret referre, singulæ gemmæ incredibilem nitidissimumque de se dabant splendorem. Josephus: *Sed mirabilius est, quod nunc dicturus sum. Per duodecim gemmas, quas in pectore Pontifex Max. insutas pectorali gestabat, in bello victoriam prænunciare solebat DEUS: nam priusquam exercitus sese moveret, tantus fulgor ex iis emicabat, ut toti populo facile innotesceret, adesse DEUM, opemque & auxilium suum allaturum esse invocantibus. Quapropter Græci, qui a nostra religione abhorrent, cum hoc miraculum pro compertissimo habeant, ita ut negari non possit, pectorale vocant* λόγιον, i. e. *oraculum: Desiit tam pectorale, quam sardonyx (ille scil. in utroque humero superhumeralis) fulgorem emittere CC. annis, antequam hæc commentaremur, irato DEO propter legum suarum contemtum.* Hæc ille, Antiquit. III. c. IX. Atque hæ gemmæ, si verisimillimam plerumque sententiam, quæ etiam Luth. est, recipiamus, vocatæ sunt אורים ותומים, i. e. *Urim & Thummim*, quorum illud *illuminationes* significat, hoc *perfectiones*. Cujus appellati probabilis hæc est ratio, quod gemmæ istæ certum & perfectissimum responsum retulerint, si splenduissent, ac perspicuam de se lucem projecissent: quamvis diversissimæ de Urim & Thummim ab aliis foveantur opiniones. Inscripta erant duodecim illis gemmis singula filiorum Jacobi nomina, exceptis nominibus Levi & Joseph, teste Josepho lib. III. c. IX. Levi omittebatur, quod Sacerdos pro hac tribu non oraret, nec ejus recordari haberet opus, eo quod Pontifex & omnes Sacerdotes atque ministri eorum ipsi essent quotidie in templo, & pro se non minus atque pro aliis offerrent preces ac sacrificia. Josephi autem loco duabus singulis gemmis inscripta exstabant duo filiorum ejus nomina Ephraim & Manasse, quos Jacobus, ex intercessione filii Josephi, in hereditatem benedictionis adoptaverat. Quod si vero plurium Rabbinorum sequamur sententias, Urim & Thummim abscondita fuerunt a Josia rege in templo priore, nec postea reperta in templo secundo, quorum tamen vice alii tunc lapides fuere facti & inditi in pectorale, non quod eorum adminiculo oracula amplius ederet Pontifex, sed ut consummatus esset ornatus & earum rerum numerus, quas Mose

Moſe ad Pontificem inveſtiendum præſcripſerat. Vide Cunæum de Rep. Ebræorum, lib. I. c. XIV. lib. II. c. II. Quarta & ultima veſtis erat *frontale* ſive *lamina*, dicta Ebræis ציץ alias *corona ſancta*, *diadema*, *corollarium ſanctum*. Erat ea lamina aurea duos digitos lata, ſemicirculum referens, frontemque ad aures uſque cingens, cui inſculptum erat nomen *τετραγράμματον* יהוה: adnectebatur ea pileo pontificio. Vide Exodi c. XXXIX. 30. Hæ ſacræ ſunt veſtes, quarum ſi quis Sacerdos ſive vulgaris, ſive magnus, plures aut pauciores adſciviſſet, ſi emplaſtrum vulneri impoſitum inter carnem ejus & veſtes iſtas latuiſſet, ſi veſtes has ruptura deformaſſet, aut ſordes inquinaſſent, miniſterium ejus habebatur irritum, ut tradunt Talmudici, Cod. de Sacrificiis, c. II. immo capitali pœna afficiebatur, teſte Maimonide. Dividebantur vulgo in *veſtes albas*, quales fuere quatuor illæ Sacerdotum vulgarium, & *veſtes aureas*, quomodo appellata ſunt octo Pontificis Max. indumenta: quæ etſi aurea vocantur, quatuor tamen inſuper coloribus erant variegata, nimirum hyacintho, purpura, cocco & byſſo. Per aurum intelligitur id, quod in fila deductum eſt. Hyacinthus vocatur heic lana coloris hyacinthini, qui violaceo atque cœleſti ſimilis eſt. Purpura vero lana eſt nigrantis coloris, quam tingebant ſanguine certi generis piſcis. Coccus, lana tincta vermiculi cujuſdam ſive ſanguine ſive pulvere, quam bis tingebant, ſemel cum rudis eſſet, atque dein, cum in fila deducta. Byſſus tenuiſſimi & candidiſſimi lini genus eſt. His coloribus ſignificabatur, Pontificem eſſe ſummi elementorum, adeoque rerum omnium Conditoris Sacerdotem, eique ſacrificia offerre, teſte Joſepho de Bello Judaico, lib. VI. c. VI. Colore enim coccus ignem deſignat, hyacinthus aerem, origine autem byſſus terram denotat, purpura mare. Pro illis quatuor Sacerdotalium veſtium generibus exſtructum erat in templo reconditorium quoddam cum ſex & nonaginta capſulis. Cum enim, ut ſupra parte I. c. IX. audivimus, perpetuo XXIV. Sacerdotum claſſes miniſtrarent in templo, unicuique claſſi quatuor erant adſignatæ capſulæ, & his inſcriptus fuit numerus uniuſcujuſque claſſis: ſinguliſque porro quatuor capſulis adſcriptum exſtitit nomen veſtimentorum, quæ in illis adſervabantur, v. g. uni capſulæ inſcriptum erat *Femoralia*: alteri, *Tunicæ*: tertiæ, *Cingula*: quartæ, *Tiaræ*. Hoc reconditorium habebatur in camera intra atrium Sacerdotum verſus Orientalem templi plagam ſita, quæ nuncupabatur *Conclave Pinehas veſtiarii*. In ea plura ædificata erant cubicula, in quibus ſe veſtiebant Sacerdotes, ibidemque finita hebdomada miniſterii ſui eumdem ſacrum ſuum amictum exuebant, &, antequam e templo diſcederent, recondebant. Videatur Ezechielis caput XLIV. 19. & Codicis Talmudici de Sacrificio aſſiduitatis c. V. ſect. III. Bartenora in Cod. Talmud. de Siclis, c. V. ſect. I. Neque Sacerdotibus cum ſacris iſtis veſtibus licebat dormire; ſed ii, qui per hebdomadam ſuam pernoctabant in templo, antequam cubitum irent, exuebant & complicabant eas, & adponebant capitibus ſuis, operiebantque ſe amictu ſuo vulgari, veſtibus nempe profanis. Pontificis autem Max. veſtes adſervabantur in camera quadam extra atrium Sacerdotum a latere templi meridionali ſita, quæ dicebatur *camera adſeſſorum*, nec non *camera ligni*, in qua etiam Pontifex Max. habitabat. Videatur Codex Talmudicus de Menſuris, c. V. ſect. I. Porro pro veſtibus Sacerdotalibus, quæ vel uſu erant detritæ, vel caſu laceratæ atque ſordidæ redditæ, ædificata erat camera in templo, in quæ illæ adſervabantur, ut fierent inde panniculi, qui incenderentur in candelabro, & ellychnia in lampadibus, docente Maimonide. Denique notandum, ambulaſſe Sacerdotes in templo nudipedes, non tam ex conſuetudine Orientalium populorum, quam ex reverentia ſacri loci, uti tradit R. Moſe Gerundenſis. Quare DEUS Exod. III. 5. præcipit Moſi, *ut ſolvat calceamentum de pedibus ſuis*, additque rationem, *quoniam locus, in quo ſtas, ſanctus eſt*. Adde Joſuæ c. V. ult. Hinc cum ſemita, per quam aſcendebant ad altare (quamquam non fuerit per gradus diſtincta) eſſet elevata, obliqua, atque ob pinguedinem de carne victimarum, in altari ſubinde incenſarum, per ſemitam illam defluentem, valde lubrica & præceps, ne Sacerdotes nudipedes, portantes ſuper altare ad ſacrificia membra victimarum itemque ligna, vacillarent aut forte laberentur, ſed certius figerent pedes, ſemitam illam ſemper conſpergebant ſale. Videatur Maimonides in tract. de Sacrificio Aſſiduitatis, c. VI. ſect. III.

CAPUT VII.

De Tonsura Sacerdotum.

POstquam de vestibus Sacerdotum, quantum fieri potuit, breviter tractavimus, restat, ut jam de capillitio eorumdem aliquid dicamus. Illud non permittebatur eis promissum aut intonsum: qui enim apud Ebræos in luctu fuerunt, nutriebant capillum & discooperiebant caput, deponendo mitras, galeros, & alia capitis ornamenta; quod proinde Sacerdotes in divino officio occupati imitari prohibebantur. Hinc illud Levit. X. 6. *Capita vestra nolite nudare*, Onkelos exponit: *Capitis vestri ne nutriatis comam*, & rursus illud Levit. XXI. 10. *Caput suum non discooperiet*, idem παραφράζει: *Capitis sui non nutriat comam*. Cui interpretationi adstipulantur quoque Arabs & Rabbini fere omnes. Igitur ultra triginta dies comam nutrire Sacerdoti non licebat, neque, qui ultra tempus illud nutriret, ad sacram functionem admitti poterat. Pontifex Max. autem qualibet Sabbati vespera tondendus erat, utpote cujus præsentia in sanctuario non per vices, sed assidue necessaria erat. Unde hic singulis tondebatur hebdomadis; Sacerdos vulgaris tantum intra XXX. dies semel, aut, si ordo ministrandi in templo intra triginta dierum spatium ipsum non tangeret, tonsuram etiam ulterius differre poterat. Tonsionem illam opus erat fieri forpice, qua circumcirca crinis demetebatur, & pilus capiti æquabatur, ut nec nimis esset promissus in morem mulierum aut lugentium, nec nimis in cranio resectus. Nam veluti intonsi crines sacerdotibus erant illiciti, ita vicissim omnino radere caput prohibebatur illis. Ezech. XLIV. 20. *Caput autem suum non radent, neque comam nutrient, sed adæquando adæquabunt cinnos capitum suorum*. Ad quem locum S. Hieronymus. *Perspicue demonstratur, nec rasis capitibus, sicut sacerdotes cultoresque Isidis, nos esse debere, nec rursus comam demittere, quod proprie luxuriosorum est, barbarorumque & militantium, sed ut honestus habitus facie Sacerdotum demonstretur*. Licebat tamen Sacerdoti, luctus caussa, more Ebræorum consueto, alere comam: extra quem casum si quis promissos haberet crines, sacramque functionem ita obiret, actus quidem sacrificii non profanabatur, ipse vero Sacerdos verberibus plectebatur, uti pluribus docet Maimonides de Vasis Sanctuarii, c. IX. Tonsuram hanc Vet. Test. Sacerdotum quomodo imitata fuerit prisca Ecclesia Christiana, vide apud Gratianum, distinct. XXIII. c. XXI. & XXII.

CAPUT VIII.

De Officio Pontificis max. Sacerdotum & Levitarum.

IN quinque potissimum ministeriis officium Pontificis max. & Sacerdotum consistebat, quæ recenset Abulensis, comment. in Num. c. XVIII. quæst. III. Primum est *immolatio sacrificiorum*, quæ fiebat extra tabernaculum in altari holocaustorum in atrio tabernaculi, post ædificatum templum in atrio Sacerdotum. Vitulam autem rufam extra castra comburebant. Secundum est *oblatio panum propositionis* super mensam, quæ fiebat in exteriori parte tabernaculi ad latus ejus septentrionale. Tertium *compositio lucernarum in candelabro*, quæ fiebat in eadem parte tabernaculi ad latus meridianum e regione mensæ propositionis, & quotidie peragebatur mane & vesperi. Quartum *oblatio thymiamatis*, quæ fiebat in altari aureo, quod erat ante sancta sanctorum, itidemque quotidie mane & vesperi peragebatur. Quintum est *introire sancta sanctorum*, ad aspergendum sanguinem hirci. Ultimum hoc ministerium proprium erat Pontificis maximi, reliqua tam ejus quam Sacerdotum. Introibat autem Pontifex in sancta sanctorum semel duntaxat in anno, die nempe expiationis, seu X. die mensis septimi. Neque ante ædificatum templum in tabernaculum quotidie ingrediebatur Pontifex max. sed sabbatis tantum & Kalendis, & festis diebus, teste Josepho de bello Judaico, lib. VI. c. VI. Sacra officia ut inter se rite dispertirentur Sacerdotes, in conclavi ad latus meridionale atrii Sacerdotum sito (in quo perpetuo etiam consessus synedrii magni agitabatur) quotidie diluculo conveniebant induti habitu suo sacerdotali, ibidemque varia ministeria illo die obeunda sorte inter se distribuebant. Erant præterea quindecim insigniores præfecturæ, eæque non ambulatoriæ, sed fixæ, quas ordine recensent Talmudici, cod. de Siclis, c. V. Pri-

Primus dicebatur *Præfectus super tempora*. Observavit ille attente diluculum matutinum; quo offerri oportebat sacrificium assiduitatis. Præsente igitur illo vel ipse vel ministrorum aliquis alta voce clamabat: *Adeste Sacerdotes ad ministerium, & Levitæ ad suggestum, & Israelitæ ad stationem.* Secundus erat *Præfectus super janitores*, die Thorschliesser; ad cujus mandatum hi mane reserabant ostia portarum templi & atrii Sacerdotum, eademque vesperi claudebant. Idem hic præcipiebat Sacerdotibus, ut, cum portæ aperirentur, buccinis clangerent: quod, nisi ille expresse concessisset, haud licebat. Tertius erat *Præfectus super custodes templi*, die Thorhüter/ quibus in variis templi locis per noctem vigilias agere incumbebat. Hic singulis noctibus cum facibus incensis incerta hora circumibat, (de quo supra part. I. c. II.) &, si appropinquaret ad custodem aliquem, dicebat: *Pax sit super te!* quod si vero hic dormiret vel taceret, eumdem baculo, quem manu sua gestabat, percutiebat & probe dedolabat; immo, si videretur, mandabat suis ministris, ut dormitantis tegumentum incenderent & comburerent. Quartus erat *Præfectus cantorum*. Hic tantum seligebat cantores, qui hoc vel isto die tali munere debebant fungi. Quintus nuncupabatur *Præfectus cymbali & ceterorum instrumentorum musicorum*, der Capellmeister. Ille cantores eorumque socios a præcedente Præfecto jam selectos, super suggestu cantorum in convenienti ordine collocabat, & instrumenta musica huc vel illuc rite disponebat. Sextus erat *Præfectus sortium*, qui quotidie projiciebat sortes inter Sacerdotes, pro distribuendis inter ipsos ministeriis sacris, qua de re supra dictum. Septimus erat *Præfectus turturum*, qui pro certo pretio, quod ipse determinabat, vendebat in ipso templo turtures iis, qui ad sacrificium lege præceptum haberent illis opus. Octavus erat *Præfectus tesserarum*. Hic pretia statuebat, pecuniam accipiebat pro vino sacro, oleo & simila ab iis, qui vel libamina vel sacrificia offerre tenebantur ex lege. Accepto igitur pretio dabat iis tesseras, quibus apud Præfectum libaminis ostensis potiebantur illi pro necessitate sua vel vino ad libationem, vel simila & oleo ad minchas. Horum duorum Præfectorum, septimi & octavi, munia tempore Christi ad fœdissimum quæstum & αἰσχροκερδίαν fuere traducta. Hinc legimus Marc. XI. 15. *Ingressus Jesus in templum cœpit ejicere eos, qui vendebant in templo, & mensas argentariorum* (i. e. Præfecti tesserarum & ejus ministrorum) *& sellas vendentium columbas* (i. e. Præfecti turturum & servorum ipsius) *subvertit*. Nonus erat *Præfectus libaminis*, qui tesseras a Præfecto tesserarum erogatas accipiebat, & pro iis elargiebatur vinum, similam, oleum. Decimus erat *Præfectus aquarum*. Curabat hic fieri cisternas, traduci aquas fontanas per canales ac tubos in urbem, ut aquæ affatim suppeterent toti Israeli adscendenti Hierosolymas ad festa majora. Undecimus erat *Præfectus ægrotantium* i. e. Physicus templi & Medicus Sacerdotum ac Levitarum, qui tempore ministerii sui in templo incidissent in morbum; quod sæpe fiebat ex frequentatis corporis, pedum ac manuum in frigida lotionibus, ex vigiliis, ex tenui vestitu, qui constabat tunica sive indusio aut vestibus aliis, quod ambularent quotidie super pavimento discalceati, ut supra dictum. Duodecimus erat *Præfectus super pistores panum propositionis*. Decimus tertius erat *Præfectus super artifices operis suffitus*, qui & colores ipsius & aromata ingredientia atque admiscenda cognoscebat. Decimus quartus erat *Præfectus super hyacinthum, purpuram, coccum bis tinctum & byssum*, itemque super artificia nendi, fila duplicandi, colore tingendi & texendi, velaque acu pingendi, quæ scil. necessaria erant ad vestimenta Pontificis max. variasque templi cortinas. Decimus quintus erat *Præfectus super linum & lanam operis vestium sacerdotalium*, ex cujus præcepto ac dispositione texebantur & conficiebantur variæ Sacerdotum vestes. Tantum breviter de Sacerdotibus.

Levitarum officium erat servire Sacerdotibus in ministeriis templi, in omnibus, quæ illi juberent, & in parandis iis, quæ ad sacrificia erant necessaria. Dividebantur in XXIV. classes, quælibet per dies octo a sabbato usque ad sabbatum fungebatur sacris. Functionem autem illam non ordine, sed sortitione classes hæ suscipiebant. Præsto itaque erant Levitæ ministerio Sacerdotum, eorumque jussa exspectabant in exedris & vestibulis atrii Sacerdotum, nempe in loco purificationis, ubi labra erant ænea ad ablutionem Sacerdotum & victimarum; &, si forte canere juberentur, etiam locum sacrum ingrediebantur, ac, si tempus posceret, prope altare consistebant. Ceterum ad quinque illa mini-

nisteria Sacerdotalia supra recensita Levitis accedere non licebat, ne quidem altare, aut vasa sanctuarii vel summis digitis attingere, multo minus introire in sanctum sanctorum, idque omne sub excidii pœna. Vide Numer. XVIII. Unde jam intelligimus, quare Dominus interfecerit Usam, II. Sam. VI. 7. quod manus ad arcam extendisset calcitrantibus bobus & eam inclinantibus. Usa enim Levita, cum Sacerdos non esset, nequaquam poterat tangere arcam: ideo e vestigio exspiravit, passus pœnam prædictam Num. XVIII. Hanc veram caussam mortis Usæ reddit Josephus, legum & historiæ Judæorum scientissimus, Antiquit. lib. VII. c. IV. Expositionem autem illam impugnat Abulensis, comment. ad l. c. Samuelis, quæst. X. eo quod Levitis utique liceret tangere arcam, quando illam portare jubebantur Num. IV. 15. *Cumque involuerint Aaron & filii ejus sanctuarium & omnia vasa ejus in commotione castrorum, tunc intrabunt filii Kahath, ut portent involuta, & non tangent vasa sanctuarii, ne moriantur.* Hinc aliam affert caussam mortis Usæ, quod nempe inhoneste & irreverenter arcam tetigerit; sed respondetur: Cum permissum id tantum fuerit Levitis, arcam velo involutam vectibus portare, vetitum autem omnino, tangere, Usa dupliciter peccavit, & quod tetigerit, & quod nudam tetigerit, siquidem arcam involutam tunc non fuisse, ex contextu patet. Præterea notandum, ne vectibus quidem innixam aut vestibus involutam arcam tempore Usæ Levitis licuisse tangere: præceptum quippe illud de transportanda arca humeris & manibus Levitarum valebat tantum ea tempestate, qua per desertum iter faciebant Israelitæ, & cum nondum haberent templum; at postquam Deus requiem populo, fixamque & perpetuam habitationem suam Hierosolymis constituisset, David ex mandato divino etiam hoc sub excidii pœna prohibuit, ne Levitæ amplius arcam portarent. Vide I. Paral. XXIII. Sebastianum Munsterum ad l. c. Samuelis, & Franc. Riberam de Templo, lib. III. c. III. p. 206.

CAPUT IX.

De Jurisdictione tum ipsius Pontificis & Sacerdotum, tum aliorum in Pontificem & Sacerdotes.

Pontificis max. jurisdictio post legem Leviticam statim non fuit absoluta: quæ enim in sacris dijudicanda occurrebant, ex mandato quidem divino omnia & singula exsequenda erant a Pontifice; ast potestas forensis seu judicium politicarum caussarum Sacerdotes attinentium maximam partem stetit penes Concilium LXX. illorum virorum, quod Mose ex Israelitis coegit, & in suorum laborum levamen adscivit. Postea cum Judices ad rerum gubernacula devenirent, combinata aliquando potestas sacra & forensis fuit, quod testari potest exemplum Eli, qui Judex simul & Pontifex max. exstitit. I. Samuel. IV. 18. Deinceps, cum Reges essent creati, ad ipsos fere omnis potestas tam sacra quam profana devolvebatur, parsque vix minutissima Pontifici etiam in sacris remanebat. Hinc apud Talmudicos legitur: *Rex major est summo Pontifice, summus Pontifex propheta, propheta uncto in bellum, unctus in bellum præfecto, præfectus principe, princeps consiliario, consiliarius thesaurario, thesaurarius sacerdote vulgari, sacerdos vulgaris Levita, Levita Israelita, Israelita notho, nothus Nathinæo, Nathinæus proselyto, proselytus servo manumisso*; cod. de Documentis Judicum, fol. 84. col. 2. Reges quippe tunc eligebant Sacerdotes atque Levitas, suaque cuique in sacris munia & præfecturas adsignabant, curabant de instauratione ædis sacræ & vasorum ibi adhibitorum, festa, lectiones sacras, cultum divinum ordinabant ac disponebant; quod ex pluribus S. Scripturæ locis manifestissimum est. Cum vero regium inter Israelitas imperium Babylonica captivitate esset dissolutum, ipsique exacto diuturno exilio in patriam remigrassent terram, Pontifices quidem imperio potiebantur, rebusque sacris & profanis præerant, sed non soli, ita ut Respubl. partim esset aristocratica, partim oligarchica, donec tandem Hasmonæis sceptrum in manus traderetur: tunc enim cœpit regiæ potestatis & pontificatus conjunctio, adeoque penes Pontificem summa erat potestas judicium congregandi con-

controversiam in medium proponendi, lites dirimendi, sententiam publicandi, leges præscribendi, quæ cum ea ætate absoluta esset, paullo post frangebatur insignori Synedrii magni auctoritate. Illius Princeps si esset Pontifex max. quod aliquando contingere poterat, summum etiam gessit imperium, ita tamen, ut Præsidi seu Procuratori Romano in certis casibus parere cogeretur. Si vero Princeps Synedrii non esset Pontifex, quod non raro accidebat, hic etiam ipsius judicio & sententiis subjacebat, ipsiusque edictis parere adstrictus erat. Erat quidem eo tempore sacrum quoque Consistorium, in quo soli Sacerdotes cum pontifice conveniebant, deliberantes de quibusdam minutioribus & communioribus ad templum pertinentibus, nec tamen concludere poterant quicquam, ne Sacerdotem quidem initiare ac ordinare, nisi Synedrium id approbasset & ratum habuisset, ut supra parte I. c. VI. prolixius dictum. Itaque maxima in ipsos Sacerdotes & pontificem assessoribus hujus Synedrij competiit potestas: hi enim, si Sacerdos esset constituendus sive summus sive vulgaris in conclave, in quo considebant, citabant illum, judicabantque & examinabant de ipsius natalibus, parentum nuptiis, ætate, corporis vitiis, animi vitæque erroribus, existimationis labe, legitima successione, & similibus controversiis. Pertinent huc illa Maimonidis: *Consessus magnus habet sedes in conclavi lapideo. Nobilior vero jurisdictionis eorum pars est quod sedent & judicant de genere sacerdotali, & disquirunt de natalibus Sacerdotum & de vitiis eorum. Sacerdos quicumque reperitur natalibus inquinatus, induit vestes nigras, quibus amictus egreditur ex atrio; quicumque vero reperitur perfectus & legitimus, induit vestes albas, quibus itidem amictus ingreditur, & sacro fungitur ministerio cum fratribus suis sacerdotibus*. Hactenus ille, tract. de Introitu tabernaculi, c. VI.

CAPUT X.

De Salario seu Reditibus Pontificis max. Sacerdotum & Levitarum.

NUllam sortem, more ceterarum tribuum, accepisse in terra promissionis tribum Levi, ex lege Mosis & libro Josuæ notissimum est. Ideo non solebat ea numerari inter XII. tribus, quia per has dispersa erat, nec propriam regionis partem aut singularem ditionem possidebat. Primo autem Levitæ in genere octo & quadraginta urbes cum agris suis ad pastum jumentorum acceperunt. Ex quibus tredecim in specie generi sacerdotali datæ sunt. Interim tamen, ut vitam cum familia sua sustentarent, pro sacro ministerio ex omnibus tribubus Israelis omnes decimas collegerunt sibi Levitæ, easque in usus suos servarunt. Ex his decimis collectis rursus decimam partem segregarunt, eamque in templo reposuerunt, unde Sacerdotibus deinceps distribuebatur in necessarios vitæ usus. Ne vero Levitæ, quorum immensus numerus, hac decimarum suarum decimatione Sacerdotibus facta egerent, & depauperarentur, præceptum erat Israelitis, ut postquam decimas pependissent Levitis, altera quoque vice decimas secundas frugum suarum, vini, armenti & gregis colligerent, easque in templo comederent, ita ut ad comessationem istam accedendi liber aditus pateret Levitis omnibus, quotquot eorum res angusta esset domi. Utque eo rectius iisdem consuleretur, nec quisquam ulla premeretur penuria, ulterius adstricti erant Israelitæ, tertio quoque anno præter duas istas ordinarias tertiam insuper decimam omnium rerum suarum colligere, & intra ædium suarum januas proponere, ad quam postea potestas erat Levitis accedere, & ad saturitatem comedere. Præterea ne idem Sacerdotibus obveniret, ne scil. acceptis decimis decimarum Leviticarum aliqua egestate domi suæ affligerentur, dabantur iis quoque primitiæ, quæ nec erant plus quam sexagesima fructuum pars, nec minus quam quadragesima, sed inter hos duos terminos eas quisque pro voluntate sua metiebatur. Vide de his Hieronymum, comment. ad Exech. XLV. Tom. V. p.

552.

552. Riberam de Templo, lib. III. c. II. p. 203. Pro decimis & primitiis istis adservandis ædificata erant in templo tria diversa horrea, quorum mentio fit I. Paral. XXVIII. 13. II. Paral. XXXI. 11. Nehem. X. 38. Malach. III. 10. Denique etiam de sacrificiis participabant Sacerdotes, & quamvis holocaustum totum esset Domini, cutem tamen de eo accipiebant, mincha vero erat Dei & Sacerdotum. Pacificorum sacrificium omnium fuit, i. e. DEI, Sacerdotis & offerentium. Ex hostiis autem, quæ fiebant pro peccato & delicto, nihil cedebat offerentibus, sed Domino offerebantur adipes, renes & jecur; reliquam carnem Sacerdotes comedebant. De reliquis sacrificiis in genere Sacerdoti offerenti dabatur, de pedibus armus dexter, de capite utraque maxilla cum inclusa lingua, de corpore stomachus.

CAPUT XI.

De conjugio Pontificis maximi & Sacerdotum.

INter sexcenta & tredecim præcepta ex lege Mosis excerpta, quæ totam Judæorum fidem complectuntur, quibusque servandis per salutem suam illi adstringuntur, primum locum obtinet id, quod agit de conjugio, quod violasse creditur ille, qui vigesimo ætatis anno nondum est uxoratus, facto initio termini a quo ab anno XVI. aut XVII. Intra quod spatium qui non iniret matrimonium, homicidæ similis existimabatur priscis Ebræorum; qua de re multa passim Rabbini. Videatur etiam Buxtorfius, lib. de Sponsalibus & Divortiis, p. 9. Hinc tritus ille Talmudicorum canon: *Qui fructum ex se non edit, adsimilatur effusori sanguinum, & qui habitat sine uxore, est sine bono, sine lege, sine benedictione, & sine pace. Qui sine uxore est, non reputandus est homo*. Vide amplius Munsterum, Comment. in Levit. c. XV. Cum igitur ad sacrum ministerium nemo admitteretur ante annum XX. plene exactum, uti supra audivimus, sequitur, quod nemo etiam, saltim illo tempore, quo memoratus canon inter Judæos fuit circumlatus, sacerdos creari potuerit, nisi uxoratus. Nunc quales licitæ fuerint uxores, aut rectius, quales prohibitæ, videamus. Primo, quæ nuptiæ, omnibus & singulis Israelitis erant interdictæ, eædem Sacerdotibus quoque haud conveniebant. Sic nemo Israelitarum sub excidii pœna ducere poterat matrem, novercam, sororem, filiam, neptem, amitam, materteram, nurum, aviam, uxorem patrui, idololatram. Aliæ autem specialiter Sacerdotibus tantum & Pontifici erant vetitæ lege sacra a DEO lata Levit. XXI. 7. *Scortum & vile prostibulum non ducent uxorem, nec eam, quæ repudiata est a marito*. Ita quidem vertit Vulgatus Latinus, ubi Romano-Catholici expositores disquirunt de differentia inter scortum & vile prostibulum. At in Ebræa veritate textus habet: *Scortum aut profanam non accipient*. Ita Onkelos: *meretricem & profanatam*. LXX. Interpretes: γυναῖκα πόρνην καὶ βεβηλωμένην. Per *scortum* autem, ex mente veterum Judæorum, intelligitur ea, quæ vim passa fuerat, neque alias marito suo prohibebatur, non autem, quæ fornicata erat sponte sub marito suo, hæc enim lapidanda erat. Per *profanam* significatur (1) ea, quæ nata est ex repudiata a Sacerdote, (2) quæ de tribu Levi non est, (3) quæ errore ab alio quam suo marito cognita est, (4) quæ prius in matrimonio vixit cum extraneo, qui non fuit de posteritate Israelis, (5) proselyta, (6) libertina, (7) serva. Singularum istarum copula quamvis Israelitis permitteretur, Sacerdotibus tamen sub pœna capitalis supplicii interdicebatur. Præter autem istas Pontifici max. ad matrimonium prohibebatur vidua: lege enim Mosis expresse præcipitur ducere virginem, sive uxorem, cujus virginitas adhuc sit incontaminata atque illibata. Ad hæc requirebatur, ut sponsa Pontificis nata esset ex Sacerdote alio, eaque unica & sola Pontifici concedebatur simul & semel: πολυγαμία vero aliis indulta ipsi negabatur, teste Gemara Babylonica in cod. Talmud. de fratriis, c. VI. fol. 59. col. 1. Adde Maimonidem, tractatu de Prohibitionibus introitus, c. VI. Quod enim II. Paralip. XXIV. 3. binarum Jojadæ Pontificis uxorum mentio fit, id intelligendum de altera post alterius sive mortem sive repudium ducta, aut de pluribus simul ductis, an-

antequam in pontificatum succederet: in quo casu Pontifex polygamus esse poterat, easque, quas ante pontificatum duxerat, retinere, sed tantum usque ad vesperam festi Expiationis, quo die unam duntaxat retinebat, ceteris repudii libello ejectis. Hæc de Sacerdotio Ebræorum & Sacerdotibus sacrisque personis proponere visum nobis fuit. Ubi ex Rabbinis, qui tam insignem materiam peculiari commentario pertractasset, unicum habuimus Jehuda ben Elai, cujus hac de re scriptum vulgo *Jus Sacerdotale* nuncupant Judæi; e Christianis vero neminem.



JONÆ



JONÆ KRUMBHOLTZ
SACERDOTIUM
EBRAICUM,

CAPUT I.
De Summo Sacerdote.

§. I.

DE Hebræorum sacerdotio tractaturus altius paulo *Sacerdotii originem* arcessam. Primis mundi nascentis temporibus quisque sibi sacerdos sacra DEO offerebat. Vid. Gen. IV., 3. 4. Deinde pater familias pro se & sua familia jus obeundi sacerdotii habuit; Gen. VIII, 20. & Job I., 5. ubi *Noemus Jobusque* pro se simul ac suis immolasse memorantur. Postea vero pro iis cœtibus, qui variis familiis constabant, immolari cœtus cujusque princeps publica DEO sacra faciebat, exemplo *Mosis* aram consecrantis sanguine, quo fœdus ictum fuerat, Exod. XXIV. 6. [*qui tamen illo facto summum sacerdotem non repræsentare voluit*, *sicut* Bartholdus Nihusius *existimat*] & *Melchisedeci*, Genes. XIV, 18. magni [& stylo hodierno] Serenissimi Principis. Item, *sanctissimorum Patriarcharum* ad unum omnium. Ex quo patescit sacerdotii cum Principatu conjunctio. Qui mos & in gentilis superstitionis tenebris relucet. Quo de vid. *Virgil. Æneid.* III. & X. de rege Anio, eodemque sacerdote Phœbi, & de Deum gente, & ad ea loca *Scholiastes*. At enim vero populo sancto ex Ægypto in deserta egresso sacerdotium a principatu divisum, ad *Aaronem* ejusque posteros jussu DEI translatum fuit. Horum propria erant munera, rem divinam facere & DEI nomine populo benedicere. *Deut.* XXI. 5. 2. *Paralip.* XXIII. 18. Porro penes eosdem erat rerum sacrarum æstimatio pariter & mundorum ac immundorum dijudicatio; Quamquam hæc non tam sacerdotibus qua sacerdotibus, quam Sacerdotibus qua juris divini peritis, competerent. Quin etiam alia erant, quæ competebant, communia illa, & nihilo secius aliis familiis, quam genti Aaronicæ con-

congrua & delata; Judicium de litibus ac legum divinarum interpretatio. Quorsum vid. *Guil. Outramus de sacrificiis*. Lib. I. Cap. IV.

§. II. Caput jam ac Princeps sacerdotalis ordinis *sacerdos summus* erat, cujus fastigium hæreditarium in humeros primogeniti descendebat; Idque in *gente Aaronis*, post latam divinitus legem. Namque ante promulgatam cujusque familiæ vel tribus primogenitus princeps sacerdotii evadebat. *Quam rem eleganter expedivit Jarchius in* 1. *Chron. XXIV.* Hinc *Hieronymus* in quæst. Hebr. inquit: *Tradunt Hebræi, primogenitos functos fuisse officio sacerdotum & habuisse vestimentum sacerdotale, quo induti DEO victimas offerebant, antequam Aaron in Sacerdotium eligeretur*. Quo voces *Jacobi* ex hac vita discessuri spectant ac referri merentur ex Gen. XLIX. 3. explicata *Chaldæo Paraphrastæ: Ruben tu es meus primogenitus & ad te pertinent tres portiones, jus primogenituræ, sacerdotii & regium*. Idem quoque patet ex *Gen*. XXVII. 15. 27. ubi *Esavo primogenito* tribuuntur vestes sacerdotales, quarum fragrantiam *Isaacus* sensit. Non omittendum censeo, quod legitur in *Bereschit Rabba* fol. 71. col. I. & *in Mischna*, tit. זבחים, c. 14. *Quænam erat causa cur Jacob pater noster primogenituræ jus ita discuperet? Quoniam traditur, ante tabernaculum constructum, altaria fuisse in usu, nec illicita; Atque ad ea sacerdotii munere fungi solitos primogenitos, Extructo vero tabernaculo, altaria* (illa) *illicita erant, & functio sacra ad sacerdotes spectabat*. Confer. de his *B. Calov. in Bibl. Illustr. ad Exod. XIX.* 22. *Varen. tractat. de primogen. Frischm. de primogen. Hebr. Selden. L. I. de Success. in Pontif. Ebr. c. I.* Inde cum auctore *Juchasin fol.* 15. *Simeon Justus Oniam* filium natu minorem pontificatui præficere niteretur, maximus *Shimei* obtinuit, illo in Ægyptum fugere coacto qui magnificentissimum templum ibi ædificavit. Cœterum quando jure nascendi tanta dignitas continebatur, sæpe factum est, ut merita non exæquarent dignitatem, argumento codicis *Jomæ*, Cap. I. §. 3. Ubi seniores quidam ante expiationis diem constituti memorantur, qui dicerent ei: *Domine sacerdos magne, tute lege ore tuo, forte oblitus es, aut forte non didicisti*. Nec ita post multo hæc narrat: *Si sapiens erat, exponebat; Si non, discipuli sapientum exponebant coram eo. Si legendi peritus erat, legebat; Si non, legebant coram eo*. Quo eodem vetus illud verbum spectat (ממזר תלמיד חכם חשוב מכהן גדול עם הארץ) *eruditus, licet notus, majoris est pretii, quam summus sacerdos ignarus*. Quo de *Mos. Maim. Thalm. Thorah Per.* 3. *Leidek de Republ. Hebr. Lib. X. c.* 1. *p.* 575.

§. III. Qui autem admovebatur summo pontificatui oportebat pubertatis annos attigisse, neque enim sacerdotio nedum pontificatu digni & idonei habebantur impuberes; Saltem ergo vigesimum oportebat expletum esse annum candidato summi in sacris officii. Hinc si impuber filius fuisset Pontificis, non habuit jus succedendi, sed ex proximis cognatis eligebatur, qui in Pontificatu surrogaretur, *Seldenus de Success. in pontif. l. II. c.* 4. Amplius & corporis habebatur ratio, quod ab omni labe purum esse debuit, Lev. XXI. 17. Ex corporis vitiis animi defectus augurati tum a sacerdotio tum pontificatu prohibebant, qui illis laboraret. Distinguebant vero inter vitia, quæ *simpliciter atque æternum* Sacerdoti maxime summo sacris aditum denegarunt, qualia erant *idololatria seu sponte seu per errorem patrata, in illicitis conjugiis demonstrata impietas, cædes proximi*; & inter illa, ob quæ sacerdoti sacra quidem facere non licebat, acta tamen pœnitentia, reditus ad honorem non intercludebatur. Leidek. de Republ. Hebr. Lib. X. Cap. I. p. 576. Desiderabantur alia quoque in summo sacerdote, sed jam constituto, scil. ut se ipsum honore justo & digno non fraudaret, seque non indigne in conspectu populi gereret, nudum forte præbendo vel in balneo vel alibi, neque sui copiam faceret, cum barba raderetur, neque convivium iniret, aut cum multitudine cœnam caperet. *Vid. Selden. lib. alleg.*

§. IV. *Inauguratio* sic erat. Constituebatur summus Sacerdos a Senatu LXXI. non autem nisi interdiu ungebant illum & quidem oleo unctionis Exod. XXX. descripto, quotidie in septimum usque diem; hique septem dies, dies impletionum vocati sunt. Quæ omnia eleganter describit *Maimon. in libro de vasis Sanct.*, c. 4. §. 12. seqq. conf. & *Henr. Ainsvvort. in Lev. IV.* 20.

§. V. Admirationis vero res plena est, cur ex omnibus liquoribus, qui & pretio & virtute oleo vel pares sunt vel antecedunt, *oleum* huic operi sancto destinatum sit? R. *Abarbaneli in Comment. sup.* 1. *Reg. I. p.* 195. ea videtur fuisse causa, quam ex vernacula reddere libet: *Cur non vinum adhiberi a DEO jussum super quod tamen benedictio recitaba-*

tabatur, *quodque vel ipsos Deos exhilarat*, *sed liquor quem olea gignit? Quia hic omnes liquores gloria & excellentia superat*, *quod* liber judicum *prodit*, *arbores eundo iviſſe ad ungendum ſibi regem*. *Ubi olea in principio quaſi collocatur*, *inquiens* : num deſeram pinguedinem meam, ob quam & dii & homines me colunt. *Tantus ergo oleo adhibitus eſt honor*, *ut proximis a Deo perſonis ſummiſque rerum præſidibus dignum cenſeretur*. *Huc reſpicit illud Pſaltæ Pſ. CXXXIII. 3. cujus filius eandem dignitatem commendat* : Oleum ſuper capite ſuo ne deficiat. Eccleſ. IX. 8. *Sicut ergo vaſa ſanctuarii aliis vaſis*, *Sacerdotes & Reges reliquo populo anteiverunt*, *ſic & oleum aliis liquoribus præſtantibus licet præſtantius eſt*. *Jam & oleum cariei expers duratione cæteros vincit liquores*, *quo duratio æterna regnorum*, *ſi in viis Domini ambularent*, *innuitur*. Hinc & ratio manare videtur, quod *Ethnicis* olea ſancta haberetur, quippe & *Minervæ dicata*, *& ſummus Deorum ea coronatus eſt*. Quid quod & ſtringi eandem & violari interdiceretur? Quæ Annalium conditores de *Spartanis & Athenienſibus* memoriæ prodiderunt, in propatulo ſunt. *Vid. Pierii Hierogl. p. 664. Plin. Lib. XV. c. 3. Urſini Arbor. Bibl. p. 186. 488.* 518.

§. VI. Accingemus nos jam ad declarandum iſtud, *cur aromatis miſtum ſit?* Scilicet, quia hæc fragrantiam bonæ famæ & operum dignorum ſubindicare videntur; juxta *Abarbanelem*. Ut igitur dignitas major accederet, aromatis uſum accedere oportuit, & ne vileſceret ejus prærogativa, tanquam igni & aqua interdictum eſt, profanis uſibus adhibere, ſimulque nullus imitari illud debuit ſine crimine. Hotting. J. Hebr. §. 107. 108.

§. VII. Scire vero libeat, cur *caput unctum Abarbanel. l. c.* nos docebit; caput princeps eſt omnium membrorum & vires hominis ex eo in univerſum diffunduntur corpus, ut quæ in cerebro reſident, ſenſuſque externi & interni ex eodem derivantur. Hinc gentiles caput inſigniter coluerunt, notum eſt *tegmen Boniti*, quod quidam ſapientiæ honor & ſignum fuit, & reges ideo capita diadematibus inde a principiis rerum cingere ſunt ſoliti, dicitque Propheta: *Imponant capiti ejus cidarim puram*, & ea ratio eſt, quod ibi lamina Exod. XXIIX. 36. *Sanctum Domino*, locata fuerit. Cum itaque caput de ſapientia & excellentia & perfectione hominis teſtetur, id ungi oportuit.

§. VIII. Modi vero ungendi notantur tres: *Infuſionis*, *unctionis & aſperſionis*. *Infuſio & unctio* tantum ſummis Pontificibus, *aſperſio*, accendente mixtura ſanguinis, reliquis etiam ſacerdotibus competebat. Lev. VIII. 30. Conf. R. *Abarb. l. c. Calov. in Bibl. illuſtr. ad Exod. XXIX. 7. Rivet. in Exod. c. XXIX. p.* 1154. *Bonfrer. in Annotat. ad Exod. cap. alleg.*

§. IX. Forma unctionis repræſentat Græcum X. Inter enim ſupercilia unctionem incipiebant & poſt in utramque partem diducebant; quanquam alii literam Caph. (vel cappa) κ formatam eſſe exiſtimant, utraque tamen iconen cruciculæ haud obſcure refert. *Figura ſeu modus unctionis ita plerumque deſcribitur*, inquit Seldenus de Succeſſ. in Pontif. Hebr. p. 513. *ut Andreanæ* (ut vocant) *crucis figuram olei ductu in fronte ejus ſeu inter oculos exprimi ſolitam eſſe*, *merito autumemus*. Refert quoque *Schickard. de J. R. Ebr. c. 1. Theor. IV. ex Maim. in libro de vaſis ſanct. & R. D. Kimchi*, quod character unctionis ſacerdotalis fuerit crucicula, quam inungebant inter ſupercilia Pontificis. Hinc & *R. Moſ. Mikotzi in Præcepto affirmat. 166. Tradunt Rabbini noſtri: Reges quomodo unguntur? In formam coronæ, aſt Sacerdotes? Primo ſuper caput iis oleum funditur, quod deinde inter ſupercilia poſitum digito in utramque partem ita deducitur, ut fiat figura X. conf. Barth. Mayerum P. I. Philol. ſacr. cap. 2. pag. 56.* Quare vero didictum ſit balſamum illud in capite ad figuram græcæ literæ X. & cur etiam bellici ſacerdotes hoc cum ſacerdote ſummo habuerint commune, Hebræi eruditi vix ac ne vix quidem explicare poſſunt. Ignorabant enim iſti aliquid myſterii intereſſe illi rei. Eam vero ob cauſam factum eſt quod etiam *Chriſtus in Sacerdotem ſummum* unctus erat, ac ſimul etiam in *Sacerdotem ad bellum*, ut militet pro nobis cum hoſtibus noſtris, *peccato*, *diabolo*, *morte*, *&c.* quod vel nomen ſuum græcum χριςὸς a χ incipiens repræſentavit; cujus crux inſtar Græci χ erat, quem etiam primæva eccleſia litera hac exprimebat. Qua forma *Conſtantino primo imperatorum Chriſtianorum* apparuerit in cœlo ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus memoriæ proditum nulli non liquet. *Euſeb. Ll. de Conſtant. c. 22. & Sozomen. L. V. c. 22.* Hæcque ratio, cur diductum, ut denotaret ſanctam Chriſti crucem, in qua ipſe pro nobis, ut qui ſummus noſter ſacerdos eſt, oblatus, ac

ac de inimicis nostris debellatis primum crucis signo triumphavit. Vel ideo oleum ad formam literæ græcæ χ diductum, ut significaret qua lingua *Nov. Testamentum* a Spiritu Sancto proditurum sit. Augurari quoque liceat ex Lev. XXI. 12. Pontificibus etiam, prisquam Reges haberent, formam coronæ fuisse inunctam, quo ipso iterum *Christi Regis*, *coronam regiam* vel *spineam vel cœlestem*, qua in regnum suum inauguratus, præfiguraverint.

§. X. Postea vero quam in templo secundo defecit oleum, æque diuturna successit inauguratio per vestimenta. Nam inter alia, quibus a Salomone extructa domus alteram superabat, recensetur quoque sanctum unctionis oleum, quod tempore, quo hæc stetit, amplius non possederunt. Quæ vero causa, cur defecerit unctio? quia aliud oleum præter id, quod fieri jussum, parari interdicebatur, nec ex oleo isto sacro quidquam fuit residui in templo secundo. An vero vel *Josias Rex* vel *Jeremias vates* absconderit, aut una cum arca & templo a Chaldæis combustum anceps est quæstio, optimum tamen erit, quando cum *B. D. Carpz. in Qu. Sacra, quorsum arca fœderis pervenerit?* §. XIV. p. 31. dicamus, Arcam cum Propitiatorio & contentis suis, virgam puta Aaronis, legis tabulas, atque Urnam mannæ, item, quæ penes eam collocata erant, Lecytho olei unctionis & libris scripturæ canonicis, combustam esse: *vid. Talm. Babyl. Mass. Joma. c. 1. in fine c. 5. §. 2. Talm. Hieros. Schekalim c. 2. Kimchi, Jarchi ad Hag. 1. & 2. Schikard. l. c. Theor. 2. p. 15. seqq. cum annot. B. D. Carpzov. Buxtorf. Lex. Rabb. p. 2397. Drus. L. 15. Observ. c. 16. Cunæus de R. Hebr. L. I. c. 14. p. 123. L. II. c. 2. p. 177.* Neque vero tantum oleum, sed præter hoc quinque res sacras defuisse in templo secundo, & recitantur in *Gemar. Hieros. ad tit.* מכות c. 2. fol. 32. col. 1. *Quinque hæ res defuerunt in templo secundo, quas primum possedit: ignis* (sc. de cœlo lapsus & sacrificia comburens) *arca, Urim & Tummim, oleum unctionis & Spiritus Sanctus*, qui in primo templo cum Prophetis sæpissime loquebatur. Testatur id quoque *R. Abarb. Comment. in Daniel.* c. IX. v. 24. fol. 64. Qua propter *R. Samuel* dixit: *Templum posterius quinque rebus fuit inferius priori*. Scriptum enim est Hag. I. 8. *Ascendite ad montem & adducite lignum &c.* usque ad vocem ואכבדה ast exstat ואכבד sine ה? Resp. *Hoc denotata fuere quinque illa quæ in sanctuario secundo non fuerunt*. Litera ה vero uti notum est, potestate numerica valet quinque. Quod & *Masora* notat, quando ait: *Verbum* ואכבדה *bis invenitur in Scriptura, semel plene scriptum*, Exod. XIV. 4. & *semel defective*. Hag. I. 8. sine ה. Unde si Pontifex aliquis esset creandus, id solo vestium indutu fiebat, tot vicibus iterando, quot ipsa unctio. Hinc R. Abraham שלטי הגברים c. 93. dixit. *Pontificem, qui caput sit omnium sacerdotum, ungunt, vestibusque induunt papalibus. Sin autem nullum adfuerit oleum, prout a tempore Josiæ Regis, quo arcam reconderunt, & ulterius diximus factum, vestibus, quas præter Pontificem induere nemini licet, eum inaugurant. Illa itaque octo vestimenta induit, iisque exutis secundo die post corpus denuo tegit, quod integros septem continuat dies*. Et Maim. de Appar. Templ. cap. 4. *Induit octo vestes easque exuit. Quod similiter facit per septem dies continuos, qui determinantur Exod. XXIX. 30. Lev. VIII. 33.*

§. XI. Cæterum de numero vestium in innumeras fere sententias distrahuntur auctores, alii enim *octo*, alii, quos interest R. *Salomon*, *novem*, alii *decem*, cui pollicem premunt *Tostatus*, *Lyranus*, quorum dux *Josephus l. III. Antiq. c. 15.* censetur, quam litem non faciemus nostram, sed secundum vulgarem mentem Hebræorum intra numerum VIII. nos continebimus, & in tria genera partiemur. Primi generis vestes erant quatuor, nempe 1. *Femoralia*, quæ a braccis nostris non abhorrebant, sed expertes erant scissuræ. Materia erat bissus purissima & usque ad genua pertingebant, velabantque femora & verenda sacerdotis. *Josephus* ait lib. III. c. 8. illa circum ilia fuisse constricta. *Kimchius* cira axillas. In scripturis autem Exod. XXVIII. 42. XXXIX. 8. extat, ea corpus texisse a lumbis usque ad genua, & debuisse fieri ex filis duplicatis vel in se mutuo contortis. *Hotting J. Hebr.* §. XCIX. *l. II. 1.* (2.) *Tunica* erat lineum totius corporis velamen, nodis substricta, uti *Phrygum* erat, seu indusia *Ismaelitarum*, arcta, ut corpori adhæreret sine ruga, verius ocellata & quasi tessellata. De quibus ocellis scribit *R. S. Jarchi*. *Occellationes istæ sunt quasi foveæ quædam ornamentis aureis incisæ, quibus infixæ gemmæ, ac margaritæ*. Inconsutilis vero e bysso itidem purissima, eaque candidissima a summo ad imum texta fuit, qualis erat Christi ut traditur Joh. XIX. 23. (3) *Tiara*, *mitra*, *galerus vel in-*

infula, in veteri enim fœdere piaculum fuit, si sacerdotes sacra nudis capitibus peragerent, ergo decus capitis sacerdotalis hæc fuit tiara. De cœtero purissimum linum huic sacro galero adhibitum fuit, differebatque non materia sed forma a pileis, quibus e vulgo Sacerdotes assueti erant. Longitudine utrique æquabant XVI. cubitos, & tanquam fasciæ multis vicibus circumibant capita, in occipitio constricti ut tiaræ Turcicæ. *Maimonidis tract. de apparatu Templi lib. II.* §. 19. *autoritate* fasciæ Pontificis caput ita ambiebant, sic, ut membra concussa seu fracta obvolvi solent; Sacerdotum vero pilei galearum speciem gessisse. *Conf. Hotting. l. c.* §. *XCIX. Braun. de vest. Sacr. libr. II.* 21. (4) *Cingulum seu baltheus* constringebat sacerdotum vestes, ut sine remora & impedimento conficerent, quæ conficienda erant. Produnt vero rerum Hebraicarum monumenta duorum generum cingula, unum quod ceu aliorum, ita Magni Sacerdotis vestimenta colligaret, alterum quod stolam pontificalem contineret, singularique ornamento pontificali stolæ esset; Materia ex bysso retorta, cujus fila erant duplicia & bis torta, hyacintho, purpura & cocco dibapho confecta, acu more Phrygum pingebatur, i. e. gemmis ac floribus aureis intertextis. Latitudine quatuor digitorum & cavitate, ut serpentum exuviæ, vel marsupium prolixius conspicuum. Amplius latitudinem Ebræorum trinis digitis, longitudinem vero XXXII. ulnis metiendam esse nonnulli contendunt. Quam vero partem corporis ambiebat? Pectus, *auctore Josepho lib. III. Antiquit. cap.* 8. Exemplo ipsius servatoris, qui se ita cinctus *Johanni* in conspectum dedit, ut & *Angelorum* Apoc. I. 30. XV. *6. Vid Braun. l. c. lib. II. cap.* 3. *Leidek. de Rep. Hebr. lib. X. c.* 2. *p.* 582.

§. XII. Præterea *vestes* quoque *aureæ* erant, i. e. aureis annulis gemmisque auro inclusis decoratæ, non enim prorsus aurum intertextum erat. In his fuit *pallium hyacinthinum*, multa laxitate amplum, inconsutile, in summo tamen os seu foramen erat, capiti sacerdotis pervium, ambiebant LXXII. alii XII. *Tintinnabula aurea*, Scriptura numerum non definit nec magnitudinem. A vero tamen alienum non est, eum sonum edidisse ut longinque audiretur, nec incredibile, habuisse malleolos, quibus percussa vehementius sonabant, hisque alternis vicibus immixta erant *mala punica*, non quod revera essent, sed quod instar malorum punicorum, ex hyacintho, purpura, & cocco bis tincto, quibus & admixta fila aurea, confecta essent, juxta computationem *Auctoris*, טורים, *Hieron. & aliorum. Pallio* socium erat *Ephod*, seu *amiculum superhumerale*. Duplex vero sacer prodit codex, *lineum*, quod sacerdotes etiam inferiorum ordinum gestabant & ipsi Levitæ ac alii, nec non *aureum*, quod summus sacerdos gestare cousueverat. Quod fuit formæ quadratæ, sine manicis, duobus loris latitudinem humerorum exæquantibus in scapulis hærens & una sui parte pectus, altera tergum Pontificis usque ad cincturam tegens, utrinque ligaculis suis constrictum, addito cingulo, ne diffluerет. *Pectorale* a pectore, quod tegebat, alii *Rationale* appellitant, propterea quod cordis rationisque sedem, h. e. ipsum pectus cingeret. Vel ut alii graviori ratione afferunt, quod Deus illo summa ratione loqueretur, plura videsis apud *Leidek* l. c. p. 585. Quodque *Urim & Thummim*, quæ a sacerdote summa & exacta ratione consideranda erant, contineat. *Hieronymus* λόγιον vocat, quod cum per illud responsa divina ederentur, non irrationalis res videretur, sed ratione maxime subnixa. *Luth.* externam speciem respiciens Schildlein vertit. *Jun. & Trem. sacrum pectorale juris* vertunt, quia id induebat summus Sacerdos, consulentibus DEUM, de jure responsurus, quo etiam *Rabbinorum* abeut explicationes. Unde *Auctor Michal Jophi* ait: *Vocarunt ita pectorale judici, eo, quod in eo erat Urim & Thummim; quæ interrogantes jus, quod homini conveniat, docebant*. Ex qua vero materia parabatur hoc pectorale? ex eadem qua Ephod, scilicet auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto & bysso retorta. Forma erat quadrangularis, ex duplici plagula ac quasi lamella, quarum altera basin, altera scil. superior duodecim gemmas, circulis aureis inclusas, continebat, non absimilis crumenæ. Gemmæ duodecim repræsentabant tribus ejusdem numeri. *Vid. Lud. de Dieu Animad. ad Exod.* XXIIX. XXIX. p. *61.* seqq. Unde didicit *Pontifex*, quam caræ sibi esse debebant tribus illæ, quarum nomina pectori cordive suo, DEI jussu applicata erant. Sed Deus etiam superhumerali, & Ephodo tribuum nomina insculpi voluit, ut quorum ipse curam maximam in se susceperat, eorum nomina in sanctuario quasi oculis suis observarentur, idque ut docent sacræ literæ: לזכרון *re*-

cor-

cordationis ergo, Ex. XXIIX. 12. 29. Quatuor extremitatibus juncti erant quatuor annuli vel circuli aurei. Pectorali huic inserta sunt *Urim & Thummim*, quæ explicant alii *doctrinam & veritatem*, alii *ignes seu illuminationes & perfectiones & dilucidationes ac certitudines*, *lucidum & perfectum*, Luth. Licht und Recht. Multi vim harum vocum inexplicabilem rati, retinuere hebraicas voces, ut *Tavusius*, *Metaphrastes Persicus*, *Piscator & alii plurimi*. Quid vero proprie illa fuerint, scriptura nobis manifeste non explicat, hic tot sensus, quot capita. Succincte referemus tres potissimum fuisse hac de re opiniones. Aliqui enim Sceptici quasi & Pyrrhonii fuerunt, & nihil certi adstruxerunt, ex Ebreis *R. Kimchi in Lib. Schorasch & R. S. Aben Melech in Michal Jophi fol. 23. col. 3. Ex Christianis B. D. Dorschæus in Disput. de verit. propb.* §. 13. *p.* 11. *Buxtorff. in Hist. Ur. & Thum. Exercit.* 3. Aliqui *Urim & Thummim* diversum quid a duodecim gemmis interpretabantur & ex *Rabbinis* atque *Cabbalistis* quidam statuunt, *Urim & Thummim* fuisse scripturam vel sculpturam nominis τετραγραμμάτȣ, adjuncta exegesi nominis ejus per alios nominis divini characteres, quam vel immediate Deus sculpserit aut scripserit, vel Moses ex revelatione DEI adornaverit. Citat pro hac sententia *Buxtorff. l. alleg.* p. 280. *Librum Zoar. in Exod. f.* 105. *col.* 4. *Jonathan Paraphrasin. Exod. XXIIX.* 30. *R. Salomon. R. Bechai. &c.* Licet *Ar. Montan.* χειροποιητόν neget, rationes videantur in *libro Apparat Bibl. tit. Aaron. p.* 4. His associabimus illos, qui affirmant Urim & Thummim fuisse duodecim gemmas, quibus inscripra fuerint duodecim Patriarcharum nomina. Merito subtexendum, *cui fini*, *cui bono* tam sanctum κειμήλιον fuerit paratum? Tessera scilicet fuit in rebus abstrusis iisque ponderosis & ad publicum egregium pertinentibus, qua omnium rerum Arbitrum & Moderatorem consulebat populus consilii inops, qui etiam summo sacerdote interprete adyta animi aperiebat. Ab his tamen aberant ea, quæ ad æternam spectabant salutem, nec non, quæ privatæ rei nomine veniebant. Exempla vid. Num. XXVII. 21. 1. Sam. XXIIX. 6. XXX. 7. Esdr. II. 63. *Modus*, quo responsa dabantur relinquitur inter occulta. Vid. *Gerhardi judicium in Exeg. LL. Theol. c. 2. conf. & Calov. ad loc. Exod in Bibl. Illust. p.* 444. *Buxt. l. c. cap. IV. pag.* 308. Quidam tamen eundem prodere satagunt, quod vel prominentes eæque clare lucentes literæ filiorum Israel, vel illuminatio prophetica mentis sacerdotalis, seu extraordinarje edita vox apparuerit, quasi ex ore DEI in sancto adyto resonans. *Vogelzang. Exercitat. Theol. II.* Leviter attingimus, etiam in secundo fuisse templo *Urim & Thummim*, quod conficiunt ex Esra. II. 63. Neh. VII. 65. sed non juxta *formale* suum, non enim oracula sunt edita; contrarium tamen credidit Joseph. in Antiq. lib. III. cap. 9. *Et R. Asarias*, qui ait, aliquo tempore cum Prophetis *Urim & Thummim* sub templo secundo oracula dedisse. *Vid. Leid. de R. Hebr. Lib.* X. cap. 2. pag. 585. *Quenst Antiq.* pag. 47. *Lamina* ex auro super fronte Pontificis fulgebat instar arcus seu semicirculi, & duobus digitis lata frontem usque ad aures cingebat, maximum addens decus, juxta *R. Salomon. ad Exod.* XXXIX. 30. cui inscriptum: קדש ליהוה, *sanctitas Domini*, non tantum quod sacerdos M. Sanctus esset, & esse deberet, sed quod typus Christi foret, qui vere est *sanctitas Jehovæ*, gessitque nostra peccata, ut expiaret, & nobis fieret justitia atque sanctitas. *Dan.* IX. 24. 1. *Cor.* I. 30.

§. XIII. *Tertium genus vestimentorum* correspondebat primo, tam quoad formam quam numerum, sed non materiam, fuit enim linum vulgare, purum tamen non aureum, ceu Scriptum Lev. XVI. 4. Hinc *Maimon. de Appar. Templ. cap. VIII. ex tract. Talm. qui Massechta Joma* vocatur: *Vestes laban i. e. albæ fuere indumenta quatuor, quibus indutus Pontifex sacra faciebat, die jejunii: Nimirum tunica, braccæ, cingulum & infula.* Cum quo conveniunt *Vajickra Rabba, Parascha* 21. *Jalkuth in Pentat. numer.* 571. *Ben. Gerson, in Parascha acharemoth. Mischna in Joma c.* 3. Verum non communes erant sed propriæ summo Pontifici. Attamen semel tantum in anno, festo scil. expiationum, quo sanctum sanctorum ingrediebatur, eas gestare debebat, simulque per totam vitam non amplius utebatur, sed annuatim novas induebat. Juxta *Kotzens part. II. in Asod. Jom. Hac. fol.* 222. *c.* 3. *fin.*

§. XIV. Vestibus explicatis ad ritum vestiendi enucleandum nos accingemus. Inaugurandum igitur pontificem duxere primo ad januam tabernaculi comitante universo populo, post aqua ex labro scil. hausta lavabant. *Exod. XXX.* 18. Hinc induebant femoralibus, tunica linea, baltheo seu cingulo, quod umbilicum & pectus distinguebat. Postea tunica hyacinthina superinjiciebatur

tur, cui incumbebat Ephod, cujus anterior pars ad pectus Pontificis sustinebat Rationale judicii, denique caput amiciebatur cidari, quæ præ se ferebat laminam auream. In quæ commentatur *Schikard l. c. passim*, *imprimis pag. 17. seqq. cum Annotat. B. D. Carpz. Pfeif. in Dub. vex. p. 293. Varen. Decad. Exod. pag. 412. Frischm. in Disp. de Pontif. Ebr. vest. Buxt. in Exercit. de Arca Fœder. cap. 5. pag. 75. Drusius in Loc. diff. C. LI. LII. Job. Braun. lib. II. de vestitu Sacerd. Hebr. Ainsvvorth. in Exod. pag. 112. seqq.*

§. XV. Ita splendidissima vestis splendidissimo conveniebat muneri, cui impositus per universum vitæ tempus eo fungebatur, nunquam exauctorandus. Quamvis vel pecunia, vel gratia, vel potentia post everteretur privilegium, quod lege alioqui se tuebatur, firmumque & inconcussum per longa secula steterat. *Cunæus lib. II. de Republ. Hebr. cap. 1. par. 66.* ait: *Sed Herodes, cum pauca ex honesto & bono, pleræque tamen contra leges & mores majorum gereret, creare pontifices, amovereque, uti erat libitum, instituit. Ac tandem electio summi sacerdotis concessa Agrippæ Herodi Chalcidensium regi a Claudio est; Idque jus retentum successoribus ejus fuit, usque ad extrema belli Judaici.* Hæc vero omnia demonstrabant sacerdotium una cum lege Ceremoniali tum tetendisse ad ἀφανισμὸν. Audi querulos apud *Judæos* jam olim *Thalmudicos: In primo templo summi Sacerdotes ministrabant, filio semper patri succedente, sed in secundo templo constituebant Sacerdotem S. pro pecunia; & quidem dicunt, eos se invicem interemisse veneficiis, &c. Talm. Hierof. Jom. cap. 1. Historia est de quodam, qui misit per filium suum* duos modios *argenti ad emendum Pontificatum, atque modii ipsi erant argentei. Erat etiam alius, qui misit per filium* duos modios *auri, atque ipsi modii erant aurei.*

§. XV. Privilegia Pontificis circumscripta erant; In quibusdam nihil a populo distinguebatur. Poterat esse testis, poterat adversus eum perhiberi testimonium; Poterat esse judex, simul ac judicio subjici; commisso peccato, flagris digno, flagellatus a magno Synedrio, dignitati postea restitutus, licet & ipsa cæsione nihil honori derogatum vellent, nempe erant castigationes humanæ infirmitatis, qua quis facile in peccatum, sic coercendum & corrigendum, incidere poterat. Neque res adeo demiranda, cum summa rerum capita Reges verberibus aliquando coercerentur. *Juxta Maim. de Syned. c. XVII.* Cœterum nihil fere causæ fuit *Seldeno de Syned. l. II. c. 9. & Grotio de jure belli & pac.* l. 1. c. 3. p. *64.* tam secure Magistris credendi, quia res fabula propius abest, quam historia, quod Rex sponte verbera, pœnitentiæ loco, susceperit, & ipse lictorem, a quo cæderetur, legerit, cædendique modum suomet nutu statuerit. Cæsos fuisse Reges facilius dicatur, quam justis argumentis asseratur, fastus Judæorum libertate gloriantium hujus mendacii auctor est. *Hoc de vid. B. D. Carpzov. ad Schikhard. de J. R. H.* Porro exuebat calceos renuens suscitare semen fratri, quantumvis ab ea re lege immunis, vetante summum sacerdotem ducere viduam, nam Lev. XXI. 13. 14. edicitur Pontifici Maximo, ut virginem duntaxat in matrimonium petat. Quare etiam *Philo Monarch. Lib.* II. p. 825. removet a Pontifice vel desponsatam, licet in mariti thalamum non transivisset, quod hic magis animi inviolata castitas, quam corporis spectetur. *Adde & Joseph. Antiqu. l. III. c.* 10. Quod profecto non sine mysterio est, typus Christi fuit, ecclesiam virginem sibi desponsantis, 2. Cor. XI. 2. Cant. VI. 8. *in Talmud. in Massechta Joma c.* 1. traditur, nefas Pontifici fuisse uxores duas simul in matrimonio habere; Quod si haberet, utique cum altera faciundum illi divortium fuisse ante diem X. mensis Tisri. Ni id fecisset, obire eum sanctum sanctorum solenni illo die in templi adytis nequivisse. Plerisque tamen in rebus cum sacerdotibus reliquis, tum populo antecellebat. Illis, quod omnibus esset præpositus, quod inungeretur, quod splendidissimo vestis genere indueretur, quod die expiationis peculiare obiret ministerium, & quæ alia erant propria Pontificis officia & privilegia honore pontificali digna quæ accuratius exponit *Outramus* l. c. pag. 48. Neque hic prætermittendum videtur, quod ex *Tanchuma* recenset *Jalkuth.* pag. 179. col. 4. *Sed cur vocatur Sacerdos summus?* Quoniam *quinque dotibus* eminuit, *pulchritudine, robore, divitiis, sapientia, & ætate. Pulchritudine*, fratres enim suos forma superavit; *Robore*, accede & vide! *Aaron, viginti, & duos mille Levitas* uno die manibus elevavit, ast quomodo? in manu locatos protrusit & retraxit, elevavit & dimisit; *Divitiis*, si fratribus suis non fuerit opulentior, sacerdotes eum reddiderunt ditiorem. Accidit *Pinebæ Hastat*, quem constituerant sacerdotem summum, ut cum fratres

tres ejus sacerdotes egressi eum offenderent lapides scindentem, illud non permitterent, sed foveam denariis aureis replerent. Unde autem constat, si sacerdoti summo res angusta fuerit domi, fratres ejus egestatem sublevasse? ex illo: *Sacerdos magnus ex fratribus suis*, Lev. XXI. 10. Multæ insuper in rebus etiam quibusdam civilibus erant prærogativæ, ut quod non liceret suorum prosequi funera, vel in luctu caput nudare vel tondere, vel ad cadaver accedere, ne quidem si patris vel matris foret, imo quod eo casu excedere sanctuario non potuerit, vel lacerare vestes propter mortuum, nec in animi dolore fas fuerit. Quod tamen *Maimonides Tract. de Luctu cap. VIII. IX.* ad lacerationis modum restringit, ut Pontifici disrumpere vestem quidem, sed infra tantum circa pedes licuerit; supra vero & ad sinum pectoris, vetitum sit. At cæteris sacerdotibus jus esse lacerandi a summa parte deorsum ait: *De quibus & superioribus adi Celebrr. Anglum Joh. Ligthfoot. Opp. Vol. I. Tract. IIX. c. 2. Cum quo omnino confer. Outram. l. c. & Cun. de Rep. Ebr. l. II. c. 3. p. 179.* Alii simpliciter non licuisse lacerare vestes asserunt pontificales sed tantum privatas, rationem allegant, quod omnibus seculi rebus sensus avertere, virtutisque exemplum esse debuerit, temperantiæ, fortitudinis, prudentiæ &c. *Conf. Lev. X. 6. XXI. 10. Hotting. Jus Hebr.* §. 156. Cum autem ad Christi confessionem *Caiphas* vestes per impatientiam descideret, ajunt nonnulli, id factum contra legem. Sed *Selden. de J. Nat. & Gent. l. II. c.* 12. refert, Talmudicos prohibitionem lacerationis restringere ad vestes sacerdotales (scil. lacerandæ non erant istæ reverentiæ & honoris causa; si quis faceret, vapulabat ille) atque adeo juxta illos alia vestimenta, seu vulgares amictus, qui gerebantur extra sacra ministeria, Pontifices vel sacerdotes lacerare potuisse. Certe eo tempore *Caiphas* extra sanctuarium & noctu suis in ædibus veste pontificali indutus non erat.

§. XVI. Ne vero circa exteriora tantum hæreamus, interiora etiam inspiciamus & officia summi Sacerdotis pensitemus; videlicet annuatim gentem Hebræam expiari oportebat, die ad expiationem singulariter destinato decimo mensis Tisris, qui nobis september est, sanctum sanctorum ingrediebatur. Quo tempore festum hoc instabat, septem continuos dies custoditum eum publice magna cura fuisse, nequa res fortuita eum contaminaret, prohiberetque solenni sacro. *Maim. c. 1. Abbod. jom. Haccip.* Unde etiam teste *P. Fagio not. ad* פרקי אבות c. 5. p. 69. in Ebræornm scriptis legitur, *in Profesto Expiationis* per totam noctem apud eum vigilabant sapientes, qui disputabant, ac conferebant cum eo de sacrificiis & aliis rebus sacris ab eo peragendis, quo in ipso die eo expeditior foret, & nusquam erraret. Nec non & sacerdotes juniores adstabant illi, talitris, ne somnus ei obreperet, atque inde nocturnus casus accideret, excitantes. Cujus officia membratim percensebimus: In limine quasi aditus thus adolendum ipsi erat, Sadducæi enim priusquam subibant, prunis thus imposuere; Inde apud *Maim.* l. c. legati a senatu missi juramentum quotannis solenni more a Pontifice exigebant, pridie quam peragendum piaculare sacrum erat. Id adeo fieri ex hac causa consuevit, quod sub templo secundo caput extulisset hæreticus quidam, a quo propagata Sadducæorum secta est. Is thus, quo suffumigandum adytum erat, imponi prunis primum, ac mox inferri in adytum voluit, quum Judæis per manus traditum jam inde a Mosis tempore esset, accendi demum id in ipsis aditis oportere; Idque profecto legis sententia etiam arguit in Lev. XVI. 12. 13. Sed novatorem illum ea verba movebant, quæ extant in ejusdem capitis initio, versu 2. *in nube apparebo super propitiatorium*. Quæ certo adeo nullum præsidium ad ipsius sententiam adferunt, ut plane id stabiliant, quod in v. 12. & 13. expressum esse diximus. Et tamen nihilominus quotidie crescebat tam improbabilis opinio, lateque animos hominum pervaserat. Quare, cum metus ingens esset, ne in illum errorem sese pontifex quoque traderet, institutum fuit, ut pridie decimum diem Tisri solenniter eum legati jure jurando obstringerent, quod fidem in hac & in cæteris rebus præstiturus sit; formula autem, qua Pontificem ad juramentum obstringebant, *juxta Maim.* l. c. hæc erat: *Nos te jurare jubemus per eum, cujus nomen in hac æde habitat, ne quid immutes eorum, quæ dixerimus tibi*. Ingressus secundi actus erat delatio sanguinis juvenci pro peccato ipsius Pontificis. Cum autem sanguis juvenci *super* & *coram* propitiatorio spargendus jubetur, tunc primum indicat, quod semel super, alterum vero, quod septies infra propitiatorium iste sanguis solo digito spargeretur. Non autem illæ aspersiones contingebant propitiatorium, sed in aere fiebant, ut

Pon-

Pontifex ad palmi latitudinem recederet. *Maim. l. c. c. 3. §. 5. Raschio in Lev. c. 17. Outram. loc. alleg. cap. 16.* Cui successit delatio sanguinis hirci pro admissis populi, neque discrepant ritus hujus actus a ritibus qui observabantur in aspergendo juvenci sanguine. Remittebantur vero peccata non solum per sanguines in sanctum sanctorum deportatos, sed & per abactionem hirci emissarii in desertum, cui peccata imponebantur. An vero omnia? omnino. Pontifex enim summus cum confiteretur peccata ante jugulationem juvenci sui, & cum peccata hirco in desertum abigendo imponeret, his tribus utebatur verbis, omnia peccata denotantibus, nempe *avon*, *chet & pescha*; quæ *Maimon.* explicata sunt *in joma*, c. IV. §. 2. *avon* enim comprehendit peccata scienter & violenter patrata; *Chet* peccata ignorantiæ; *Pescha* peccata enormia & quidem scienter commissa, ut DEI abnegationem, rebellionem &c. *Conf. Abarb. in proph. poster. fol. 5. col. 2.* Colophonem ingressus in intimum adytum pensiculabimur, ablationem thuribuli cum acerra ex illo, nam thuribulum non continuo asservabatur ibidem, sed in conclavi vasorum sanctorum receptaculo. *Bartenor. in Misch. joma c. V. Maim. in Abbod. jom. Hac. c.* IV. Quatuor istæ ingressus vices non adversantur Ebr. IX. 7. Ubi semel modo adytum petiisse per annum affirmatur, quod & Hebræi non negant, *Maimon. in Beth. Habbechira. c.* VII. §. 22. Et ita conciliant, ut quaterni actus iterati pro uno habeantur, uno enim die, uno ac eodem ministerio fiebat ingressus; Pari ratione etiam altare suffitus septies sanguine aspergebatur & tamen Exod. XXX. semel expiari in anno asseritur; ergo differentia valebit: Semel in anno, & semel in die. *vid. Excellentissimi Dn. Dassovii Disp. de ingressu in S. Sanct. Pontif. Hebr. Summi.*

§. XVII. Ad successionem denique quod attinet, Aaroni usque ad ædificationem templi primi successerunt Pontifices XII. Inde usque ad captivitatem fuerunt XI. Post captivitatem durante templo secundo sedisse dicuntur LIII. Licet enim plures his sacerdotes summi fuerint, tamen propter sequta bella fatalia, perturbato reipublicæ sacræ civilisque ordine, turbata est successio & conculcata tanta muneris dignitas, ut nihil certi amplius ea de re dici posse, aut confusum plenissimumque tricarum & dubitationis opus suscipiendum videatur *Vide sis iterum pluribus de hoc argumento tractantem Ligthfoot l. c.*

§. XIIX. De honore addo, proximum summo sacerdoti fuisse a Rege honorem. *Philo Lib. III. de vita Mosis* Pontificem summum ubi sacra facit, Regibus omnibus majorem celebrat. Nunquam enim salutandi causa accedebat ad Regem, id quod infra dignitatem Pontificis videbatur, sed non nisi accitus consulendi causa. Tunc autem Rex assurgere illi debebat, invitatus deinceps a Pontifice ad sedendum. Quod si autem Rex *Urim & Thummim* consuleret, perpetuo adstabat summo sacerdoti. Illa autem consultatio ita peragebatur. Sacerdos summus pectorali indutus intrabat templum stricte dictum seu eum locum ubi lampades sacræ incensæ & panes facierum mensæ appositi erant; Ibidem adstabat Sacerdos summus faciemque advertebat versus sanctum sanctorum, Rex autem consulens Urim & Thummim faciem suam sacerdotis cervici obvertebat, tum Rex alloquebatur sacerdotem summum, seu potius consulebat *Urim & Thummim* & quærebat ex illo, an hoc vel illud facere sibi liceat? an bellum his populis inferre &c. Cui Sacerdos summus pectorali, cui *Urim & Thummim* intererat, indutus, respondebat, ex instinctu Spiritus prophetici, quem divinitus acceperat, & quidem paucis, hoc modo: *Facies* vel *conveniet* seu, *non facies*, *non convenit*. Vid. hæc prolixe apud *Bartenor. in Misn. Jom. c. VII. n.* 15. *Maimon. de regibus c. II. n. 5. seqq.* Cujus tantus præterea honor erat, ut, cum cæteri Synedriales omnes coram Rege usque ad terram se incurvaverint more orientis, ipse haudquaquam. *Maimon. in Halacha Melachim. c. II. num. 5. & Bartenor. in Mischna Joma. c. VII. n.* 15. Hoc quoque dignitatis & honoris erat, quod quis homicidii reus ex urbe, quo fugisset, redire ad sua non poterat, nisi post mortem S. Sacerdotis. Num. XXXV. Nempe disciplinæ id fuit in detestationem fusi sanguinis humani, & sanctitatis Sacerdotis M. argumentum, quod homicidii qualicunque modo reus, coram eo comparere non potuerit, vel pedem inferre Hierosolymis, ubi ipse sacris publicis præerat. Ajunt Judæi hanc causam fuisse, cur Deus noluerit homicidam eo loco agere, ubi Sacerdos summus vivebat, *quod homicida abscindat dies hominis, sacerdos vero magnus prolonget; non ergo æquum esse, ut ille, qui dies decurtat, vivat coram eo, qui prolongat.* *Iterum homicida contaminat* ter-

terram & removet divinam majestatem, at summus sacerdos illam mundat, & ratio est, cur Majestas Dei in terra remaneat. Igitur haud æquum, ut unus cum altero versetur. Ait vero Maimon. ad Num. XXXV. hanc legis causam fuisse quod mors viri charissimi, qualis erat Sacerdos summus tanto luctui esset, ut vindex sanguinis mittere iras in homicidam sui amici debuerit, & obliterare. Dicamus nos potius Christiani, sacerdotem summum hic typum fuisse Mediatoris Christi, qui sua morte omnia peccata etiam reatum sanguinis expiavit. *Leidek. de Rep. Hebr. l. X. c. I. p.* 579.

CAPUT II.

De Præfectis Sacerdotum Hebræorum.

§. I.

A Principe ad subditos principis divertentes, horum ante omnia Inspectores, Præfectosque ac magistratus inspicimus. Eorum vero varii ordines: Primum enim absolvebat Saganus, secundus a summo sacerdos ejusdemque vicarius; Alterum duo Catholici occupabant, vicarii saganis, tertium Amarkalin; quartum Gizbarin, Thesaurarii, qui quodammodo Amarckalin erant obnoxii; quintum vigiliæ caput, seu præcipuus cujusque classis, quæ stata sua hebdomada ministrabat; Sextum Caput Familiæ, quæ in ea classe serviebat, præter hos erant quindecim Inspectores, i. e. Præfecti XV. Coll.

§. II. Sed quatuor tamen primi horum ordinum erant præcipui, qui erant instar concilii perpetui, quod expediebat negotia ad ministerium templi pertinentia, erant consessus & consistorium sacerdotum, erant seniores sacerdotii, a quibus summus sacerdos Synedrio tradebatur præparandus obeundo ministerio die expiationis; erant denique consiliarii templi; digni adeo, ut de horum singulis accuratius exponatur. *Sagan* primus primum in mentem redeat, notior Rabbinis, quam scripturis divina autoritate patefactis, nisi quoad rem, quod refertur 1. Paral. XXIV. 1. 2. Reg. XXV. 18. Jer. LII. 24. notante *Balth. Stolberg. in trig. quæst. Philol.* Dignitate summo Pontifici proximus, datusque ipse est & ad decus & ad ministerium, vices ejus obiturus, quoties eveniret, quod ipsum redderet facciendo officio ineptum, non die tantum expiationis, quæ vana est non nullorum opinio, sed per universum anni tempus, in omnibus fere officiis, subiturus porro, non tantum, si quando summus sacerdotum esset incapax muneris, verum etiam si absens; sed porro, si rerum suarum negligentior. Nec vero adjutor modo in arduo munere pontifici dabatur, sed in eo quoque pars officii posita erat, quod ordines observaret inferiores; appellatus hoc nomine speciatim. משנה i. e. Præfectus quatuor & viginti ordinum, quippe cum, velut Principis vicarius sacerdotis præesset universo ministerio, ideo quolibet mane Sacerdotibus dixit: *Exite & videte an tempus mactationis victimarum accesserit*, Memoratur præterea סגן cornu altaris adstans, vino ad libandum porrecto Levitas sudario de cantu monuisse, Cymbalo Buccinis sacerdotum adjecto, Levitarum cohortem omni populo accinuisse, qui atrium tenens adorabat. Maim. de apparat. Templ. c. III. §. 2. de Sacrific. Jud. c. VI. §. Cui etiam idcirco idem honor, reverentia eadem ac cultus tribuebatur, qui principi sacerdotum. Denique Hebræi hanc fuisse ejus dignitatem dicunt, quod Sacerdotis Magni dextram clauderet cum ad altare accederet, maxime *die expiationis*, cum se ad munus accingeret, iretque ad orientem atrii & septentrionem altaris, ac cum sortes super duos hircos jaceret, dum *Præfectus Domus patris* iret ad sinistram. Addunt, quod ubi sortem ex urna *Sacerdos Magnus* extraxerat dextra, iste clamaret: *Domine Sacerdos Magne attolle dextram tuam. Maim. l. 1. c. IV. §. 4. 5. Mis. jom. c. III. 9. de Syned. l. III. c. 8. §. 6. Leidek. de Rep. Hebr. lib. X. p.* 174. Cœterum ita ecclesia judaica sibi prospiciebat, ut prius Sagan esset, qui anhelaret ad pontificatum, quo peritia & legum & rituum sibi colligeret, quam tanto munere fungeretur. *R. Salomo in Nu. XXIX. Juchasin fol. 57. Scaliger in prolegom. ad Cronolog. Euseb. Lightfoot l. c. Casaubon. Exercitat. 13. ad Annal. Baron. §.* 4. Aliqui perpetuum munus Saganatus non fuisse existimant, saganemque electum esse decima mensis Tisri, quando sacerdos in sancta adyta se conferebat, in quæ non nisi pontifici, vel suo vicario ingredi fas erat, quo facto, se vicariatu abdicabat. Hinc *Maim. ap. Cunæum l. II. de Republ. Hebr. c. 6. inquit*: positum in more fuit, ut pontifici constituerent quendam alterum Pontificem. Nam si quid contigisset, quo impuratus videretur alter illa vice ejus

rem

rem sacram faciebat - - - quam primum autem dies expiationum præteriisset, prior ille redibat ad munia sua, vicarius autem se abdicabat. Nituntur-que non tantum silentio *Josephi* sed etiam argumentis, quibus perpetuitatem elidit *Libr. XVII. Antiq. c.* 8. Ubi de *Matthia* summo sacerdote & *Josepho Ellemi filio*, qui ei ob vitium seu visum noctu oblatum, substituebatur. Referunt quoque aliud exemplum. Nempe ipso expiationis die egressus est *Ismael Ben Camithi* filius *Sacerdos M.* ut cum duce quodam ethnicæ professionis verba conferret. Inter hæc vero saliva istius ducis consputis vestibus, ut polluto obire hoc die suum munus non fuerit integrum, sed fratri סגן illud committere debuerit. *R. Nath. in* אבות *fol.* 91. Ex his patescit quam ingrata Deo tunc solemnia hæc sacra forent, ex quibus quasi vis & efficacia Religionis in totum diffundebatur annum conf. Nicolai Sagan. *Leidek de Republ. Hebr. lib. X. Cap. I. p.* 574. Qui plura *de Sagan* desiderat adeat *Lex Aruch. in Rad.* סגן. Unum addo quod *Lightfoot*, *l. c.* habet, *Annam*, cujus *Luc. XXII.* mentio injicitur, non fuisse temporibus passionis *Christi* Pontificem, tametsi functus hoc munere fuerit. Erat enim exauctoratus, nec nisi munus *Sagani sub Cajapha* obtinebat.

§. III. Advocat nos ordo *Katholikin S. Catholicorum*, corrupta voce græca sic appellatorum. Erant numero duo, iidemque Præfecti thesauris, adeoque Præfecti tribus quæstoribus Gizbarin, de quibus paulo post; quanquam apud quosdam etiam notionem præcipuorum ministrorum sive amicorum Principis obtineant. Quo vid. *R. Tanbauma*, fol. 83. Ictis quoque *Katholiciani* rationum Præfecti dicebantur. Sed inter Ebræos tamen fere præfectos ærario designabant, observante *doctissimo Buxtorffio*, quorum amplissimum erat in templo munus, inferius tamen summo Sacerdote simul ac Sagano. *Verbo*, erant Sagano, quod Saganus erat summo Sacerdoti, h. e. Vicarii Sagani, adjutores, curantes, ut nihil ministerio Sacerdotum deesset, ac dignitate eidem proximi. Cæterum erant etiam inferiores tres Thesaurarii & Præfecti Gazophylacio templi, in quod pecuniæ ex oblationibus, aliisque causis inferebantur. Hi quotidianum obibant ministerium, indiesque, quicquid erat oblationum & quicquid præterea afferebatur, in puplicum templi ærarium suscipiebant. Horum Præsides vero erant Καθολικοὶ, curantes, ut Thesaurus sic administraretur, nequid templi ministerio deesset, idque rite præpararetur. *Vid. Maim. de Appar. Templ. c.* 4. *Celebr. Ligthfoot. l. c. Sect. II. Outram lib. alleg. pagin.* 5. *Selden. de Synedr. Hebr. pag.* 19.

§. IV. *Katholicanos Immarchalin* excipiebant, numero VII. quorum curæ erat demandatum, gestare claves septem portarum atrii, nec non claves vestiariorum templi, itemque conclavium, *interprete Lightfoot. Outramus* eos facit septem custodes clavium sanctuarii, quibus tamen ita claves commissæ fuissent, non ut cujusque arbitrio, sed omnium conventu & consessu porta cuique data aperienda fuerit. Cæterum & alios fovebant sensus. *Chaldæus namque Paraphrastes in lege quæ sub nomine Jonathanis edita est, adhibet in Num. I. & VII.* ad designandos principes tribuum. Sed *Lev.* IV. 15. usurpat ad significandos seniores tribuum, manus imponentes capiti victimæ, *Auctor paraphraseos Chaldaicæ in Cant.* voce ista denotat Principem vel Dynastam regi dignitate proximum. Idem ille alibi eadem voce dignitate conspicuum designat. Aliquando & officium peculiare signat & Sacerdotum janitores 2. Reg. XII. & Amarcal præfectum Principibus Levitarum notat. Num. III. 32. Quæ ab instituto alienæ sunt notiones, rejicientes, illam amplectimur, quæ Præfectos clavium definit. Cæterum perpetuumne istud fuerit munus, an hebdomadarium, perinde ut in sacerdotum classibus, disceptatio est. Militemus pro perpetuo, propterea quod inter templi ministros numerantur. In mutatione classium princeps classis habetur quasi præcipuus; Immarcalin autem duobus eum gradibus superabant. Aliquis hic objiciat, quid est, quod *in tractatu Middoth* affirmatur, claves portarum fuisse in custodia seniorum domus patrum suorum in classibus, quæ per vices ministrabant? Sed habemus, quod dicamus pro illa re. *Amarcalin*, perinde ac superiores ordines erant perpetui, at negotium claudendarum portarum & aperiendarum delegatis quibusdam dederunt, & iis senioribus cujusque classis, quæ partibus suis fungebatur, *Maim. l. c. Lightfoot. l. c. sect. IV. Outram. l. all. Cun. de R. Hebr. Lib. II. c. 6. Leidek de Rep. Hebr. libr. XI. cap. 7. pag.* 648.

§. V. Agmen in Præfectis præcipuis claudunt *tres quæstores*, a Judæis *Gisbarim* appellati, quasi *Immarcalinorum vicarii*, qui præfecti erant & sacro *Gazophylacio* & omnibus consecratis rebus & æsti-

æstimatis. Maimonid. Not. ad Misn. שקלים Erant Thesaurarii & Receptores omnium rerum debitarum vel dicatarum thesauro templi, qualis erat semisiclus tributum illud capitationis ab unoquoque Israelita debitum; qualia erant vasa, cultui divino exsolvendo oblata, & illa, quæ vota aut devota fuerant, aut pecunia redimi debebant. Æstimato enim redemtionis pretio pecuniam recipiebant. Verbo: Munus eorum erat & sacra omnia, a quibuscunque debita & rerum redemtarum pretia exigere. Hinc *Maimonides de Appar. Templ. cap.* 3. §. 5. ait: *Exigebant quidquid erat consecratum, & redimebant quodcunque erat redimendum.* Erant collectores inferiores ac Thesaurarii. Quippe omnium, quæ accipiebant rationem reddere tenebantur Immarcalis, cum Immarcalis Katholikin cum his Sagano, cum hoc denique Pontifici maximo. Cœterum conficiebant consistorium sacerdotum, quod negotia sanctuarii administrabat. Nullam nec sententiam dicebant, nec pœnam irrogabant, seu pecuniariam, seu corporalem. Membra primum dicebantur βουλευταί, בולוטי consiliarii templi, curam gerentes Gazophylacii thesauri, vasorum, vestium instaurationis ac ministerii templi; Omnia demum, quæ usui erant, administrantes. Temporibus autem corruptioribus privatis intenti utilitatibus, mutato nomine πάρεδροι, assessores audiebant. Tametsi enim novissimis temporibus *Josephus Arimatheensis* βουλευτής appellabatur quo de Marc. XV. 43. propter singularem tamen probitatem præter cæteros hoc nomine honoratus videtur. Consessus iste, quod superest, in conclavi *Parhedrorum* seu *Palhedrorum* sedebat. *Confer & Lightfoot. itemque Outram. l. alleg. Leidk.* de Repub. Hebr. pag. 648.

§. IV. Hactenus de præfectis præcipuis, præter quos erant alii, generum trium. Primi generis erat *classis princeps*, *caput* dictus vigiliæ ראש המשמר hic & omnibus certæ classis, cujusmodi erant XXIV. præerat. Ut enim singulis classibus sacerdotum sua in sanctuario ad ministrandum hebdomas data, ita suus etiam cuique præfectus erat. Hic jam præse virum illum ferebat eximium, a quo classis nomen acceperat. Erat indubie magni Synedrii assessor. *Etiam Rex Hebræorum* colebat viros *Synedriales* adeo, ut, si singulis copiam sui faceret, surgeret & juberet sedere a latere. De cætero in conspectu *Regis* se ad terram incurvarunt, quod etiam Prophetis solenne erat. Incurvationis autem eadem fuit ratio, quæ, quod Judæi non aperiebant, ac denudabant caput, quod absurdum maxime illis erat, ergo tantummodo ad terram pro more solito se incurvabant, quem populum orientis hodiernum tenet; Quippe qui neque denudat caput, sed superiore corporis parte incurvata, manuqua dextra pectori admota se mutuo honore excipit. *Maim. de Reg. C. II. num.* 5. *seqq.* Qui etsi in rebus ad templum spectantibus obnoxius erat Sagano, Katholikin, Immarcalin, & Gisbarin, in summo tamen consessu sacro nemine inferior, omnes sibi æquales agnoscebat. Atque hinc est frequentata illa principum Sacerdotum in *sanctis Evangelistis* mentio. *Maim. de Appar. Templ. cap. VII.* §. 1. *Lightfoot. Opp. Tom. I. pag.* 678. *Sigon. de Rep. Hebr. lib. V. cap.* 3. *pag.* 279.

§. VII. Alterius generis erat *Princeps Domus Patris* ראש בית אב i. e. paternæ familiæ caput. Sicut enim totus Sacerdotum numerus in XXIV. classes, de quibus Cap. III, proximo, ita classis una quæque secundum septem hebdomadæ dies a Præfecto classis in septem familias distributa fuit. Singulæ enim familiæ singulis diebus officia administrabant; Singularum autem Princeps paternæ familiæ caput dicebatur; qui tamen a Domibus Patrum Levitarum distinctus erat, vid. 1. *Chron. XVI.* 12. *Saubert. ad duo loca Nov. Testam. Loc.* II. §. 24. Conf. & de Præfect. Sacerd. *lib. Misn.* cap. 5. quem latine expressit *Joh. Henr. Ott. & Lex. Rabb. Philolog.* præposuit.

§. VIII. Tertii ultimique generis erant XV. *Inspectores*, i. e. Præfecti XV. Collegiis I. erat *Præfectus temporibus*, describendis & observandis; II. *Præfectus claudendis januis*; III. *Præfectus custodum*; qui januas templi observarunt, ne quis indignus ingrederetur. IV. *Sortium*: Quando enim dies subillustris tenebras discuteret, vigil aliquis imminentis diei signum dabat, radiisque solis emicantibus vocem edebat: עירו הכהנים *surgite sacerdotes*. Quo facto Præfectus ad sortes vocare, quo quilibet pensum suum istius diei sciret. In quaternos vero ordines seu classes distincti erant. (1.) erant qui in altari a cineribus purgando erant occupati. (2.) qui mactandis pecoribus vacaret, lumina mungeret, membra sacrificii ad Clivum portaret. (3.) qui suffitus curarunt. (4.) qui sacrificia membratim a clivo ad altare gestarent. Postea vero

quam

quam sol plenis se effundebat radiis, destinati erant, qui ex summo templi fastigio clamore indicarent, plenam esse lucem, cum agnus victima destinatus, ex conclavi legebatur. Post hæc portas ædis aperiebant, qui id a clavium Præfectis jubebantur, atque sacerdotes tubæ clangore Levitas & Stationarios sui officii monebant, atque etiam Israelitas intra pomœria urbis ad pietatis exercitia cohortabantur. Sic ergo quisque lege sortis pensa sua capiebat. *Majemon. Tract.* תמיד. V. Præfectus Cantorum. IV. Cymbalis cæterisque instrumentis. Vid. 1. Paralip. XVI. 16. Qui dirigendo Choro Musico præfuerunt, hoc clarent nomine sacri vates, Asaph, Heman, Jeduthun, qui in eam incumbebant curam ut & ars & modus & ordo in decantandis hymnis servaretur. VII. Avibus, Turturibus (pullorum nidis) VIII. Sigillorum. IX. Libaminum; Scilicet sanctuarium quatuor habebat sigilla, uni insculptum erat עגל *Vitulus*, alteri גבר *Masculus*, tertio גדי *Hircus*, quarto חוטא *Peccator*, alii asseverant inscriptionem præ se tulisse, חוטא דל *pauper peccans*, & adjiciunt quintum hoc charactere חוטא עשיר *peccator dives*. Quem in finem? Qui victimam offerebat, de libaminum pretio cum *Sigillis præfecto* conveniebat, qui sigilla seu tesserulas, ut sacrificia erant, cuivis accommodata, reddebat. Hic ad *Præfectum Libaminum* retulit, qui secundum numerum & inscriptionem eorum cuivis libamina præbebat. Hic vero finiente die binis Præfectis tum Sigillorum tum Libaminum restituebat sigillum pecuniam pendens quam pendere obstrictus erat. *Misn. Tract.* שקלים *cap. IV.* § 3. *Maimon. de Appar. Templ. c. VII.* §. 4. X. *Præfectus Ægris*. Prodidit etiam memoriæ idem *Maimonid.* l. c. quia moris erat, ut sacerdotes nunquam non in pavimento starent, carne fere vescerentur non modice, atque cum sacra tractarent, tantum una amicti tunica, quod subinde visceribus cruciarentur. Quare de Medico prospiciebatur, qui sacerdotum salutem curaret. Neque silendum de frigida, quibus se continuo lavabant, atque ad obeunda ministeria se præparabant. Cumque cogerentur in templo stare, neque sedendi jus esset, & quidem nudis pedibus, imprimis matutino tempore antequam sol nocturnum frigus temperaret, non potuit non inde nasci & languor dolorque colicus & venarum inflatio. XI. *Præfectus aquis, Fontibus ac Canalibus*. XII. *Eorum, qui panem propositionis conficiebant*. Etiam pinsendis panibus propositionum præstituti erant, qui singulis septimanis statione sua decedebant. Cujus artis imprimis gnara celebratur familia *Garmu*, sed & invidiæ notatur, quod docere alios noluerit. Imprimis ipsis curæ erat ne in exemptione ex furno frangeretur, vel mucidus redderetur ante elapsam hebdomadam. Misn. l. c. XIII. *Eorum, qui Thymiama* adornabant; Illustris est *familia Abtines*, quod suffimento præesset, sed & ejusdem invidiæ insimulatur, quod docere alios noluerit. Auctor est *Bartenora* quod singulari herba applicata aromatisque mista, fumus ad formam baculi ascenderet in altari, recta quasi via sine voluntatione. XIV. *Artificum qui texebant vela*. XV. *Qui vestium Sacerdotalium curam gerebant*. *Vid. Maim. de Appart. Templ.* c. VII. §. 1. *Lud. du Veil in Fascic. Philolog. Tom. VI. p.* 132. *Lightfoot. opp. Tom. I. p.* 679. *& Outram l. c. p.* 51.

CAPUT III.

De viginti quatuor classibus sacerdotum.

§. I.

Fidei recordor, quam sub initium dedi operis universum sacerdotum ordinem in tria genera mihi distributum iri. Posteaquam igitur duo jam dum breviter inspexi, postremum ut aperiam, operæ pretium videtur, ac ipsa promissi religio postulat. Ultimum autem Sacerdotes conficiunt, quibus primum summus sacerdos, his pariter alii præter Pontificem Præfecti erant. Jam Sacerdotes in viginti quatuor classes dividebantur. Quamvis vero in pares pariter classes, addo & familias, *Levitæ* divisi essent, *virique stationarii*, veruntamen, cum ea non sit præsentis instituti tractatio, eadem merito in præsens supersedeo.

§. II. De origine ac fonte tot classium ut nimisquam sim solicitus, haud est. Viget inter Hebræorum doctores pervulgata opinio, classes sacerdotum primum a *Mose* fuisse institutas, speciatimque nonnullis arbitrantibus IV. *Classes Eleazaris & IV. Ithamaris*. Quamquam sint, qui ostendant, utriusque octo ordines esse institutos. Secus quotquot asserunt, *octo Mosaicis classibus* a *Samuele* demum *octo* additas; Sexdecim

autem

autem classium *Mosaicarum* propugnatores sexdecim classibus octonarium addunt a *Davide* & *Samuele* communi utriusque consilio adjectum arbitrati. *Maim. in Tract.* כלי המקדש Cap. III. *Kimch. Commentar. ad* 1. *Chron. XXIV.* 6. Atqui de octo ordinibus a Mose constitutis nihil invenitur in *Pentatevcho*; *De Samuelis cum Davide* consilio super XXIV. Ordinibus ordinandis nihil in *Chronicis* aut *libris Samuelis* extat. Debuissent *Rabbini* loco *Samuelis* Prophetam *Gadum* aut *Nathanum* posuisse, qui sane, *Davidi* hac in re a consiliis fuere. 2. Chron. XXIX. 25. Quin imo *Samuel* jam tum mortuus erat, ut apparet ex 1. Sam. XXV, 1. Nisi dicamus *Samuelem* ad huc *vivum*, cum *Davide* super hisce negotiis consilium iniisse; Quod temere quis credat factum cum eo adhuc errante & summam rerum non tenente. Me quidem parum movent in pervestigandis litis classium incrementis, satis habentem, scripturas divinitus inspiratas, primum mentionem classium injicientes XXIV. indicasse, quas *David* Rex constituit & distribuit, *David* inquam, qui divino tactus Spiritu numerum iniit, divinisque sortibus ordinem constituit Sacerdotum. Nomina vero eorum qui familiarum principes nomen classibus dederunt, hæc, atque hoc ordine fuerunt ut scriptum est, 1. *Paralip. XXIV. exivit sors prima Jojarib*, *secunda Jedaja*, *tertia Charim &c.* conf. & *Sigon. de Republ. Ebr. libr.* V. c. 3. p. 293. 294. *& in eum Joh. Nicolai*. Qui cœteroquin a Judæorum magistris mutatis quandoque appellationibus, memorantur, v. g. Juvenes vel germina sacerdotii, filii Sacerdotum, &c. Vid. *Lightfoot. l. c. cap. VI. p.* 2592. *Cunæus de Rep. Hebr. lib. II. c.* 8. *p.* 209. *Leidek de Repub. Hebr. lib. X. cap.* 3. *pag.* 588.

§. III. Necessitas ante rationem est, classes, quæ usque ad excidium sanctæ urbis inconcussæ stabant; mutabantur, quare nova harum dispositio videnda erit; causa mutationis erat, quia tantum *quatuor* ex omnibus reversæ *ex Babylonia* dicuntur Judæis, nec temere, quippe classes *Jedajæ*, *Harim*, *Pasbur & Immer* recensentur Esr. II. 36. 37. 38. 39. Prophetæ igitur inter captivos hanc redintegrandi numerum invenerunt rationem. Factæ sortes XXIV. Inscripta his nomina XXIV. capitum, seu principum classium veterum, quæ in pyxidem conjecta. *Jedajah* eduxit quinque, quibus ipse adjunctus sex effecit. *Harim* seu *Jojarib*, quinque, quibus ipse additus, similiter senarium confecit; *Paschur* sequutus & *Immer* idem imitati numerum compleverunt. Memoratu alioqui dignum, *classem Jojarib*, antea primam, cessisse post captivitatem *classi Jedajæ* Esd. II. 36. Quod eo factum existimatur, quod *Jejadah* esset ex summorum Pontificum familia oriundus a *Josuah*, filio *Jozedeki*. Illud vero nescrupulum injiciat, cavendum, quod *Lucas* dicat Zachariam, *Johannis patrem*, ex classe *Abiæ* fuisse, *Cap. I.* 5. Retrospexit enim ad clasem *Abiæ veterem*, de cujus constitutione, 1. *Paralip.* XXIV. 10. Aliud autem est, fuisse ex *classe Abiæ*, & aliud ex *gente & familia Abiæ* fuisse, Lightfoot. l. c. *Cap. V. Selden. de Success. in Pontif. Bib. I.* 1.

§. IV. Post hæc operæ potius pretium futurum auguramur observare, minimeque præterire, *ætatem ac tempus ingrediundi ministerii itemque ritus initiationis*. *Ætas* quidem definita annusque erat tricesimus. Num. IV. 3. Quo & ministerium suum Pontifex Christus ingressus legitur, Luc. III. 23. Cæterum quintus & vicesimus erat *candidatorum*, Num. VIII. 24. In addiscenda lege ab illis occupatorum, atque id tantundem fuit, ac si munus suum tunc incepissent. Hique poterant nonnulla obire ministeria & servire tabernaculo, poterant excubias facere circa tabernaculum &c. At non omnia, ut *ferre arcam*: *Aben Esra Num.* 8. Imo *David* divino admonitu definivit annorum numerum *viginti*, 1. *Par.* XXIV. 27. Tunc erant quasi ministrantes, erant tantum פרחי כהונה *germina sacerdotii*, eo quod tunc barba ipsis effloresceret, ut observat *Bartenora ad tract. Misnæ* יומא *&* תמיד. Initiatio *Samuelis* dum adhuc puerulus erat, fuit casus extraordinarius. *Kimchi in* 1. Sam. II. Quis vero terminus sacerdotii fuit? quinquagesimo anno rude donabantur, ob defectum integritatis atque valetudinis, quæ hoc anno in plurimis hominibus senescunt & deficiunt, & Deus misertus est infirmorum hominum, ne nimiis negotiis obruerentur & pessundarentur. Non tamen plane immunes erant a laboribus sed tantum gravioribus, curabant enim ordinem & decorem templi, regebant alios, honor tamen non decrescebat, licet labor minueretur, sed potius crescebat, vid. Esa. XXXVII. 2. *Maim. in tract.* כלי המקדש *Num. IV.* 4. *VII.* 24.

§. V. *Ratio* autem *initiandi* & inaugurandi erat hæc; Magnum Synhedrium quotidie in conclavi *Gazith* sedens cognoscebat de initiandis sacerdotio, numnam

ex sa-

ex ſacerdotali prole eſſent, nec ne. Re probata & comperta ultra diſquirebant, eſſetne in iis ullum vitium, an nullum. Comperto, non eſſe e ſacerdotali progenie, induti pullis veſtibus diſcedebant. At enim orti ſacerdotum genere, attamen rei unius ex CXL. vitiis, præficiebantur ſeparando verminoſo ligno. Probata autem, & ſacerdotali proſapia & innocentia candidis induti veſtibus reliquis ſacerdotibus adſcripti in atrium ſervituri altari, ingrediebantur. *Maimonid. de Ratione adeundi templi* cap. VII. -- IX. *Philon. Jud. de Monarchia* Lib. II. pag. 823. Joſeph. de B. J. lib. V. cap. 15. Notatu maxime digna ſunt, quæ in שלטי הגבורים c. 39. extant verba: *Oportebat omnes ſacerdotes, tum qui gradu & excellentia alios ſuperabant, tum qui inferioris erant conditionis & præter Sacerdotii, nullo honoris titulo inſignes, e familia non infami prognatos eſſe, corpore quoque perfecto conſtare, ſi pulchritudinem Domini aſpicere & in templo ejus ſacra adminiſtrare voluerunt. Quapropter viris Synedrii magni in cellula e lapidibus cæſis exſtructa conſidentibus præcipuum ſemper fuit judicare Sacerdotes, & in eorum macula familiamque inquirere. Ubi omnis ſacerdos, qui ex familia quadam non illibata ortum traheret, nigris indutus veſtibus, atque ex atrio egrediens, curſum, quo voluit, intendere potuit. Ei vero, qui familia decora, decoroque corporis habitu gaudebat, albas induere veſtes, & in templo cum fratribus ſuis ſacerdotibus ſacra peragere conceſſum erat. Contra quem familia pura progenuerat, aſt cum corpore inſano, eo quod morbo vel fixo vel periodico laboraret, ejus erat in conclavi ad conſervanda ligna exſtructo ſedere, & vermibus corroſa fruſta ejicere, ut idonea eſſent ad ſacrificia, interim ſanctificationum una cum ex eadem, qua ipſe familia prognatus, particeps erat, ſecundum illud:* Pane DEI ſui tum de ſanctis ſanctorum, tum de ſanctis veſcetur. Levit. XXI. 22. Conf. quoque *Joſeph. de B. Jud. lib. V. cap.* 15. Inaugurandi vero & conſecrandi eandem inibant quam in Pontifice rationem & conſtabat offerendo, lavando (haud ſecus quam Chriſtiani ſacro lavacro Deo initiantur) veſtiendo, ungendo & conſecrando Exod. XXIX. 4. 8. 9. 10. Filios quoque Aaronis applicabis ad oſtium Tabernaculi, cumque laveris eos aqua, indues veſtimentis ſuis, tunicis lineis, cinges baltheo, impones mitras, poſtquam initiaveris manus eorum applicabis & vitulum coram Tabernaculo Teſtimonii. Et Lev. VIII. 13. 14. Filios quoque oblatos veſtivit tunicis lineis, & cinxit baltheis, impoſuitque mitras, ut juſſerat Dominus. Inde refertur vitulus & aries conſecratus. Sigon. lib. V. cap. 3. pag. 385.

§. VI. Porro nec in ſacerdotium adſciſcebantur, qui non juſto matrimonio editi, vel in conjugio illegitimo vivebant, non enim licebat vel meretricem & repudiatam, aut non Ebræam ducere in matrimonium. Vid. Lev. XXI. 7. Ezech. XLIV. 22. *Conf. & Joſeph. Antiq. lib. III.* 1. *XI.* 7. 10. *Philo de Vita Moſ.* Præterea virtute & fortitudine præſtare oportebat, ut doloribus luctibuſque ex funeribus contractis levandis pares eſſent, lugere tamen non interdicebatur vel matrem vel patrem, filium filiamve, fratrem ſororemve virginem. Etiam atque etiam ab impuritate abſtinendum erat, licet tantum ceremonialis eſſet & forent luſtrati aquis, tamen die, quo impuri fiebant, ſacris interdicebantur. Lev. XXI. 2. 21. XXII. 9. 7. Attamen ex *Maimon.* recenſet *Lightfoot.* l. c. ſacerdotes caſu neceſſitatis munus obire potuiſſe, licet immundi fuerint, immunditia ſcilicet propter mortuum contracta. Quod etiam valuit de vaſis miſterii pollutis. Immundis alia quapiam pollutione, ut profluvio, tactu reptilis, vel re ſimili, nec fungi partibus miniſterii nec atrium ingredi erat licitum. Pœna mortis etiam arcebat a *vino* & *ſicera*, quo die ſacris vacare debebant. Lev. X. 9. Nempe Deus ſic conſtituerat, ut ſacra obeuntibus ratio conſtaret & abeſſent libidinis incitamenta. Quam tamen legem Judæi miris modis implicant apud *Maimon.* in ביאת המקדש *Cap.* 1. aſſerentes, qua hebdomada miniſterio fungebantur, licitum erat conceſſumque Sacerdotibus claſſis vinum bibere noctu, ſed non die, cum potuiſſet evenire, ut neceſſe eſſet fratribus in graviori miniſterio ſuppetias ferre, quas ferre nequituri fuiſſent, ſi vinum hauſiſſent. Familiæ autem, quæ ſerviebat, non licebat ne quidem noctu. Qui noverat Claſſem & familiam arcebatur a vino, qua die familia, ad quam pertinebat, ſerviret. Qui claſſem noſſet non familiam (ſi forte deſiiſſet) prohibebatur a vino tota hebdomada. Manus imprimis pedeſque lavandi erant, ſacro munere functuris. Exod. XXX. 18. 19. His accedit, quod lege ſacerdotum contineretur, ut ſuis veſtibus nec pluribus aut paucioribus, aut laceris aut ſordidis aut lugubribus induerentur. Tandem quod ſupra attigimus caput inter ſacra facienda opertum eſſe oportuit, nec

nec ſedere permittebatur, cum ſeſſiones in templo nulli permittantur, præterquam Regi, qui ex familia Davidis eſſet. *Maimon. de Ratione adeundi temp. cap. VII. VIII. IX. Leidek. l. c. Lib. X. Cap. III. pag.* 589. Adtexendum vero & hoc, quod annales Hebræi habent, Levitarum ordinem perpetuam noctem inſomnem & vigilem duxiſſe, contra ſacerdotibus ſomno indulgere non fuiſſe illicitum, aberat tamen mollicies culcitrarum & tomentorum, acceſſit & durities cubilis, quod humus erat. *Bartenor. in Commentar. in Midd. vid. & Leidek. l. cap. lib. XI. cap. VII. pagin.* 648. 649.

§. VII. Quod ad veſtes ſacerdotum attinet, Moſes deſcripſit Exod. XXIIX. 40. Sed & diſtinguit in *honorarias & neceſſarias*, illas verſ. 40. has verſ. 42. Præter *fœminalia* erat *linea tunica cingulo* vel *zona & pileo* adjuncto, qui ex lino candidiſſimo conficiebatur, Qui color ob luciditatem, ſimplicitatem, puritatem, mores integros & ſanctos ſignificabat. Quid quod candor lætitiæ etiam, libertatis & honoris nec non victoriæ fuerit teſſera. Alba indumenta Auctore *Lipſio Elect. lib.* I. 13. omnium bene Nationum conſenſu ad DEI cultum adhiberi ſolebant. Non ergo vel tunicam hyacinthinam; vel Ephod vel Rationale, vel Lamina aurea, quæ propria erant Pontificis, in illis conſpicere licebat. Extra ordinem tamen etiam ſacerdotes induere *Ephod.* i. e. *ſuperhumerale* ſed lineum, 1. Sam. XXII. 18. *irruit in Sacerdotes, & trucidavit octoginta quinque viros veſtitos* Ephod lineo. Ubi notavit S. Hieron. *Ephod* illud fuiſſe lineum, non autem ex hyacintho, byſſo, cocco, purpura & auro, ut Pontificum *Ephod* enim ut inquit S. Eucherius, *duo genera, unum lineum & ſimplex, quod ſacerdotes habebant, alterum diverſis coloribus ex auro, purpura, biſſo, hyacintho, gemmiſque contextum, quo ſoli Pontifices utebantur. Sacerdotale vocatur Ephod bad* i. e. *Superhumerale lineum*. Inter tunicam ſummi Sacerdotis & inferiorum nihil intercedebat differentiæ, ſi vel non in forma, ſaltem in materia, quæ pretioſior illa, qua tunicæ vulgares conſtabant; Sed & ſplendidior erat Baltheus ſeu Zona Pontificis magni, quam minorum Sacerdotum; At & Tiaræ aliquid diſcriminis præleferebant; Pontifex enim involutam nec acuminatam, vulgares vero Sacerdotes cuſpidatas geſtabant. Extra tabernaculum vel templum horum veſtimentorum uſus ceſſabat, neque proprias ſed communes cum populo habuerunt. *Joſeph. libr. VI. de bello Jud. cap. 6. Braun. de veſt. Sacerd. libr. II.* 1. 3. 5. 17. 21. *Quenſt. Antiq. pag.* 48. Supremis tegumentis tegumenta inferiora adjiciemus, & an calceis uti licuerit videbimus & reſpondent quod non: quod colligunt ex *Moſis & Joſuæ* exemplis *Exod. III.* 5. *Joſ. V.* 15. verebantur enim nequid calceis impuri adhæreret, & omnino interdicebatur medium intercedere inter pedes & atrii ſolum. *Brau. l. c. lib. I.* 1. *Del-Rio Adag. S. V. T. p.* 55. *Leid. lib. alleg. p.* 59.

§. VIII. Sacerdotes ipſos inſpiciam. Quos etſi *Clariſs. Lightfoot.* in tres quaſi gradus diſpeſcuiſſe viſus eſt: *in claſſium principes, principes domus patris, & ſacerdotes privatos ſeu vulgares*; tamen perſpicuitatis gratia priora duo genera Cap. II. percenſuimus, cum de Præfectis ageremus. Reſtant proinde hic non niſi *ſacerdotes privati & gregarii*, qui ſero tempore כהנים הדיוטות *ſacerdotes idiotæ*, dicti ſunt, cognomine fœminino, ut quædam diminutio forte intelligatur, a græca voce deflexo, erantque in ſingulis familiis ſub *Principe Domus Patris*; quamvis vero hi docti erant, ita tamen nominabantur, quam diu ordinis inferioris ſacerdotes manebant, nam ordinis ſuperioris i. e. honorificentioris erant Præſides claſſium, Capita familiarum, quæ una die cultui vacabant, variorum officiorum Præfecti in templo, Sacerdos unctus ad bellum, Vicarius ſummi Pontificis &c. Deinde quidem alii, nempe כהני עם הארץ *Sacerdotes plebeji* erant, qui licet ex ſtirpe ſacerdotali eſſent, eruditione tamen carebant; Cum vero illi ordinarie pauperes eſſent, privilegiis modo pauperum fruebantur, qualia ſunt *ſpicilegium, racematio*, &c. tali autem plebejo ſacerdoti non dabatur תרומה ſeu *oblatio*, quoniam incertum erat, an comeſturus eam eſſet in munditia vel immunditia, ſicuti indoctus erat, ita præſupponebatur omnes puritatis regulas obſervare non poſſe. Ex *Talmud. Hieroſol. Ottho in Lex. Philolog. pag.* 539.

§. IX. Non abſonum videtur illuſtrium perſonarum ſacerdotalium illuſtria axiomata & prærogativas, quæ inter Hebræos in Sacerdotibus ſummæ erant, contemplari. Hinc ſacerdotium iis *corona Iſraelis* audit. Jam & æterno fœdere DEO erant conſecrati, & ſacerdotum poſſeſſio & portio erat DEUS, iique temporibus imprimis iræ inter veſtibulum & altare adorare DEUM, ut mala averruncaret, debebant. Joel. II. 17. 2.

17. 2. Chron. VI. 41. XIII. 12. Neque nulla gloria fuit *Abiæ*, quod in suo excercitu & DEUS esset & sacerdos ejus. Quanta verocunque sacerdotum fuit dignitas, tamen non erant Domini, sed ministri, non dominabantur conscientiis & religioni, nec erant mediatores apud Deum pro populo, sed eorum sacrificia tantum erant vicaria. *Leidek. de Republ. Ebr. Libr. X. Cap.* 4.

§. X. Ab ordine & axiomatis ad locum transeamus *& rationem stationis atque loci* pensiculemur. Quippe classes nunc numerosiores, perinde ut olim singulas suas stationes Hierosolymis habebant. *Gemara* quidem *Hierosolymitana* MMCCCC. viros in statione fuisse Hierosolymis testatur; Dimidiam autem stationem fuisse *Hiericunte*, cumque aliqua classis debuisset ascendere *Hirosolymam*, dimidiam classem eo venisse ex provincia extra terram Israelis sita, dimidiam alteram Hierichunte. Quod *Gemara Babylonica* sic exponit, ut dicat, fuisse XXIV. classes in terra Israelis & Hierichunte XII. Quod quidem sic minime accipiendum, quasi triginta sex classes extiterint. Nam XXIV. revera classes perstabant, perdurabantque; Cœterum divisæ erant, atque altera cujusque classis pars perpetuo Hierosolymæ hærebat, circaque Hierosolymam; ut simulatque serviendi ordo officium reposceret, parata esset ad ministrandum; Altera autem hinc inde dispersa degebat. Hiericunte tamen, locisque vicinioribus, insignior erat unius cujusque classis stationariorum multitudo, quæ ibi perpetuo agebat. Hi appetente tempore, Hierosolymam profecti, sive adjutum fratres in ministerio, seu victum, dum ministrarent, paraturi. Reliquos quod attinet, per regionem variis divisos locis, simul cum Levitis & stationariis, qui vicini ad suas classes pertinerent, conveniebant in Synagogis, jejunabant, orabant, legem legebant, supplicabant, ut fratrum esset Hierosolymis ministerium DEO acceptum. *Maimon. de Appar. Templ. p.* 258. *Lightfoot. Tom. I. Libr. III. p.* 259. *Scaliger. in Canon. Isagogicis.*

§. XI. De horum ministerii tempore adjicio, fuisse ipsum Sabbati diem, quo auspicium servitii sumeretur, & iterum diem Sabbati, quo ministerium cessaret quod cœteroqui bis annuatim redibat; Recte itaque *Eucherius in Libr. Reg. p.* 186. *Erant sortes viginti quatuor & sacerdotum & Levitarum & Janitorum, qui per totidem septimanas sibi ex ordine succederent, Sabbato nova turma intrante ad officium, & post Sabbatum ea, quæ proxima septimana ministraverat, domum redeunte.* Nisi quod per tria festa solennia, quæ Judæi רגלים appellant, fas fuerit omnibus stationibus sacra in templo obire, hac tamen lege, ut votivas spontaneasque hostias & jugia sacrificia illi tantum curarent, quorum functio tum in orbem redibat. *Maim. de Appar. Templi p.* 258. *Cunæus de Republ. Hebr. Libr. II. Cap.* 8. In una vero quaque classe hoc modo erat partitio facta. In classe, quæ habebat quinque domus patrum, tres ministrabant per tres dies; duæ vero per quatuor. In classe, quæ sex domus patrum habebat, quinque ministrabant quinque dies; una per biduum. Quæ septem domus patrum, singulæ suo die. Quæ novem, quinque per quinque dies, quatuor biduo. *Hinc Josephus libr. II. contra Appion. Licet sint viginti quatuor classes sacerdotum, quarum singulæ plus quam quinque millia hominum habeant, per certos tamen dies particulariter fit observatio, quibus peractis alii succedentes ad sacrificia veniunt, & convocati in templum meridie, a præcedentibus claves templi, & ad unum vasa omnia accipiunt, nulla re, quæ ad cibum aut potum attineat, in templum illata.* Dum aderant, hæc eorum munera erant. (a) Sacrificiis vacare, festis pariter diebus atque profestis super ara ænea, hoc officio etiam continebatur cura hostiarum inspiciendarum, seligendarum, admittendarum vel repudiandarum, secandarum, lavandarum, & tandem cremandarum, Deoq; piis precibus consecrandarum. His accessit non irreligiosior cura ignis sacri alendi & servandi subjiciendo ei quotidie ligna, Lev. 6. 12. 13. Ignis enim, quo primum sacrificium cœlitus fuit accensum, Lev. IX. 24. perpetuo alendus, fovendusque fuit, in usum sacrificiorum, inque signum & testimonium cultus, ut a DEO instituti, sic ab eodem approbati. [b.] Singulis etiam diebus, vesperi & mane, suffitus & in sancto facere oportebat. *Exod. XXX.* 7. 20. *Num. IV.* 16. *Par. VII.* 49. 2. *Paral. XXVI.* 18. Ubi *Azarias Pontifex ad Oziam Regem*: Non est tui officii Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujuscemodi ministerium. Sic quoque *Zacharias Pater Joannis Baptistæ* qui erat de octava sacerdotum classe, *Abiæ* videlicet, adolevit in altari thymiamatis. Luc. I. 8. 9. Et Singulis Sabbatis mutare panes propositionis, novosque surrogare, Levit.

XXIV. 5. seqq. veteres enim ad mensas sacerdotales relati, sacerdotibus in victum cedebant. Quod vero *David* 1. *Sam. XXI. 6.* Panes illos facierum manducavit, id a Christo excusatur *Matth.* XII. 4. *Marc.* II. 25. propter necessitatis casum. Melius enim erat homines de famis periculo liberare, quam sacrificium DEO offerre; Siquidem hostia DEO grata hominum salus. *Hieron. in Matth. c.* XII. Atque lumina affuso puro & selectissimo oleo quotidie præparare & præparata accendere Exod. XVII. 20. 21. Levit. XXIV. 1. 2. 3. 4. (c) Leprosos inspicere ac dijudicare; prævia cognitione sacerdotis, per hujus sententiam publicam declarandus erat leprosus, seu publica voce a Sacerdote pronunciandum: *Hic homo leprosus est*, *immundus est*, *in capite ejus lepra est*, Lev. XIII. 43. 44. Hinc Christus ablegat leprosos ad sacerdotes, ut illis sese sisterent judicandos, puri essent a lepra, annon. *Matth.* VIII. 4. *Luc.* XVII. 14. juxta legem *Lev.* XIII. 2. &c. Mundare & expiare leprosos, puerperas & menstruatas. Lev. XII. XIV. XV. (d) Diebus imprimis sancto Numini dicatis clangendum erat buccinis, quibus convocabatur populus, idem (e) legem Dei docendus erat & promissiones Messiæ aliaque mysteria sanctuarii. Mal. II. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam & legem requirent ex ore ejus*, quo significatur, partes summi sacerdotis, (qui *Pinehæ* successerat, ut *Grotius* in h. l. commentatur,) ita tamen, ut cæteri sacerdotes non excludantur ob universalitatem sententiæ, esse, ut & scientiam sartam tectamque servet legisque genuinum sensum rudibus communicet Lev. X. 9. 10. 11. Supremum Numen vetat, ne Aaron ejusque filii, id est, tam summus quam inferiores sacerdotes *vino & sechar* utantur, i. e. nullo omnino potu qui quacunque ratione inebriat, non adjicitur nulla causa, ut scilicet officio discretionis fungantur, sacerdotes enim sacra a non sacris, polluta ab impollutis secernere debebant; deinde officium informationis interdicti causa erat, quod filii Israel statuta divina docendi erant, conf. & *Ezech.* XLIV. 23. *Aggæi* II. 12. Agmen claudunt precationes pro populo. *Lev.* V. 6. 2. *Paral.* XXX. 27. & benedictiones populi, quod illustris declarat locus *Num.* VI. 24. 25. 26. Ubi præceptio divina *Mosi* inculcata & præscripta summo sacerdoti *Aaroni*, hinc *Syr.* XXXVI. 19. εὐλογία Ἀαρὼν audivit, sed & filiis i. e. reliquis sacerdotibus eadem imperata est; Postquam igitur docere & sacrificare summus Pontifex cessavit, hanc benedictionem populo dimittendo, impertitus est. Sex requisita εὐλογίας Hebræorum percensere placet, proferenda non exotica lingua, sed vernacula i. e. sancta, stando, & more orientalium explicatis quasi decussatim & sublatis manibus enuntianda, nec erat mussitandum, sed quam potuit clarissima voce pronuntiandum, imprimis vultu non avertendo, sed erga populum convertendo. Postremum maximeque præcipuum erat, quod nomen DEI τετραγραμμάτου ad singulas benedictiones efferendum erat. *Drus. ad loc. difficil.* Pentateuchi, pagin. 371. *Pauli Fagii* auctoritate εὐλογίᾳ conjuncta erat χειροθεσία sive manuum impositio, protenderunt enim has super populum, tanquam singulis singulorum ecclesiæ membrorum capitibus impondituri essent, gratiamque cœlitus impetratam cum ipsis communicaturi. Vid. Syr. L. 22. & *Pelargus Comment. in Num. ad h. l. p. 66.*

§. XII. At nec illud oblivisci fas fuerit, fuisse præter hos idiotas sacerdotes; *Sacerdotem ad bellum unctum*, fuisse alios *castrenses*, singulis legionibus præfectos, cum tubis argenteis in castra prodeuntes *Num.* X. 9. in quo sacerdotibus a DEO præceptum fuit, qua ratione belli tempore tubarum clangor esset faciendus. *Vid. & 2. Paral.* XIII. 12. Munus eorum in genere erat populum erudire, atque ad Deum ducere, ipsisque deinde animum addere, ut eo fortius hostes Dei aggrederentur, cumque illis decertare sustinerent. Sacerdos ad bellum unctus Judæis dicebatur משוח מלחמה *unctus belli seu in bellum*, *item unctus castrensis*. De hoc sacerdote, qui prælii causa publice fuit consecratus, multa prodit *Moses Ægyptius in Halacha Melach.* c. VII. *In bello*, *tam quod gerebatur pro imperio*, *quam quod lege divina indictum fuit*, *sacerdotem creabant*, *qui exercitum alloqueretur sub tempus prælii*, *ungebantque eum oleo sacro. Atque hic ille est*, *qui* unctus belli *dicebatur. Ejus officium est*, *bis alloqui populum; semel e libro*, *cum exeunt*, *jubet ædificantes*, *plantantes &c. domum redire*, *iterum*, *quando acies instruitur*, *vetat eos quicquam timere. Deut.* XX. 3. 4. 6. 7. Sed de unctione in Scripturis altum est silentium, at pro affirmativo præcepto habent, ut talis sacerdos crearetur ex Deutr. XX. 2. Solebat cæterum eidem in castris major, quam summo militiæ Præfecto & summus a Pontifice haberi honor, in sanctuario nullus, nisi gregarii

rii sacerdotis, hinc & auctoritate anteivit Pontificis vicarium; Talmudici eum inter Pontificem maximum & inter vicarium ejus constituunt. Cunæus loc. c. Cap. VI. p. 202. *Guil. Outram. l. c.* Interim tamen inter *sacerdotem summum ad templum unctum* & inter *sacerdotem quasi summum ad bellum unctum* talis convenientia observanda venit, (a) quemadmodum ille præses omnium sacerdotum in templo ministrantium erat, ita & hic sacerdos summus omnium sacerdotum, qui in militiam recepti, sacra administrabant. (2.) eodem modo uterque ungebatur oleo sacro, de qua unctione suo loco supra; Atque adeo quinque prærogativæ summi sacerdotis ipsi competebant, non denudandum caput, non discindenda vestis, non polluendus erat ob mortem amicorum, non ducenda vidua, sed virgo. Differebant tamen inter se hunc in modum, (a) Sacerdos summus si ungeretur, una ejus filii, qui ipsi succedebant, ungebantur, ut deinde successuri patri unctione opus non haberent; Sed sacerdotis ad bellum uncti filius, si quem haberet, pro uncto non censebatur, neque succedebat patri. (b) Sacerdos summus ministrabat in templo in vestibus aureis, excepto die expiationis, qua vestibus albis sanctum sanctorum ingrediebatur; Sacerdos vero ad bellum unctus ministrabat in vestibus albis, ut Sacerdos vulgaris. *Maim. de Appar. Templi cap. IV.* §. 21. *VVagenseil. ad Sotam. pag.* 842. Cui quidem id datum negotii, ut copias in aciem prodeuntes ad prælium strenue committendum inflammaret, ac cæteros qui abessendi privilegio gauderent, solenniter dimitteret. Inflammabat autem loco certo congregatos, stans in loco edito ac omnis exercitus coram ipso; & quidem binis vicibus milites alloquitur, semel e libro ante committendam aciem, his verbis: *Quis est homo, qui ædificavit domum novam, & non dedicavit eam? Vadat & revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius dedicet eam. Quis homo est, qui plantavit vineam, & nec dum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat? Vadat & revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo fungatur ejus officio. Quis est homo, qui despondit uxorem & non accepit eam? Vadat & revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo accipiat eam.* Quæ verba militiæ præses repetebat elata voce, ut omnes audirent. Mox idem præses militiæ propria autoritate loquebatur: *Quicunque timet, ac cujus cor mollescit, is bello exeat & revertatur in domum suam ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est. Deutr. XX.* 8. Quæ verba alius præfectus repetebat clara voce, ut omnes audirent. Illi autem omnes qui è bello exibant, non carebant onere, sed prospicere militibus de aqua & victu ac vias reparare, tenebantur, ne in deducendis copiis detinerentur. *Maimon. de Regibus Cap. VII. n.* 5. *6. 7.* 8. *9.* Deinde cum instruitur acies, timorem ex animis emovere satagit: *Audi o Israel, appropinquatis ad prælium nunc contra hostes vestros, ne mollescat cor vestrum, ne timeatis, ne expavescatis, ne contremiscite præ illis, quia* Jehova DEUS *vester incedit vobiscum ad pugnandum pro vobis, contra hostes vestros ad vos servandos.* Si finierat alloquium hoc suum sacerdos unctus, alius sacerdos priori substitutus hoc ipsum divulgabat populo, voce quantum poterat alta & clarissima, ut omnis populus audiret. *Formula concionis castrensis* qua militis animus acuitur, legere est, 2. *Sam. X.* 12. Et quis dubitet *vota* etiam adhibita fuisse? *Exod.* XVII. 2. 2. *Chron.* XIV. 2. XX. *6.* Sed & *Numen* in acie consulendum, cujus rei sacerdos *Saulem* admonebat, quod patere videtur ex 1. *Sam.* XIV. 36. Ubi *Saul* suos ita affatur; *Descendamus noctu ad Philistæos & spoliemus usque dum illucescat dies, ne quisquam eorum superstes sit*; cui regerebant: *Far omnia pro tuo lubitu*; Sacerdos deinde inquiebat: *appropinquemus Jehovæ. Leidek. de Republ. Ebr. Lib.VII. c.* 13. *pag.* 494. *VVagenseil. l. c. B. Scheid. in Tract. de oleo Unct. p.* 15. *&* 43. *Joseph. de Voisin. not. ad part. III. Pugion. fid. dist.* 3. *cap.* 11. *fol.* 623. *B. D. Carpzov. in not. ad Schikard. de. Jur. Reg. p.* 368.

§. XIII. Atque adeo *Sacerdotium Hebraicum* & ejus *ordines & Præfectos & classes ὡς ἐν τύπῳ* delineare collibitum fuit. Plura quidem sacerdotii restabant momenta, quæ cum nec spatium nec ratio instituti permittant, satis erit mihi provocasse ad Auctores citatos, ad quos B. Lectorem amandare licet, qui accurate & perquam erudite hæc talia persequti. Memorandi fuissent plures sacri ordinis homines *Levitæ Sacerdotum ministri*, quorum appellationem summis tantum labris attingemus. Qua omnes utebantur, qui tribus Leviticæ erant consortes, sive sacerdotes essent sive horum ministri. Nam ab Aarone pontificum & sacerdotum genus per posteros

ros Eleazari & Ithamari deductum est, per reliquos vero filios *Levi* reliquos ministrorum ordo, qui *Levitæ* audiunt. In duos vero ordines hos dispertitus est Moses & David, ille commisit curam tabernaculi & vasorum & instrumentorum, & arcæ fœderis, partim deferendarum partim custodiendarum. Num. I. 50. 53. quibus etiam continebatur velum, mensa, cortinæ, tectum tabernaculi, tentorium, funiculi, tabulæ, vectes, columnæ & tota supellex Numer. IV. *David* vero abrogavit institutum *Mosis*, nam arcæ ferendæ onere sublato *Levitas alios sacerdotum & templi ministros* qui proprie Levitæ nominabantur, alios *Cantores*, alios *Janitores* &c. esse voluit 1. *Paral.* XXIII. Levitarum stricte dictorum classes XXIV. constituit haud secus quam sacerdotum stationes dividebantur, quæ singulatim & alternatim per integram septimanam in æde sacra officio fungerentur, quod omnino sacerdotalibus officiis dispar erat. Namque hi a ministerio erant sacerdotum & peragebant res viliores & sacerdotali dignitate inferiores, qualis erat cura vasorum sacris peragendis destinatorum &c. Sed & idem *Rex* ejusdem, numeri familias instituit: *Cantorum* quidam *organis*, *citharis*, *tubis*, *nabliisque* canebant, 1. *Paralip.* XIV. 2. *Paralip.* VII. XX. *Esr.* III. *Vestes* distinctas a *Sacerdotibus* gestabant, non enim lineis sed *byssinis* induebantur. In *Josepho* Libr. VIII. legere est *Salomonem* stolas ducenties mille conficiendas curavisse pro Levitis hymnos canentibus; *Ex* eodem vero liquet, tempore *Agrippæ* byssinas Levitarum stolas in lineas, quibus sacerdotes assueverant, mutatas esse. *Ex tribu*, inquit, *quicunque hymnorum cantores erant, regi suaserunt, ut convocato concilio sibi concederet stola linea uti, perinde ac Sacerdotibus liceat. Rex autem ex sententia eorum, qui concilium inibant, permisit, ut priore veste posita, lineam induerent. Parte autem tribus in templo operante, & his concessis, ut hymnos ediscerent, quemadmodum monebant. Quorum utrumque legibus erat adversum.* De reliquo & *Æditorum*, *seu Janitorum* XXIV. stationes erant, qui ad januas templi excubarunt, & sacrarum arcularum custodes fuerunt 1. Par. X. & aditu templi arcebant impuros, sacramque pecuniam colligebant, argumento 2. *Reg.* XXII. 9. Ex *Philone* latius officia *Æditorum* explicant, alios enim janitorum munere functos esse, aliis vestibuli curam, aliis custodiæ fuisse, aliis porticum atriique verrendi & scobes ac quisquilias portandi officium incubuisse, asserunt. Non vero ut in sacerdotibus, ita in Levitis aut corporis integritas aut aliud spectabatur, nihil enim sacro eos munere arcebat, nec quinquagesimo anno veniam ætatis & dimissionem impetrabant nisi Cantores, si hos vox defecerat. *Tract. Talmud. qui Massechta Cholin* appellatur *c.* 1. *in fine*. Adjicere iubet ex *Maimon.* pœnam capitis subiisse, si quis ex Levitis sacerdotum munera obire satageret, aut quod extra sphæram officii esset, peragendum sibi sumeret, v. g. si Cantoris munia subiret. Contra, si Sacerdos ea faceret quæ Levitis incumbebant, pœnam capitis non subibat, licet contra *Numinis interdictum* fecisse argueretur. Strictim ut *Levitæ Sacerdotum ministri*, ita Levitarum fuerunt, qui ipsis ministrabant, quosque lignatum, aquatum & alia ministeria obeunda mittebant. Hi primum fuerunt *Gibeonitæ*, servati a *Josua* in bello, sed & *Davidis* & *Salomonis* ævo alii ex victis gentibus additi sunt & in Universum *Nethinæi* appellati, ex Romano jure *dedititios & adscriptitios* nomines. Qui de his plura cupit pernoscere adeat *Lightfoot. l. c. Cap. V. Cun. de Rep. Ebr. Libr. II. Cap. XI. p.* 227. *Sigon. Libr. V. c. IV. V. VI. VII. Leidek.* de *Republ. Hebr. lib. X. & Outram. C. IV. sub-init p.* 43. *cap. VII. a principio usque ad* finem.



ERNESTI CHRISTIANI BOLDICH

PONTIFEX MAXIMUS HEBRÆORUM.

PROOEMIUM.

NOn minus eleganter quam vere Sigonius orator ſui temporis haud poſtremus in oratione quadam loquitur: *eſt*, inquiens, *antiqitatis cognitio utiliſſima, quippe quæ Philoſophos aliquando inſtruat, majores omnes artes adornet*. Etenim ut nihil de ea dicam cognitione, quæ nobis canam Græciæ Latiique antiquitatem recludit: quæ utilitas non redundat ex S. antiquitatum notitia, ad quam Philologia potiſſimum S. nos ducit? Verba me potius deficerent, quam res, ſi in iſtis utilitatibus recenſendis prolixus eſſe vellem: ut tacitus prætermittam ſuaviſſimam, quæ omnium animos perſtringit, amœnitatem ac jucunditatem. Teſtantur id ipſum luculentiſſime tot eruditionis ac doctrinæ gloria excellentiſſimi ſupraque laudem poſiti viri: quorum omnis labor, cura, cogitatio in id poſita fuit, ut in S. antiquitatis adyta penetrarent. Hoſce igitur, ceu fulgidiſſima lumina, facem mihi ad tenebroſos S. antiquitatis receſſus præferentes, licet longe imparibus veſtigiis, ſequi apud animum conſtitui meum: eumque in finem *Pontificem Hebræorum Maximum* penitius contemplari operæ meæ qualiſcunque pretium fore ſum arbitratus. Sed quid? conamur tenues grandia? *Eſt aliquid prodire tenus, ſi non datur ultra*. Quare L. B. ſi eam, quam tibi forſan pollicitus es, perfectionem hic non reperies, facilem apud te veniam ſperamus, ſi & ingenii noſtri nondum ſubacti vires exiguas & materiæ præſentis prolixitatem animo complexus fueris. Nos vero, antequam nos huic operæ accingamus, Dei T. O. M. auxilium ſupplices expetimus.

CA-

CAPUT I.

Continens appellationes & descriptiones P. H. M.

§. I. OBjectum nostræ dissertationis, ut ex ejusdem titulo patet, communi Hebræorum uti & S. Scripturæ appellatione vocatur כהן גדול Vid. *Levit.* 21. 8. *Num.* 35. 25. 28. 2. *Reg.* 12. 11. *&c.* Vox autem כהן non uno semper sensu in S. literis accipitur: notat enim interdum *præfectum* seu *gubernatorem*. Sic 2. *Samuel.* 8. 18. filii David dicuntur fuisse כהנים i. e. *præfecti* provinciarum aut amplissimarum functionum. Unde *Chaldæus* eos vocat רברבין *Duces*; *Kimchi* autem reddit גדולים *magnates*. *Conf.* 1. *Paral.* 18. 17. Sic probabiliter nonnulli existimant, Jethro socerum Mosis, qui vocatur כהן מדין *Ex.* 3. 2. fuisse illius loci præfectum. Vid. *Clac. Clav. Script. Part. I. Hakspan. Syll. Disp. pag.* 374. *& alios*. Alias communiter sumitur vox כהן pro *Sacerdote*, *Lev.* 1. 5. *& alibi passim*. Quo in sensu etiam nobis in præsentiarum venit. Neque vox גדול unam semper significationem in Sacris habet: quippe nonnunquam idem est quod *senior seu major natu*: Sic Esau vocatur Isaaci בן הגדול *filius magnus*, i. e. *major natu*. *Genes.* 27. 1. Interdum idem significat, quod *princeps seu primarius:* Sic 2. *Reg.* 10. 6. dicuntur principes civitatis גדולי העיר. Nonnunquam significat idem quod *magnificus splendidus*. Sic 2. *Reg.* 10. 6. dicitur זבח גדול *sacrificium splendidum*, *magnificum*. Denique sumitur pro *quantitate*: Sic *Num.* 13. 29. urbes terræ Canaan vocantur גדלות *magnæ*. Omnes hi significatus, præter ultimum, optime quadrant Pontifici M. quippe qui & primogenitus (ordinarie) & princeps seu primarius & splendidus seu magnificus inter fratres suos erat. Unde & *R. Becchai ad cap.* 21. *Levit. fol.* 145. *col.* 2. Pontificem dicit appellatum גדול seu *maximum*: שהיה גדול מאחיו בחמשה דברי בנוי בכח בעושר בחכמה בכבוד *quia excelluit fratres suos pulchritudine, robore, divitiis, sapientia & honore*. Vid. *&* ויקר *seu Glossam magnam in Levit. Sect.* 26. *ad Lev.* 21. quæ pro כבור ponit שנים. Chaldæis eundem in sensum vocatur כהנא רבא.

§. II. Verum & aliis titulis insignis est P. M. in S. literis. Vocatur enim sæpenumero absolute & *κατ' ἐξοχὼ* כהן *Sacerdos*, ut *Ex.* 29. 30. *& alibi*. Item כהן הראש *Sacerdos primus*, 2. *Par.* 31. 1. *&c.* Alibi vocatur כהן המשיח *Sacerdos unctus*. *Levit.* 4. 3. *&* 26. *&c.* Ubi obiter noto, duplices fuisse Hebræis כהנים המשיחים *Sacerdotes unctos*: alius enim is erat, de quo hic agimus; alius autem ad bellum seu ad officium bellicum ungebatur, unde dicebatur משיח מלחמה *unctus belli*. Hujus mentio fit *Deut.* 20. ubi & officium ejus describitur; ad quem locum *R. Becchai f.* 209. *col.* 2. ait: ונגש הכהן זה משוח מלחמה *& accedet sacerdos: hic est sacerdos unctus ad bellum*. Vid. *Gemar. ad Tit. Horajoth.* Alius titulus P. M. tribuitur 2. *Paralip.* 31. 13. ubi dicitur נגיד בית האלהים *Antistes domus Dei*.

§. III. In Græca lingua correspondet לכהן גדול vox *ἀρχιερεὺς*: quæ tamen vox latius quandoque accipitur, eaque denotantur principes classium sacerdotalium XXIV. a Davide constitutarum e. g. *Matth.* 21. 15. Vid. *Flac. Clav. Sc. Part. I. B. Franzius in Disp. de Minist. causa mat.* §. 10. putat, vocem *ἀρχισυναγώγȣ* correspondere P. M. Sed *ἀρχισυναγωγὸς* notat potius præfectum Synagogæ seu Scholæ, qui res Ecclesiasticas dirigebat: quorum sane multi fuere in & extra urbem Hierosolymam, sicut & multas Scholas fuisse ex Historia Evangelica satis constat. At vero P. M. non nisi unicus, & quidem Hierosolymis erat, ut inferius ostendemus. *Josephus lib.* 3. *cap.* 8. vocat P. M. *ἀραβάρχην*, corrupto, uti facile patet, vocabulo ex Chaldæa appellatione הרבא כהנא.

§. IV. Latino nomine כהן גדול *Pontifex Maximus* seu *Summus* & *Pontifex* simpliciter appellatur. *Nomen autem Pontificis etsi initio paucis impositum, tam late deinceps patuit, quam orbis Romanus, cum amplissimus esset*; verba sunt *Amplis. atque Excell. Dn. Bosii. Præceptoris atque Patroni nostri venerandi Exerc. I. de P. M. V. R. cap.* 1. §. 1. De hujus autem vocis origine certant Grammatici & adhuc sub judice lis est. Quidam a *potis* & *facere* derivant Pontificis nomen: quod is potis sit facere i. e. sacrificare (hoc enim sensu vox facere *Virg. Eccl.* 3. venit) seu habeat potentiam non adeo limitatam veluti alii sacerdotes, vel quod facere deberet, quæ posset. Quam sententiam recenset *Plutarchus in Numa*, tenetque *Becman. in de Orig.* Aliam recenset opinionem *l. c. Plutarchus*, quam suam facit *Rupertus in Orat. hist. or.* 24. nempe Pontifices dictos fuisse, *quod in ponte facerent*, seu quod sacris vetustissimis in ponte peragendis præfecti essent. Tertiam *Varro* affert *l.* 4. *de L. Lat. c.* 15.

quod

quod ſcil. Pontifices dicti fuerint *a Ponte ſublicio faciendo vel reſtituendo*. Quam ſententiam aliis præfert *Longe Celeberr. Dn. Boſius l. c.* §. 8. rationem hanc ex *Varrone* & *Dionyſio* afferens, quod pons ſublicius adeo ſacer Romanis habitus fuerit, ut ſi collaberetur, Pontifex non niſi victima cæſa eum reficere poſſet: idemque pons a Pontificibus factus primum & reſtitutus ſæpe ſit. Sed quicquid ſit de hiſce ſententiis, ſufficit nobis, quod *Pontifex* vel *Pontifex Maximus* juxta primævam impoſitionem ſenſum vocum כהן גדול ſatis exhauriat. Illius enim ſcitis, qui Pontifex Romanis, & poſtea, aucto Pontificum numero, Pontifex Maximus dicebatur, omnia publica privataque ſacra ſubjecta erant, ut eſſet, quo conſultum plebs veniret: uti refert *Livius l. 1. p. m.* 37.

§. V. Sed ſatis de nomine: ad rem ipſam tandem nos accingamus oportet. Ubi in anteceſſum deſcriptionem quandam P. M. præmittemus. Fuit autem is Sacerdos ex maſcula primogeniti (ordinarie) Aaronis filii ſtirpe legitimis nuptiis oriundus, & ipſe primogenitus, puber, omnique nævo carens, ſingularibus quoque ceremoniis atque veſtitu initiandus: habens jus offerendi non ſolum alia ſacrificia, ſed & ingrediendi ſanctum ſanctorum, ſimul & ſummum inter alios ſacerdotes honoris gradum & vaticinandi ex Urim & Thummim prærogativam. Juxta hanc deſcriptionem *tria* potiſſimum noſtram conſiderationem expoſcunt: quorum *primum* eſt ipſa perſona P. M. *alterum* ejus inveſtitura ſeu initiatio; *tertium* demum ejus officium. Sit igitur

CAPUT II.

De Perſona Pont. Max.

§. I. Antequam Deus Abrahami poſteros, populum Iſraeliticum in peculium ſibi eligeret, eumque certis legibus circumſcriberet, jus ſacrificia Deo offerendi ordinarie penes primogenitum familiæ fuit. Unde *R. Becch.* Rubeno primogenito Jacobi שלשה מעלות *tres excellentias ſeu prærogativas* tribuit, nempe: חבכורה והכהנה והמלכות *primogenituram* (per quam ſine dubio intelligit duplam in hæreditatis diviſione portionem accipiendi jus) *& ſacerdotium & regnum*. Quem in ſenſum in *Miſchna Tit. Sebach. cap.* 14. dicitur: עד שלא הוקם המשכן היו הבמות מותרות ועבודה בבכורות *Antequam erigeretur tabernaculum, excelſa licita fuerunt; & functio ſacra apud primogenitos.*

§. II. Poſteaquam vero Iſraelitarum numeroſiſſima gens Deo in peculium ceſſerat: ne, ſi primogenito cuique ſacra, quomodo quando & ubicunque vellet, peragendi libertas concederetur, natio in idololatriam flecti cerea, effuſis habenis a Deo averſa, in abominandos Idolorum cultus rueret: placuit ſupremo hujus populi Regi, ex XII. illis, in quas diſtribuebatur, tribubus unam Levi ſibi ad ſacras res obeundas eligere, quæ primogenitorum officium ſacrum in ſeſe ſuſciperet, & traditos a Deo ritus ſancte obſervaret. *Numer.* 3. Sed nec adhuc ſatis cautum videbatur veræ religioni in tanta Levitarum multitudine. Unde ne populus multorum ſententiis diſtraheretur, ex omnibus Levitis unum ad ſacratiſſimam functionem ſeparavit Deus Aaronem & filios ejus, reliquis Levitis ceu miniſtris hiſce adjunctis. Ipſorum etiam Aaronis poſterorum unum ſemper caput Sapientiſſimum Numen conſtituit, qui, uti præcedenti cap. vidimus, כהן הגדול *Pontifex maximus* vocabatur. *Vid. Exod.* 28. *Num.* 17. *&* 25.

§. III. Primus qui hoc honore gaviſus eſt, Aaron fuit, ex tribu Levi oriundus: quo demortuo jure primogenituræ ad Eleazarem filium primogenitum devolutus eſt. In cujus familia incorrupta primogenitorum ſucceſſio manſit ad Heli uſque; qui ex Ithamaris familia oriundus, dignitatem hanc in poſteros uſque ad Zadocum tranſmiſit. In quo Eleazaris ſtirpi reſtituta eſt dignitas Pontificalis, manſitque in eadem primogenitis uſque ad Alcimum, quem ἐκ τῆς ἀρχιερέων γενεᾶς dicit *Joſephus lib.* 12. *cap.* 15. Fuit tamen & is ex poſteris Aaronis, uti ex 1. *Macc.* 7. 14. patet. Manifeſto igitur errore *Euſebius* illum ἐκ ἐκγένους ἱερατικοῦ, & *Nicephorus* ἀλλογενῆ fuiſſe ſcribunt: niſi per γένος ἱερατικὸν intelligas ἀρχιερατικὸν, & per ἀλλογενῆ eum, qui non ex genere Pontificali ortus fuit. Sed ab hoc ad Haſamonæos, non quidem ex ſtemmate Pontificali, attamen ſacerdotali & quidem Eleazari, ſtirpem trahentes [ut patet ex *Mac.* 2. *v.* 54.) delata eſt dignitas Pontificalis. In quorum poſteris primogenituræ jus iterum ad Herodis uſque tempora obſervatum fuit. Quin & ipſe Herodes, licet legitimam Pontificum ſucceſſionem conſulto mutaſſet, non niſi ex ſacerdotali genere Pontifices elegit, uti teſtatur *Joſephus lib.* 20. *c.* 8.

ἀρχ

ἀρχ. *Vid. Selden. de succ. in Pontif. l.* 1. *Casaubon. Exerc.* 1. *ad Bar. num.* 8. *Pet. Cun. l.* 2. *de Rep. Heb. cap.* 1.

§. IV. Ex his igitur patet, neminem ad Sacerdotium Summum admissum fuisse, nisi stirpis fuerit Aharonicæ: neque hoc solum; sed requirebatur adhuc ut ex masculo in eadem originem traheret, dignitas enim Pontificalis ad sequiorem sexum non pertinebat. Unde *Maimonides in Halch.* ביאת המקדש זר כל שאינו מזרע אהרן הזכרים שנאמר וערכו בני אהרן והקטירו בני אהרן בני אהרן ולא בנות אהרן. *Extraenus seu alienigena est, quisquis non fuerit ex semine Aharonis, idque ex masculis; quoniam dicitur* (Lev. 1. 18.) *& disponent filii Aharon*, *&* (Lev. 3. 8.) *adolebunt filii Aharon: filii Aharon, non filiæ Aharon.*

§. V. Ordinarie autem observabatur hic jus primogenituræ, ut Pontifici M. demortuo succederet in dignitate filius primogenitus, vel, si is fato defunctus fuerit, ejusdem nepos: vel, si nec hic adfuerit, aut si uterque aliqua ratione prohibitus fuerit, is qui in hæreditaria successione proximus erat; Quam in rem רש״י *seu Sal. Jarchi* de filiis Aharonis Nadab & Abihu inquit: אבל אם היו לנדב ואביהוא בנים היו קודמים לאלעזר ואיתמר בכהונה גדולה *Ast si Nadabo & Abihu filii fuissent, præponendi fuissent Eleazaro & Ithamaro in sacerdotio summo.* Ita & ad Eleazarum διὰ τὴν ἡλικίαν ἡ ἀρχιερωσύνη παραγίνεται uti ait *Josephus lib.* 4. *Antiq. c.* 4. Non ferenda est igitur sententia *Petri Cunæi*, quam de Juda Maccabæo, primo ex Hasamonæis Pontifice, fert *l.* 2 *c.* 1. eum videlicet nullo successionis jure Pontificatum accepisse. Refellitur enim satis exinde, quod deficientibus primogenitis, ii qui cognatione proximi erant, legitime succederent. Neque sane populus tanto favore Judæ Pontificatum obtulisset, nisi ipsum aliquo jure succedendi præditum fuisse scivisset.

§. VI. Diximus in præcedenti §. Pontificiam dignitatem propagatam fuisse in primogenitos horumque nepotes, nisi aliqua ratione arcerentur ab eadem. Non igitur inconveniens erit, hic quædam de obstaculis seu impedimentis, quæ ex sacerdotali genere oriundum a Pontificis dignitate excludebant, attulisse. Possunt autem illa ad quinque capita reduci: (1) fuit circa natales (2) circa ætatem, (3) circa corpus, (4) circa animum, (5) circa vitæ conditionem. De quibus ordine, sed brevissimis, pro ratione nostri instituti, agemus.

§. VII. Circa (1) notandum venit, quod sacerdotibus atque Pontifici M. non licitum fuerit, quamcunque vellent uxorem ducere: sed certis limitibus circumscriptum erat a supremo Numine ipsorum matrimonium. De Sacerdotibus exstat expressum Dei præceptnm *Levit.* 21. 7. אשה זונה וחללה לא יקחו ואשה גרושה מאישה לא יקחו וכו׳ Vulgatus reddit: *Scortum & vile prostibulum non ducent uxorem, nec eam, quæ repudiata est a marito.* De Pontifice autem Maximo tale habetur mandatum cap. cit. v. 13. seq.: : והוא אשה בבתוליה יקח אלמנה וגרושה וחללה זונה את-אלה לא יקח כי אם בתולה מעמיו יקח אשה Quæ ita latine effert Vulgatus: *Virginem ducat uxorem, viduam autem, & repudiatam, & sordidam atque meretricem non accipiet; sed puellam de populo suo.* Præter illas itaque, quæ Sacerdotibus prohibitæ erant, Pontifici M. etiam vidua interdicta erat: quam tamen Sacerdotes הדיוטן seu gregarii licite ducebant, ut ex *Ezech.* 44. 22. patet, si scilicet a Sacerdote relicta esset. Sona autem, cujus in lege mentio facta, *est fœmina quæcunque non est Israelitis, aut Israelitis, quacum concubuit vir, cujus nuptiæ ei interdicto omnium communi interdicuntur, aut quacum concubuit profanus, etiam cujus nuptiæ ei essent permissæ*; uti ait *Selden. de succ. in Pont. l.* 2. *c.* 2. Quæ autem per חללה intelligatur, non una est interpretum sententia. *Vulgatus* modo vile prostibulum, modo sordidam interpretatur. *Osiander* autem utrobique violatam vertit. *Luth.* eine Geschwächte Sed aliter *Rabbini*. Sic enim *R. Becc. Comm. in Peut.* ad *h. l.* הזונה היא שנבעלה לפסול לה כגון חייבי כריתות או נתין או ממזר וחללה היא שנילדה מחמשה פסולין שבכהונה כגון בת אלמנה מכהן גדול או בת גרושה מכהן הדיוט *Sona seu scortum est, quæ concubuit cum viro sibi illicito, sicut is a quo repudiari debet, aut Nethinæus, aut Mamser: & Profana est, quæ nata ex quinque illicitis Sacerdotibus, sicut filia viduæ ex P. M. filia expulsæ ex Sacerdote gregario.* Cœterum distinguunt etiam Rabbini inter זונה & חללה seu *scortum & profanam*, de qua manifesto liquebat, & inter ספק זונה & ספק חללה *scortum dubium & profanam in dubio.* Hæc erat, de qua non certo constabat, an ex legitimo matrimonio nata sit; illa, de qua dubium erat, an cum viro illicito rem habuisset. Utræque prohibitæ tum Sacerdotibus tum P. M. erant. Sic *Maimonides Hal. Isuri Bia* שבויה שנפדית והא בת שלש שנים ויום

או יתר אסורה לכהן מפני שהוא ספק זונה שמא נבעלה לגוי ואם יש לה עד שלא נתיוחד הגוי עמה הרו זו כשרה *Captiva redempta, quæ fuerit trium annorum præter diem unicum aut ultra, ſacerdoti interdicebatur, quoniam dubium erat ſcortum. Scilicet in dubio erat, utrum cum ea gentilis rem habuiſſet, tunc generi ſacerdotali uxor erat ſatis idonea.*

§. VIII. Cum his, quæ hactenus de conjugio Sacerdotum Pontificiſque attulimus, egregie conſentit *Joſephus l. 3. Antiq. c.* 10. inquiens: *in mandatis peculiaribus accepiſſe ſacerdotale genus* μήτε γαμεῖν τὰς ἑταιρικάς, μήτε δούλην, μήτε αἰχμάλωτον, καὶ τὰς ἐκ καπηλείας, καὶ τῷ πανδοκεύειν πεπορισμένας τὸν βίον, *neque quæſtum corpore facientes, neque ancillam, neque captivam, neque aliquam ex taberna, neque cauponariam in uxorem ducere*. Sed *Philo Judæus Alexandrinus lib. 2. de Monarch.* ulterius progreditur, & Pontifici M. non ſolum virginem ducendam eſſe vult, ἀλλὰ καὶ ἱέρειαν ἐξ ἱερέων, ἵνα ἐκ μιᾶς οἰκίας καὶ τρόπον τινὰ τοῦ αὐτοῦ αἵματος ὦσιν νύμφος τε καὶ νύμφη. *Sed etiam ſacerdotem ex ſacerdotibus ortam, ut ſponſus & ſponſa ex una domo & quodam modo ex uno ſanguine ſint.* Sed hac de re Hebræi ſilent. Hoc autem addunt hi; ſcil. Pontifici M. non licere eſſe πολύγαμον, ſed ſaltim μονόγαμον: quod ſi autem duas ſimul uxores habuerit, ipſum coactum fuiſſe, alteram ante feſtum expiationis repudiare, nec alias piaculare ſacrum rite obire potuiſſe. *Vid. Talmud. Maſſech. Joma cap.* 1. *Gemar. Babyl. ad tit. Jabimoth. cap.* 6. *Maimon. halach. Iſuri Bia. cap.* 17. & *Hal. Cele Hammik. cap.* 5. *Pet. Cun. l.* 2. *c.* 3.

§. IX. Hæc quæ hactenus de conjugio ſacerdotum Pontificiſque M. diſſeruimus, eo potiſſimum tendunt, ut, qui ad honorem Pontificalem admiſſi fuerint, ſciamus: quinam vero ab illo excluſi fuerint. Non enim aditus ad hanc dignitatem patebat omnibus illis, qui vel ex ſcorto, vel profana, vel vidua, vel expulſa, vel ſcorto & profana in dubio Pontifici vel Sacerdotibus nati erant. Unde & *Joſephus* ad Sonæ explicationem ſupra datam reſpiciens *l. 1. adv. App.* ait, δεῖ τὸν μετέχοντα τῆς ἱερωσύνης ἐξ ὁμοέθνους γυναικὸς παιδοποιεῖσθαι, *oportet eum, qui ſacerdotii particeps eſt, ex ejuſdem gentis naſci muliere. Vid. Selden. de ſucc. in Pont. libr.* 2. *c.* 2. & 3.

§. X. Hæc de primo capeſſendi dignitatem Pontificiam impedimento, nempe impuritate natalium. Sequitur (2) circa ætatem: De qua obſervandum, quod juſta functioni ſacræ ætas a Deo primitus conſtituta fuerit anno ætatis 25. uti patet ex *Num.* 8. 24. Poſtea vero, ubi ſacrificiorum numerus adeo creſceret, ut illorum miniſterio non ſufficerent tam Levitæ quam Sacerdotes, annus vigeſimus pro legitima ætate ad ſuſcipiendam functionem ſacram habebatur, uti patet ex 1. *Chron.* 24. 24. 2. *Chron.* 31. 17. *Eſd.* 3. 8. Id tamen ita accipi volunt Hebræi, ut non admitteretur, licet annum agens vigeſimum, niſi ſigna pubertatis, bini videlicet pubis pili, adeſſent. Hiſce enim anno ætatis vigeſimo deficientibus pro סריס ſeu ſpadone habebatur, & a dignitate Pontificia excludebatur. Quod ſi autem pili illi bini, ceu pubertatis ſigna, poſt decimum tertium apparerent, non arcebatur ad honore ſacerdotii ſummi. Unde *in Gemara Babyl. ad tit* חולין *c.* 1. dicitur, כשר לעבודה משיביא שתי שערות אבל אחיו הכהנים אין מניחין אותו לעבוד עד שיהא בן עשרים *Functioni idoneus eſt, poſtquam excreverunt ei pili bini, ſed fratres ſacerdotes eum in vices non accerſunt ante ætatem* 20. *annorum*. Ex quibus patet, neminem, qui minor 13. annorum eſſet, ex novella conſtitutione; ex vetuſtiori autem neminem ante vigeſimum ætatis annum ad Sacra munia atque ad Pontificatum admitti debuiſſe. Priorem tamen conſtitutionem non adeo, recentem eſſe, patet exinde, quod Ariſtobulus Hircani ex filia nepos anno ætatis 18. pontificatum geſſerit. *Vid. Joſeph. l.* 15. *c.* 11. *Selden. lib. cit. cap.* 4. *Joſ. Scaliger. in Elencho or. Chron. Dav. Paræi*. Impuberes autem illi arcebantur a dignitate Pontificia, donec P. M. loco illorum ſubſtitutus moriebatur, licet jam tum pubertatis ſuæ annos attigerint. Neque *magno Scaligero* adſtipulamur, dum *l. c.* Pontificis M. filium impuberem Pontificem maximum appellatum & actu fuiſſe aſſerit: illum autem, qui loco ejus huic officio præfuit, vicarium ſaltim ſ. סגן fuiſſe, ejuſque vicibus ad pubertatis tantum terminum functum fuiſſe. Ratio ejus hæc eſt, quod quamdiu ἀρχιερατικὸν genus ſtetit, Pontifices naſcebantur non fiebant. Verum hæc ratio, tum Scripturæ tum Hebræorum Magiſtris repugnat. *Lev.* 21. 8. is dicitur הכהן הגדול מאחיו אשר יוצק על ראשו שמן המשחה ומלא את ידו ללבש את הבגדים *Pontifex M. inter fratres ſuos, ſuper cujus caput fuſum eſt unctionis oleum, & cujus manus in ſacerdotio conſecratæ ſunt, veſtituſque eſt ſanctis veſtibus*. Ubi

non obſcure indicatur non ſufficere ad Pontificem M. ut primogenitus ſit inter fratres ſuos, ſed requiri inveſtituram. Sic etiam Eleazar ut Pontifex Patri ſuccedebat, cum veſtibus indueretur ſacris *Num.* 20. Habemus conſentientem *R. Bechai Comm. in Pent.* his verbis utentem: בגדיהם עליהם כהונתם עליהם אין בגדיהם עליהם אין כהונתם עליהם והרי הם כזרים יכתיב והזר הקרב יומת *Quando veſtibus induebantur, ſacerdotes fiebant, quamdiu autem veſtibus* (*ſacris*) *non veſtiebantur, nondum ſacerdotes erant: imo erant ſicut alienigenæ, de quibus ſcriptum eſt:* (Num. 18. 7.) *& alienigena, qui appropinquabit, morietur.* Utique ergo non ſolo nativitatis jure, ſed mediante inveſtituræ ritu ad hanc dignitatem perveniebant. An autem impuberes ſollenibus hiſce ceremoniis pontificatus titulum aſſecuti fuerint: de his altum eſt apud Hebræos ſilentium. Qui igitur pontifex non fuit, quomodo is vicarium habere potuit? Et ſane contrarium quoque patet ex exemplo Oniæ, qui, quod adhuc impuber erat, Sacerdotii ſummi dignitatem accipere non potuit: ideo eam ſibi ſumſit Eleazar & poſt hunc Menaſſes Oniæ patrui, quorum obitum exſpectare jamdudum majorennis Onias debuit. *Vid. Joſeph. l.* 12. *Antiq. c.* 2. *&* 3. *Et ſæpe cit. Seld. l. c.* Vicarius quoque ſeu סגן propter minorennitatem non eligebatur, ut dicemus infra.

§. XI. Tertium impedimentum circa corpus fuiſſe diximus ſupra: nempe ſi defectus vel nævus aliquis inveniebatur in corpore ejus, qui legitimus ſucceſſor in dignitate ſacerdotali erat, non erat potis adeundi illam. Lex hac de re expreſſa habetur *Lev.* 21. *a verſ.* 17. *ad fin.* Sed Hebræi plura, quam hic exprimuntur, vitia enumerant, diſtribuuntque eadem in tres claſſes. Primæ claſſis erant, שפוסלין בכהנים מלעבוד והבהמה, *quæ ita vitiabant tam ſacerdotes quam beſtias, ut neque hæ rite offerri, neque illi legitime miniſterio fungi potuerint.* Hujus generis L fecerunt: quorum V. in aure, in palpebris III. in oculo VIII. in naſo III. in ore VI. in vaſis ſeminariis XII. in manibus pedibuſque VI. in ſuperficie corporis IV. conſtituerunt. His adjiciuntur: 1. tremor ab ætate ſeu ſenio, 2. tremor ex morbo, 3. ſordes & inquinamenta. Secundæ claſſis erant שפוסלין את האדם בלבד מלעבוד, *quæ violabant hominem tantum, ut a ſacra functione arceretur:* hujus claſſis XC. enumerant: videlicet in capite VIII. in collo II. in aure IV. In ſuperciliis V. In palpebris IV. in oculis XI. in naſo VI. In labiis III. In ventre III. In dorſo III. In manibus VI. In vaſis ſeminariis IV. In cruribus & pedibus XV. In corpore toto IV. In cute & carne VIII. Adduntur his 1. ſurditas, 2. fatuitas ſeu inſania, 3. Epilepſia, 5. ſpiritus immundus. Tertiæ claſſis vitia ſunt שאין פוסלין אלא משום מראית העין, *quæ non vitiabant, niſi quod deformem in conſpectu redderent hominem*: bina hæc ſaltim fuerunt I. Pilorum in palpebris defectus; tametſi eorum radices remanerent. II. Dentes excuſſi. Horum autem vitiorum quædam tranſitoria fuerunt v. g. ſudor &c. quædam vero permanentia: illa quidem a functione, quamdiu aderant; hæc vero a dignitate & officio Pontificali penitus excludebant. Plura de his, quæ breviter ſaltim percurrere voluimus, qui deſiderat, adeat *Miſnam & Gemar. Babyl. ad tit.* בכורות *c.* 6. *&* 7. *Maimonidem Halach.* בית המקדש *c.* 6. *&* 7. *R. Bechai Com. in Pent. ad Lev.* 21. *Seldenum l. ſæp. cit. c.* 5. *& alios.*

XII. Huc quoque ſpectat impuritas ex mortuorum contactu contracta: hæc enim, licet Pontificem M. ab officio ſuo ſeu dignitate Pontificali non arceret, a functione tamen ad tempus eum excludebat. Interdictum autem eſt P. M. ne ullo modo contactu mortuorum, ſive cognati ſint ſive minus; imo ne quidem patris matriſque ſe impurum reddat. *Levit.* 21. 11. Imo & capillus nimis prolixus P. M. arcebat a functione ſacra ad tempus. *Ezech.* 24. 20. enim habetur mandatum, quo prohibentur Sacerdotes, adeoque & P. M. comam alere. Qualibet igitur Sabbathi veſpera ita tondendus erat P. M. ut forcipe circumquaque crines æquarentur, capite tamen non raſo. *Vid. Maim. Hal.* כלי המקדש *c.* 5. *& Hieron. l.* 13. *in Ezech. ad c.* 44.

§. XIII. Quod quartum impedimentum circa animum attinet, illud potiſſimum duplex fuit: (1) peccatum commiſſum contra præceptum de conjugio: ſi ſcil. lege divina ſibi prohibitam mulierem Sacerdos duceret, Pontificatus honores excidebat. Sic Manaſſem fratrem Jaddi excluſum fuiſſe a Pontificatu ob ductam in uxorem Sanaballatis Cuthæi filiam: tradit *Joſeph. lib.* 11. *Antiquit. c.* 7. (2) Peccatum idololatriæ, cui annumerabatur cultus vero Deo exhibitus, ſed in templo extra Hieroſolymam. De idololatria inquit *Maimon. Hal.* בית המקדש c. 9. כל כהן שעבר עז׳ בין במזיד בין בשוגג אעפ׳ שחזר בתשובה גמורה הרי

זה

לי זרה לא שמש במקדש לעולם שנ׳ לא יגשו אלי לכהן *Quicunque ſacerdos cultum præſtiterit extraneum ſive id ſponte fecerit, ſive ex errore, etiamſi pœnitentia perfecta reverſus fuerit, ille tamen nunquam in ſanctuario ſacris operabitur: quoniam dicitur* (Ezech. 44. 13.) *non appropinquabunt ad me, ut ſacerdotio fungantur mihi*. De altero autem peccato habetur præceptum in *Miſna tit.* מנחות *c.* 1. הכהנים ששמשו בבית חניו לא ישמשו במקדש בירושלם ואין צריך לומר לדבר אחר שנ׳ אך לא יעלו כהני הבמות על מזבח ה׳ בירושלם כי אם אכלו מצות בתוך אחיהם הרי הן כבעלי מומין חלקין ואוכלין אבל לא מקריבין *Sacerdotes, qui officio functi fuerunt in Templo Oniæ, functione in ſanctuario Hieroſolymitano arcendi ſunt; multo magis ii, qui idola coluere. Nam & ſcriptum eſt* (2. Reg. 23. 9.) *veruntamen non aſcendebant ſacerdotes excelſorum ad altare Domini in Hieruſalem, ſed tantum comedebant azyma in medio fratrum ſuorum. Scilicet, veluti inter eos, qui corporalibus vitiis laborabant, cenſebantur hujuſmodi ſacerdotes. Partes ſuas in diſtributionibus capiebant & comedebant, ſed minime ſacrificia offerebant.*

§. XIV. Ultimum impedimentum, quod aliquem a dignitate Pontificia arcebat, a vitæ conditione promanare diximus. Nempe ſi quis vel minus honeſtæ vel ſordidæ vitæ conditioni ſeſe mancipaſſet, ad Pontificatum adſpirare non poterat. Expreſſa hac de re verba ſunt *Maimonidis Hal.* מלכים *cap.* 1. אין מעמידין מלך ולא כהן גדול לא קצב ולא ספר ולא בלן ולא בורסי לא מפני שהן פסולין אלא הואיל ואומנותן נקלה העם מזלזלין בהן לעולם ומשיע שהוא במלאכה מאלו יום אחד נפסל *Non conſtituunt ſive regem ſive Pontificem eum, qui eſt aut lanio, aut tonſor, aut balneator, aut textor, aut coriarius. Non quod artes ejuſmodi illegitimæ ſint. Sed quoniam ob earum ſordes populus in ejuſmodi ſucceſſione nunquam acquieſceret. Etiam qui die unico aliquam ex artibus ejuſmodi exercuerit, minime idoneus redditur*. Imo vero de omnibus opificibus id videtur locum habuiſſe; quippe quos Judæi agriculturæ dediti tanquam ſervos (uti Ariſtoteli 3. *Pol. c.* 4. vocantur) deſpiciebant, nec ad ullos honorum gradus emergere ſinebant. Unde quoque exprobratum Judæis fuit, nullos apud eoſdem eſſe inventores artificiorum operumque novorum, uti teſtatur *Joſeph. l.* 1. *contra App.* Imo vero eadem videtur cauſa fuiſſe, quod Ægyptiis Hebræi, hiſque illi adeo exoſi fuerint: his quippe opificiis ut plurimum deditis, & ſellulariam deſidemque vitam agentibus paſtorum agricolarumque agile atque robuſtum genus quodvis abominationi erat: & vice verſa his deſes opificum turba. *Vid. Cun. l.* 1. *de Rep. heb. cap.* 4. *&* 5. *Conſ. Syrac. cap.* 38. *&* 39.

CAPUT III.

De Initiatione P. M.

§. I. NON ſola nativitate ſacerdotem ſucceſſiſſe in dignitatem pontificiam; ſed certis quibuſdam ceremoniis ac ritibus fuiſſe initiandum, diximus ſupra. Ritus autem iſti quatuor fuerunt: lotio, quæ fiebat aqua coram oſtio tabernaculi, unctio, veſtium indutio & ſacrificiorum oblatio: de quibus jam dicendi locus erit. Verum omnes hæ ceremoniæ non omni tempore obſervatæ fuerunt: ſed ſub templo tantum primo Pontifex M. erat מרובה משיחה ובגדים unctione ac veſtibus inſignis: ſub templo vero ſecundo tantum veſtibus inſignis erat. Interdictum enim erat Exod. 30. 33. ne Iſraelitæ ſacro illi oleo ſimile aliud conficerent: unde, cum ſub templo ſecundo nullæ ejus reperirentur reliquiæ, ejus uſus prorſus deſiit. Unde *Maimon. Hal.* כלי המקדש *cap.* 1. בבית שני שלא היה שם שמן המשחה היה כהן גדול מתרבה בלבישת בגדים בלבד שהיה לובש בגד כהונה גדולה *Sub templo ſecundo, quoniam nullum erat unctionis oleum, Pontifex veſtium indutu initiabatur, adeo ut tantum Pontificiis indumentis veſtiretur*. Erat enim oleum inter quinque res, quibus orbatum fuit templum ſecundum, cum in primo fuerint: recenſentur illæ in Gemar. Hieroſol. ad tit. מכות *c.* 2. אילו ה׳ דברים שחסר מקדש אחרון ממקדש ראשון אש ארון אורים ותומים שמן המשחה ורוח הקודש *Quinque hæ res defuerunt in templo ſecundo, quas primum habuit: ignis, arca, Urim & Thummim, oleum unctionis & Spiritus S.* Quem numerum quinarium denotari dicunt *Hag.* 1. 8. per ה paragog. in voce ואכבדה Talmudiſtæ *In Maſſech.* יומא *c.* 1. *Vid. Buxtorff. in Lex. Hebr. Raſchi D. Kimchi ad c.* 1. *Hag. &c.*

§. II. Verum nec omni tempore templi primi fuiſſe in uſu unctionem Pontificis volunt Rabbini: oleum enim ſacrum, de quo mox dicturi ſumus abſconditum eſt juxta ipſos a Joſia in templo

plo suo humum in loco abdito secretoque, quem diu ante summa cura rex Salomo paraverat, ex vatum responsis de excidio templi certior factus. In eodem specu & Arcam fœderis & baculum Aaronis & Urim ac Thummim cum residuo mannæ Josiam posuisse ajunt: quorum nihil Judæis ex captivitate reversis restitutum est. Hac de re inquit Glossa Talmud. ad Tit. Megilla cap. 1. מרובה בגדים כהנים ששימשו בבית שני ואף בבית ראשון מימות יאשיהו ואילך שנגנז צלוחית של שמן המשחה i.e. *Vestitu insignes sunt Pontifices secundi templi & primi a tempore Josiæ & deinceps: quoniam vasculum olei sancti absconditum est*. Vid. *Seld. de succ. in Pont. l. 2. cap. 9. Cun. de Rep. Hebr. l. 1. cap. 14.*

§. III. Ungebatur autem Sacerdos summus oleo quodam: cujus ad unctionem usus non Judæis solum sed & aliis gentibus in usu erat. *Vid. Ælian. l. 3. Var. Hist. cap. 13.* Non autem simplici oleo ungebatur Pontifex: sed quemadmodum in reliquis præ cæteris prærogativa gaudebat, ita pretiosiore quodam oleo ex variis aromatibus confecto ungendus erat. Quinque autem species, ex quibus constabat hoc unguentum recensentur Exod. 30. 23. quarum IV. vocantur בשמים ראש aromata principaliora vel optima. Prima species vocatur מור מר דרור myrrham significat, pinguedinem illam odoratam, quæ in Arabia Felici ex arbore 5. cubitos alta gignitur. Est autem duplicis generis alia enim ex arbore a radice ad ramos bis quotannis incisa profluit; quæ communi myrrhæ nomine appellatur: aliam autem arbor sponte, priusquam incidatur, sudat, quæ stacte appellatur a στάζω stillo; cui nulla præfertur, uti ait *Plinius lib. XII. Nat. hist. cap. 15. Vid. Pancirol. tit. XII. & ejus commentatorem Salmuth.* Sed quid מר דרור? Abundet quilibet hic suo sensu: mihi tamen vel ex significatione Chaldaica videtur hic intelligi myrrha optimæ notæ; דרורא enim apud Chaldæos principale significat: vel ex significatione Hebraica indigitatur hic stacte, quam modo descripsimus; nam דרור Hebræis libertatem denotat; essetque sic מר דרור myrrha quæ libere seu sponte non incisa arbore effluit. Hæc enim tenuior est, & ad liquida proxime accedit. Unde *Basilius in Psal.* 4. Stacten myrrhæ tenuissimæ genus esse scribit. Unguentis igitur commodior est. *Vid. de signif.* דרור *Hotting. Lex. Harm.*

§. IV. Altera aromatum species *l. c.* vocatur קנמן בשם *cinnamomum aromatis seu odoratum*, hebræam originem in latina lingua retinens. Nascitur autem juxta *Plinium lib. cit. c. 19.* in Æthiopia Throgloditis connubio mixta: quod tamen in dubium vocat *Dalechamp. in Not.* ubi asserit, quod *sicut nunc ita & olim e Moluccis in superiorem Indiam Cinnamomum vectum fuerit, mercimonium id potissimum exercente, quæ ad mare rubrum jacet, Æthiopum gente, quos Abyssinos vocamus, ob commodam Oceani propinquitatem*. Interim tamen & ipse *Solinus* Africæ hujus aromatis productionem tribuit, in *descript. Afric. c. 39. & 42.* Sic & *Phil. Cluverius Introd. Geog. lib. 6. cap. 6.* ad Nili Paludes seu lacus Cinnanomiferam regionem dictam fuisse ait. Dalechampium movet navigatio diuturna, quam Trogloditas, dum Cinnamomum ab Æthiopibus peterent, intra aliquot annos vix conficere potuisse Plinius l. c. testatur. Verum, si distantiam quis inter littus paludibus Niliacis proximum & Trogloditicam oram, quæ est graduum circiter 30. seu mill. ger. 456. si quis navigiorum, ceu illa describit Plinius, magnitudinem & navigandi imperitiam perpenderit, diuturnam illam navigationem in admirationem vix rapiet. Sed hæc obiter. Est autem Cinnamomum juxta *Plinium & Solinum ll. cc.* frutex altitudinem duarum ulnarum haud excedens: præcipuam bonitatem in partibus gracilioribus habens, quoniam ibi plus corticis est, in quo summa gratiæ. Unde, quod radicibus proximum est, utpote crassius ac minus corticis habens, vilissimum est. *Panciroll. Part. I. tit. 9.* Cinnamomum refert inter ea, quorum nulla nobis hodie est notitia: quam vero Itali Canlam vocant, Latini casiam ligneam, eam pessimo adsimilari Cinnamomo ait. Quin ipse *Galenus l. 1. Antidot.* scribit, Cinnamomum suo tempore rarum inventum fuisse, præterquam in armariis Principum.

§. V. Tertia aromatum species in textu Hebr. vocatur קנה בשם quod *calamum odoratum* significat, quem in Arabia India ac Syria nasci *Plinius l. c. cap. 22.* tradit. Qui autem in Syria juxta lacum Genesaret provenit, eum optimæ notæ esse, ibidem docemur. Gignitur ibidem quoque juncus odoratus: sed odore præstat junco calamus, statim e longinquo invitat, molliorque tactu est. Inest fistulæ calami araneum, quod vocant florem: cui vero plurimum inest aranei, præstantior habetur, uti & is, qui minus fragilis est.

§. VI. Quarta species appellatur קדה La-

Latinis Casia. Quantum autem ex *Plinio l. c. cap.* 19. liquet, Casia fuit frutex juxta Cinnami campos in montibus proveniens, cubitos tres altus, colore triplici, in inferiori parte albus, post rubescens, hinc nigricans. Tenui cute verius quam cortice cingitur: quæ quo tenuior eo pretiosior est. Nigra autem Casiæ pars bonitate reliquas antecellit, & unguentis utilior est. *Salmuth* plantam odoratissimam fuisse ait, ex qua suavissimum oleum exprimebatur *ad Pancirolli Part. I. Tit. II.* Oleo autem commixtam quondam fuisse ex *Virgilio* liquet, quando ait:

Nec Casia liquidi corrumpitur usus olivi.

§. VII. Quinta denique species, quæ ad unguentum hoc requirebatur, oleum erat, quod ad differentiam illius olei, quod ex plantis aliisque rebus exprimitur vel conficitur, שמן זית oleum olivæ seu ex olivis expressum vocatur. Ex hisce igitur aromatibus cum oleo מעשה רקח seu opere unguentario vel Pharmaceutico artificiose commixtis ungentum illud sacrosanctum conficiebatur, quo præter Regem & Pontificem, neminem ungi fas erat, propter expressum Dei interdictum. *Exod.* 30. 31. Pontificem sacro isto oleo ungendum fuisse ex *l. c.* & *Lev.* 21. 8. patet: regem vero etiam eodem unctum fuisse videtur colligi posse ex 1. *Reg.* 1. 39. expresse autem illud testatur *Gemar. Hierof. ad Tit.* הוריות his verbis: ממנו נמשחו כהנים גדולים ומלכים *Ex illo* (nempe oleo sancto) *ungebantur Pontifices & Reges*. Verum ex hebræorum sententia non æque necessarium erat ungi Regem atque Pontificem S. Ita enim רלבג *seu R. Levi ben Gerson ad* 1. *Reg. c.* 1. לא הוצרכו למשח שלמה אלא מפני מחלקת ארניה כי כמשיחת דוד נמשחו כל הקמים תחתיו מזרעו כמו שבשמחת אהרן ובניו נמשחו כל הבאים אחריהם להיות כהנים ולזה לא הוצרכו למשוח אחר כי אם כהן גדול i e. *Necesse non erat, ut ungeretur Salomon nisi ob adversam Adoniæ factionem, quoniam in unctione Davidis universi successores ejus, qui ex ejus erant semine, itidem ungebantur, quemadmodum in unctione Aharonis & filiorum ejus ungebantur eorum posteri universi in sacerdotes: unde evenit, ut postea nemo eorum necessario esset ungendus præter sacerdotem summum*. Eundem in sensum *Gemar. Hierof. l. c.* ait: כהן גדול בן כהן גדול אפילו עד עשרה דורות טעוז משיחה *Pontifex Pontificis filius necessario erat ungendus in decem generationes*: h. e. in perpetuum. Etsi autem, uti ex verbis Gersonidis apparet, sacerdotes alii non ungebantur; excipiendus tamen hic est משוח מלחמה seu sacerdos unctus ad bellum, quem auspiciorum causa unctum fuisse, ut prospere res bellica succederet, tradit *Petr. Cun. l.* 1. *de Rep. Hebr. c.* 14. *Vid. Seld. de success. in Pont. l.* 2. *c.* 9.

§. VIII. Ungebatur autem Pontifex M. non noctu sed die, quidem speties per septem initiationis dies, qui determinantur *Lev.* 8. Revera tamen post unicam unctionem Pontifex erat, & sacra legitime peragere poterat. De modo autem unctionis non una est Hebræorum sententia: *Aben Esra* vult, oleum capiti infusum fuisse antequam tiara imponeretur: *Gerundensis* contra & *Abarbenel* post impositionem illud factum fuisse, plicaturæ figuram locum in fusioni præbente. Non solum autem in caput oleum fusum fuisse, sed insuper figuram X. inter supercilia eodem factam tradunt Rabini. Sic *R. Mikotzi præc. affirm.* 199. *ait*: תנו רבננו כיצד משחין את המלכים כמין נזר והכהנים בתחילה מוצק לו שמן על ראשו ואחר כך נותן שמן בין עיניו ומוסך באצבעו זה מזה עד שהוא כמין כי יווני *Traditur a Rabbinis, ungi Reges in figuram Coronæ: pontificibus vero primum super caput oleum fundi, dein oleum inter supercilia digito in utramque ita diduci, ut figura X. Græcorum fiat*. Ita & רש׳י *ad Exod.* 29. 7. אף משיחה זו כמין כי *etiam hæc unctio erat in formam X. Vid. R. Obad. Barten. ad Tit.* כריתות *c.* 1. *Maimon. Hal.* כלי המקדש *David Kimchi ad Psal.* 133.

§. IX. Alter in initiatione Pontificis M. observandus ritus vestium indutio erat. Vestes autem, quas gestare oportebat P. M. cum sacris operabatur, XII. fuere; quæ non incommode in tres classes distribuuntur: aliæ enim fuere בגדי שש vestes byssinæ, aliæ בגדי זהב vestes aureæ, aliæ demum בגדי בד vestes lineæ. Primi generis vestes ex bysso fuere confectæ, quæ Hebr. שש Chaldæis בוץ vocatur. Byssus autem seu שש linum subtilissimum fuit & Gossypio haud absimile: immo vero ferme crediderim idem cum gossypio, lanugine ex frutice Ægypti prognata esse. Lino enim gossypino nullum candore mollitieve præferendum, & vestes inde confectas sacerdotibus Ægyptiis (qui in multis sacris ceremoniis Israelitas imitati sunt *Vid Ælian. l.* 14. *V. H. c.* 34. gratissimas fuisse, tradit *Plinius*. Unde *Ovidius* de Isidis sacerdotibus:

Nunc Dea linigera colitur celeberrima turba.

Imo

Imo Gossypinas vestes adhuc hodie orientalibus populis in vestium præcipuarum loco esse tradunt *Gabr. Sionita & Johannes Hesronita in De mor. & urb. or. c. 1. & 11. Vid. Panciroll. Part. I. tit. 5. & ejus Com. Salmut. Plin. l. 19. c.* 1. Hieron. Ep. 128. ubi byssum ob decorem & firmitatem ad Sacras vestes adhibitum esset ait. Hujus generis vestes IV. fuere: (1) femoralia vel מכנסים quæ Josepho appellantur Μαναχασὴν l. 3. *antiq. c.* 8. braccis hodiernis haud absimilia, sine tamen scissura (2) כתנת *tunica* arcte undiquaque corpus circumdans & ad pedes usque pertigens (3) *Pileus* מצנפת dictus, ex fascia XVI. cubitorum longa sæpiusque circumvoluta confectus ad instar Tulipanti Turcici, cujus descriptionem vid. *ap. laudatos mor. & urb. or. descriptores c.* 11. *& Joh. Bapt. Montalbanum de Turc. mor. p. m.* 50. (4) Cingulum sive אבנט quod מעשה רקם sive opere acupictoris confectum erat. *Quod nihil aliud erat, quam pictura textilis, filis ex lana purpurea, hyacinthina & coccina bysso intermistis*; uti explicat *Amplisf. atque Excell. Dn. Frischm. Præceptor noster ac Patronus colendissimus in Disp. de vest. Pontif. Vid. fol. l. c. R. Aben Esra & Jarchi aliosque ad Ex. 28. Maimon. hal. Celi hammik. c. 8. Seld. lib. sæpe cit. c. 7.*

§. X. Etsi autem has IV. vestes byssinas sacerdotibus gregariis gestare licitum erat: multum tamen horum ab illius nempe P. M. vestibus discrepabant, præter femoralia. Quod enim tunicam attinet, in hoc discrimen erat, quod sacerdotum tunicæ puræ erant, P. autem M. inoculata; unde & כתנת תשבץ seu tunica ocellationis dicitur. Sic enim vertendum illud nomen esse docet *nunquam satis laudatus Dn. Frischm. Disp. cit.* Pileum autem sacerdotis gregarii velut galeam fuisse, & sic discrepantem a P. M. Cidari tradit *Cun. lib. 2. c. 2. de Rep. Hebr.* Baltheus quoque P. M. auro & lana colorata exquisitius ornatus fuit.

§. XI. Aureæ vestes, quas *Bechai ad c. 21. Lev.* vocat בגדי מלכות *vestes regias*, ob regium splendorem, sic dicebantur, non quod omnibus intertextum aurum esset; sed quod pretiosiores aureisque annulis & gemmis auro inclusis ornatæ essent. Hujus generis etiam IV. fuere (1) מעיל *pallium*, quod erat vestis laxior, tota hyacinthina, tunicæ super induta: in cujus summo foramen exerendo capiti erat, limbo, ne rumperetur, prætextum. Fimbriæ autem inferiori appensa erant tintinnabula aurea LXXII. juxta *Hieron. & alios*, & ex hyacintho purpura & cocco mala punica totidem. (2) אפד *amiculum superhumerale* seu ἐπωμὶς: quod erat vestis summa figuræ quadratæ, carens manicis, duobus loris latitudinem humerorum exæquantibus in scapulis hærens, quæ כתפת *humeralia* vocantur, ex utroque latere soluta; ne tamen difflueret, artificiosissimo cinctorio, quod חשב אפד appellatur a singulari artificio, corpori astringebatur. Confectum autem erat ex auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto & bysso duplicata. *Abravanel* sic describit ואמנם צורתו היתה כמו פי תורה שאמר האפד תלוי מאחורי הכהן ורחבו היה כרוחב גב הכהן מכתף לכתף כרישת היין הכתפות לו והוא היה תלוי למטה מהכתפות כנגד בית השחי והכתפות מחוברות לו ונכפלות לפני כהן מעט וכנגד הלב היה יוצא מהאפד כמו חגרה משני צדדיו והוא חוגר בהעל' מעל האפד כמו שיתבאר h. e. *Ephod. cujus latitudo respondebat latitudini tergi Pontificis ab humero ad humerum fuit infra axillas ab humeralibus suspensum: prodiit vero e regione cordis cingulum a duobus lateribus, quod amiculum ad pallium stringebat, sicut declaratum est.* Vid. *Quistorp. Comm. in Exod. c.* 28.

§. XII. In humeralibus autem Ephod duobis inclusoriis continebantur duo Sardonyches Hebr. שהמים dicti, quam vocem minus recte Hebræi per Onychem interpretantur, quippe qui minus pretiosus lapis est. Partem autem quæ pectus tegebat, insignem faciebat (3) vestis חשן sive *pectorale vel racionale* Græcis, *Syracidi & LXX. Interpret.* λόγιον, *Josepho* Ἐσσὴν appellatum, quod duabus catenulis ex auro puro opere contortili factis inclusoriisque Sardonychum insertis a superiori parte; ab inferiori vero duobus funiculis hiacynthinis duobus annulis sub axillis ad commissuras amiculi inditis, ad Ephod astringebatur. Unde autem vox חשן derivetur, de eo nondum satis constat, nonnulli a חשה *siluit* deducunt, quod in illo mysteria Dei comprehendantur & inde depromantur. Quid, si dicamus ab Arab. חשן quod *replevit* significat, derivatum esse; quoniam lapidibus repletum erat? Sed de hoc viderint eruditiores. Sed unde λόγιον appellatur? forte ideo: quia exinde petebantur τὰ λόγια τȣ̃ Θεȣ̃ seu oracula divina. Vulgatus autem alteram vocis λόγος significationem arripiens, secutus LXX. vertit *rationale*: at sine ratione. *Pectorale* autem a pectore, quod tegebat, appellatur. חשן משפט (quod *Luth.* ad mini-

ste-

ſterium & poteſtatem reddendi oracula reſpiciens vocat *Exod.* 28. das Ampt/Schildſein/ & *Syr.* 45. das Macht/Schildlein/) ſic dicitur, quod exinde de jure, judicio & decretis divinis oracula promebantur. Unde *Michlal Jophi* ait: קראו כן לפי שהיו עליו האורים והתומים שהיו מודעים משפט כשהיו שואלים בהם h. e. *vocarunt ita pectorale Judicii, quod in eo erant Urim & Thummim, quæ interrogantes jus homines docebant*. *R. Aben Eſra* autem latius extendit vocis משפט ſignificationem quando ad *Exod.* 28. ſic commentatur טעם משפט דיני השם ונזירותיו העתידות h. e. משפט *ſignificat judicia Dei & decreta ipſius futura*.

§. XIII. Conſtabat autem חשן ex duplici plagula quadrata & ſpithamam in longitudine & latitudine habente, ex auro, hyacintho, purpura, cocco bis tincto & byſſo duplicata confecta: quarum altera, baſis loco erat, altera vero duodecim gemmas aureis palis incluſas continebat. Unde כפול dicitur *Exod.* 28. 16. Quamvis alii putent, ſed ſine ratione, diſtinctum fuiſſe in duas partes, inter quas in medio nomen tetragrammaton poſitum fuerit, & inde duplicatum dici, ut רש״י *ad c.* 28. *Exod.* Gemmæ autem iſtæ duodecim, quæ enumerantur *l. c.* in quatuor ordines diſtributæ ſummam pectorali conciliabant elegantiam & decus inſigne. In tertio autem ordine ſecunda gemma שבו vocatur, quem *Buxt. in Lex.* vertit. *Achatem* & alii plerique: ſed *R. Iſacc Abrabenel* פי׳ *in Ex. c.* 28. tradit reperiri quoſdam, qui illam *Magnetem* interpretentur: quo collineare videtur *Targ. Hieroſ.* quod tranſtulit ברזלך *ferreum ſeu ferrugineum*. Verum ſine ulla probabilitatis ſpecie. Magnes enim nec pretio nec colore neque fulgore inſignis inter pretioſiſſimas ac fulgidiſſimas gemmas locum vix habere potuit. In hiſce autem gemmis inſculpta erant nomina duodecim tribuum opere glyphonico.

§. XIV. Hiſce ſingulari artificio ab iis, quibus hæc opera demandata erat, confectis, jubetur a Deo Moſes ſuperaddere pectorali האורים והתומים *Urim & Thummim*. *Luth.* reddit Licht unde Recht *Vulg. Doctrinam & veritatem*. *Aquila & Theod.* φωτισμὸς καὶ τελειώτες Horum ratio in quo conſtiterit, de eo tot ſenſus reperies quot ſunt capita. Multi *Urim & Thummim* a gemmis non diſtinguunt ut *Pelarchus*, *Rivetus in cap.* 28. *Exod.* *L' Empereur in not. ad Moſ. Kimchi* ὁδοιπορίαν, inducti variis rationibus, quas videre eſt apud *Quiſtorp. annot. ad c.* 28. *Exod.* Verum huic ſententiæ obſtare videtur (1) quod in pectorali Judicii, jam confecto expreſſe juſſus fuerit Moſes ponere Urim & Thummim. *Ex.* 28. 30. & cum inveſtitura Aharonis *Lev.* 8. deſcribitur, *v.* 8. expreſſe diſtinguitur החשן ab Urim & Thummim. (2) quod ex Urim & Thummim reſponſa dare poterat conſultus Pontifex, quod ex lapidibus vix fieri potuit. *R. Sal. Jarchi* putat, Urim & Thummim fuiſſe nomen המפורש quod medio pectoralis inſertum fuerit. Sed refutat eum *Michlal Jophi*, inquiens: י״א מבנזר מענין אורה ולא נתברר אצלינו מה הם האורים והתומים כי ירמה כפי דפסוקים שהם דבר אחר זולתי אבן החשן ורש״י פי׳ שהוא כתב שם המפורש שהוא נותנו בתוך כפלי החשן שעל ידו היה מאיר את דבריו ומתמים דברים ולא נודע האמת *Sunt qui Urim a lucendo derivant: ſed nobis non liquet, quid Urim & Thummim fuerint. Textus ſane videtur innuere, fuiſſe aliud quid quam pectoralis lapides. Raſchi ait fuiſſe Schem Hamphoraſch, quod inter pectoralis partes additum fuerit, & per illud verba fuiſſe illuſtrata & perfecta. Sed enim, an ſe res ita habuerit non ſatis conſtat.* *R. Bechai* ſtatuit, Urim & Thummim conſtitiſſe in nominibus ſanctis, ex quorum literis colluſtratis Pontifex componere voces ope Spiritus S. ſuper ipſum venientis potuerit & ſic reſponſa dare. Verba prolixiora ſunt, quam ut hic referri poſſint: *vid. fol.* 106. *col.* 2. & 107. *col.* 1. *Comm. in Pentat.* Verum nos potius Michlal Jophi ſubſcribimus. Si autem quid conjecturis dandum: videtur ipſorum ratio conſtitiſſe in ſingulari quodam fulgore ac miraculoſa luce. Unde *in Talmud. Maſſ. Joma dicitur*: למה נקרא שמם אורים ותומים אורים שמאירים את דבריהם תומים שמשלימין לדבריהם *Quare vocantur Urim & Thummim? Urim dicuntur, quia verba illorum illuſtrant; Thummim, quia verba illorum perficiunt.* Unde & *Joſeph. l.* 3. *antiq.* ceſſationem Urim & Thummim deſcribens dicit, lapides illos deſiiſſe fulgere.

§. XV. Pectorale autem hoc cum Urim & Thummim cum templo primo eſſe deſiit, nec amplius repertum fuit. Unde *Don. Iſaac Abravanel*: לא היה הכהן בכל זמן בית שני משיב באורים ותומים h. e. *toto illo tempore, quo ſecundum templum ſtetit, Pontifex non reſpondit per Urim & Thummim*. Ubi inſigni errore *Joſephus* 200. annis ante abſolutionem ſui ſcripti h. e. centum annis ante Chriſtum natum deſiiſſe Urim & Thummim ſcribit *l.* 3. *c.* 9. *Antiq.* *Vid. Caſaub. in Exerc. ad Baron.* Longe

Ce-

Celeberr. Dn. Frischm. in Disp. cit. & §§. 1. 2. *hujus cap.* Ne autem illegitima esset P. M. functio, si paucioribus justo vestibus indutus sacro ministerio fungeretur עשו בבית שני אורים ותומים כדי להשלים שמנה בגדים ואעפ שלא כראשונים *Fecerunt tempore templi secundi Urim & Thummim ad complendum numerum vestium octonarium etiamsi veteri non respondebat.*

§. XVI. Quarta demum vestis erat ornamentum illud aureum in Cidari Pontificis, ציץ & *Exod.* 39. 30. נזר הקדש *bractea seu corona sancta* dictum, quod ex auro mundissimo ope bracteario diducto folium floris πλατυφύλλυ referebat: unde & Græci istud πέταλον χρυσῦν, Josephus vero τελαμῶν χρύσεον appellant. Huic laminæ literis prominentibus inscriptum erat קדש ליהוה SANCTITAS DOMINI. Coronam hanc describit *R. Becchai f.* 107. quem audiemus. כך היה מעשה הציץ ועשה טס של זהב ורחב שתי אצבעות ומקיף מאזן לאזן וכותב עליו שני שטין קדש ליי' קדש למטה ליי' למעלה והיו האותיות בולטות *Corona sic facta fuit: fecit laminam auream latam duos digitos & pertingentem ab aure ad aurem, & inscripsit ei duo hæc verba:* SANCTITAS DOMINI: SACTITAS *inferne*, JEHOVAH *superne, erantque literæ prominentes.* Sed quid dicemus hic de Josepho, qui in descriptione pilei Pontificalis mire discrepat a reliquis Hebræis, dum non solum illum lamina hac aurea, quam modo descripsimus, exornat, sed etiam aliam hyacinthinam mitram ei super impositam vult, & sic triplici corona insignem facit *l.* 3. *antiq. c.* 9. Aut igitur eum (qui tamen testis oculatus videtur) simpliciter erroris crassi condemnemus necesse est; aut dicendum Pontifices templi secundi, cum regiam sibi dignitatem ac diadema sumerent, ut eo conspectiores essent, & cidaris simul regium diadema referret, adjecisse ornamenta quædam aurea ac hyacinthina: quæ tamen vestium numerum quaternarium non augerent. Ex quo factum etiam fuisse videtur, quod *Philo in lib.* περὶ φυγάδων Pontifici regium diadema tribuit.

§. XVII. בגדי לבן seu *vestes albæ*, quibus tertiam vestium classem tribuimus, simplicissimæ fuerunt, quoad formam quidem & numerum cum primæ classis vestibus convenientes; sed quoad materiam discrepantes. Illæ enim ex bysso exquisitissimi generis purpura, auro, aliisque coloribus ornatæ fuerunt: hæ vero, nempe Vestes albæ, ex lino vulgari ac puro, Hebr. בד dicto, confectæ fuerunt: unde & *Lev.* 16. 4. omnes hujus classis vestes, nempe tunica, femoralia, baltheus & tiara & בד seu lino viliori confectæ dicuntur. *Maimon.* quoque *Hal.* כלי המקדש *ex* הפשתן *seu lino vulgari* (vid. Ex. 9. 31.) constitisse ait: verba sunt hæc: בגדי לבן הם ארבעה כלים ששמש בהן כהן גדול ביום הכפורים וארבתן לבנים ומן הפשתן לבדו הן כתנת ומכנסים ואבנט ומצנפת: i. e. *Vestes albæ fuerunt indumenta quatuor, quibus indutus Pontifex sacra faciebat die jejunii. Erant autem ea albi coloris, atque ex lino tantum: nimirum tunica, braccæ, cingulum & infula.* Ut mirer summum illum virum *Seld. l.* 2. *de suc. in Pont. c.* 7. asserere, hasce vestes fuisse ex bysso seu lino purissimo.

§. XVIII. Quando igitur initiabatur Pontifex M. indutis (1) femoralibus & supra lumbos constrictis, (2) tunica talari vestiebatur, quam (3) cingebat cingulum ornatissimum: post cingulum (4) induebatur pallio, cui (5) Ephod cum (6) pectorali imponebatur. Demum (7) Cidari caput tegebatur, & cidari ligamine hyacinthino alligabatur (8) corona aurea. Hæ autem vestes semper ornabant Pont. M. quando sacris operandum ipsi erat: nec alii præterquam ipsi easdem gestare licitum erat. Unde falsum est, quod *Cunæus libr.* 1. *c.* 6. *& Episcop. libr.* 3. *instit. Theol. sect.* 4. *c.* 17. asserit, etiam Davidem induisse Ephod, & exinde consuluisse Deum: sed locus 1. *Sam.* 30. 7. & quæ ibidem habetur particula לי hoc non evincunt, quippe quæ hic ut & alibi mere expletiva est. *Vid. R. Becch. fol.* 162. *col.* 3. Imo hæc sententia & Scripturæ locis *Deut.* 33. 8. *& Syr.* 45. 16. & Hebræorum placitis repugnat. Quando autem P. M. Sanctum sanctorum ingrediebatur, non utebatur 8. hisce vestibus, sed simpliciorem habitum induebat, scil. albas illas vestes, quas modo descripsimus. Qua de re videatur *c.* 16. *Lev. Vid. Gemar. Hieros. ad Tit. Joma c.* 7. *Jos. l.* 5. ἁλώσ. *c.* 15. sic scribit. ταύτην τὴν ἐσθῆτα οὐκ ἐφόρει τὸν ἄλλον χρόνον. λιτοτέραν δὲ ἀνελάμβανεν, ὁπότε δ' εἰσίοι εἰς τὸ ἄδυτον. εἰσῄει δ' ἅπαξ κατ' ἐνιαυτὸν μόνος. ἐν ᾗ νηστεύειν ἔθος ἡμέρᾳ πάντας τῷ Θεῷ. *Hanc vestem* (intelligit auream) *quovis tempore non gestat* (Pontifex): *Sed simpliciorem assumit; & tunc quando ingreditur adytum, ingreditur autem semel solus in anno: in quo die mos est omnes jejunare Deo.* Quæ verba mire pervertit *Cunæus l.* 2. *c.* 1. adeoque ex afficta Josepho mente ipsum accu-

accusat. Sic enim ille vertit: *Hunc vestitum pontifex non quovis alio tempore habebat, (viliorem quippe assumsit) Sed tunc, cum intrabat in adytum &c.* Verum notum est, quod particula δε sæpe expletive, sæpe etiam copulative, non adversative sumatur.

§. XIX. Moris fuit apud orientales in luctu vestes dilacerare; id quod hinc inde, ex sacris liquet: quem morem adhuc observant Judæi, ut testis est *Buxt. in Synagog. Jud.* & orientales, testibus *Gabr. Sionita ac Joh. Hesronita in desc. urb. orient. c.* 16. Quin non solum in luctu a Judæis hæc consuetudo observabatur: sed etiam cum aliquid Blasphemiæ & quasi contra Deum audirent. *Vid. Hier. ad loc. Matth.* 26. *& Talm. Misn. Tit. Sanhed.* Verum Pontifici M. ut & reliquis sacerdotibus lege divina, *Levit.* 10. 6. *& cap.* 29. 10. conceptis verbis lata, interdictum fuit vestes suas scindere. Sed hic videtur obstare factum Caiphæ, qui in toto Sacerdotum consessu, audita (ut falso putabat) blasphemia, vestem scidit, quod impune vix laturus fuisset, si contra legem fecisset. Attamen *Baronius Tom. I. Annal. ad A.* C. 34. ait: *Caipham lege contemta, quo cæterorum astantium animos in Christi perditionem magis ac magis concitaret, furore quodam percitum, primum summorum omnium Pontificum (quorum sit memoria) sic sua vestimenta conscidisse.* Alii negant Caipham contra legem fecisse, & mire se circa *ll. all.* explicationem torquent. *Casaub. in Exerc. ad Baron.* inquit priorem legem, quæ habetur *Levit.* 10. ad illam saltim actionem, quæ ibi describitur, pertinere; quod alioqui nemini ex Aaronis posteritate licitum fuerit vestes dilacerare. Alterum autem præceptum de scissione in luctu tantum loqui ait. *Cunæus l.* 2. *c.* 3. putat leges illas spectare tantum modum scindendi. Verum expressa textus verba cum huic tum alteri sententiæ obstant. Ut autem has sententias conciliemus, notamus *ex acutissimo Seldeno l.* 2. *c.* 12. *de jure N. & G. juxt. disc. Ebr.* quod distinguendum hic sit inter vestes P. M. & sacerdotum sacras, & inter vestes vulgares, quas extra Sacra munia gestabant. Has quidem licite P. M. & sacerdotes scindebant; illas non item, id quod leges volunt: unde & *in Gemar. Babyl. ad Tit. Joma c.* 7. *fol.* 72. dicitur: המקרע בגדי כהונה לוקה *qui dilacerat vestes sacerdotales, vapulabit.* Unde facile patet, quid dicendum de Caipha: tunc temporis enim non vestitus fuit vestibus sacris, sed vulgaribus, quas licite scidit. Notant autem singularem ritum Hebræi circa scissionem Pontificis M. Sic enim legimus in *Misna Tit. Horaj. cap.* 3. כהן גדול פורם מלמטה וההדיוט מלמעלה *Pontifex dilacerat a parte ima, sacerdos gregarius a summa.* Sic & *Maimon. Hal. Sanhedr.* מהיכן קורע מלפניו והקורע מאחריו או מן הצדדין או מלמטה לא יצא ידי חובת קריעה אלא כהן גדול שהוה פורם מלמטה *Quomodo dilacerat? a superiore parte. Qui autem a tergo aut a latere aut ab inferiore parte dilacerabat, is a ritu dilacerationis aberrabat. Quod tamen de Pontifice S. non est intelligendum, cui a parte inferiori dilacerandum fuit. Vid. Becch. Comm. in Pent.*

§. XX. Ad magnificentiam vestis Pontificiæ facit ejus asservatio, quam in turri fortissima, ad latus templi septentrionale ab Hasamonæis ædificata, & ab Herode Antonia dicta, sub sigillo Pontificis custoditam fuisse *Josephus l.* 15. *c.* 14. tradit. Post mortem autem Herodis sub Romanorum custodia fuit, usque ad tempora Vitellii; qui, quod splendide acceptaretur a Judæis, iisdem gratiam facturus custodiam vestis Pontificiæ, nacta ab Imperatore potestate, illis permisit. Imo cum postea ejus custodiam Romani præsides, tanquam splendidum quoddam officium, sibi vindicare rursus vellent, Judæi pro hoc privilegio non dubitarunt legatos Romam ad Imperatorem cum literis supplicibus mittere: quibus & Imperator annuit, uti prolixius refert *Josephus d. l. Vid. & Cun. l.* 2. *c.* 2.

§. XXI. Sacerdos S. vestitus unctusque certis adhuc erat initiandus sacrificiis, sanguine pecudis immolatæ illitis auricula dextra & pollicibus manus pedisque dextris. Sacrificia illa describuntur *Exod.* 29. *& Lev.* 6. 20. Vocabantur autem illa sacrificia, Sacrificia מלואים Impletionum. Sic *Ex.* 29. 22. aries immolandus vocatur איל מלואים aries impletionum: cujus appellationis ratio a *R. Salomone* hæc datur, quod eo compleretur ac perficeretur initiatio sacerdotalis. Describitur autem hic ritus communiter per impletionem manus. Unde *Num.* 3. 4. *& alibi* dicitur מלא ידם *implevit manum eorum* i. e. ministerio eos consecravit. Quæ locutio inde nata est, *quod tradendo certas partes sacrificiorum in manus sacerdotum, immitterentur solleniter in possessionem muneris sacrificandi, in eoque plenissime confirmarentur,* uti ait *Buxt. in Lex. Hebr. p.* 416. Omnes autem hi initiationis ri-

tus per ſeptem dies continuabantur, ut ſcil. (1) lavaretur P. M. poſtea (2) veſtibus indueretur; hinc (3) oleo ungeretur, (4) denique ſacrificia offerret.

CAPUT IV.

De Officio P. M.

§. I. HActenus de perſona ac initiatione Pont. M. Reſtat ut breviſſimis agamus de ejuſdem officio. Fuit autem iſtud Pontificis officium duplex: aliud ipſi cum reliquis ſacerdotibus commune erat: aliud vero ipſi proprium fuit. Illius officii partes fuere: offerre ſacrificia, orare pro populo, verbum Dei docere ac interpretari *Mal.* 2. 7. *Syr.* 45. 21. item benedicere populo *ibid. it. c.* 50. *Num.* 6. 13. *ſeq.*

§. II. Partes autem officii, quod P. M. ſoli obeundum erat, neque aliis ſacerdotibus conveniebat, erant ſequentes: I. Solus Pont. M. in die הכפורים ſive expiationum, qui eſt decimus menſis Tiſri, adyta tabernaculi, quæ ſanctum Sanctorum appellantur, ingrediebatur, & quidem ea hora, quæ piaculari ſacro dicata erat. Legem hac de re tulit expreſſam Deus *Lev.* 16. teſtatur idem *Ep. ad Hebr.* 9. 7. Sic & *Maimon. in Hal.* בית הבכירה *c.* 7. ait: בית קרש הקרשים מקודש מבין ההיכל שאין נכנס לשם אלא כהן גדול ביום הכפורים בשעת העבודת *Sanctum Sanctorum eſt ſacratius reliqua parte templi, quia nemo illud adit, niſi Pontifex, die expiationum, ipſa ſacrificii hora. Vid. Pet. Cun. l.* 2. *c.* 4. *&* 5. ubi erudite diſputat contra Auguſtinum & Sigonium, aſſerentes, Pontificem quotidie Sanctum Sanctorum ingreſſum eſſe, & Sanctum Sanctorum intra velum cum Sancto extra velum confundentes. *Et Joſeph. l.* 5. *cap.* 15. *R. Bechai Comm. in Lev.* 16. *alioſque.* Sed hic diſſenſum reperies inter doctos, quoties illo expiationum die ingredi debuerit P. M. ingreſſum eſſe intra velum (1) cum ſuffimento [2] cum ſanguine juvenci [3] cum ſanguine Hirci. At vero *Caſaub. Exerc.* I. *ad Annal. Baron.* hoc negat, quando inquit: *Tanta fuit illius loci* [Sancti Sanctorum] *religio & ſanctimonia, ut, non dicam, Laici aut etiam ſacerdotes Pontifici S. propiores gradu, verum etiam ipſe P. M. ſi vel ſæpius in anno, quam unico duntaxat die, aut illo ipſo die, ſi ter aut quater eo ingrederetur, mortis ſupplicium ſine ulla ſpe veniæ fuerit ipſi ſubeundum.* Cui ſententiæ & nos ſubſcribimus, dicimuſque, bis P. M. ingreſſum fuiſſe illo die intra velum; ſemel quidem cum ſanguine juvenci, & ſemel cum ſanguine hirci, Semper autem ſuffimentum ipſi fuit afferendum: cum ſolo tamen ſuffimento ingreſſus non videtur. Teſtem produco hujus rei *R. Bechai. Comm. in Pent. f.* 137. qui ſic ait: לא יבא בכל עת אל הקרש מבית לפרוכת אלא בקטרת כענן וכו׳ *Non ingreditur P. M. ullo tempore in ſanctuarium intra velum, niſi cum ſuffimento ad inſtar nubis* &c. Unde & *Philo l.* 2. *de Monar.* ὁ νεὼς παντὸς λόγου κρείσσων, ὡς ἐκ τῶν περιφαινομένων ἐστὶ τεκμήρασθαι. τὰ γὰρ ἐντὸς ἀόρατα πάντη πλὴν ἑνὶ τῷ ἀρχιερεῖ. καὶ τούτῳ μέντοι δι᾽ ἔτους ἐπιτετραμμένον ἅπαξ εἰσιέναι, πάντ᾽ οὐκ ἔστιν ὁρατά. Πυρεῖον μὲν γὰρ ἀνθράκων πλῆρες καὶ θυμιάματος εἰσκομίζει, πολλῆς δ᾽ ἀναδιδομένης, ὡς εἰκός, ἀτμίδος, κατέχεται τὰ ἐν κύκλῳ πάντα καὶ ἡ ὄψις ἐπισκιάζεται, καὶ ἀνακοπὴν ἴσχει, πρόσω χωρεῖν ἀδυνατοῦσα. *Templum omni prædicatione eſt pulchrius, ut quidem ex iis, quæ apparent, colligi poteſt: Nam quod ad ea pertinet, quæ in penetrabilibus ſunt, ea nemini viſuntur niſi uni Pontifici M. Atque huic ipſi quidem, cum quotannis duntaxat ſemel intrare fas ſit, non tamen omnia cernere licet. Etenim thuribulum ignitis carbonibus & odoramentis plenum illuc infert: omnia autem circumcirca tenentur multo fumo, qui, ut conſentaneum eſt, excitatur: tum vero & viſus quoque obtenebratur, inhibeturque ut longius ſeſe ferre nequeat.*

§. III. II. Solus P. M. expiabat die jejunii cum ſanctuarium & tabernaculum teſtimonii ac altare, tum & ſemetipſum, ſacerdotes & univerſum populum. Id quod orando Lev. 16. 6. immolando vitulum v. 11. & hircum, v. 15. utriuſque ſanguinem una cum ſuffimento v. 12. intra Sanctum Sanctorum inferendo, & ſepties verſus propitiatorium ſpargendo, v. 14. 15. eodemque altare exterius perfundendo, v. 19. denique impoſitis hirco per ſortem emiſſario facto manibus confitendo peccata ſua totiuſque populi, peragebatur. In quo miniſterio non utebatur P. M. ſplendidis iſtis veſtibus quas aureas vocant: Sed indutus בגדי בד *veſtibus lineis*, quæ בגדי לבן *veſtes albæ* vocantur & a nobis *cap. præced.* §. 17. deſcriptæ ſunt, hoc miniſterio fungebatur. *Vid. quæ diximus* §. 18. *cap. præc.* Dum etiam hæc ſacra piacularia peragebat P. M. SS. Dei Nomen יהוה decies pronunciabat quoad literas & apices ſuo S.

Sic

Sic enim *R. Bechai Comm. in Pent.* ait: וכשהיה כהן גדול מתודה ביום הכפורים היה אומר הכתוב הזה בתפלתו והשם שהיה מזכיר בכתוב הזה הוא שם בן מב׳ *Pontifex M. quando confessus fuit in die expiationis, protulit scripturam hanc in oratione sua: & nomen quod protulit secundum scripturam hanc, est nomen 42. literarum.* Et post quædam interjecta: היה מזכיר עשרה פעמים במקדש ביום הכפורים *pronunciat illud denis vicibus in die expiationis* Sacerdotes vero & populus stantes in atrio, inquit idem: וכשהיו שמעין את השם המפורש יוצא מפי כהן גדול בקדושה ובטהרה היו כורעים ומשתחוים ונפלים על פניהם ואומרים ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד *cum audirent Schem hamphorasch exire ex ore P. M. in sanctitate & puritate, incurvaverunt se & adorarunt, & ceciderunt in faciem suam, dicentes: Benedictum sit nomem gloriosum regni ejus in seculum & sempiternum. Vid. Mass. Joma c. 6.* Quod autem modo de vestibus lineis diximus, id non ita universaliter de omnibus sacris accipiendum est: ultimum enim solennis hujus expiationis sacrificium peragebat P. M. vestibus aliis, uti ex *cit. cap. v. 23. & 24.* patet.

§. IV. III. Solus Pontifex M. oracula divina ex Urim & Thummim, de quorum ratione supra §. 14. *cap. præc.* egimus, reddebat consultus, tum de rebus arduis suscipiendis, tum de causis ponderosissimis dijudicandis. Scilicet, quia Deus sibi in peculium elegerat populum Israeliticum, ut ejus remp. vere Theocratiam dixeris: ideo se inconsulto noluit quicquam, quod maximi momenti esset, in eodem agi; imo ipsum Regem huic suæ voluntati ac supremo directorio parere voluit. Ut igitur esset, quo consultum tum Rex tum populus iret, S. Pontificem Urim & Thummim instruxit, ex quibus divina responsa petebat, quærentibusque reddebat. Verum non cuilibet patuit aditus ad sanctissimum hocce oraculum consulendum; neque quamlibet rem leviculam ad eam deferre fas fuit. Sed regibus duntaxat, judicibus summis totique populo aut eorum delegatis licitum fuit de rebus gravissimis, uti de bello suscipiendo, de negotiis aliis rempubl. concernentibus, item de causis, quarum decisio a Synedrio magno investigari non poterat, oraculum hoc consulere: quibus responsa reddere Summi Pontificis officium erat. *Vid. P. Cun. lib. 2. cap. 2.*

§. V. De modo autem consulendi oraculum R. Becchai hæc refert: ומי שבא לשאולת הכהן באורים ותומים כך היה הענין היה הכהן עומד פניו כלפי הארון והשואל עומד מאחרי הכהן ולא היה שואל בקול רם ולא מהרהר בלבו אלא כאדם שמתפלל בינו לבין עצמו והיה מוציא הדבר בפיו ומיד היה הכהן מתלבש ברוח הקדש ומביט בחשן ורואה בו במראה הרואה עלה או לא עלה באותיות שהיו בולטות מן החשן כנגד פניו ואין שואלין אלא צבור ומלך וכו׳ *Veniente aliquo ad Pontificem consultum per Urim & Thummim, sic res agitur. Stat Pontifex facie ad arcam conversa; consulens autem a tergo sacerdotis: qui non utitur voce nimis elata, nec nimis submissa & intermurmurante; sed qualis est hominis secum orantis. Statim igitur ut ore suo rem profert, Spiritu S. indutus Pontifex, oculis in pectorale defixis, videt in eo visione prophetica: ascende: aut ne ascende, literis a pectorali protuberantibus. Non possunt vero oraculum hoc consulere nisi vel cœtus vel rex.* Quod hic de literis protuberantibus, quarum & supra mentionem injecimus, ait Magister, id omni probabilitate destituitur. Quod si enim ex literis protuberantibus voces componere, quæ oraculum exprimerent, debuisset, utique totius Alphabethi literas in pectorali contentas esse oportuit: quarum tamen aliquæ defuerunt. Quod telum declinare cupientes *Talmudistæ, in* בית ישראל & *D. Kimchi, Comm. in 20. Jud.* sine fundamento scripturæ, imo potius contra eam, statuunt voces שבטי אברהם יצחק יעקב item vocem ibidem exstitisse: quod ipsis defendendum reliquimus.

§. VI. Etsi autem responsa, quæ reddebat P. M. ex Urim & Thummim infallibilia & irrevocabilia erant, quem in sensum *R. Abravanel in Pent. f.* 200. *col.* 1. ait יעוד מהאורים ותומים בלתי חוזר *Promissio ab Urim & Thummim progressa non erat revocabilis.* Non tamen exinde sequitur Pontificem M. fuisse in se infallibilem. Gravissime, pro more solito, hac de re loquitur *Longe Celeberr. Dn. Frischm. in Disp. ad loc. Deut. 17. v. 8. §. 3. Ipse Pontifex V. T. nunquam polluit hac infallibilitatis dote, quippe qui, si ejus particeps fuisset, in dubiis & difficilibus causis, quas ex lege & sua ipsius scientia resolvere non poterat, minime consulturus fuisset oraculum. Num. 27. 21.* *

* At refutatur *Frischmuthi* sententia, & propugnatur infallibilitas Pontificis ex *Deut.* XVII. 8. &c. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris* &c. *Veniesque ad sacerdotes Levitici generis &c. Et facies, quodcunque dixerint &c. Juxta legem ejus: sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio &c. morietur homo ille.* Sacerdos, de quo hic agitur, vel multorum eterodoxorum sententia erat P. m.

CAPUT V.

De Numero, domo, electione, & Vicario P. M.

§. I. IS, quem hactenus descripsimus, Pontifex M. unicus tantum per totam vitam erat: non vero plures simul dignitate Pontificia ex æquo gaudebant. Expresse hoc asseritur in *Gem. Hieros. ad Tit. Horaj. cap.* 3. אין מושחין כהנים גדולים כאחת *non ungebant duos Sacerdotes S. simul. Vid. eand. ad Tit. Joma cap.* 1. Idem asserit *Doctor Perplexorum in Hal. Cele Hammik. c.* 4. שני כהנים גדולים אין ממנין כאחת *non constituebant binos simul Pontifices*. Et suadet hoc ipsum ratio desumta a Vestibus S. Pontificis: nusquam enim legimus, eas binas fuisse. Si igitur bini fuere Pontifices, alterum eorum neque vestibus sacris indutis initiatum esse, & sine vestibus Pontificiis, ut Pontificem, sacra obiisse necessum fuit: quod absonum, uti patet ex superioribus.

§. II. Sed hic contrarium statuunt nonnulli inducti his rationibus: [1] dicunt tempore Davidis duos fuisse Pontifices, Abjatharem ex Ithamaris, & Zadocum ex Eleazaris posteris, uti patet ex 2. *Sam.* 8. 17. Verum, quod Zadoc ex æquo dignitatis Pontificalis non fuerit particeps, sed potius Vicarius Abjatharis exstiterit, id sane patet luculenter ex 1. *Reg.* 2. 35. ubi dicitur, quod Rex Salomo Zadocum constituerit in locum Abjatharis. E. eadem dignitate Pontificia cum Abjathare non fruebatur antea. Sed excipit hic *Quist. Comm. ad* 1. *Chron.* 16. Zadochum tunc universæ plebis Pontificem designatum fuisse. Cæterum in eandem dignitatem surrogatus fuit Zadoc, quam tenuit Abjathar. Sic enim verba textus habent: ואת צדוק הכהן נתן המלך תחת אביתר *& Zadocum sacerdotem constituit Rex in locum Abjatharis*. Eodem in sensu dicitur vers. præced. quod Benajah constitutus fuerit Imperator תחת יואב *loco Joabi*. Unde si Zadoc designatus fuit totius plebis Pontifex, sequitur, quod etiam Abjathar universæ plebis Pontifex fuerit; adeoque, quod Zadoc non fuerit Pontifex: id quod adversatur Quistorpio.

§. III. Sed alium arietem huic nostræ sententiæ opponunt. Dum enim *Luc.* 3. 2. dicitur, quod verbum Domini factus fuerit ad Johannem ἐπ' ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα. Hinc colligunt, duos tunc temporis fuisse Pontifices S. Annam scil. & Kaipham. Hanc sententiam, quæ expressis Hebræorum dictis contrariatur, ut elidant eruditi, in varias scinduntur opiniones. Nonnulli enim, ut *Nicephorus*, *Eusebius*, *Petavius*, annuam tunc temporis hujus dignitatis ac muneris fuisse functionem, sed contra Josephi aliorumque fidem, statuunt. Alii putant Annam & Caipham non vocari ἀρχιερεῖς seu summos Sacerdotes ob sacram functionem, sed propter munus civile: volunt enim Annam fuisse principem Synedrii magni, qui a Talmudistis vocatur נשיא בכל מקום; Caipham vero in eodem Synedrio proximum Annæ fuisse, qui Hebr. אב בית הדין *pater domus judicii* appellatur. Hujus sententiæ est *Baronius in Annal. & Seldenus de suc. in Pont. l.* 1. *cap.* 12. Verum an vox ἀρχιερεὺς in sacris ullibi denotet civile officium, de eo valde dubitamus; nec ab autoribus illis id hactenus evictum est. Alii vero probabilius arbitrantur, Annam Caiphæ, quem tunc temporis Pontificem S. fuisse, ex *Josephi l.* 18. *c.* 3. constat, vicarium fuisse, quemadmodum Ithamar Eleasaris fratris, Zadoc Abjatharis vicarius fuit: nec infrequens est, tum vicarios Pontificum tum etiam eos, qui dignitate Pontificali privati erant, ἀρχιερεῖς vocari. *Vid. Jos. l.* 17. *c.* 8. *l.* 20. *c.* 6. Hujus sententiæ quæ probabilissima videtur, sunt, *Jo. Scaliger in præfat. Thes. temp. præmissa. Casaub. ad Annal. Bar. Exerc.* 9. *num.* 4. *L' Empereur ad Tit. Talm. Middoth*. Sed excipit contra hanc sententiam *Seldenus l. c.* Vicarium dignitate inferiorem fuisse Pontifice; adeoque non debuisse præponi Annam, si vicarius fuisset, Caiphæ. Verum ad hoc respondet *Casaub. d. l.* factum illud fuisse, [1] quod Annas non solus Pontificatu ipse functus fuerat, sed etiam inter omnes Archieratici ordinis sacerdotes & senio & autoritate & filiorum dignitate, quos omnes ad Pontificatum, Josepho teste, evectos vidit, præminebat [2] quod socer ipsius Caiphæ erat.

§. IV. Quemadmodum autem unicus tantum P. M. fuit: ita etiam tantum in urbe Hierosolyma, non vero alibi; habitandum ipsi fuit. Præterea etiam ædiculam Pontifici in templo extructam fuisse tradunt Hebræi, in qua interdiu fere permansit. *Vid. Talm. in Massech.* מדות. *Et Cun. l.* 2. *c.* 3. Hæreditarius autem ei fundus nullus ex lege divina erat: sed victus ei sufficiens & toti ejus familiæ erat ex decimis Levitarum, primitiis omnium frugum ac sacrificiis,

quæ

quæ P. M. ſacra eſſe ac in ſuſtentationem cedere voluit Deus. Sacrificia autem vel carnes immolatarum pecudum & panes aliaque oblata ante tabernaculum in loco ſacro ipſi comedenda fuerunt. *Lev.* 10. *Num.* 18.

§. V. Etſi autem maxima fuit dignitas Pontificis M. ut præter Regem ipſi nemo præferretur: unde in *Gemara Hieroſ. Tit. Harajoth.* dicitur: מלך קודם לכהן גדול כהן גדול קודם לנביא וכו׳ *Rex præfertur Pontifici M. P. M. præfertur prophetæ*: ſubjectus tamen fuit judicio Synedrii magni, quod Hieroſolymis ex LXXI. Senioribus prudentiſſimis congregabatur. Unde in *Maſſech. Sanhedrin.* dicitur de P. M. *Judicat & judicant ipſum, teſtimonium perhibet, ac teſtimonium adverſus illum admittitur, diſcalceat & diſcalceant pro uxore ejus*. Sic & in *Miſna ad tit. eund. c.* 1. legimus: אין דנין לא את השבט ולא את הנביא שקר ולא את כהן גדול אלא על פי ב״ד של ע״א *Non judicant tribum neque prophetam falſum, neque Pontificem M. niſi ex ſententia Synedrii, quod conſtabat ex LXXI. viris.* Etiam hoc Synedrium in peſonam eligendi Pontificis M. inquirebat, deque ejus vitiis judicabat. Ritus hujus proceſſus deſcribitur in *Miſna Tit. Middoth. cap.* 5. his verbis: לשכת הגזית שם היתה סנהדרין גדולה של ישראל יושבת ודנה את הכהונה וכהן שנמצא בו פסול לובש שחורין ומתעטף שחורין ויוצא והולך לו ושלא ימצא בו פסול לובש לבנים ומתעטף לבנים נכנס ומשמש עם אחיו הכהנים *In conclavi cæſi lapidis congregatum fuit Synedrium magnum in Iſrael, & judicabat ſacerdotes. Sacerdos autem in quo reperiebatur vitium, veſtes induebat nigras, quibus amictus & egreſſus abibat. Cum vero vitium non inveniebatur, miniſterio fungebatur cum fratribus ſuis ſacerdotibus*. Hoc modo examinatum & abſolutum Sacerdotem idem Synedrium [accedente tamen ſemper, ſi regibus ſubeſſet populus, Regia autoritate ac poteſtate] Pontificem M. conſtituebat. Unde *Maimon. Tit. Cel. Hammik. c.* 4. אין מעמידין כהן גדול אלא בית דין של ע״א *non conſtituere ſolebant Pontificem M. alii præter Synedrium LXXI. virorum*. Poſtquam vero Pompejus Judæam Romanis ſubjecerat, apud Romanos, & quibus illi id concederent, non tamen prorſus excluſo Synedrio, poteſtas conſtituendi Pontificem M. fuit, uti ex Joſepho paſſim patet.


§. VI. Antequam autem huic noſtræ opellæ ultimam imponamus manum, operæ pretium erit, aliquid de *Vicario P. M.* cujus ſæpe mentionem injecimus, coronidis loco afferre. Vocatur autem is ſtylo ſacro כהן משנה *ſacerdos ſecundarius* 2. *Reg.* 25. 18. a Talmudiſtis ac Rabbinis vero סגן *vicarius*. De eo hæc tradit *Maimon. Halach. Habod. Jom Hakkip. cap.* 1. מתקינין לו כהן גדול אחר שאם יארע בזה פיסול יעבוד האחר תחתיו בין שאירע בו פיסול אחר שהקריב קרבונה זה שנכנס תחתיו איני צריך חינוך עבר יום הכפורים הרי הראשון חוזר לעבודתו והשני עובר ואם מת הראשון זה שני מתמני תחתיו *Subſtituebant P. M. alium; ut, ſi eveniret in illo inquinamentum, miniſtraret alter pro ipſo: ſive eveniret in ipſo impuritas, poſtquam adduxerit oblationes. Hic autem, ut miniſterio pro ipſo fungeretur, non opus habebat initiatione. Quando autem elapſus erat dies expiationis, ecce P. M. redibat ad functionem ſuam, & ſecundarius abibat. Et, ſi Pontifex moreretur, P. Secundarius ipſi ſurrogabatur*. Parallela habentur in *Tit. Joma c.* 1. & *Gem. Babyl. ad tit. Sota c.* 8. *ad tit. Joma cap.* 4. Potiſſima autem cauſa, quare Pontifici ſuus tribuebatur סגן, inter alias fuit ſeminis profluxus, quamvis leviſſimum quodvis impedimento erat inquinamentum, ut P. M. functione piaculari fungi nequiret Sic in *Gemar. Hieroſ. ad Tit. Horajoth cap.* 3. de Simeone filio Camithi refertur, quod, cum, ambulatum exiret cum Archelao Tetrarcha, defluerentque ei ſtillæ ſputi in veſtimenta ejus, atque eum inquinarent, frater ejus Juda ingreſſus fuerit & miniſterio loco ejus functus fuerit. *Vid. Joſeph. lib.* 17. *Antiq. cap.* 8. *Caſaub. Exerc.* 1. *num.* 9. *ad Annal. Bar.* Unde facile patet, erroneum eſſe, quod *Joſ. Scaliger in Elencho Chronol. orat. D. Paræi* aſſerit, nempe P. M. Succeſſori legitimo minorenni datum fuiſſe vicarium. Non enim propter minorennitatem ſed propter inquinamenta dabatur P. M. סגן. Deinde minorenni non poterat dari vicarius, cum nondum eſſet Pontifex, uti fuſius oſtendimus *c.* 2. §. 10. *Vid. Seld. lib.* 2. *cap.* 1.

§. VII. Etſi autem elapſo die expiationis vel alio, quo finiebatur impuritas Pontificis M. סגן כהן גדול vicariam operam P. M. non amplius præſtabat, uti ex Maimonide audivimus; Segenis tamen ſeu vicarii nomen perpetuo obtinebat: non tamen munia P. M. propria obire poterat, niſi eo tempore, quo P. M. inquinatus erat. Imo vero nec ſacerdotis gregarii nec Pontificis partes obire potuiſſe Segenem illum elapſo die feſto, ſed medium quaſi fuiſſe, cum ipſi deſcendere in dignitate ſacra non

licue-

licuerit, traditur in *Gemar. Babyl. ad tit. Joma cap.* I. & *alibi*: quamvis aliter sentiat *Maimonides*. Cum igitur dignitate proximus esset סגן Pontifici M. hinc quoque, ut docet *Maimonides l. c.* mortuo eidem successit. Quod tamen de alio non est intelligendum, quam de eo, qui alias legitimus successor ex lege erat. Hinc verisimile videtur, eum qui jure succedendi juxta legem gaudebat, ordinarie in vicarium electum; extraordinarie tamen & alios. Quo tamen in casu Maimonidis assertum locum non habuit. Et tantum hac vice.





JOHANNIS BRAUNII
DISSERTATIO
DE SANCTITATE SUMMI PONTIFICIS
EX EJUS SELECTIS SACRIS EXCERPTA.

CAPUT I.

DE SANCTITATE POPULI JUDAICI OMNIUMQUE SACERDOTUM IN GENERE.

I. *Esus Christus Summus Pontifex ab omni peccato purus esse debuit*. *Ejus* Sanctitatis *luculentum testimonium* Hebr. 7. 26. II. *Materia ad hunc locum pertractanda*. III. *Præmittitur* distinctio Sacerdotum. IV. *Paulus hic non de quolibet, sed de* Summo Pontifice *agit*. כהן הדיוט Sacerdos minor. בני אהרון filii Aharonis. כהן גדול Pontifex max. *Sacerdotum alii* Patres, *alii* אחים fratres. *Sub Novo Test. omnes sancti sunt Sacerdotes, Christus est* אבי עד Pater æternitatis, *nos* fratres. *Quædam loca Scripturæ*. V. *Solus Christus peccatum expiare potest*. *Id depictum fuit sub Test. Veteri*. *Cur Paulus hic urgeat maxime Sacerdotium* Summi Pont. VI. Pontif. Max. *quotidie in Templo ministrare potuit*. Cod. Joma. *Maxime septem diebus ante festum expiationis*. *Cæteris diebus raro fiebat*. VII. *Decimo Tisri expressa lege sacra faciebat*. *Hoc præcipuum ejus erat Ministerium*. *Hoc sacrificio Christum clarissime depingebat*. *Huc respexit, Paulus hoc loco*. VIII. Summus Pontif. perfectus *esse debuit*; *Christus* Perfectior. IX. *Totum Sacerdotium, Templum, & omnia vasa sacra & Sacrificia & Sacerdotes Christi fuerunt picturæ*. *Probatur de* Tabernaculo, de Templo & de Vasis. *De* Altare Holocaustorum. *De* Aureo, Septem candelabris. Arca fœderis, *De* Sacrificiis. X. *Hæc omnia* sancta & perfecta *fuerunt*. Tem-

plum

plum *atque* Tabernaculum מקדש *Græce* ἱερῶν. *Vasa* כלי הקדש Altare sanctificat. *Sacrificia dicuntur* תמימים Perfecta. *Decem gradus* sanctitatis *locorum*. *Locus* Sanctissimus, *erat* Adytus. *Solùs Pont. Max. in id ingrediebatur*. Cod. Kelim. Maimonides. XII. Sanctitas *personarum habuit gradus etiam decem*. Cod. Kiddusschim. *Hæc distinctio sub Novo Test. est ablata*. XIII. Sacerdotes, Levitæ & Israelitæ *sanctiores*. Proselyti *parum a Judæis existimabantur*. Cod. Niddach. *Sola progenies Sancta credita*. גוי קדוש XIV. *Israelitæ* Viri *sanctiores* mulieribus. *Hæ in Templo ab adyto remotiores stabant*. *Liberi* Proselytarum *nati dicti sunt* בקדושה in sanctitate. Cod. Jebammoth, & Chetuboth. *Inde Pauli dictum*. 1. Cor. 7. 13. 14. *Supremum gradum* Sanctitatis *obtinebat* Pontifex Maximus. XV. Sacerdotes מקדשים sanctificati *dicti*. *Sancta* Matrimonia *contrahere debuerunt*. *Ex quo genere?* Sanhedrim. *Ducere etiam possunt filiam* Israelitæ; *sed* viri honoratioris. *Filiam etiam* Proselyti, *sed quo sensu?* Cod. Kiddusschim, & Biccurim. Maimonides. XVI. Sacerdos *nullo laboret vitio* בעל מום Vitia *quæ Sacerdotem ineptum reddunt*, *numero* CXLII. Cod. Bechoroth. Maimonides. Philo. *Sacerdotes Gentilium se evirabant*. Persius. Lucianus. Plato. XVII. *Sacerdotum* ætas. Gemara Cholin. *Debebant esse* אישים Viri. XVIII. Vitia mentis. *Alia* שברים sanabilia. *Alia* קבועים stabilia. *Sacerdos* Templi Oniæ *Idololatra habitus*. Cod. Menachoth. Maimonides. Excelsorum *Sacerdotes rejecti*. Maimonides. Cod. Berachoth. *Ebrietati deditus*. Cod. Cherithoth. XIX. Unctio Sacerdotum. *Symbolum donorum Dei*, Lotio manuum & pedum. Sudor *ad ministerium Sacerdotem reddit ineptum*. *Nitidissima habuerunt* vestimenta. *Nullum* שעטנז ex varia materia. *Qui* colores, & *ubi?* XX. *Sacerdotes explorandi utrum legitimi, familia & corpore*. *Admissi a Patribus vestiti albis, reliqui nigris vestimentis*. Cod. Middoth. Maimonides. Vitio laborantes *ligna vermibus purgarunt*. Cod. Menachoth.

Summi Pont. sine peccato.

I. JEsum Christum filium Dei summum esse Ecclesiæ atque unicum Sacerdotem, S. Scriptura ubique docet: sed & eundem esse perfecte sanctum & sine ulla macula, non tantum Scriptura, sed & ipsa ratio clamat. Cum enim peccata illi fuerint expianda, ipse ab omni peccato liber esse debuit, nam quicunque vel minimo peccato est pollutus, absit ut aliorum expiare possit scelera, is ipse Sacerdote, qui ejus crimina expiet, eumque cum Deo reconciliet, opus habet. Deinde oportet ut sit commercium aliquod inter internuncium, & eum apud quem pro reo intercedit; cum quasi in medio utriusque stare debeat. Sed nullum intercedere potest commercium inter Deum & peccatorem, cum peccata eum a Deo procul arceant. Es. 59: 2. vide 2. Cor. 6. 14. 15. Tandem quamdiu ipse debitor est in ære, alterius sane debitum solvere non potest. Inter tot insignia loca Scripturæ Sacræ, quæ *Sanctitatem* atque *Perfectionem* Summi Pontificis tradunt, luculentior nullus extat, quam ille qui legitur apud Apostolum Paulum, in Epistola ad Hebræos Capite VII. Com. XXVI. hisce verbis τοιοῦτος γὰρ ἡμῖν ἔπρεπεν ἀρχιερεὺς, ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, καὶ ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν γενόμενος. Hæc verba nunc propius examinanda suscepimus, quo certiores de summa summi nostri Sacerdotis *Sanctitate* atque *Perfectione* fiamus.

Sacerdos crimine pollutus peccata non expiat.

Materia hujus libri.

II. Duo præcipue circa hunc locum examinanda veniunt. Primo qualis esse debeat Summus Pontifex, qualesque sint ipsius virtutes? Deinde quod decuerit fideles, maxime sub Novo Testamento, ejusmodi Summum Pontificem habere.

III. Ante omnia tamen quædam præmittenda censuimus, de distinctione Sacerdotum, eorumque, ut & reliquarum personarum & rerum, sub Veteri Testamento, *Sanctitate* & *Perfectione*, quæ hoc Capite absolventur. In sequentibus autem disputabimus de ipso Pontifice maximo, illius ministerio, sanctitate atque perfectionibus. Tandem locum Apostoli ipsum propius examinabimus.

S. Pontifex hic describitur.

IV. Notari velim, non describi hic, quemlibet Sacerdotem, sed indicari tantum

tum ἀρχιερέα *Summum Pontificem*. Nota est iis, qui vel prioribus digitulis Talmudica attigerunt, distinctio inter

Distinctio Sacerdotum.

כהנים הריוטים *Sacerdotes totius ordinis*, quales fuerunt omnes בני אהרן *filii Aharonis*; & inter כהן גדול *Pontificem Maximum*, quorum omnium primus fuit *Aharon*, ita & omnes ejus successores Summi Pontifices, stante Sacerdotio Veteris Testamenti, quasi *Patres* fuere reliquorum omnium Sacerdotum; quare & non raro sacerdotes אחים *fratres* nuncupantur. Sub Novo Testamento ista distinctio evanuit, nisi dicamus cunctos fideles hodie Sacerdotes esse Deo. Hoc nomine sane non indigni habemur; sumus enim ἱεράτευμα ἅγιον, ἀνενέγκαι πνευματικὰς θυσίας. 2. Petr. 2: 5. immo βασίλειον ἱεράτευμα, vs. 9. Apoc. 1: 6. Offerimus quoque *Sacrificia spiritualia*, *vitulos labiorum*. Es. 66. 1. 2. 3. Malach. 1. 11. immo *corpus* & *animam*. Rom. 12. 1. 2. Sed sacrificia *laudis* & שלמים *gratiarum actionis* magis quam חטאות vel אשמים & alia *Hilastica*, quibus expientur peccata nostra. Tale sane solus obtulit filius Dei, qui ideo ἱλασμὸς nobis factus dicitur. 1. Joh. 2. 2. & חטאה & ἁμαρτία *peccatum*, id est *Sacrificium pro peccato*. Exod. 29. 14. 2. Cor. 5. 21. Summus autem Pontifex noster sub Novo Testamento nullus est alius præter solum filium Dei Jesum Christum; ut quemadmodum Aharon ejusque Successores Pontifices Maximi fuerunt *Patres* reliquorum totius ordinis, ita sane & Christus fit pater omnium: est enim אבי עד *Pater æternitatis*. Es. 9. 5. De Summo hoc Pontifice, filio Dei, Apostolus solo hic loquitur.

Sub N. T. omnes sunt Sacerdotes.

Varia Sacrificia,

V. Et sane sub Novo Testamento nemo, præter summum Pontificem Jesum Christum, peccata expiare potest: quod aliquo modo depictum fuit sub Veteri Testamento. Nam, etsi omnes Sacerdotes totius ordinis quotidie obtulerint sacrificia & oblationes, in remissionem peccatorum, nihilominus tamen multa quæ per totum annum vel neglecta vel per ignorantiam omissa fuerunt peccata prætermittebantur, & ab iis non expiabantur: sed decimo demum die Tisri, in solenni expiatione per Summum Pontificem expiabantur, cum reliquis omnibus peccatis. Ita sane per solum nostrum Pontificem Maximum Jesum Christum, expiantur peccata omnium fidelium, etiam ea quæ per Summum Sacerdotem sub Veteri Testamento expiari non poterant. Non est igitur mirum, quod Apostolus agens de Sacerdotio Testamenti Novi, omisso Sacerdotio totius ordinis, urgeat Sacerdotium solius Ἀρχιερέως *Pontificis Maximi*, cum non nisi per ipsum sacrificium solum peccata remittantur.

Solus Christus S. Pontifex.

Solus peccata expiat.

VI. Verum quidem est, Pontificem Maximum singulis diebus totius anni in Templo ministrare, si forte voluisset, omniaque, aut talia quæ vellet ministeria præstare potuisse, quemadmodum docent Magistri, Codice Joma, Cap. 1. §. 2. כל שבעת הימים הוא זורק את הדם ומקטיר את הקטרת ומטיב את הנרות ומקריב את הראש ואת הרגל ושאר כל הימים אם רצה להקריב מקריב שכהן גדול מקריב חלק בראש ונושה חלק בראש *Omnibus septem diebus* (scilicet ante festum expiationis, quibus Potifex Maximus erat reclusus in Templo, & unde non exibat ante finitum festum) *ipse* (Pontif. Max.) *spargebat sanguinem* (sacrificii jugis, quod mane & Vespera offerebatur) *suffitum faciebat*, *lucernas curabat*, *caput & pedem offerebat*. *Cæteris autem diebus omnibus* (totius scilicet anni) *si volebat offerre* (sacrificia jugia) *offerebat; quoniam Pont. Max. partem primus offerebat, & partem sibi primus* (ex iis quæ comedebantur] *sumebat*. Ex quo loco manifesto patet Pontificem Maximum non fuisse adstrictum ad certam aliquam cohortem, sive custodiam Sacerdotum, qui per hebdomadas ministrabant: sed liberum ei fuisse, ut singulis diebus, si voluisset, offerret, & tales quidem partes Sacerdotii obiret, (totum enim ministerium unus solus peragere non poterat] quales ipse eligeret. Nihilominns tamen id ab eo raro fiebat, cum per legem ad quotidianum ministerium adstrictus non fuerit.

S. Pontifex singulis diebus ministrare poterat.

VII. Quod autem attinet ad ministerium decimi diei Tisri, ad peragendam solennem expiationem, expressa lege divina astringebatur, uti ex verbo Dei, maxime ex capite XVI. Levitici constat. Hoc erat præcipuum ejus ministerium. Per hoc sacrificium, magis quam per ullum aliud verum nostrum Pontificem Maximum, Jesum Christum depingebat, quandoquidem tunc, non certa peccata tantum, aut quorundam hominum, aut certi alicujus diei, sed omnia totius populi, per totum annum perpetrata, expiabantur, quod a Christo, non typice & per umbras, quemadmodum a Pontifice Maximo olim, vere præstitum est: *sanguis enim Jesu Christi nos purificat ab omnibus peccatis*. Ille quoque factus est ἱλασμὸς *propitiatio* pro peccatis, non tantum Judæorum, sed *totius mundi*. 1. Joh. 2. 2. id

Decimo die Tisri, ex lege debuit.

Christum depingebat.

id est omnium populorum & nationum, quandoquidem Christus omnes Deo reconciliavit; ut Deus nunc factus sit, *non tanto Judæorum, sed & Gentilium Deus*. Rom. 3. 29. 30. Ad hoc sacrificium, sive ad solennem hanc expiationem, quæ singulis annis X. die Tisri fiebat per Summum Pontificem, Apostolus hoc loco respicit, ut ratione Expiationis hujus diei, Christum cum Summo Pontifice conferat.

Sub N. T. Pontifex non est typicus, sed verus.

VIII. Sed antequam ad alia pergamus, & hoc notandum est: Apostolum hic, cum vellet describere Sanctitatem & Perfectiones Summi Pontificis Novi Testamenti, eas non tantum conferre cum Sanctitate & Perfectionibus Summi Sacerdotis Veteris Testamenti, sed & eas multum reliquis præferre; Nam in hoc olim omnia fuere typica tantum: Ipsæ perfectiones & sanctitas ejus [ut totum ejus ministerium] erant plurimum carnales, & imperfectæ: quare & ipsius purificationes, sanctificationes, & expiationes, erant tantum δικαιώματα σαρκὸς, *justificationes carnis*. Hebr. 9. 10. & *umbræ futurorum bonorum*. Hebr. 10. 1. vide Hebr. 7. 16. At vero *Sanctitas* & *Perfectiones* Summi nostri Pontificis sunt veræ, spirituales & omni numero completæ. Deinde attribuuntur ei perfectiones quas Pontifex Maximus olim non possidebat, quamvis iis ornatus esse debuerit, de quibus omnibus nobis dicendum erit.

Totum Sacerdotium & quæ ad illud pertinent sancta.

Typi veræ Sanctitatis. Templum & Tabernaculum sanctum.

IX. Ut autem clarius constaret, quanta sit sanctitas & perfectio Summi nostri Pontificis, hodie sub Novo Testamento, silentio præterire non possum, quod totum *Sacerdotium*, & *Templum*, & *Vasa Sacra*, & *Sacrificia* & *Sacerdotes* omnes, cujusvis ordinis, picturæ fuerint Summi Pontificis sub Novo Testamento, adeoque quod omnia aliquam habuerint Perfectionem & Sanctitatem, minimum legalem & typicam. De *Templo* atque *Tabernaculo*, ejusque *Vasis* neutiquam dubitari potest, cum Servator noster toties *Templum Dei* exsertis verbis dicatur, Dan. 9. 24. Zach. 6. 12. 13. Ideo Christus ipse corpus suum vocat *Templum*. Joh. 2. 19. 21. Hinc & σκηνὴ τοῦ θεοῦ μετὰ τῶν ἀνθρώπων dicitur καὶ σκηνώσει μετ' αὐτῶν. Apoc. 21. 3. Confer Joh. 1. 14. Eo collineavit Paulus Col. 2. 9. ubi dicit: *omnem plenitudinem Dei habitare in Christo corporaliter*. Deus quidem sub Veteri Testamento etiam habitavit in medio populi sui, præsertim in Templo, sed ibi habitabat tantum tanquam per *umbram*, nunc autem habitat in Christo filio suo, qui est omnium umbrarum verum *corpus*.

Et vasa.

Idem de *Vasis Sacris* quoque dicendum est. Sane *Altare* luculentam fuisse picturam Jesu Christi, vel inde patet quod ipse *Altare nostrum, de quo comedimus*, dicatur. Hebr. 13. 10. videatur quoque Apoc. 6. 9. 8. 3. 9. 13. 11. 1. 14. 18. 16. 7.

Altare de quo comedimus, quale?

Et utrumque *altare*, cum magnum *Holocaustorum*, tum *aureum*, Christum repræsentasse certum est. Magnum *Altare holocaustorum*, intelligit Paulus Heb. 13. 10. ubi dicit, *habemus altare de quo comedimus*; victimæ enim, quæ *comedebantur*, veluti *Paschata*, *Pacifica*, Sacrificia pro *peccato*, & pro *reatu*, imponi solebant huic, non autem *Aureo*, adeoque de *aureo* non comedebatur.

Christus depictus.

Tamen & ipsum *Altare aureum* in היכל i. e. in loco Sancto Christum indicabat. Christus enim obtulit *Thymiamata* ad Altare, quod fieri solebat ad *Altare aureum* in loco Sancto. Apoc. 8. 3. De quibus suo loco plura habuimus. Obtulit autem *Thymiamata* & *Preces Sanctorum* suo merito, adeoque in seipso & per seipsum, tanquam in sanctissimo, & Deo acceptissimo Altari. Sed & ἱλαςήριον *Propitiatorium* nostrum exsertis verbis vocatur; Rom. 3. 25. quod scilicet כפרת in sancto sanctorum ipsum filium Dei exhiberet.

Septem Candelabra.

Septem Candelabra non tantum Symbolum fuerunt Ecclesiæ Dei, maxime sub Novo Testamento, & inprimis ob septem diversa & notabilia ipsius fata, sive Periodos, quare Christus etiam *ambulare* dicitur *in medio septem Candelabrorum*, Apoc. 1. sed & manifesto Christum exhibebant, præsertim ob lucem quam in Templo diffundebant. Ideo φῶς τοῦ κόσμυ Joh. 1. & *Sol justitiæ* Mal. 4. dicitur.

Arca fœderis Christi pictura.

Arcam fœderis Christi quoque fuisse *Emblema* fatebitur quicunque cogitaverit, eum esse verum מלאך הברית *Angelum fœderis*, qui revera totam legem Dei, veram regulam sanctitatis, in se continet, & a quo omnia præcepta accepimus, cum eorum solus sit auctor atque Legislator: vide Exod. 3. 2. Act. 7. 38. Hanc ob causam, cum Christus apparere debuerit modo luculento, sub ultimis Ecclesiæ fatis, *Arca* dicitur *conspecta in Templo*. Apoc. 11. 19. Idem dici potest de *Velis*, de *Fundamentis*, de *Portis*, de toto *ædificio*, de *Thuribulo*, de *Labro*, *Mare æneo*, uno verbo, de reliquis vasis omnibus. Non minus clare *sacrificia* Christum depingebant, quare Christus toties *Sacrificium*, & *Agnus*, & *Pascha pro nobis sacrificatum*, & חטאת & אשם &

ἁμαρ-

ἁμαρτία, *sacrificium pro reatu*, & *pro peccato* dicitur, vide Es. 5. 3. Joh. 1. 29. 36. 1. Petr. 1. 19. 20. 2. Cor. 5. 21. Sed hæc omnia & ejusmodi multa alia altioris sunt indaginis, & instituti nostri ratio non postulat, ut nunc fusius a nobis examinentur.

Omnes umbræ ex lege sancta.

X. Cum autem hæc & reliqua sacra omnia fuerint manifestæ picturæ atque umbræ Jesu Christi, teste Paulo Col. 2. 17. Hebr. 8. 5. 9. 24. 10. 1. non prorsus a nostro instituto alienum fore puto, si ostenderimus illa omnia etiam habuisse aliquam *sanctitatem* & *perfectionem* legalem, cum absque sanctitate Christum depingere non potuerint, quandoquidem *sanctitas* præcipua atque pulcherrima illius est imago. De ipso *Templo* atque *Tabernaculo*, quod sanctum fuerit, patet; quare toties מקדש *Sanctuarium*, *a sancto* vocatur: vide Exod. 15. 17. Ezech. 48. 11. Es. 16. 12. Dan. 9. 24. Et Græce ἱερὸν *Sanctum* Matth. 12. *Vasa* omnia *sancta* fuisse, vel inde patet quod כלי הקדש *Vasa sacra* nuncupentur. Num. 4. 15. *Altare* non tantum *sanctum* erat; sed & quidquid tangebar sanctum habebatur. Exod. 29. 37. Matth. 23. 19. Quod attinet *victimas & sacrificia*, non tantum sancta vocantur Exod. 29. 31. 36. 37. sed & lege Dei expressa cautum est, ut sint תמימים *perfecta*, absque macula & absque ulla læsione Levit. 1. 13. 22. 21. Exod. 21. 5. vide Malach. 1. 8. 13. 14.

Templum Sanctum. *Vasa.* *victimæ.*

XI. Non parum commendabit *Sanctitatem* Summi Pontificis, si cogitemus, apud populum Dei, in Veteri Testamento, omnia fuisse *Sancta*; &, præter *Templum* ejusque sacra, ipsam etiam *Terram*, quam Deus dederat hæreditatem, & *Personas* omnes; cum populus Dei, illiusque Ecclesia, sit corpus Christi, Ephes. 5. & cum totum corpus Christi sanctum esse debeat. Ratione *locorum*, decem erant gradus *Sanctitatis*. Et primum quidem, atque infimum gradum sanctitatis obtinebat tota terra *Chanaan*: unde & *terra sancta*. Et *Terra Jehovæ* Hos. 9. 3. dici solet. Ex ea sola desumi poterant sacrificia & oblationes, quæ Deo offerebantur. Secundus gradus sanctitatis erat *urbium* quæ muro cinctæ fuerant, maxime tempore Josuæ; quia in eis non tolerabantur nec leprosus, nec sepulchrum, nec ulla cadavera. Tertius gradus erat *Civitas Hierosolymitana*, quia ibi comedebantur קדשי קלים *sancta levia*, *decimæ secundæ* & ... *chata*, quæ alibi comedi non potera... Ideo vocatur עיר הקדשה *Sancta Civitas* Dan. 9. 24. Es. 48. 2. & ἁγία πόλις Matth. 4. 5. Apoc. 11. 2. Quartus gradus erat הר הבית *Mons Moria*, ubi erat Templum Salomonis, quia ibi pollutus aut polluta nulla reperiri debuit. Quintus gradus erat חיל *Murus* cum suis conclavibus, quia ibi commorabantur Sacerdotes, & sacra sua comedebant. Sextus erat עזרת נשים *Atrium mulierum*, in quod non poterat intrare טבול יום *eodem die lavandus* ante occasum solis. Septimus erat עזרת ישראל *Atrium Israelis*, in quod non intrabant qui sacrificio carebant, quamvis alias ab immunditia puri essent. Octavus erat עזרת כהנים *Atrium Sacerdotum*, in quod non poterant intrare Israelitæ nisi לצרכו *ad necessitatem suam*; si scilicet animal sacrificare, & alia pauca, quæ ab eo peragi poterant, præstare vellet. Nonus gradus est locus sanctus sub tecto in ipso היכל *Palatio*, ubi erat *altare* & *mensa* cum *candelabro aureo*. Decimus gradus sanctitatis erat קדש קדשים *Sanctum sanctorum*, ubi erat *Arca fœderis*, cum *Propitiatorio* atque *Cherubinis*. Quamvis & plures ab aliis recenseantur. Sanctior enim habebatur locus בין המזבח ולאולם *inter Altare holocaustorum & Pronaum*. Iterum sanctius erat ipsum אולם *Pronaum*. Ut quo pars Templi aliqua propior esset *Sancto sanctorum*, quo & ipsa sanctior haberetur, quemadmodum & personæ quo propius accedebant ad thronum Dei, quo sanctiores habebantur. Cum autem Pontifex Maximus intraret in ipsum sanctum sanctorum solus ad Arcam fœderis, ideo erat omnium maxime sanctus. Sed de hisce videantur Magistri Codice *Kelim* Cap. 1. & *Maimonides Hilchot Beth-habbechira*. Cap. 7.

Terra Canaan Sancta. *Sanctitatis loci decem gradus.* *Urbes sanctæ.* *Jerusalem sancta.* *Mons Moria.* *Murus Templi.* *Atrium Mulierum.* *Israelitarum.* *Sacerdotum.* *היכל Sanctum.* *Adytum sanctissimus.* *Alia loca sancta.*

XII. Ita sane & Sanctitas personarum varios habuit gradus. Possent eodem modo decem quoque enumerari secundum decem diversas conditiones, aut stirpes hominum, quæ exierunt ex Babylone, post captivitatem. Tales autem fuere *Sacerdotes*, *Levitæ*, *Israelitæ*, *profanus*, qui patrem vel matrem habuit non Judæum. *Proselyti*, *Manumissi*, *Nothi*, *Nethinæi*, *Spurii* & *expositi*. De hisce ita loquuntur Misnici Codice *Kidduschim Cap.* 4. §. 1. עשרה יוחסין גלו מבבל כהני לויי ישראלי חללי גירי וחרורי ממזרי נתיני שתוקי ואסופי *Decem generationes adscenderunt ex Babele*, *Sacerdotes*, *Levitæ*, *Israelitæ*, *profani* (qui Sacerdotes quidem sunt, sed inepri ut unquam sacerdotio fungerentur aut *Israelitæ*, sed mixti ex Patre *Judæo*, & matre *Græca*, aut matre *Judæa*, & pa-

Decem gradus Sanctitatis personarum.

tre *Græco*, qualis fuit *Timotheus*. Act. 6. 1.) *Proselyti*, *Manumissi*, *Nothi*, (qui non nati sunt ex legitimo matrimonio, quamvis pater & mater noti fuerint, *Nethinæi*, *Spurii* (cujus mater nota est, non pater.) & *Expositi* (quorum pater & mater ignorantur.) Hanc distinctionem tempore Christi & Apostolorum adhuc fuisse observatam, nec aliter, nisi per Christum summum nostrum Pontificem, fuisse ablatam, satis manifesto innuit Paulus ad Gal. cap. 3. 28. 29. 30. ȣ'κ ἔνι ἰȣδαῖος ȣ'δὲ ἕλλην. ȣ'κ ἔνι δȣ̃λος ϗ ἐλεύθερος ἔνι ἄρσεν ϗ θῆλυ. quasi dixisset, nulla hodie est amplius distinctio inter *Israelitas* & alios populos, ut sub Veteri Testamento, ubi Judæi soli erant גוי קדוש *gens sancta*, reliqui *profani*, nec inter ישראל *Israelitam* & גר *Proselytum*, quales plures erant ex *Græcis*; Nec inter δȣ̃λον עבר *servum* & ἐλεύθερον חרורי *manumissum*, inter ἄρσεν ישראל *Israelitam virum*, & inter נשים *mulieres*, ut olim discreta in Templo habebant sua atria, sed hodie πάντες ὑμεῖς εἷς ἐςὲ ἐν Ιησȣ̃ *unus estis omnes in Christo Jesu*, eundem omnes scilicet accessum habetis per Jesum Christum, ut alter altero non habeat majorem *sanctitatem*, nec majorem potestatem ad Deum propius appropinquandi.

Sub N. T. nulla personarum distinctio.

XIII. Sed quanquam populus Judaicus distingui solebat in decem has generationes, aut potius conditiones hominum, ut non male hoc sensu decem quasi gradus darentur sanctitatis; nihilominus tamen præter *Sacerdotes*, *Levitas* & *Israelitas* vix ulli sancti reputabantur. Ipsi etiam *Proselyti*, etsi fidem Judaicam profiterentur, immo quamvis ipsis quoque *Notis*, *Spuriis*, & *Expositis* præferrentur, tamen parum existimationis habebant apud Judæos: quod ex Gentilibus & infidelibus nati sint, plerumque parum versati in Lege Mosis, ut eam facile transgrederentur, adeoque Judæis ipsis, præsertim infirmioribus, facile per ignorantiam, darent ansam peccandi, legemque secum violandi. Unde hoc dictum, istis hominibus parum honorificum. תנו רבנן הגרים והמשתקין בתנוקות מעכבין את המשיח בשלמא גרים כדר׳ חלבו דאמר ר׳ חלבו קשין גרים לישראל כספחת *Docent doctores nostri Proselyti & pæderastæ impediunt Messiam* (ne veniat.) *Recte intelligitur de Proselytis secundum R. Chelbo*, *Dicit R. Chelbo*, *Proselyti sunt graves Israelitis sicut scabies*. Codice *Niddah* Gemara Bab. Cap. 2. ad Misnam 1. Ergo sola progenies Jacobi

Proselyti nullius existimationis.

Sola progenies Jacobi sancta habebatur.

sancta reputatur, suaque sanctitate a reliquis gentibus omnibus segregabatur: erant enim גוי קדוש *gens sancta* Ex. 19. 6. & עם קדוש *populus sanctus* Deut. 7. 6. 25. 9. & סגלת יהוה *peculium Dei*. Exod. 19. & Ps. 134. 4.

XIV. Inter ipsos etiam Israelitas quinque minimum recensentur gradus *sanctitatis*. Infimum omnium obtinebant *mulieres*: minus enim sanctæ censebantur ac *viri*, ob varias ex natura infirmitates atque pollutiones legales, quibus subjectæ fuerunt. Hinc in *Templo* obtinebant locum a solio Dei & ab altari remotum longius quam *Viri*, earum tamen Atrium sanctum fuit, & ipsæ mulieres *sanctæ* habebantur; ut *Sanctitas* etiam atribuatur mulieribus proselytis, & liberi qui ex eis nati erant, postquam Proselytæ factæ fuerant, dicebantur nati בקדושה *in sanctitate*. Codice *Jebammoht* in Gemara Bab. Cap. 4. & *Chetuboth* in Misna Cap. 4. §. 3. quo forte respexit Paulus 1. Cor. 7. 13. 14. ubi dicit, *Maritum* ἄπιστον *infidelem sanctificari in uxore fideli* (quæ scil. proselyta Christiana facta est, manente ejus marito in sua incredulitate) *& ejus liberos esse sanctos*: quasi dixisset cum Gemaricis *Jebammoth*, loco citato, נזרע זרע בקדושה *semen satum in sanctitate*: revera enim, secundum charitatem Christianam judicare, aut saltem sperare debemus, pueros a patre aut matre fideli natos, cum parente in eodem esse fœdere, adeoque esse sanctos, non tantum sanctitate externa & legali, ut sub Veteri Testamento, sed vera interna & fœderali. Secundus gradus *sanctitatis* dabatur *Viris Israelitis*, quare eorum Atrium propius erat. Altare & throno Dei, cum contingerent atrium Sacerdotum. Tertium gradum obtinebant *Levitæ*, qui varia ministeria, etiam in ipso Templo, & circa vasa sacra obire solebant, quæ ab *Israelitis* fieri non poterant. Quartus gradus *Sanctitatis* dabatur *Sacerdotibus*: ideo eorum Atrium propius erat adyto atque throno Dei. Ibi erat Altare holocaustorum. Quid? habebant potestatem intrandi in ipsum היכל *Palatium* Dei, scilicet in locum Sanctum, ubi quotidie lampadas curarent, suffitum facerent, panesque mensæ aureæ imponerent, indeque auferrent singulis hebdomadibus, tandem ut reliqua omnia ministeria Sacerdotii extra adytum obirent, quæ ab aliis fieri non poterant: Tandem quintus & supremus gradus *Sanctitatis* relinquebatur soli *Pontifici Maximo*: cui soli competebat jus intrandi, non tantum in locum sanctum quo-

Israelitarum quinque gradus sanctitatis.

Mulieres infimum gradum Sanctitatis obtinent.

Viri Israelitæ secundo gradu sancti.

Levitæ tertio gradu.

Sacerdotes quarto gradu.

Pont. Maxim. quinto gradu.

quotiescunque vellet, sed & in ipsum Adytum, sive Sanctum Sanctorum, decimo nempe die Tisri, ut peccata populi expiaret.

XV. Ex hisce omnibus patet præcipuam sanctitatem datam fuisse *Sacerdotibus*, etiam super ipsos *Israelitas* omnes immo & supra *Levitas*. Ideo & *sanctificati* & *Sancti*, modo speciali dicuntur. Vide Exodi 30: 30. Ezech. 48: 11. Ut autem Sacerdotum *sanctitas* casta atque illibata, quantum fieri poterat, conservaretur, lex requirebat, ut sanguine Aharonis legitime prognati essent. Expressa lege cautum erat, ne ducerent uxores, quibus vitium objici posset, quod eos ineptos redderet ad Ministerium, *quia sancti sunt Deo suo*. אשה זנה וחללה לא יקחו ואשה גרושה מאישה לא יקחו כי קדוש הוא לאלהיו : *Uxorem meretricem & profanam, & uxorem repulsam ex uxoribus non sument, quia sanctus est Deo*. Levit. 21: 7. Apud Magistros זונה *Meretrix* vocatur, non tantum illa quæ corpore quæstum facit, sed & quælibet גויה *gentilis*, quæ non est fœmina ex prosapia Israelis. Ideo ob defectum genealogiæ honestæ familiæ, nonnulli ex Sacerdotibus rejecti sunt. Ezra 2: 62. Neh. 7. 64. Non satis erat, ut pater esset ex prosapia Sacerdotum, sed & ut ejus mater, si non ex genere Sacerdotum, saltem ex honesta esset familia, cujus Pater non haberetur indignus ut in judicio consideret, uti constat ex Codice *Sanhedrin* Cap. 4. §. 2. אין הכל כשרים לדון דיני נפשות אלא כהנים לויים וישראלים המשיאים לכהנים: *Non admittuntur ad judicandum de vita, nisi Sacerdotes, Levitæ, & Israelitæ, qui filiam suam elocare possunt Sacerdotibus*. Quinam autem sint illi qui filiam suam Sacerdotibus elocare possunt, docetur satis fuse Codice *Kiduschim* Cap. 4. §. 4. 5. 6. 7. 8. si scilicet *Altari* aut *suggestui* inservierint, membra Synedrii fuerint; qui eran שוטרים *Præfecti plebis*, aut גבאי *Diaconi*, vel *Administratores Eleemosynarum*, aut qui erant, מוכתבים באסטרטיא של מלך *Conscripti milites Regis*. Rabbi Eliezer filius Jacobi docet: *filia proselyti non potest nubere Sacerdoti, nisi mater ejus sit Israelitis, immo usque ad decimam Generationem*. Codice *Biccurim* Cap. 1. Sect. V. Ad hunc locum notat *Maimonides*: si accidat, ut Sacerdos ducat filiam proselyti, servi, aut manumissi, filios ipsius esse quidem Sacerdotes, tamen ejusmodi matrimonium esse prohibitum.

Sacerdotes sancti. Eorum Matrimonia.

XVI. Non sufficiebat ut legitime & ex honesta familia materna, æque ac ex Patre Sacerdote, nati essent: sed requirebatur præterea ut nullo *vitio* laborarent, adeoque ut non essent בעלי מומים *vitio laborantes*: scilicet ne in corpore ulla esset læsio, De hisce expressam habemus legem Levit. 21. 16. *Dic Aharoni: vir ex semine tuo in generationes eorum, in quo est vitium, non accedet ad afferendum panem Domino*. Adduntur statim vitia quæ Sacerdotem ineptum reddunt: עור *cœcus*, פסח *claudus*, חרם *membro aliquo decurtatus*, שרוע *membro redundans*. שבר רגל או שבר יד *fractura pedis*, aut *manus* & pauca quædam ejusmodi alia quæ ibi recensentur. Sed Talmudici numero centum & quadraginta duo ponunt, quæ Sacerdotem ad ministerium ineptum reddunt. Codice *Becborot* Cap. 6. & 7. *Maim.* Hilchot *Biat Hammikdasch*. Cap. 6. & 7. videatur etiam *Philo* περὶ θυόντων: Toto itaque cœlo differebant a nonnullorum populorum Sacerdotibus, qui sese evirabant, aut corpus miserum in modum vel mutilabant, vel fœdis ulceribus atque cicatricibus deforme reddebant. Lev. 21: 5. Videatur *Persius Sat.* 5. & *Lucianus*, *de Dea Syria*. Quare prudenter *Plato* præscripsit ut ad Sacerdotium recipiantur non nisi qui sint ὁλόκληροι κὶ γνήσιοι *integri* ac *legitimi*. περὶ νόμων ς'.

Sacerdotes sine vitio esse debuerunt.

Vitia quæ sacerdotem ineptum reddunt.

XVII. Perfectionem Sacerdotum etiam indicabat eorum ætas. Non enim admoveri poterant ministerio ante ætatem virilem, non pueri, non parvuli, sed qui jam erant *puberes*, & qui ætatem viginti annorum attingebant. *Gemara Bab. Cholin cap.* 1. תנו רבנן איש מזרעך לדורותם מכאן אמר ר׳ אלעזר קטן פסול׳ לעבודה ואפי׳ תם מאימתי כשר לעבודה משמיביא שתי שערות אבל אחיו הכהנים אין מניחין אותו לעבור עד שיהא בן עשרים: *Tradunt doctores nostri*, Vir ex semine tuo in generationibus (Lev. 21. 16.) *Dixit Doctor Eliezer, minor ineptus est ad ministerium, etiamsi integer sit. A quo igitur tempore aptus est ad ministerium? Quando produxit duos pilos; sed fratres ejus Sacerdotes non permittunt ut ministerio fungatur ante vigesimum annum*. Ergo debebant esse אישים *Viri* in masculo robore, ut de eorum perfectione clarius constaret.

Sacerdotum justa ætas.

XVIII. Quemadmodum corporis, ita & *mentis* integritas requirebatur. Nam etsi Sacerdotium possiderent jure hæreditario, ex institutione divina, tamen indigni reddebantur isto honore, & ad ministerium prorsus inepti erant, ubi scelera committebant. Verum est, quemadmodum fuere quædam *vitia* corporis

Sacerdotum pietas.

ris עוברים quæ *tranſibant*, & a quibus ſæpe ſanabantur; ita & fuiſſe vitia quædam mentis & animi, a quibus ſanari poterant per ſeriam תשוב *pœnitentiam*. Sed quemadmodum etiam quædam fuerunt vitia corporis קבועים *permanentia*, & a quibus ſanari non poterant; ita ſane & quædam vitia animi, quæ nulla reſipiſcentia deleri poterant. Talia fuere maxime *Idololatria*, ſive במזיר *Sponte*, ſive בשוגג *errore* commiſſa. Ita quoque cenſendum eſt de eo, qui obtulit in Templo *Oniæ* Alexandriæ; habebatur enim ac ſi ipſe fuiſſet *Idololatra*. Codice Menachoth. Cap. 13. §. 10. הכהנים ששמשו בבירת חוני לא ישמשו במקדש שבירושלם ואין צריך לומר לדבר אחר שנ' אך לא יעלו כהני הבמורת על מזבח ה' בירושלם כי אם אכלו מצות בתוך אחיהם הרי הן כבעלי מומין חולקין ואוכלין אבל לא מקריבין: *Sacerdotes qui miniſtrarunt in Templo Oniæ, non miniſtrabunt in Templo Hieroſolymitano, nec opus eſt ut præterea quidquam dicamus* (ſcilicet de *Idololatris*, per ſe enim eſt notum eos a Templo arceri, ut explicat *Keſeph Miſchna* ad *Maim.* Hilchoth *Thebillim Ubirchath Cohanim* Cap. 15. §. 3.) *quia dictum eſt*: (2. Reg. 23. 9.) tamen non aſcendebant Sacerdotes Excelſorum ad altare Dei Hieroſolymis, ſed comedebant azymum in medio fratrum ſuorum. *Ecce illi ſunt inſtar eorum qui vitio corporis laborant, partem ſuam accipiunt & comedunt, ſed non offerunt*. Eadem repetit & clarius exponit *Maimonides Hilchot Biath Hammikdaſch. Cap. 9.* כל הכהן שעבר ע"ז בין במזיר בין בשוגג אע"פ שחזר בתשובה גמורה הרי זה לא ישמש במקדש לעולם וגו' *Omnis Sacerdos, qui miniſtravit Idolis, ſive ſponte ſua, ſive per errorem, quamvis ſeriam egerit Reſipiſcentiam; ecce ille tamen in æternum non miniſtrabit in Templo*. Addidit porro & illum indignum eſſe ut ſacerdotio Dei fungatur, qui Templum (etiamſi vero Deo, quale fuit Templum Oniæ) præter Templum Hieroſolymitanum exſtruxerit. Eodem jure atque dignitate exciderunt per *homicidium* quemadmodum docet *Maimon. Hilchoth Thephillim Ubirchat Cohanim. Cap.* 15. §. 3. כהן שהרג את הנפש אפ' בשגגה אף על פי שעשה תשובה לא ישא את כפיו: *Sacerdos qui aliquem occiderit, quamvis per errorem, & quamvis agat Reſipiſcentiam, tamen non extollit manus ſuas* (ſcilicet ut populo benedicat.) Hæc *Maimonides* habet ex Codice *Berachoth Gemara Bab. Cap. 5. fol. 32. col.* 2. ex ſententia Rabbi יוחנן. Allegatur etiam ibi ad probandam hanc ſententiam locus ex Eſaia Cap. 1. 15.

mp iet a.

Idem *Maimonides*, dicto loco, a functione hac ſacerdotali, quoque removendum, quamvis non in perpetuum, docet eum qui certam quantitatem vini bibit בבת אחת uno hauſtu. Quæ habet ex Codice *Cherithoth. Cap.* 3. §. 3. Ubi quoque ineptus dicitur propter eſum & potum vetitum.

Unctio Sacerdotum.

XIX. Ut ſanctitatem atque perfectionem hanc corporis & mentis ſerio meditarentur, Deus illius inſtituerat Sacramenta atque Symbola quædam. Tale fuit ante omnia *Sacra Unctio*: ſolebant enim ſub Templo primo ungi [ſaltem in Aharone, & in ejus filiis qui primitus uncti fuerunt] Exodi 30. Levit. 8. Erat autem *Unctio* Symbolum donorum Dei atque Spiritus Sancti, illiuſque virtutum. Vide 1. Joh. 2. 20. 27. Deinde frequens fuit *lotio* manuum atque pedum, totiuſque corporis, immo & veſtimentorum. Exod. 30. 19. 21. Levit. 14. 9. 15. 7. 11. 13. 16. 4. 24. Exodi 29. 21. qua ratione ſignificabatur καθαρισμὸς ab omni μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ τοῦ πνεύματος 2. Cor. 7. 1. quare & minimus *ſudor* in corpore erat inſtar מום *vitii*, quod Sacerdotes reddebat ineptos ad miniſterium: ut lotio externa iſta fuerit Symbolum ſanctitatis atque perfectionis corporis & mentis. Tandem & peculiari veſtimento ad *Sacerdotium* uſi ſunt, nitidiſſimis ſcilicet ex ſubtili & albiſſimo lino, niſi quod ſolus baltheus fuerit שעטנז *Schatnez*, ex duplici materia lino & lana, variiſque coloribus תכלת ארגמן ותולעת שני *hyacinthino, purpureo & Coccineo* diſtinctus. Hoc facto non obſcure quidem notabatur, Sacerdotes totumque populum, nondum eſſe perfecte ſanctum, ſed eos adhuc eſſe ſub reatu eoque quaſi inquinatos, adeoque veram expiationem ſe præſtare non poſſe. Nihilominus tamen reliquæ veſtes omnes erant ex lino nitido atque albiſſimo, quod erat inſtar Sacramenti munditiei atque ſanctitatis ſuæ, ſupra reliquum populum.

Ejus uſus.

Lotio manuum & pedum;

Veſtes ſanctæ.

Examen Sacerdotum.

XX. Ut autem omnibus conſtaret de ſanctitate atque perfectione Sacerdotum, quum jam juſtam ætatem attigiſſent, antequam ad functionem admitterentur, prius debebant ſeſe ſiſtere in Templo coram Magno Senatu, quorum una ex præcipuis functionibus fuit, ut explorarent Sacerdotes; primo utrum legitime ex paterna familia, & ex honeſta matre nati eſſent; Deinde utrum integri eſſent corpore æque ac animo. Illi qui legitimi atque vitio carentes reperti fuerunt, illico veſtimentis *albis* induebantur, & ad obeundum Sacerdotium admit-

mittebantur: qui vero deprehensi fuerunt illegitimi nati, aut vitio aliquo corporis & animi notati, induebantur vestimentis *nigris*, & abire jussi sunt, destituti omni spe, se unquam ad ministerium esse admittendos. Videatur Codex *Middoth Cap.* 5. §. ultim. לשכת הגזית שם היתה סנהדרי גדולה של ישראל יושבת ודנה את הכהנה וכהן שנמצא בו פסול לובש שחורין ומתעטף שחורין יוצא והולך לו ושלא נמצא בו פסול לובש לבנים מתעטף לבנים נכנס ומשמש עם אחיו הכהנים ויט היו עושים שלא נמצא פסול בזרעו של אהרן הכהן וכך היו אומרים ברוך המקום וברוך הוא שלא נמצא פסול בזרעו של אהרן וברוך הוא שבחר באהרן ובבניו לעמוד לשרת לפני ה׳ בבית קדשי הקדשים: *Erat conclave lapidum cæsorum. Ibi erat magnum Synedrium Israelis. Consedit & judicavit Sacerdotium. Sacerdos in quo deprehendebatur vitium* (aliquid legi contrarium quod eum reddebat ineptum) *vestiebat eum vestibus nigris, quibus amictus exivit* (ex templo) *Illi vero in quibus nihil vitiosi reperiebatur, induebatur vestibus albis, atque sic amictus ingrediebantur* [ex Templo, atrio Sacerdotum &c.) *& ministraverunt cum fratribus suis Sacerdotibus. Feriabantur quoque, quod nihil polluti repertum fuerit in semine Aharonis Sacerdotis, & sic quidem loquebantur: Laudatus sit Deus, quod nihil polluti* [sive nullum vitium) *repertum sit in semine Aharonis; & laudatus sit ille, qui elegit Aharonem & filios ejus ut starent ad ministrandum coram Domino in domo Sanctissima*. Eadem docet *Maimonides Hilchoth Biath Hammickdasch Cap. 6.* Animadvertit præterea *Maimonides* hanc inquisitionem Sacerdotum fuisse עיקר מעשיהם *fundamentum* & præcipuam partem *eorum actionum*. Notat quoque, eos, qui legitime quidem nati fuerunt, sed alio aliquo vitio laborabant, ablegatos fuisse ad conclave lignorum, ut vermes eximerent ex lignis qui in Altari comburebantur, (quod sumsit ex Misna *Middoth. Cap.* 2. §. 5.) Cæterum partem suam de sacrificiis sumebant & comedebant cum reliquis Sacerdotibus, quod ex lege Dei fieri poterat. Levit. 21. 22. quod & magistri admittunt Codice *Menachoth cap.* 13. quem locum citavimus thesi XVIII. Hæc de Sanctitate atque perfectione totius ordinis Sacerdotum sufficiant. Nunc ad Perfectiones Pontificis Maximi qui verum nostrum Summum Sacerdotem strictius depingebat, quam reliqui, de quibus hactenus.

CAPUT II.

DE SANCTITATE SUMMI PONTIFICIS.

XXI. Sanctitas Summi Pontificis *major quam reliquorum Sacerdotum. Eo Paulus respicit*. XXII. *Ex Aharone omnium Sacerdotum maximus erat natu. Sanctissimum* matrimonium *ipsi contrahendum. Tamen non cum filia* Sacerdotis *tantum, sed & cum filia ex honoratioribus Israelitis*. Josephus, Philo Judæus. XXIII. *Unicam habere potuit uxorem*. Cod. Jebamoth. Maimonides. R. Abraham Ben David. Cod. Joma Jehojada Pontif. Max. *an duas habuerit uxores?* Cod. Joma. x. *Tisri substituta fuit uxor, si forte prior diem obiisset*. XXIV. *Omni* Vitio corporis *carere debuit*. Antigoni *crudelitas in* Hircanum Pontif. Max. *Etiam præstanti solebat esse forma* Summus Pont. Josephus. Cod. Harajoth. Maimon. Thorath Cohanim. Ditissimus *Omnium Sacerdotum*. XXV. Sapiens *esse debuit. Nonnunquam tamen fuit* stupidus. *Ut ne legere quidem posset*. Semei *Stupidissimus*. Onias *suum fratrem ridicule vestivit. Male cessit* Oniæ. *Coactus est auffugere in Ægyptum. Construit ibi Templum*. Cod. Menachoth. Pontif. Max. *Novi Test. omnes habet perfectiones*. XXVI. *Debebat esse* pius, *scelere purus*. Abjathar *ob scelus Sacerdotio motus*. XXVII. *Abstinendum ei fuit ab* arte mechanica vili Cod. Kiddusĉhim. Maimonides.

XXI. Examinavimus *Sanctitatem* & *perfectionem* totius populi Israelitici, præsertim Sacerdotum omnium totius ordinis, nunc propius examinanda veniunt *Sanctitas* atque *Perfectiones* Pontificis Maximi, quæ multo majores erant, quam reliquorum omnium: ostendimus enim primum & supremum gradum Sanctitatis eum obtinuisse, cum strictius significaret Christum Summum Pontificem Novi Testamenti, quam ullus ex reliquis. Hoc manifesto innuit Paulus verbis hujus loci; hoc docent omnes quoque doctores Talmudici. Nam quidquid diximus ad probandam Sanctitatem totius turbæ Pontificum, id intelligi quoque debet de Pontifice Maximo.

Sanctitas Pont. Max.

Notat Christi perfectionem.

XXII. Primo enim non tantum fuit ex eodem sanguine natus Aharonis; sed omnium erat maximus natu. Ideo Pontifex

Erat Maximus natu, filius Aharonis.

tifex Maximus, ut ſanctiorem haberet progeniem, cavere ſibi debuit, ne duceret uxorem ex alia quam ex Iſraelitica gente, ut patet in Manaſſe Jaddiæ Pontificis fratre, qui aut Sacerdotium, aut uxorem, filiam Sambalathi, quod eſſet Cuthæa, deſerere cogebatur, unde origo Templo Samaritano. *Joſeph. Antiq. lib.* 11. *Cap.* 8. Abſtinere debebat a matrimonio, non tantum cum *Meretrice*, *Profana* aut *repulſa*, ſed etiam cum *Vidua*, cum *Virginem* tantum ducere debuerit. Lev. 21. 14 Et, ſi Philoni Judæo credimus, dicendum eſſet, eum non tantum *Virginem*, ſed & ex Sacerdotum filiis Virginem duxiſſe, cum tamen reliqui Sacerdotes, uti ſupra oſtendimus, libertatem haberent ut quamlibet Iſralitidem, modo honeſtæ eſſet familiæ, ſibi uxorem ſumerent. Hujus autem debebat eſſe ἱέρεια ἐξ ἱερέων, ἵνα ἐκ μιᾶς οἰκίας καὶ τρόπον τινὰ τοῦ αὐτοῦ αἵματος ὦσιν νυμφιός τε καὶ νύμφη. *Sacerdos ex Sacerdotibus, ut ex una eſſent familia, & ejuſdem ſanguinis Sponſus & Sponſa. Philo libr.* 2. *de Monarchia*: quod tamen nec ex Lege Dei, nec ex Talmudicis probatur, ut optime jam obſervatum eſt ab aliis.

Matrimonium ejus

XXIII. Sed quo caſtius eſſet ipſius matrimonium, non niſi unicam habere poterat uxorem, quod de reliquis Sacerdotibus affirmari non poteſt. Quod autem non niſi unicam habere ipſi fas fuerit, docent Magiſtri *Gemara Babyl. Jebammoth*. *Cap.* 6. ad *ſectionem* 3. quia dicitur Levit. 21. 13. 14. אשה יקח *ſumet uxorem*, ſed non שתים *duas*. Idem notat *Maimonides Hilchoth Iſſure Biah.* Cap. 17. §. 13. ואינו נושא שתי נשים מעולם כאחת שנא׳ אשה אחת ולא שתי׳ *Et non ſumet unquam* (Pont. Max.) *duas uxores tanquam unam, quia dictum eſt* (Lev. 21: 13, 14.) ſumet uxorem unam, *non duas*. Ad hunc locum *Maimonides* notatur a R. *Abraham Ben David* & hæc ratio; quod dicatur Codice *Joma*, ſecundum Scripturam Sacram: *pro ſe & domo ſua*, (ſcilicet faciet expiationem) non autem *pro ſe & pro familiis*. Novi a nonnullis negari, eum unicam tantum habuiſſe uxorem, quare etiam allegare ſolent & Judæi & Chriſtiani exemplum ſummi Pontificis *Jehojadæ*, qui duas habuiſſe dicitur 2. Chron. 24: 2, 3. Sed ad iſtam difficultatem alii non male reſponderunt, hoc factum fuiſſe antequam Summum Pontificatum obtinuit, aut de duabus eſſe intelligendum, quas duxerat ſucceſſive. Ut ut ſit, non eſt admodum credibile Summum Pont. plures habuiſſe uxores ſimul, ſi verum eſt quod docent Talmudici, Codice *Joma Cap. l.* §. 1. רבי יהודה אומר אף אשה אחרת מתקינין לו שמא תמות אשתו שנאמר וכפר בעדו ובעד ביתו ביתו זו אשתו אמרו לו אם כן אין לדבר סוף: *Doctor Jehuda dixit etiam aliam uxorem ei ſubſtituunt, ſi forte ejus uxor moriatur, quia dictum eſt* (Lev. 16.) Et ſe & domum ſuam. Domum ſuam *id eſt uxorem ſuam. Regeſſerunt, ſi ita eſt, non erit rei finis.* Sane ſi uxor Pontifici Max. ſubſtituebatur, ut aliam illico haberet, ſi forte præſens moriatur, patet clariſſime, eum unicam tantum habuiſſe, non autem plures, alias non opus fuiſſet ut ulla ſubſtitueretur; habuiſſet enim uxorem, adeoque domum, etiamſi una obiiſſet. Hoc etiam faciebat ad Summi Pont. ſanctitatem, credebant enim Magiſtri ſanctiores fuiſſe Patriarchas, qui unicam tantum habuerunt, quam qui plures. Ideo Joſephum ſanctiorem docent nonnulli, quod plures non habuerit quam unam tantum.

Unicam habuit uxorem.

Pontif. Max. uxor ſubſtituta, decimo Tiſri.

XXIV. Non minus quam reliqui Sacerdotes, omni *vitio corporis* carere debuerunt. Nam lex quæ ab altari arcet Sacerdotes vitio aliquo corporis laborantes eſt generalis, & reſpicit omnes. Levit. 21: 17. Ideo quum Antigonus Sacerdotio in perpetuum vellet movere *Hircanum* Pont. Max. nulla alia arte uſus eſt, quam ut aures ei præſcinderet, atque ita corpus vitiaret, teſte *Joſepho Antiq. lib.* 3. *Cap.* 10. Et ſane non tantum ſine vitio eſſe debebat, ſed & præſtanti ſolebat eſſe forma, ſtatura decenti, & pulchra, ſupra reliquos Sacerdotes, quæ ei non vulgarem conciliarent venerationem apud populum. Codice *Horajoth* Gemara Babyl. *Cap.* 2. *ad Miſnam* 5. כהן הגדול מאחיו שהוא גדול מאחיו בנוי בכח בחכמה ובעשירה Codice *Cholin* Gemarici Cap. 10. ad miſnam ultimam fere eadem habent והכהן הגדול מאחיו שיהא גדול מאחיו בנוי בחכמה ובעשור אחרים אומרים מניין שאם אין לו שאחיו הכהנים מגדילין אותו תלמוד לומ׳ והכהן הגדול מאחיו גדלהו משל אחיו: *Pontifex Magnus præ fratribus ſuis, pulchritudine, robore, ſapientia, & divitiis. Alii dicunt unde illis, ſi ipſi non habeant? Eorum fratres eos tunc magnos reddunt. Scriptura enim dicit*: (Levit. 21: 10.) Sacerdos magnus ex fratribus. *Magnum eum faciunt ex facultatibus fratrum ſuorum.* Eadem repetuntur a *Maimonide*. *Hilchoth Kele Hammikdaſch.* Cap. 5. §. 1. כהן גדול צריך שיהיה גדול מכל אחיו הכהנים בנוי בכח בעושר בחכמה ובמראה אין לו ממון כל הכהנים

Debuit eſſe ſine vitio.

Præſtanti fuit forma.

Dives fuit.

עד

נותנין לו משלהן כל אחד למי עושרו עד שיעשיר יותר מעשיר שבכולן *Oportet ut Pontifex Maximus sit omnibus fratribus suis Sacredotibus major, pulchritudine, robore, divitiis, sapientia & forma. Si ipsi non sint divitiæ, omnes Sacerdotes ipsi dant ex suis facultatibus; quilibet secundum opes suas, donec ditior factus sit quam qui inter eos est ditissimus.* *Keseph Misna* ad hunc locum etiam allegat *Thorath Cohanim*.

XXV. Sane hoc, si verum est, fieri non poterat sine speciali Dei Providentia, cum non eligeretur, sed nasceretur Pontifex Maximus: obtinebat enim Summum Pontificatum jure hæreditario, non autem ab arbitrio populi dependebat, ut eligerent quem pulcherrimum, robustissimum & sapientissimum judicassent. Majores divitias ab hominibus accipere poterat, verum est: possunt enim homines *divitias* dare; sed non *pulchritudinem*, *robur*, *sapientiam* & *formam*.

Sapiens.

Hæc sunt dona, quorum Deus solus est dator. Sane quod dicunt de ejus *sapientia*, non semper verum fuit. Nam repertos esse Sacerdotes summos ignorantissimos, ut ne *legere* quidem potuerint Sectionem, quæ die Expiationis solennis erat legenda, multo minus *exponere*: ut etiam alius pro eo legere debuerit, non obscure iidem Talmudici docent.

Ignorans aliquando.

Codice *Joma Cap.* 1. §. 6. אם היה חכם דורש ואם לאו תלמידי חכמים דורשו לפניו אם רגיל לקרוא קורא אם לאו קורין לפניו ובמה קורין לפניו באיוב ובעזרא ובדברי הימים וזכריה בן קבוטל אומר פעמי' הרבה קריתי לפניו בדניאל *Si sapiens erat exponebat, si non, discipuli sapientum exponebant. Si ad legendum esset expeditus, legebat; si non, alii legebant coram eo. In quo libro legebant coram eo? in Jobo, in Ezra, & in libris Chronicorum. Zacharias filius Kebutali dixit: ego sæpius coram eo legi in Daniele.* Inde colligi potest quanta sæpe fuerint sapientia, aut potius ignorantia, Summi Pontificis. Sed crassior non potest concipi ignorantia, immo stupiditas, quam Pontificis Maximi *Semei*, filii Simeonis, & fratris Oniæ. Is enim eo usque legis erat ignarus, ut nesciret quæ vestimenta sacra, aut quomodo induenda fuerint: unde etiam horrendum schisma causam habuit.

Pont. Max. Semei ignorantissimus.

Quum enim Simeon Justus Pontifex Maximus animadvertisset stupiditatem hujus *Semei*, filii sui majoris natu, testamento scripsit hæredem filium suum *Oniam* minorem natu, quem noverat Sapientia pluribusque donis aliis excellere; Synedrium autem magnum cum judicasset, salva lege divina, fieri non posse, Oniam rejecit; quare *Onias* fratrem *Semei* vestibus prorsus ridiculis induit, cum primam functionem Sacerdotii in Templo obeundam suscepisset, ratus hoc facto patres conscriptos irritari, eorumque iram in eum concitari, ac si, spreta lege divina, Religionem avitam contemsisset, ut contemtæ legis justam lueret pœnam, adeoque ut vel ipse morte, vel alio modo in perpetuum moveretur Sacerdotio. Sed simplicitate *Semei*, artibusque fratris Oniæ a Patribus animadversis, malum in ipsius caput Oniæ cecidisset justamque pœnam contemtæ Religionis patriæ dedisset, nisi mature se subripuisset atque in Ægyptum auffugisset, ubi Templum, ad formam Hierosolymitani ædificavit, Summumque illius Sacerdotem Alexandriæ, aut saltem in Alexandrina regione, egit: quemadmodum totam istam historiam prosequuntur Magistri, imprimis Gemarici & Cap. XIII. Codicis *Menachoth*. Hujus historiæ mentionem quoque fecimus in nostro opere de *vestitu Sacerdotum Hebræorum*. *Lib.* 2. *Cap.* 23.

Simeon Pontif. Max. Testamento filium minorem natu summum Pontif. renunciat.

Templum Alexandrinum.

Quidquid est, ex iis quæ diximus constat, Pontificem Maximum, secundum Gemaricos, fuisse virum, non tantum omni vitio corporis vacuum, sed & eleganti forma, robore & sapientia, supra reliquos omnes, quod nempe manifestius depingeret sanctitatem & perfectiones veri Pontificis Max. Novi Testamenti.

XXVI. Quis inde non ultro colliget, multo magis eum sceleris fuisse purum, integrum scilicet mente, non minus quam corpore, quantum id infirmitas humana permittebat? Si Idololatriam commisisset, aut si alibi quam Hierosolymis in Templo, etiamsi vero Deo, obtulisset; si Homicidium & ejusmodi alia scelera perpetrasset, Sacerdotio indignus habebatur. Nec silentio prætereundum est exemplum Abjatharis, qui a Rege Salomone Sacerdotio motus est, quod se immiscuisset rebus politicis aliorumque perduellioni. 1. Reg. 2. quod proculdubio a Salomone fieri non potuisset, si ejusmodi factio Pontificem summum non indignum reddidisset Sacerdotio. Et sane qui tantopere sibi cavere debuerunt, ne contraherent vitium corporis, nonne multo magis mens atque animus integer ipsis conservandus fuit?

Sceleris fuit purus.

Abiathar Pontificatu ob scelus motus.

XXVII. Sed quanta cura conservare debuerit existimationem suam, vel inde patet, quod abstinendum ipsi fuerit ab omni arte mechanica, atque exercitio, quo honori ejus apud populum quid-

quidquam decederet. Ineptus enim censebatur ad Sacerdotium, æque ac Rex ad Imperium, si fecisset opus muliebre vel ad usum mulierum, uti solent *Aurifabri Pectinatores*, aut *Acupictores*, qui *molas* minores & manuales conficiunt, & quibus utebantur mulieres in ædibus suis, *Aromatarii*, *Strigilatores*, *Tonsores*. *fullones*, *Venæ sectores*, *Balneatores*, & *Coriarii*. Gemara Babylonica Codice *Kidduschim* Cap. 4. ad Misnam ultimam: ת״ר כל שעסקו עם הנשים סורו רע כגון הצורפים והסריקים והנקורות והרוכלין והגרדיים והספרים והכובסים והגרע והבלן והבורסקי אין מעמידים מהם לא מלך ולא כהן גדול מ״ט לא משום דפסולי אלא משום דזיל אומנותיהו: *Docent doctores nostri omnes qui operantur cum mulieribus, ipsius recessus malus est, quales sunt Aurifabri, Acupictores, Molas manuales conficientes, Aromatarii, Strigilatores, Tonsores, Fullones, Venæ sectores, Balneatores, & Coriarii. Ex istis non recipiunt Regem, nec Pontificem Maximum: Quænam est ratio? Non quod sint impuri. sed propter Vilitatem artificii. Maimonides Hilchoth Melachim Cap.* 1. §. 6. enumerat tantum quatuor genera artificum infra dignitatem Regiam & Pontificalem. קצב *Lanionem*, ספר *Tonsorem*, בלן *Balneatorem* & בורסי *Coriarium*. Addit ibidem *Maimonides*, id locum habere si aliquis hisce artibus vel unico tantum die operatus esset. In *Keseph Misna* notatur; id non habere locum in iis, qui talem artem exercuerint per jocum, aut si socius rasisset socium suum, Patet ex hac Gemara, *Pontificem Maximum*, non minus quam ipsum Regem, fuisse virum honoratum, cui nihil humile & vile exprobrari poterat.

Pontificatu indignus factus, quibus rationibus.

Vir fuit honoratus.

CAPUT III.

De Sanctitate & Perfectione Jesu Christi.

XXVIII. Sanctitas *omnesque* perfectiones *in* J. Christo *plenissimo sensu reperiuntur*. Christus *non fuit ex tribu* Levi. *Secundum* Ordinem Melchizedeci *fuit*, *Sacerdotium* Aharonis *ponebat jugum*, Christus *attulit Novam* Legem. *Ergo* Novum Sacerdotium. *Novam* Justitiam. *Debuit esse* כהן לעולם Sacerdos æternus. *Adduxit* צדק עולמים Justitiam æternam. *Quædam loca Scripturæ*. XXIX. Pontif. Max. *ducere debuit* Virginem. *Quare? Notat Castitatem Ecclesiæ J. C. Mater ejus* Virgo *ante partum & post partum*. *Erat* semen mulieris, *non* viri. *Locus* Es. 7: 14. *de* העלמה Virgine *tentatus*. Judæorum *ineptiæ*. XXX. Judæorum impietas *circa Nativitatem Christi*. Cod. Sanhedrin. Calah. Chagiga. Ben Israel. Beth Israel. ספר תולדות ישו Liber generationis Jesu. *Libellus Diffamatorius*. *De Parentibus Christi*, Josepho, Stada, Pandira, & Miriam Ornatrice. Cod. Schabbat *an de* Christo? *Impie dicunt Christum* ממזר Nothum. *Refutantur*. *Magna fatentur* miracula *Christi*. *Mentiuntur eum illa fecisse arte* Magica. *Ex* Sancto Sanctorum *attulisse nomen* יהוה *Christum fuisse ex* stirpe Regia *agnoscunt*. *Regina* Helena *ejus cognata*. *Ejus habuit curam*. XXXI. *Christus* nobilitate *non cedebat Sacerdotibus*. *Erat ex familia* Davidis. *Talis debuit esse* Messias. Jonathan. Targum Hierosol. Cod. Succah. Avodah Sara Ievamoth. *Varia loca Scripturæ*. *Reginam* Helenam *ipsius cognatam fuisse*. Cod. Sanhedrin. *De* crucifixione *J. Christi*. XXXII. Talmudicorum *malitia & imprudentia*. *Sibi aperte contradicunt*. *Nugantur procrastinatos fuisse patres quadraginta diebus antequam Christum morti tradidissent*. *At magna egerunt festinatione*. XXXIII. Christo *nihil* vile *aut* abjectum *poterat exprobrari*. *Exercuisse* artem fabrilem. *Non numerabatur inter artes* viles. Faber *poterat creari* Rex & Summus Pontif. XXXIV. *Nullum in Christo* vitium, *nec* corporis *nec* mentis. Difformitas *corporis ex* peccato. Pictura *Christi per Lucam*. *Fabulosa Veronica*. Damasceni *fabula*. Formam Christi *quidam veterum affirmant*; *quidam negant*. Judæi *laudant elegantem ejus* formam. Sandys Anglus *de Judæorum testimonio*.

XXXVIII. Hæc omnia quæ hactenus a nobis recitata sunt de *sanctitate* atque *perfectionibus*, cum omnium Sacerdotum totius ordinis, tum *Summi Pontificis*, ut erant picturæ Jesu Christi, ita etiam in eo, tanquam in Summo Sacerdote Novi Testamenti, ac in suo corpore atque antitypo reperiuntur plenissimo sensu. Et primo sanctissimam fuisse ipsius *nativitatem*, & ab omni macula immunem, apud omnes Cristianos est in confesso. Verum quidem est, Christum (quod ante omnia etiam hic observari debet) non esse ex tribu Levi, nec ex familia Aharonis, ex qua orti erant reliqui Sacer-

Summus Pontif. pictura J. Christi.

Christi nativitas, & familia honorata.

cerdotes omnes, multo minus ex genere ἀρχιερέων. Sed ex ista familia esse non poterat, cum haberet aliud Sacerdotium quam Aharonis, Erat enim Sacerdos *secundum ordinem Melchizedeci*, non Aharonis. Ps. 110. Hebr. 7. Ut igitur *Melchizedecus* non fuit ex ordine atque familia Aharonis, ita nec Christus. Deinde Sacerdotium Aharonis ponebat servitutem & jugum, quod auferri debebat per Messiam, Summum nostrum Pontificem, quare & ipsius Sacerdotium finiri debuit. Adde quod per Christum adferri debuerit nova Lex: nam abolita familia & Lege cærimoniali, necessario etiam finiri debuit Sacerdotium cærimoniale, adeoque Aharonis, qui omnium cærimoniarum erat quasi Rex & caput. Subsequente autem Nova Lege, prorsus spirituali, & quæ nihil contineret carnalis, & quod umbram saperet, novum quoque Sacerdotium alterius ordinis, & quod mere esset spirituale, institui debuit; Necesse itaque erat ut ipse Sacerdos alterius ordinis & ex alia familia esset. Nam *mutato Sacerdotio, necessarium est ut Lex mutetur*, teste Paulo Hebr. 7: 12. Tandem sub Novo Testamento requirebatur *sacrificium justitiæ*. Ps. 50. id est tale quod adferret veram *justitiam* in pleno sensu, quod omnia δικαιώματα σαρκός prorsus aboleret. Ideo Sacerdos Novi Testamenti non amplius debebat esse κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς, *secundum legem mandati carnalis*, sed κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου *secundum potentiam vitæ indissolubilis*. Hebr. 6. 16. scilicet non debuit esse successio Sacerdotum propter mortem, aut ob aliam causam, sed Novum Testamentum requirebat eum qui esset כהן לעולם *Sacerdos æternus*. Ps. 110. 4. ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα. Hebr. 7. 17. qui in perpetuum viveret, qui nullo successore opus haberet, sed *una oblatione consummaret in perpetuum, qui sanctificantur*. Hebr. 10. 14. Et qui, *unico sacrificio oblato, in perpetuum sederet ad dextram Dei*, ut pro nobis intercederet *vers.* 12. Qui *uno die peccatum totius terræ deleret*. Zachar. 3. 6. ut esset perfecta ἀθέτησις ἁμαρτίας *abolitio peccati*. Hebr. 9: 16. atque sic per unicum sacrificium adduceret צדק עולמים *justitiam seculorum*. Dan. 9: 24. Patet igitur Sacerdotem Novi Testamenti aliud prorsus debuisse exercere Sacerdotium quam Aharonem, adeoque ex alia debuisse esse φυλῇ *tribu* & ex alia familia. Hebr. 7: 13. 14.

Sacerdos fuit secundum ordinem Melchizedeci.

Sacrificium sub N. Testamento.

Omnes perfectiones Sum. Pontif. in J. Christo.

XXIX. Sed quamvis Christus ex familia Aharonis non fuerit, tamen omnis *Sanctitas* omnesque *Perfectiones*, quæ in Summo Pontifice Veteris Testamenti tanquam pictura præscribebantur, in eo perfecte suum habuerunt complementum. Diximus Thesi 22. Pontificem Maximum sub Veteri Testamento non nisi Virginem ducere potuisse ex Lege Dei, unde necessario colligi debet, ipsos Pontifices Maximos matrem habuisse Virginem, id est talem quæ ante matrimonium a viro intacta fuerat. Quænam, quæso, hujus legis ratio fuisset, nisi quod hoc modo casta & immaculata conceptio Jesu Christi, Summi nostri Pontificis, quantum per homines mortales poterat, depingi vellet Deus, ut ejus Sanctitas undique luceret? quandoquidem Christus natus est ex castissima sanctissimaque Virgine, modo prorsus extraordinario & miraculis pleno, Matth. 1. Luc. 2. non quales erant olim uxores aut matres Pontificum Maximorum, quæ Virgines quidem viris nupserunt, tamen Virgines non pepererunt: sed quæ & ante & in ipso partu illibata Virgo remansit. Talis sane esse debuit mater nostri Pontificis, secundum vaticinia Dei. Promissus enim fuit, non ut *semen viri*, sed ut *semen mulieris* Gen. 3. 15. Clarius apud Esaiam Cap. 7. 14. *Ecce* העלמה *Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur Immanuel*. Ineptiunt Judæi, qui hoc loco intelligunt Virginem tantum ante matrimonium, sed quæ ex marito, tempore suo conciperet & pareret naturaliter, & ex hac benedictione generali: *crescite & multiplicamini*, eodem forte sensu, quo & ipsi Summi Pontifices ex Virgine nati dici possent, immo omnes primi nati qui sunt פטרי רחם *aperientes vulvam*. Exodi 13. 12. Quale hoc fuisset miraculum? Quale signum, ut satis fieret petitioni Achazi, aut potius totius Ecclesiæ? Miraculum sane esset Evam concepisse & peperisse *Cainum*. Miraculum esset Virgines, quæ nupserunt Summis Sacerdotibus, peperisse. Immo quotiescunque mulier edit primum partum, toties Deus faceret miraculum & daret aliquod signum. Quod autem Judæi excipiant, עלמה significare uxorem, vel quamcunque fœminam etiam a viro tactam, falsissimum est. Nec errorem istum probabunt, quod dicatur Prov. 30. 19. דרך גבר בעלמה *via viri in Alma*: certum enim est ibi significari *Virginem*, si non intactam, minimum talem, quæ adhuc Virgo videri vellet, etsi alias vitiata esset, eodem modo, ut Jerusalem, corruptissima & impia, dicitur *sancta Civitas*, quia olim *Sancta* fuit. Si enim significaret fœmi-

Summi Pont. ex virgine nati, Maxime Christus.

Vaticinia

Respondetur pravæ exceptioni Judæorum

nam cum viro congressam, cur illud miraretur sapiens? Sed hoc mirabile est, quod cum viro rem habuerit, & tamen Virginem se dicat. Sed χρηςφρύγετα ista Judæorum, jam dudum a Christianis doctoribus explosa sunt.

Judæorum impietas in Christum.

XXX. Est igitur non tantum deploranda Judæorum cœcitas, sed & intoleranda impietas, quam blasphemo ore eructant in Christi nativitatem, Codice *Sanhedrin* Cap. 7. Codice *Calab Chagiga* Cap. 1. In *Ben Israel*, *Beth Israel*, & alibi. Ita & Gemaristæ in utraque Gemara Babylonica & Hierosolymitana, Codice *Schabbath Cap.* 12. Maxime autem in atroci isto Libello diffamatorio, omni genere mendaciorum refertissimo, cui titulus ספר תולדות ישו *Liber Generationis Jesu*, ubi multa, non minus quam crassissima mendacia proferunt de parentibus ejus *Josepho*, *Stada*, *Pandira*, & *Miriam* fœminarum *ornatrice*, sed tam manifesta mendacia, ut seipsa ultro evertant, cum sibi minime constent; ut ipsi etiam Commentatores, Codice *Schabbath Cap.* 12. ubi multa de *Maria* & de ejus adulteriis, ob tot manifesta mendacia pudore suffusi, negent illa omnia de *Jesu Nazareno* esse intelligenda, quamvis tamen revera a Talmudistis aliisque nugatoribus in dedecus Christi omnia sint conficta. Quam putide sibi contradicant, patet quod mentiantur, Christum esse ממזר *Mamzer*, *Nothum*, & tamen fateantur, quod nulli *notho* permissum fuerit, ut intraret, בקהל *in congregationem*, Deuter. 23. 3. multo minus in *Templum*; tamen non tantum ex historia Evangelica constat, Christum fuisse in *Templo*, sedisse in *medio congregationis*, & *docuisse inter doctores*, id est in Synagoga, quæ erat in Templo, & *quotidie* quidem, ut Christus eis exprobravit Matth. 26. 55. Vide Luc. 2. sed & ipsi fatentur, eum fuisse, non tantum in *Templo*, sed & in Sancto Sanctorum, indeque attulisse nomen יהוה cujus virtute tam ingentia fecerit miracula, quemadmodum ineptissime ineptiunt, in eodem famoso Libello *Tholdoth Jesu* sive *de generatione Jesu*, ut & Codice *Joma Gemaræ Cap.* 5. secundum Codicem quem allegat *Buxtorffius* in voce שתיה, quamvis tamen nec in Amstelodamensi, nec in Bombergiana editione, quas ambas possideo & examinavi, hodie legatur. Adde quod Codice *Schabbath*. *Cap.* 12. nugentur, Christum per artes magicas ex Ægypto allatas miracula fecisse. Qudquid, isti homines nugentur, certum est, ipsum Libellum famosum, jam modo allegatum, narrare Christum plus semel fuisse in Templo atque in congregationibus; ut vel solum hoc argumentum sufficiat ad convincendam eorum maledicentiam, quod eum accusent ac si illegitime esset natus. Adde quod & ipsi Calumniatores fateantur [uti infra audiemus] Christum fuisse ex stirpe Regia, ac propterea Reginam *Helenam* eum in vita voluisse conservare, quod ipsius cognatus fuerit. Nec silentio præteriri debet, eandem Reginam, quum vidisset inaudita ipsius miracula, exclamasse, eum *fecisse opera* כבן אלהים *ut filium Dei*, ut in eodem Libello narrant ipsi. Quid? an magnam ejus habuisset curam Regina, si ממזר *Mamzer*, *nothus* fuisset? An potuisset credere *spurium* esse *filium Dei*? Quanta hæc esset impietas!

Blasphemia in Christum refutatur.

Christus ex stirpe Regia, fatentibus Judæis.

Christus stemmate superavit Sum. Pontif. Veteris T.

XXXI. Ut autem Nativitas Jesu Christi Summi nostri Pontificis, fuit casta atque sancta, ita sane & stemmate Pontificis Maximi sub Veteri Testamento non cedebat, quamvis nec ex tribu *Levi*, nec ex familia Aharonis fuerit. Erat enim non tantum ex honesta familia, sed & ex stirpe Regia. Sane Messiam debuisse nasci ex tribu *Judæ*, & non ex tribu *Levi*, non tantum Paulus docet Hebr. 7. sed & ipsi Judæi *Jonathan* & *Targ. Hierusal.* Genes. 49. 11. & Exod. 40. 9. Et ex familia quidem Davidis. Targ. 1. Reg. 4. 33. Es. 11. 1. & 15. 2. Jerem. 23. 5. & 33. 15. Hos. 3. 5. Cant. 4. 5. Codice *Succah Cap.* 5. *Avodah Sara. Cap.* 1. *Jevamoth Cap.* 6. aliique ingenti numero. De quibus plura videri possunt apud Viros rerum Hebræarum peritos. Talis sane esse debuit, secundum vaticinia Dei. 2. Sam. 7. 12. & 23. 5. Es. 11. 1. Jerem. 23. 5. *dies venturi sunt*, *quibus suscitabo Davidi germen justum*. Hinc & in Novo Testamento *filius Davidis*, quemadmodum & a Targumistis & a Talmudicis בן אדם dictus est. Vide Matth. 15. 22. 20. 30. 31. Apoc. 5. 5. Immo ipse *David* vocatur. Ezech. 34. 24. quæ etiam causa fuit quare Matthæus & Lucas ejus genealogiam, per longam seriem avorum, deduxerint ad ipsum Davidem Matth. 1. & Luc. 2. Sed tanta est evidentia atque vis hujus veritatis, ut extorqueretur ex ore, ut ut blasphemo, istorum hominum. Nam insulsissimi calumniatores, in toties citato libello *de Generatione Jesu*, nos docent, Reginam *Helenam* ipsius fuisse cognatam. Idem fatentur Talmudici Magistri Codice *Sanhedrin*. *Cap.* 6. *ad Sectionem primam*, non solum quod Christus fuerit ex Re-

Ejus Genealogia.

gia ſtirpe, ſed etiam quod magna cautela & feſtinatione uſi fuerint, propter eandem rationem, ne ſcilicet crudelibus manibus ſuis eriperetur, per magnates familiæ ſuæ. ותניא בערב הפסח תלאוהו לישו והכרוז יוצא לפניו מ׳ יום יוצא ליסקל על שכישף והיסית והידיה את ישראל כל מי שיודע לו זכות יבא וילמד עליו ולא מצאו לו זכות ותלאוהו בערב פסח אמר עולא ותסברא בר הפוכי זכות הוא מסית הוא ורחמנא אמר לא תחמול ולא תכסה עליו אלא שאני ישו דקרוב למלכות הוא *Eſt traditio quod veſpera Paſchatis ſuſpenderint Jeſum, Præco præcedebat ipſum per quadraginta dies.* [clamans] *Exit ut lapidaretur, quod faſcinaſſet, ſeduxiſſet & impuliſſet Iſraelem, ut quicunque de eo ſciret aliquam virtutem* [dignam ut viveret] *accederet & indicaret, Sed nulla virtus in eo reperta eſt, quare eum ſuſpenderunt veſpera Paſchatis. Dixit Ola: judicabis eum virtutem evertiſſe, fuiſſe ſeductorem; Scriptura autem dicit* [Deut. 13. 8.] *Non parces ei, nec teges* (ſcil. ejus peccata) *ſuper eo; ſed aliter res ſeſe habebat circa Jeſum, cum propinquus fuerit Regno.*

Regina Helena Judæa tentat ſervare Chriſtum.

XXXII. Non poſſum hic ſilentio præterire, infernalem malitiam ſimul & puerilem imprudentiam iſtorum hominum. Volunt enim credi, patres ſuos admodum fuiſſe ſolicitos de ſalute Chriſti, ſi ulla ratione ſervari potuiſſet; ideo fingunt putidiſſimum mendacium, inſoliti quid erga eum factum fuiſſe, ad probandam ipſius innocentiam: ſcilicet præconem, per integros quadraginta dies, quod erga alios nunquam fuit obſervatum, publice invitaſſe cunctos, quicunque aliquid in ipſius favorem & defenſionem adferre poſſent. Quænam autem eſt ratio quod tam diu procraſtinaverint, more prorſus inſolito? *Ola* vult judicari, tanta fuiſſe proceſſum mora erga Jeſum, quod fuerit ex *ſtirpe Regia*, מפני האומות *propter gentes*, ut loquitur gloſſa ad hanc Gemaram, ut ſcilicet, hac ratione omnes populi, maxime Regii cognati Chriſti facilius perſuaderetur, quæ divulgata fuerunt de Chriſti peccatis, vera eſſe, quod tanto tempore, etiam ad publicam Præconis invitationem, nemo repertus fuerit, qui quidquam ad probandam ipſius innocentiam adferret. Sed quam manifeſta ſint hæc mendacia, evidentiſſime patet, partim ex hiſtoria Evangelica, partim ex ipſa confeſſione Talmudicorum immo ex hac ipſa *Gemara*, quam modo allegavimus. Hiſtoria enim Evangelica teſtatur, eum ſuſpenſum fuiſſe poſtridie, quum caperetur. Ipſi fabri virulentiſſimi Libelli iſtius, toties a nobis allegati, *de Generatione Jeſu*, quamvis omnes ſuas calumnias hauſiſſe videantur ex cloaca Gemaræ, tamen ne *γρὺ* quidem de Præcone per quadraginta dies: ſed narrant Chriſtum captum fuiſſe, quum aſcendiſſet Hieroſolyma, ad celebrandum Paſcha, veſpera vero Paſchatis Sabbathique morti traditum fuiſſe, quod eſt veriſſimum, ut ex Evangeliis conſtat. Non igitur per quadraginta dies cunctati fuerunt, ſed ingenti feſtinatione eum morti tradiderunt. Deinde in eodem Libello docent, hæc omnia, quæ circa mortem Chriſti acciderunt, Regina Helena Chriſti cognata inſcia, eſſe facta. An nemo ex ipſius, vel cognatis, vel aulicis, vel aliis fuit, qui toto iſto ſpatio quadraginta dierum hæc a præcone publico proclamata audiviſſet, ut & Reginæ nunciaret? eo magis cum non potuerint ignorare, Reginam cognatum ſuum conſervare voluiſſe in vivis, ut etiam duram repulſam tulerint carnifices, quum eum primum apud Reginam accuſaſſent, ut idem Libellus teſtatur. Sed ſi tanta cunctatione egerunt erga Jeſum, ut ei, etiam contra mandatum Dei, Deuter. 13. 8. pepercerint per quadraginta dies; cur tantopere feſtinandum fuit, ut eum etiam veſpera *Paſchatis* & *Sabbathi*, quibus diebus alias peculiari modo ad ſanctitatem ſe præparare ſolebant, ſuſpenderint? Quis non fatebitur potius, eos tanta, quanta poterant, præcipitantia egiſſe, ne per cognatos Regios, inter quos erat ipſa Regina, eorum crudelitati eriperetur. Ita ſane calumniator calumniatorem refutat. Quidquid fabulentur, veritas, ut ut multis mendaciis involuta, ipſis Judæis, hoſtibus Chriſti acerrimis, extorta eſt: ſcilicet Chriſtum Summum noſtrum Pontificem ſub Novo Teſtamento, non tantum ex honeſta familia, ſed ex ſanguine Regio prognatum fuiſſe, ut ſtemmate nulli cederet Summorum Pontificum Veteris Teſtamenti.

Chriſtus ex ſtirpe Regia, fatentibus Judæis.

XXXIII. Hinc facile colligi poteſt, civilem ejus conditionem talem fuiſſe, ut ei nihil quod eſſet vile aut abjectum potuerit exprobrari, quod ipſis etiam Magiſtrorum ritibus contrarium fuiſſet, & quod eorum Canones non permiſiſſent. Nullam ſane exercuit artem Mechanicam Summo Pontifice indignam. Fatemur Joſephum, Matris ipſius ſponſum, exercuiſſe artem fabrilem. Sed, ſive ipſe eandem artem in juventute exercuerit, uti colligi poſſe videtur ex Capite ſexto Marci, commate 3. ſive non exercuerit, certum tamen eſt, præter-

Chriſtus nullam exercuit artem Mechanicam Vilem.

terquam quod hæc ars, ex Pandectis Patrum, neminem redderet indignum Majestate Regia & Pontificali honore, (Ex Sacerdotibus fuisse *fabros lignarios*, adeoque isto honore non indignos. Vide apud *Josephum* Antiq. Jud. Libr. 15. cap. 14. Inter artes quæ hominem reddunt Regio & Sacerdotali munere indignum, non reperitur faber) eum non tantum fuisse ex honesta familia, sed & ex primoribus populi, ex stirpe regia, immo ex ipsa familia Davidis, uti supra ostendimus.

Faber lignarius non erat vilis. Potuit fieri Rex & Pont. Max.

XXXIV. Tandem si Pontifex Maximus omni debuit carere vitio, certum est, in nostro Pontifice prorsus nullum fuisse repertum, nec in corpore nec in anima. Absque ullo peccato cum fuerit, neutiquam dubitari potest, quin, quoad corpus & animam simul, intelligendum sit dictum illud Psalmo XLV. Com. III. *pulcherrimus es inter filios hominum*. Certum est, omnem difformitatem habere ortum ex peccato. Ubi igitur nullum peccatum, ibi nulla difformitas, nullus defectus reperiri potest. Nihil jam dicam de *fabulosa Veronica* aliisque picturis, vel a *Nicodemo* facta, vel ab ipso Christo per nescio quam abstersionem vesti impressa imagine, & Abagaro Regi missa, uti scribit *Damascenus* aliique. Missa quoque facio ea quæ a Veteribus dicta sunt, de forma & eleganti pulchritudine Christi, aliis eam deprædicantibus, negantibus aliis, certum est ipsos Judæos, etiam maledicentissimos ejus hostes, fateri ac laudare elegantem ipsius formam. Refert enim *Sandys* nobilis Anglus in suo itinerario, Judæos in Oriente, quum ab eis inquisivisset quid haberent de Christo, inter maledicentissimas etiam fabulas, testatos esse, *insignem formam atque venustatem, quæ ei vivo inerat, etiam post mortem remansisse*. Et sane non poterat esse Sacerdos ἔχων ἀσθένειαν *habens ullam infirmitatem*; sed qui esset εἰς τὸ αἰῶνα τετελειωμένος *in æternum consummatus*. Heb. 7. 28. Idem de perfectionibus mentis dicendum est. Sed de his in sequentibus, ubi Pauli locum propius examinaverimus.

In Christo nullum מום Vitium.

Pulchra fuit forma.

CAPUT IV.

DE VARIIS RITIBUS AD CONSERVANDAM SANCTITATEM SUMMI PONTIFICIS, ET AD DEPINGENDAM PERFECTAM SANCTITATEM JESU CHRISTI.

XXXV. Sanctitas Pontif. Max. *sub Test. Veteri* imperfecta. *Sacrificia obtulit pro se. Toties se purificavit. Quo ritu?* Cod. Joma. *Ejus Sacerdotium* infirmum. *Quædam loca Scripturæ. Opus erat itaque Pontifice* perfecte Sancto. XXXVI. Pontif. Max. Novi Testamenti *debuit esse* ὅσιος. *Idem ac* חסיד Septuaginta. *Vetus* Glossarium. *Purum scelere. Variæ significationes.* Virtutis studium. ὁσιότης Ephes. 4. 24. XXXVII. *Talis est* Christus. Studium Sanctum *ipsi est naturale in omnem Virtutem. Quædam loca Scripturæ. Tales non fuerunt* Summi Pont. *Veteris Test. sæpe segnes. Contra legem Dei sæpe agebant*. Cod. Joma. *Patres singulis annis* x. *Tisri jurejurando eum adstringebant, ut rite ageret in adyto*. איש Vir *quid?* ἀνδρίζεσθαι. Summus Pontifex *populi erat* Legatus *apud Deum. Ita &* Christus ἀρχιερεὺς & ἀπόστολος. Gemara Jerusal. *Christus* Summo studio *opus Dei recte peragit*. XXXVIII. Pontifex Max. Novi Test. *debuit esse* ἄκακος, sine malitia, innocens: *vetus* Glossarium. *Opponitur peccato* actuali *ut* ὅσιος originali. XXXIX. Adamus *creatus fuit* ישר rectus. *Non semper mansit* ἄκακος. *Malus olim* Pontifex. *Inde Proverbium* כעם ככהן Hos. 4. *Gravia sæpe ipsius fuerunt peccata. Gravissime nonnunquam punitus ob crimina*. Christus sanctissimus *ab utero matris*. *Luc.* I. *alia loca*. XL. *Semper fuit* ἀγαθοποιῶν beneficus. *Sanavit omnia genera morborum. Omnes ad pietatem hortatur. Vult ut benefaciamus hostibus. Pro iis in cruce* oravit. *Ipsi* calumniatores Judæi *agnoverunt Christi* benevolentiam. *Liber* ותולדות ישו. *Mentiuntur* Simeonem Cepha *fuisse hypocritam, Christianos decepisse*. XLI. *Agnoscunt tamen* beneficentiam Christi. *Liber* Beth Israel. Onkelosius *Titi ex sorore Nepos. Ejus* miracula. Christus הקראי Caræus *vocatur*. Caræi *Pharizæis odiosi. Eædem Calumniæ* Codice Gittim. XLII. Christus *quoque est* ἀμίαντος. *Vocis sensus* μιαίνω *maculo*. μιασμός, μιάσμω. מיאוס מאס fœtor. Leodienses *dicunt* Maci, sordidum, ἀμίαντος impollutus. XLIII. Christus ὅσιος, ἄκακος & ἀμί-

ἀμίαντος *in perpetuum mansit*, ἀμίαντος *opponitur* בעל מום vitiato. *Nulla* macula *in victimis*. Vacca rufa *ne pilum debuit habere alterius coloris*. Cod. Para Adumah. *Omnis macula abesse debuit a* Sacerdotibus, *præsertim* a Summo Pontifice. x. *die Tisri Vicarium habuit, si aliquid ei accidisset*. Cod. Joma. XLIV. *Non poterant sibi Sacerdotes cavere ab omni pollutione*. Mundities Pontif. Max. *sub Veteri Test. erat pictura perfectæ sanctitatis* Christi. XLV. *Noster* Pontifex *est* κεχωρισμένος ἀπὸ τ̃ ἁμαρτωλῶν. Separatus a peccatoribus. *Paulus respexit ad ritum sub Veteri Test. in* Templo decimo Tisri. Pontifex Max. *septem diebus ab* uxore, *liberis omnibusque hominibus*, *præter paucos Sacerdotes*, segregatus *fuit*. Cod. Joma. *Ratio cur id factum sit*. XLXI. Separatus *etiam fuit*, *quando* vaccam rufam combussit Cod. Parah. XLVII. *Utrum* Vacca rufa *a* Summo Pontifice, *an ab alio combusta fuerit?* Cod. Joma. כהן השורף *quis?* Scheringam, L'Empereur. Cod. Middoth. Parah. *Conclave* Parhedrorum. קדש & טהור *loci in Templo*. *Ubi*. XLVIII. *Ut* Pontif. Max. Vaccam rufam comburat, *nusquam est vetitum*. *Prima combusta per* Eliesarem. Cod. Parah. Moses *&* Ezdra *dicuntur obtulisse* vaccam rufam. *Quo sensu? An debuerit fieri* per Pont. Max. *Nostra* De Vestitu Sacerd. Hebr. XLIX. פרישה Separatio *Sacerdotis* a peccatoribus. *Sub Veteri Test.* Pontifex *nunquam perfecte a Peccatoribus* separatus *nisi per mortem*. Christus *perfecte* a Peccatoribus segregatus. *Quo sensu? Quo sensu semper in medio* peccatorum *versatus*. *Non septem solum diebus ut* Pont. Max. *sed tota* vita. L. ὑψηλότερος τ̃ οὐρανῶν. *Iterum respicitur ad ritus in Templo*. Summus Pontifex *deducebatur in locum* altum *Templi*. Altior cœlis *fuit locus in Templo*. *Tota* civitas Jerus. *typus* cœli *fuit*. *Mons* Moria *altior*. Thronus Dei *in Adyto loco altissimo*. שכינה *schechina*, σκήνωσις. Templum *pictura* cœli. Josephus. Philo. Hieronymus. *Idem Paulus docet saniori sensu*. LI. *De pluribus* cœlis οὐρανοῖς. Plura *in Templo* Atria, & היכל locus Sanctus, *&* Adytus. *Locus alter altero* altior *erat*. *Istis locis omnibus* altior *fuit Pontif. Max.* x. *Tisri per* septem dies. *Deducebatur in conclave* Parhedrin, *& domum* Abtines: *uterque locus* altus. עלייה conclave superius. *Supra* portam aquarum. Cod. Joma. Gemara Jerosolymitana *&* Babylonica. LII. *Locus* altus *sub Test. Veteri in* Templo, *erat* pictura *ejus quod fieri debuit circa* Pontif. Max. Test. Novi. *Christus multo* altior exaltatus. *Supra omnes* cœlos, *supra* Angelos. Pontif. Max. *Veteris Test.* altior cœlis *typicis*, Christus altior *vero* cœlo. Plura *loca Scripturæ*.

XXXV. Audivimus quanta fuerit *Sanctitas* & *Perfectio* Summi Pontificis sub Veteri Testamento quantaque cura atque solicitudo adhibita fuerit, ut ista *Sanctitas* ad successores propagaretur, & ut in omnibus sarta tectaque conservaretur. Nihilominus, quæcunque fuerit ipsius *Sanctitas*, quamcunque adhibuerint curam ut eam conservarent atque propagarent, certum tamen est, eam admodum fuisse imperfectam. Erat *homo*, ut reliqui omnes mortales. Et hoc quidem sufficit, ut peccati atque imperfectionis redargueretur. Natus erat ex Adamo, modo ordinario naturæ, ut reliqui omnes homines, ex massa corrupta totius generis humani, adeoque peccator erat. Nam quod *ex carne natum est, caro est*, Joh. 3. 6. & *arbor mala non potest ferre bonos fructus* Matth. 7. 18. *Nemo educet purum ex impuro*. Job. 14. 4. *Transgressores sumus omnes a ventre*. Es. 48. 8. Ut nemo dicere possit, *purificavi cor meum & mundus sum ab omni peccato*. Prov. 20. 9. Ideo sacrificia obtulit, non tantum propter peccata populi, sed & propter propria peccata sua, singulis annis. Lev. 16. & Heb. 7. 27. Hinc toties expressa lege se purificare debuit, die solennis Expiationis; quare uno etiam die coactus fuit, ut quinquies lavaret corpus, & decies manus & pedes, quoties scilicet vestimentis albis, aut aureis induebatur, quemadmodum docent Talmudici Codice *Joma, Cap.* 3. §. 3. חמש טבילות ועשרה קדושין טובל כהן גדול ומקדש בו ביום וכולן בקדש על בית הפרוה חוץ מזו בלבד *Quinquies lavabat Pont. Max. corpus, & decies manus & pedes, in isto die: omnesque lotiones fiebant in loco sancto, super domo Happarvah, præter hanc solam*: Gematrici hoc probare conantur ex loco Exodi 30. 20. 21. Levit. 16. Hæc autem lotio manifesto indicabat inquinamenta mentis magis quam corporis, adeoque signum & Sacramentum fuit lotionis spiritualis, quemadmodum ostendimus thes. 19. ubi de lotione Sacerdotum totius ordinis diximus. Ideo Sacer-

Sanctitas S. Pontif. sub Vet. Test. imperfecta.

Sacrificia obtulit pro se.

Lotio ejus

Sacerdotium ejus erat *infirmum*, *& nihil poterat perficere*. Hebr. 7. 28. Nihil poterat expiare, nisi typice tantum, ideo singulis annis, immo singulis diebus, sacrificium repetendum fuit. Opus igitur erat Sacrificio valoris infiniti, alioque Sacerdote, qui, ut non typicum tantum offerre debuit sacrificium, ita & veram haberet Sanctitatem atque Perfectionem omnibus numeris completam. Et hoc quidem est quod intelligit Paulus hoc loco, quem nunc examinandum suscepimus, quando dicit: τοιοῦτος γὰρ ἡμῖν ἔπρεπεν ἀρχιερεὺς ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, καὶ ὑψηλότερος οὐρανῶν γενόμενος.

Sacrificium valoris infiniti

XXXVI. Prima perfectio quam Paulus attribuit Summo nostro Pontifici, est *Sanctitas*. Debet enim esse ὅσιος. Idem epithetum ei datur Apoc. 15. 4. 16. 5. Actor. 2. 27. 13. 35. Per hanc vocem Spiritus Sanctus idem intelligit, ac per vocem Hebræam חסיד, quod patet manifestissime ex Psalmo 16. 10. collato cum capite 2. Actorum, ubi de Christi sepultura fit mentio. Nam cum Psaltes dicat; *non permittes ut* חסידך *sentiat corruptionem*, Petrus Act. 2. pro חסיד habet ὅσιος. Et sic passim alibi a Septuaginta ponitur ὅσιος pro חסיד. Apud Græcos sumitur pro viro *sancto*, sive *justo*. Vetus *Glossarium*: ὅσιος *sanctus*, *justus*. Hinc fortassis est, quod Codices quidam habeant ἅγιος alii ὅσιος Act. 15. 4. Significat eum qui est *purus*, nullo scelere pollutus, uti patet vel ex solo isto loco Pauli 1. Tim. 2. 8. ἐπαίροντας ὁσίους χεῖρας. Apud sacros auctores, in Veteri Testamento, nonnunquam ponitur pro homine *benefico*, *misericorde*, & *benigno*. Sed revera notat *studium*, maxime (quando sumitur in bonam partem) *virtutis* & *pietatis*, ut is dicatur חסיד vel ὅσιος; qui virtuti studet, eique se unice tradit. Et sane pro *studio* sumi, manifesto patet Prov. 19. 22. תאוה אדם חסדו *desiderium hominis facit ejus studium*: id est, illud quod homo desiderat, in id intendit labores, & omne studium suum. Ita & Prov. 14. 34. חסד לאמים חטאת *studium nationum est peccatum*. Et Jeremiæ 2. 2. חסד נעוריך *studium juventutis tuæ*. Ita & Nehemiæ Capite 13. 14. זכרה לי אלהי על זאת ואל תמח חסדי אשר עשיתי בבית אלהי ובמשמריו: *Memento mei, o Deus mi, propter hoc, & ne deleas studia mea, quæ adhibui erga domum Dei mei & erga custodiam ejus*. Eodem sensu sumitur ὁσιότης Ephes. 4. 24. ac in hisce locis vox חסד; est enim Paulo ὁσιότης ἀληθείας *studium veritatis*. Non

Christus est ὅσιος. ἅγιος. חסיד quid

dubito igitur quin hic ὅσιος significet virum, qui studio fertur in bonum atque virtutem. Et sane talis est vere *sanctus*. Quis enim dicet illum esse sanctum, qui non omni studio fertur in pietatem atque virtutem?

XXXVII. Talis est revera Christus Summus noster Pontifex. Potest itaque hic intelligi per hoc vocabulum, perfectio quæ Christo est naturalis, zelus atque sanctum studium, quo fertur in officium Sacerdotale, ut satisfaceret justitiæ Patris, ad expianda peccata electorum, & ad acquirendam eis salutem æternam. Tanto sane studio fertur in gloriam Patris & salutem Ecclesiæ, ut *eam amaverit & seipsum pro ea tradiderit*. Joh. 3. 16. Ephes. 5: 25. Gal. 2: 20. Ideo ut non sine causa dixerit: *fervor pro domo Dei me devoravit*. Ps. 66. 10. *Lex tua est in visceribus meis*. Ps. 40. 10. *Hic est totus meus cibus, ut facerem voluntatem Patris mei*. Joh. 4. 14. Sane tales non fuerunt Summi Pontifices Veteris Testamenti. Sed sæpissime erant segnes, negligentes, & qui nihil minus curabant, quam offiicium suum, ad expiationem populi. Immo nonnunquam erant hæretici, & officium, aut prorsus negligebant, aut perversis ritibus, contra mandatum Dei, operabantur; ut etiam coacti fuerint Patres magni Synedrii, ut eos jurejurando obstringerent ad munus rite peragendum. *Codice Joma Cap. I* §. 5. השביעוהו ונפטרו והלכו לחם ואומרים לו אישי כהן גדול אנו שלוחי בית דין ואתה שלחנו ושליח בית דין משביעין אנו עליך במי ששיכן את שמו בבית הזה שלא תשנה דבר מכל מה שאמרנו לך הוא פורש ובוכה והן פורשים ובוכים: *Jurejurando obstrinxerunt eum, & abierunt, & dixerunt ipsi, Vir* (id est) *Domine*, solet enim vocabulum, איש sumi pro *Viro honorato*, ut Psalmo 1: 1. *Beatus* איש *Vir*. scilicet fidelis & Deo honoratus, ut apud Latinos se *præstare Virum*, & apud Græcos ἀνδρίζεσθαι. *Sacerdos magne; nos sumus Legati Magni Senatus, & tu es noster Legatus & Legatus Magni Synedrii* (sive *Apostolus* quemadmodum Sacerdotes, maxime ρεῦς ἀρχιε *ex hominibus sumptus erat, & pro hominibus constitutus, in iis quæ apud Deum agenda erant*. Hebr. 5. 1. Ideo & ipse Christus dicitur quoque ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας. *Legatus & Pontif Max. nostræ adstipulationis*. Heb. 2. 1.) *Nos te Sacramento obstringimus, per eum cujus nomen habitat in hac domo, ne quidquam mutes, ex omnibus iis quæ tibi diximus. Hic discessit & lachrymatus est; & illi discesserunt, & lachrymati sunt*.

Talis est Christus.

Non Sum. Pont. Veteris Testam.

איש Vir honoratus

Summus Pont. populi Legatus.

Talis est Christus.

Summi Pontifices quidam haeretici.

sunt. Lachrymati autem sunt ob infirmitatem humanam, cum omnium hominum, tum Summi Pontificis. Ratio autem ob quam tanto Sacramento obstrictus fuit, erat quod habuerint aliquando Summos Pontifices hæreticos, & ut loquitur Gemara Hierosolymitana, ad istam Misnam. משביעין אותו מפני הביתוסין שהיו אומרים יקטיר מבחוץ ויכנס׃ *Jurejurando eum obstringebant propter Baithæos, qui dicebant, adolebit foras & tunc intrabit*, contra expressam Dei Legem. Lev. 16. Ut ergo persuasi essent de ὁσιότητι integritate atque studio recte agendi in Pontifice Maximo, ejusmodi Sacramento eum obstringebant. Hoc autem studium, hæcque sanctitas atque virtus Christo Pont. Max. Novi Testamenti naturalis erat, summo enim studio atque amore opus Patris sui faciebat, salutemque Ecclesiæ prosequutus est. *Non enim habemus Summum Pontificem qui nullum haberet sensum nostrarum infirmitatum*, (quales fuerunt aliquando Summi isti Pontifices Veteris Testamenti) *sed eum qui tentatus est in omnibus excepto peccato*. Hebr. 4: 15. qui *factus est in omnibus similis fratribus, qui erat misericors, & fidelis Pontifex, in iis quæ apud Deum agenda sunt, ad expianda peccata populi*. Hebr. 21. 17.

Jure jurando obstringebantur.

XXXVIII. Quemadmodum Christus debuit esse ἄκακος *Sanctus*, veræ virtutis ac salutis Ecclesiæ studiosus, ita & ἄκακος *innocens* fuit. Vocabulum ἄκακος notat eum, qui est *sine malitia*. Vetus *Glossarium* habet ἄκακος *innocens*. Is dicitur *innocens* qui nec malum fecit, nec cui propensio est ad malum. Hoc sensu dicuntur ἄκακοι simpliciores ex fidelibus quos falsi doctores seducunt. Rom. 16. 18. Quemadmodum ὅσιος ipsam integritatem nativam, ita & ἄκακος significat perseverantiam in vera atque originali perfectione: adeoque eum, non tantum qui sua natura sanctus est & integer, sed & qui nullum commisit unquam malum. Deinde quemadmodum ὅσιος opponitur peccato originali, ita & ἄκακος peccato actuali: ut hic per duo ista vocabula negetur in Christo, & originale & actuale peccatum.

Ἄκακος quid?

XXXIX. *Adamus* etiam creatus fuit *sanctus*, & ישר *Rectus* Eccl. 7. 26. ἐν ὁσιότητι τῆς ἀληθείας in *sancto studio veritatis*. Ephes. 4: 24. ideo integer & sine peccato. Sed in isto statu non diu perstitit: non semper remansit ἄκακος *sine malitia*, sed cito factus est κακὸς *malus*, per peccatum, transgrediendo mandatum Dei; & per ipsius peccatum omnes facti sumus κακοὶ mali: ut nunc in omnibus hominibus fit: יצר לב רע מנעוריו *figmentum cordis hominis malum a pueritia*. Genes. 8: 21. quod cum de omnibus hominibus dicatur, intelligi quoque debet de pontifice Maximo, non minus quam de reliquis omnibus: nam כעם ככהן *qualis est populus, talis est Sacerdos*. Hos. 4: 9. Es. 24: 20. Quamquam igitur Pontifex Maximus, & ex Lege Dei, & ex Pandectis patrum adstrictus fuit ad singularem aliquam sanctitatem, ut ex iis, quæ dicta sunt, constat, nihilominus tamen non poterat dici ἄκακος; sed, cum reliquis mortalibus, sæpissime incidit in gravissima peccata. Erat homo, & hoc sufficiet, ut dicamus eum fuisse peccatorem, Peccatum ipsi semper adhærebat æque ac reliquis hominibus, Rom. 7: 18. 21. Non solum intus agitabatur variis animi motibus perversaque concupiscentia, ex naturali & innata corruptione, sed & multa mala toties perpetravit, cogitatione, ore & opere. Immo in ipso sacro munere, quo fungebatur decimo die Tisri, sæpe perverse egit, adeo etiam, ut, si *Maimonidi* credimus, nonnulli in ipso adyto justam Dei vindictam experti sint, & morte, magis quam sacrificio, scelus piaverint. Sed jam ostendimus ex ipsa Lege Dei Summum Pontificem sacrificia obtulisse pro suis, non minus quam pro populi, peccatis. Levit. 16. Hebr. 7. ut ἄκακος nulla ratione dici potuerit: In Christo autem Summo nostro Pontifice Maximo, quemadmodum nullum fuit peccatum *originale*, ita & nullum *actuale*, sed omni modo dicendus est ἄκακος *innocens*. Est enim dictus sanctus ab utero matris. Luc. 1. Ideo conceptus ex Spiritu Sancto. *In ore ipsius nunquam reperta est fraus*. 1. Petr. 2: 22. quem *nemo unquam poterat convincere peccati*. Joh. 8: 46.

Adamus Rectus creatus.

Malus factus.

Et Pontif. Max. Vet. Test.

Quidam in adyt. mortuus.

XL. Sed non tantum fuit ἄκακος *innocens*, & absque *malo*, sed per totum cursum vitæ suæ, fuit summe ἀγαθοποιῶν *beneficus*. Marc. 3: 4. Luc. 6. 6. Quam diu in terra versatus est, sanavit omnia genera morborum, cœcos, surdos, claudos, mutos, paralyticos, & omnes languores. Matth. 4. 23. & cap. 9. Quid? nonne tota ejus doctrina unice eo tendit, ut induceret homines ad veram virtutem & ad *beneficentiam*? *Amabis*, inquit, *proximum tuum, tanquam te ipsum*. Matth. 22. *Quod vultis ut homines vobis faciant, facite id illis* Matth. 7: 12. Luc. 13: 14. Immo jubet ut ipsis quoque hostibus nostris benefaciamus Matth. 5: 44. Sed in omnibus suis prædicationibus nihil magis urget, quam fidem

Christus fuit beneficus.

fidem & beneficentiam. Et ipse inter dirissimos cruciatus oravit pro inimicis suis, pro ipsis etiam carnificibus, inter quorum manus expiravit *Pater*, inquit, *condona ipsis, nesciunt quid faciant*. Luc. 23. 34. Certe bonitas atque beneficentia Christi adeo nota fuit, ut ipsi etiam hostes ejus acerrimi Judæi, inter atrocissimas calumnias, eam fateantur. In blasphemo libello, jam toties a nobis allegato, *de generatione Jesu*, narrant, Apostolum Petrum, sive *Simeonem* nomine Christi hortatum esse *Nazarenos*, sive *Christianos*, ut nullo malo afficerent Judæos, Heç sunt famosi istius libelli verba, ועתה הוא מזהירכם ומצוה לכם שלא תעשו עוד רעה לשום יהודי ואם יאמר יהודי לנוצרי לך עמי פרסה ילך עמו שני פרסאות ואם יכנו יהודי על לחי השמאל נטה לו גם לחי הימין *Et nunc ille* (Jesus) *hortatur vos, mandatque vobis, ne in posterum ullo malo afficiatis Judæos. Et si Judæus dicat Christiano, abi mecum milliare unum, ibis cum eo milliaria duo, & si vos percutiat Judæus in maxillam sinistram, vertite etiam ipsi maxillam dextram*. Verum quidem est, miseros istos nugatores ineptissimam fabulam ibi fingere de *Simeone Cepha*, ac si hypocrita fuisset, per incantationem miracula fecisset, ad decipiendos Christianos, adeoque verba ista ab eo fuisse composita, ut sedaret Christianorum animos in Judæos vehementer concitatos ne Judæis, uti fecerant, in posterum nocerent. Sed quis puditas istas fabulas crederet? Notus est zelus & labor *Simeonis Cephæ*, ad propagandam veritatem religionis Christianæ; quis non videt ista verba: *Si dicat abi mecum milliare*, & quæ sequuntur, esse ipsissima verba J. Christi? Matth. 5. 44.

Id fatentur Judæi hostes Christi.

XLI. Sed & in alio Libello, inter horrendas blasphemias, coguntur tamen fateri beneficentiam Christi erga Judæos. Is est liber *Beth Israel*, Codice *Gittim. Cap.* 5. ubi putidum narrant mendacium, de *Onkelosio*, Titi ex sorore nepote, qui, quum vellet fieri proselytus, per Magiam excitaverit *Titum*, *Bileamum*, & tandem *Christum*, ut ab eis edoceretur cui religioni se tandem traderet. De *Christo*, quem tamen ibi vocant הקראי *Caræum* [quod subdole ab eis factum est, ne Christianis horrenda blasphemia, quam eodem loci in *Christum* simul eructant, innotesceret, etsi revera Christum ipsum intelligant, quod fatebuntur omnes qui suæ conscientiæ vim facere non possunt, ut & jam fassi sunt doctiores, qui eorum impia castra deseruerunt] hæc habent. אזל אסקירה להקראי בנגידה אמור ליה מאן חשיב בההוא עלמא א״ל ישראל מהוא לאידבוקי בהו א״ל טובתם דרוש רעתם לא תדרוש כל הנוגע בהם כאלו נוגע בבת עינו *Abivit* (Onkelos) *& eduxit Caræum* (id est Christum; notum enim est *Caræos* odio esse Talmudicis, ut vix pejus nomen dare potuerint Christo, eo magis quod traditiones Pharisaicas tam acriter perstrinxerit, uti patet, maxime ex Matth. 5. & 23.) *per Necromantiam, dicens ei, quis existimatur in hoc mundo? Respondet ipsi, Israel. An ergo* (inquit Onkelos) *ipsi adhærebo? Dixit* (Christus.) *Bonum ipsius quæres, malum ipsius non quæres, quicunque eos attingit, est ac si tangeret pupillam oculi ejus*. Horrendam blasphemiam, quam mox evomunt in Christum, prætereo, & vindictæ Dei relinquo. Fabula hæc est hausta ex cloaca Talmudica *Gemaræ Codice Gittim Cap.* 5. *ad* §. 6. cum hoc tantum discrimine, quod Gemarici *Christum* vocent הפושע *Perversorem Israelis*, cum hic dicatur הקראי, *Caræus*, uti diximus. At ne hisce multum immoremur, clarum est, fatentibus etiam ipsis ejus hostibus iniquissimis, Christum summum nostrum Pontificem non tantum fuisse ἄκακον, sed & ἀγαθοποιόντα *beneficentissimum*.

Beneficentiam Christi erga Judæos, fatentur ipsi Judæi.

XLII. Tertia perfectio quam Apostolus attribuit Summo nostro Pontifici est, quod fuerit ἀμίαντος, Hoc vocabulum significat *impollutus*. Derivatur a verbo μιαίνω *maculo, inficio, fœdo*. Vix dubito quin vetustissimi Græci dixerint μιαίω vel μιαίτω, postea φονίας ἕνεκα μιαίνω. Hinc μίασμα *inquinamentum* & μιαιφόνος *homicidio pollutus*, & μιαιφονέω. Quod observo ut clarius constaret, hoc verbum magnam habere cognationem cum Hebræo מאס *sprevit*, & apud Talmudicos *inquinare*. Hinc מיאוס *Mius*, *fœtor, sordities*. Leodienses hodie dicunt *maci, sordidum. C' est un maci drole, est homo sordidus*. Notat igitur ἀμίαντος *impollutum*. Eodem sensu occurrit Heb. 13. 4. ἡ κοίτη ἀμίαντος *lectus immaculatus*, nullo scilicet adulterio pollutus. Et Jac. 1. 27. θρησκεία καθαρὰ καὶ ἀμίαντος, ubi καθαρὸς & ἀμίαντος idem notare videntur; nisi quod καθαρὸν ipsam nativam munditiem notare videatur; at vero ἀμίαντον munditiem illibatam, & nulla macula pollutam. Ita ἄφθαρτον, ἀμίαντον & ἀμάραντον. 1. Petr. 1. 4. junguntur, ad indicandam perfectionem *hæreditatis cœlestis*.

Christus est ἀμίαντος

XLIII. Quemadmodum igitur Christus, ipsa sua natura & insita perfectione, est ὅσιος & ἄκακος; ita quoque nulla

nulla macula unquam pollutus est. Non uti Adamus, qui creatus quidem fuit ἅγιος & ἄκακος, sed in isto statu non diu perseveravit, sed brevi fœda macula peccati contaminatus est, ut non potuerit dici ἀμίαντος. Videtur itaque ἀμίαντος opponi τῷ בעל מום *vitio aliquo laboranti*, quod vel ipsa nativitate, vel actione aliqua contraxit. Sane tales debebant esse omnes res sacræ, & *Sacrificia* & *Sacerdotes*, ut ex iis quæ diximus patet. Ideo non tantum solicita cura cavebant ne ulla esset macula in victima, aut defectus in membris externis; sed post mactationem, animali resupino jacente, ventre aperto, intestina omnia oculis aperta & conspicienda exhibebantur, ut exactissime hoc modo rusparentur stomacum, cor, hepar, pulmones, partesque reliquas omnes, numne intus aliquid lateret corrupti, quod victimam redderet illicitam: quo respexisse videtur Paulus ad Hebr. 4. 13. πάντα τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ. Hoc & lex exigebat. Levit. 22. 21. & sequentibus. Hinc & *vacca rufa*, quæ comburebatur, ut cineres ejus adhiberentur ad aquam lustralem, ne pilum habere debuit coloris albi, nigri, aut alterius quam rufi tantummodo. Num. 19. Videatur imprimis Codex פרה אדומה *Cap.* 2. §. 5. Eodem prorsus modo res sese habebat cum Sacerdotibus, omni enim macula atque vitio corporis, immo & animi carere debuerunt, uti superius ostendimus, ut, si forte Sacerdos rem immundam tetigisset, aut in morbum incidisset, sacris abstineret, donec se ab inquinamentis purgasset, vel a morbo convaluisset. Præsertim autem ἀμίαντος requirebatur Pontifex Maximus decimo die Tisri, quo die faciebat solennem expiationem. Ideo Patres conscripti magni Synedrii ei substituebant סגן *Vicarium*, si forte primo aliquid accidisset, quod eum polluisset & ad ministerium reddidisset ineptum, *Vicarius* vices ejus tunc obiret. Codice *Joma Cap.* 1. §. 1. מתקינין לו כהן אחר תחתיו שמא יארע בו פסול *Substituunt ei alium Sacerdotem, si forte ei contingat aliquid polluti.*

Ἀμίαντος opponitur בעל מום Vitioso.

Sacerdotes omni vitio carere debuerunt.

Pont. Max. decimo Tisri habuit Vicarium.

XLIV. Sed quamcunque curam adhibuerint Patres, nihilominus non poterant sibi cavere Sacerdotes ab omni pollutione corporis & mentis, semper enim adhærentem habebant labem peccati, ut post infectum veteris serpentis veneno genus humanum, nemo dici possit ἀμίαντος, præter solum filium Dei. Omnis mundities Pontificum, quæcunque illa fuerit, levis tantum erat pictura atque umbra summæ sanctitatis atque perfectionis Jesu Christi. Is non solum absque vitio peccati conceptus & genitus est; sed & ab omni labe in æternum mansit immunis. Est sane *agnus* ἄμωμος καὶ ἄσπιλος *sine vitio & sine macula*. 1. Petr. 1. 19. *qui peccatum non fecerat, & in cujus ore nulla reperta est fraus*. 1. Petr. 2. 22. qui *se obtulit per spiritum æternum* ἄμωμον *sine vitio*. Heb. 9. 14. Quem *nemo poterat accusare peccati*. Joh. 8. 46. Solus igitur Pontifex Maximus Novi Testamenti est ἄκακος, ἄμωμος, ἄσπιλος & ἀμίαντος, quod de nemine mortalium unquam dici poterat.

Sacerdotes Vet. Test. polluti.

Eorum mundities pictura Sanctitatis Christi.

XLV. Ut clarius constaret Christum fuisse ἀμίαντον *impollutum*, addit, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, *separatus a peccatoribus*. Fateor, positis iis quæ hactenus de summis perfectionibus Jesu Christi diximus, sensum horum verborum esse clarum. Nihilominus tamen non dubito, quin Paulus iterum respexerit ad ritum, qui solebat observari circa Pont. Max. Veteris Testamenti, in solenni expiatione decimi diei *Tisri*. Solebant enim Patres conscripti magni Synedrii Summum Pontificem ab uxore, liberis, omnibusque domesticis, immo a societate omnium hominum, extra Templum, segregare, & in Templum deducere, ubi remanebat in proprio suo conclavi, integris septem diebus ante expiationem præstandam, κεχωρισμένος *separatus*. Erat igitur segregatus ab omni consortio hominum, præter paucos Sacerdotes, quibus, ob necessitates vitæ, carere non poterat. *Codice Joma Cap.* 1. §. 1. שבעת ימים קודם יום הכפורים מפרישין כהן גדול מביתו ללשכת פלהדרין ומתקינין לו כהן אחר תחתיו שמא יארע בו פסול *Septem diebus ante diem expiationis separant Sacerdotem magnum a domo sua ad conclave Parhedrorum, substituuntque ei alium Sacerdotem, si forte ei accidat vitium.* Ecce Summum Pontificem Veteris Testamenti revera κεχωρισμένον *separatum* a communi consortio hominum, & versantem inter eos, qui sanctissimi habebantur, quales fuerunt *Sacerdotes*, qui sanctitate reliquis omnibus hominibus præferebantur, uti supra ostendimus. Κεχωρισμένος *separatus* erat *septem diebus*. Ratio erat, uti ipsi etiam Magistri docent, quod ineptus fuisset ad ministerium diei magnæ Expiationis, si forte interea tetigisset mulierem menstruatam, aut mortuum, aut sepulchrum, aut aliam rem immundam: nam is, qui pollutus erat, remansit in sua immunditie spatio septem dierum,

Κεχωρισμένος.

Quo sensu Pont. Max. Veteris Test. separatus a peccatoribus in Templo.

quemadmodum constat Numer. 19. & Levit. 15.

XLVI. Sed non tantum die solennis Expiationis Pontifex Maximus *κεχωρισμένος* *separatus* fuit, sed & aliis temporibus; scilicet quando *vacca rufa* comburenda fuit, sive id fieret per Summum Pontificem, sive per alium totius ordinis, ut videre est Codice *Parab* Capit. 3. §. 1. שבעת ימים קודם לשריפת הפרה מפרישין כהן שורף את הפרה מביתו ללשכה שעל פני הבירה צפונה מזרחה ובית אבן היתה נקראת *Septem diebus ante combustionem vaccæ, separabatur Sacerdos comburens vaccam a domo sua, ad conclave versus palatium, in plaga aquilonari Orientali, quæ vocabatur domus lapidea.*

Ritus 'x. Tisri.

XLVII. Utrum autem *vacca rufa* combusta fuerit per Summum Pontificem, an vero per alium totius ordinis, viri docti disputant. Clarissimus *Scheringam* ad Codicem *Joma Cap.* 1. §. 1. hunc a Summo Pontifice distinguit, quod probare conatur ex *Gemara Joma Cap.* 1. §. 1. statim ab initio his verbis: שבעת ימים קודם שריפת הפרה היו מפרישים כהן השורף את הפרה מביתו ללשכה שעל פני הבירה צפונה מזרחה ולשכה בית האבן היתה נקראת ולמה נקרא שמה לשכת בית האבן שכל מעשיה בכלי גללים בכלי אבנים ובכלי אדמה *Septem diebus ante combustionem vaccæ, separabant Sacerdotem comburentem vaccam a domo sua, ad conclave quod respiciebat versus Palatium, in Septentrionali Orientali; dictum autem fuit conclave lapidis. Sed cur dictum est conclave lapidis? quod ejus opus conficeretur, in vasis marmoreis, lapideis & testaceis.* Sed ex hoc loco non constat, ipsum Pontificem Maximum non combussisse *vaccam rufam*. Nam idem *Pontifex Maximus* a se ipso distingui potest, ratione diversi officii. Nam ubi comburit *vaccam*, tunc dicitur כהן השורף *Sacerdos comburens*; ubi autem ministerio fungitur, magno die expiationis, dicitur כהן גדול ביום הכפורים *Pontif. Max. die Expiationis*. Nec satis solide, mea quidem sententia, Vir Clariss. refutat doctissimum Constantinum *l' Empereur*, qui ad Codicem *Middoth Cap.* 5. §. 3. ex hac Gemara probare voluit, *conclave Parhedrorum* esse conclave *loci lapidum*. Nam Gemara *Joma Cap.* 1. §. 1. eadem est, quæ legitur Codice *Parab Cap.* 3. §. 1. Ideo etiam in Codice *Joma* Gemaristæ dicunt hanc Traditionem *tradi alibi*. תנו התם שבעת ימים וגו׳ *Tradunt alibi septem diebus* &c. scilicet hæc traduntur Codice *Parab. Cap.* 3. §. 1. quemadmodum etiam lector, in margine, ad istum Codicem remittitur. Deinde utrumque conclave, & Pontificis Maximi diei Expiationis, & comburentis vaccam, dicitur על פני הבירה צפונה מזרחה *Versus Palatium in plaga Septentrionali Orientali*. Immo utrumque est לשכת בית האבן *conclave loci lapidum*. Quomodo autem hæc faciant duo diversa conclavia, docere debuisset Clarissimus *Sberinghamus*. Nihil quoque probat doctissimus Vir, ex verbis, quæ ex eadem *Gemara* allegat, & quæ leguntur *fol.* 5. אין בין כהן השורף את הפרה לכהן גדול ביום הכפורים אלא שזה פרושתו לקדושה ואחיו הכהנים נוגעים בו וזה פרושתו לטהרה ואין אחיו הכהנים נוגעין בו *Nulla est differentia inter Sacerdotem comburentem vaccam, & Pontificem Maximum diei Expiationis, nisi quod hujus* (Pontif. Max.) *separatio sit in loco sancto, & fratres ejus Sacerdotes attingunt eum, & illius* (Sacerdotis vaccam comburentis, ut clare exponitur in *Thosiphta*) *separatio in loco mundo, & fratres ejus Sacerdotes eum non attingunt*. Ex hoc loco iterum nihil colligi potest, quo probaretur, Pontificem Maximum non combussisse vaccam rufam: sed dicitur tantum alios ritus observatos fuisse, circa Pontificem vaccam comburentem, alios circa Summum Pontificem diei Expiationis. Tandem ex eo quoque non probatur, aliud fuisse conclave Pontificis Maximi & Sacerdotis vaccam comburentis, contra Doctissimum *l' Empereur*, quod Pontifex Maximus die Expiationis fuerit in *loco sancto*, & Sacerdos vaccam comburens in *loco mundo*. Nam hoc de eodem conclavi dici potest, pro diversis ejus partibus: quandoquidem pars ejusdem conclavis, quæ respiciebat versus Palatium; קדש *sancta* dicebatur, quæ autem respiciebat versus murum, aut versus atrium externum, טהור *munda* quidem erat, cum nemo pollutus eo ingrederetur sine piaculo, quamvis non haberetur קדש *sancta*; quod doctissimus *Scheringamus* potuisset discere ex Gemara *Joma. Cap.* 2. *fol.* 25. 1. quem locum etiam allegavit Clarissimus *l' Empereur*. Nihilominus tamen לשכת העץ *conclave ligneum*, de quo agit Misna *Joma. Cap.* 5. §. 3. idem esse cum לשכת בית האבן *conclavi loci lapidum*, ad quod deducebatur Pont. Max. ut Clariss. *l' Empereur* contendit, etiam demonstratum non est; cum illud fuerit בדרום in *plaga Meridionali*, hoc autem צפונה מזרחה in *plaga Septentrionali Orientali*, uti constat ex locis allegatis. Sed de

Sberingam notatus.

Pontifex Max. an combusserit vaccam rufam?

his

his nos fortassis alibi fusius, ubi de Templo agemus, si Deus vitam & otium concesserit.

XLVIII. Disceptent inter se Talmudici, & post eos Viri docti, nusquam prohibitum fuit, ut Pontifex Max. Vaccam rufam combureret; adeoque ab eo forte fuisse aliquam combustam, negari non debet, cum omnia ministeria Templi obire potuerit, quamquam prima tamen combusta fuit, non per Aharonem, sed per ejus filium Eliezerem, qui vivente Aharone Sacerdos minor fuit. Revera Vaccam rufam comburi potuisse per quemlibet Sacerdotem, clarum est, cum Lex id a solo Pontifice Maximo non postulet. *Jarchius Numer. Cap.* 19. 3. ad vocem אלעזר notat. מצותה בסגן *ejus præceptum perficitur per vicarium*, scilicet quod Deus jusserit, ut fieret per *Eleazarum*, qui erat Aharonis filius major natu, adeoque tanquam Patris *vicarius* & *coadiutor*, ut loqui amant in Ecclesia Romana, & qui post obitum ejus Summum Pontificatum obtinebat. Commentatores ad Codicem *Parab. Cap.* 3. §. 1. ad hæc verba: כהן השורף את הפרה sic loquuntur תרע שכל כהן כשר לשריפתה אמר ית ונתתה אל אלעזר הכהן והוא היה סגן הכהנים בעת ההיא ואמרו בספרא זאת נעשה באלעזר ושאר כל הפרות בין בכ״ג בין בכהן הדיוט *Scias quod omnis Sacerdos admissus sit ad comburendam vaccam: dixit laudatus Deus* (Numer. 19. 3.) & trades eam Eleazaro Sacerdoti. *Is erat Vicarius Sacerdotum isto tempore. Tradunt in Siphra, hæc* [vacca] *immolata est per Eleazarum, sed reliquæ vaccæ omnes per Summum Pontificem, vel per Sacerdotem totius ordinis.* Secundum hos igitur doctores poterat vacca rufa offerri, vel per Summum Pontificem, vel per ejus Vicarium, vel denique per Sacerdotem quemlibet. Nihilominus tamen ex Codice *Parah*, id est de *vacca rufa*, verisimile est, id factum fuisse per Pontificem Maximum. *Cap.* 3. §. 5. הרשונה עשה משה והשניה עשה עזרא וחמש מעזרא ואילך דברי רבי מאיר וחכמים אומרים שבע מעזרא ואילך ומי עשאן שמעון הצדיק ויוחנן כהן גדול עשו שתים שתים אליועיני בן הקוף ותנמאל המצרי וישמאל בן פיאבי עשו אחת אחת *Primam* [vaccam rufam] *obtulit Moses, secundam Ezra, Et quinque combustæ sunt a temporibus Ezræ. Quis autem eas combussit? Simeon Justus. Et Johannes Pontifex Maximus combusserunt quilibet duas. Elionæus filius Hakuphi, & Chanmael Ægyptius, & Ismael filius Fabi fecerunt quilibet unam.* Quando dicuntur Moses & Esdras obtulisse vaccas, id intelligendum est de eorum tempore, scilicet tempore Mosis primam combustam esse, per *Eleazarum*, secundum mandatum Dei, Numer. 19. Alteram tempore Ezræ. Reliqui omnes fuerunt *Summi Pontifices*, ut ex *Josepho* aliisque auctoribus constat. Sed ex eodem Codice *Parab. Cap.* 3. §. 8. probari posse videtur neminem *vaccam rufam* combussisse, præter solum Pontificem Maximum. Patres enim eum alloquentes exsertis verbis illum appellarunt כהן גדול *Pontificem Maximum*, cum immolaret *vaccam rufam*. סמכו ידיהם עליו ואמרו לו אישי כהן גדול טבול אחת ירד וטבל ועלה ונסתפג *Imponebant ei manus & dicebant: Domine Sacerdos Summe, lava semel. Descendebat, lavabat & ascendebat ac absterst.* De hisce plura habemus, in nostro opere *De Vestitu Sacerdotum Hebræorum. Lib. II. Cap.* XXIV. Sed quidquid est, ex hisce omnibus constat, Pontificem Maximum revera fuisse *κεχωρισμένον separatum*, & quum faceret solennem Expiationem, & quum comburenda esset *vacca rufa*.

XLIX. Sed quæcunque fuerit ista פרישת *separatio*, certum tamen est, eum nunquam fuisse prorsus *separatum a peccatoribus*. Accedebant enim ad eum Sacerdotes, qui semper *peccatores* fuerunt. Forte etiam nonnulli ad eum accedebant *polluti*, per quos & ipse potuit pollui, contra leggem cærimonialem. Sed & is ipse semper *ἁμαρτωλὸν peccatorem* in animo suo gessit, a quo *separari* nunquam poterat, nisi per mortem.

Pont. Max. Veteris Test. nunquam fuit separatus a peccatoribus.

At vero Jesus Christus filius Dei Pontifex Maximus Novi Testamenti, revera *separatus* est ab omni *peccatore*. Fateor quidem, quamdiu versatus est in hac terra inter mortales, eum nunquam a peccatoribus fuisse sejunctum. *Venit* enim ut *servaret peccatores*, & *oves perditas domus Israelis*. Matth. 9. 11. Luc. 19. 20. versatus est cum *peccatoribus & hominibus improbæ vitæ*; quod & ipsi Pharizæi exprobrabant ei. Matth. 11. 19. Sed ita versatus est inter *peccatores*, ut eos adduceret ad fidem & resipiscentiam. Ut *lux ejus luceret in medio generationis torvæ atque perversæ*; qui nulla macula peccati infici poterat; qui remansit ἄκακος & ἀμίαντος. Κεχωρισμένος *separatus* est *a peccatoribus*, non tantum spatio *septem dierum*, sed per totam vitam, & in omnem æternitatem. Sed hæc, ex iis, quæ superius jam de Sanctitate Christi diximus, clara sunt.

Christus, ab omni peccatore separatus

L. Addit ultimo Apostolus: ϗ ὑψηλότερος τ͂ οὐρανῶν γενόμενος. *Et altior factus*

Altior cœlis.

Quo sensu Pont. Max. Veteris Test.

ctus est cœlis. Iterum Paulus respicit ad veterum Judæorum ritus, qui observari solebant circa Summum Pontificem, die decimo *Tisri*, solennis Expiationis. Nam non solum e domo sua deducebatur ad templum, ut *separatus* esset a consortio hominum profanorum, & ut inter eos viveret, qui erant sancti, modo speciali, quales erant Sacerdotes in Templo ministrantes; sed & eo ipso *altior factus* erat *cœlis*. Primo certum est., ipsam Civitatem Hierosolymitanam fuisse typum *cœli*. Hebr. 11. 10. Sed in hac Civitate mons *Moria*, fuit Civitate multo altior. Super hoc autem monte erat *Templum*, sed & ipsum Templum manifestissimam fuisse picturam cœli constat. Ideo quemadmodum Deus in *cœlis* esse dicitur, ita & in *Templo*, maxime in *Sancto Sanctorum*. Ibi sane erat ipsius שכינה σκήνωσις habitaculum, & *thronus* Apoc. 22. 1. super Propitiatorio; quare *inter Cherubinos habitare* dicitur Exod. 25. 8. 22. Psal. 80. 2. Ideo Cherubini dicuntur, χερυβὶν δόξης, super Arcam. Ut non male quidam Veterum, *Josephus*, *Philo Judæus*, *Hieronymus* aliique Viri magni nominis dixerint: Templum fuisse vivam picturam Cœli: quamvis forte nimium sint philosophati, & hanc conformitatem magis physice, quam mystice, uti oportebat, exposuerint. Idem sane & ipse Paulus docet & melius, propius enim ad veritatem rei accedit, immo eam accurate tangit, ad Hebr. 9. præcipue commate 23. & 24. ubi dicit: *Tabernaculum & vasa sacra, quæ erant purificata, repræsentasse ea quæ sunt in Cœlis, & loca sancta facta manu fuisse exemplar respondens veris*, id est *cœlis* in quæ intravit Christus. Ergo templum erat vera pictura cœli, adeoque *cœlum typicum*.

Jerusalem typus cœli.

Plures cœli. οὐρανοί.

LI. Sed quemadmodum Scriptura loquitur, non de uno *cœlo* tantum, sed de pluribus οὐρανοῖς, ita sane & Templum varios depinxerat *cœlos*. Aliud enim videtur *cœlum*, *atrium Mulierum*, aliud *atrium Israelitarum*, aliud *Sacerdotum atrium*, & tandem aliud ipsum היכל sive *Palatium*, locus scilicet sanctus, cum Sancto Sanctorum. Aliud etiam alio fuit altius. Altius sane erat *atrium* Virorum quam mulierum, altius Sacerdotum, iterum omnium altissimum erat *palatium*, sub tecto. Sed Pontifex Maximus septem istis diebus, quibus erat κεχωρισμένος, omnibus istis locis altior erat; occupabat enim conclave altius omnibus atriis, ipso adyto. Deducebatur enim ad לשכת פרהדרין *Concla-*

Palatium.

Atria.

Pontif. Max. decimo Tisri altior fuit.

ve Parhedrorum. Codice *Joma Cap.* 1. §. 1. שבעת ימים קודם יום הכפורים מפרישין כהן גדול מביתו ללשכת פרהדרין *Septem diebus ante diem expiationis separabant Pontificem Maximum a domo sua, ad conclave Parhedrorum*; quem locum supra, scil, thesi XLV. allegavimus: Ita quoque quando eum solenni Sacramento obstringebant, ad observantiam rituum, deducebatur ad conclave excelsum *domus Abtines*. *Joma Cap.* 1. §. 5. מסרוהו זקני בית דין לזקני כהונה והעלוהו לעליית בית אבטינס *Tradebant eum seniores domus Judicii*, (Senatores Magni Synedrii) *senioribus Sacerdotum*, & *ascendere eum faciebant ad conclave excelsum domus Abtines*. Sed utrumque conclave fuit altum. De hoc constat, nam exsertis verbis dicitur עלייה id est *conclave superius*. Sed & conclave *Parhedrorum* quoque erat conclave superius: nam utrumque erat supra portam aquarum. Gemara Hierosolymitana ad hanc Misnam notat על גבי שער המים היתה וסמוך ללשכתו היתה *Erat supra portam aquarum, prope conclave ejus*. Conclave Pontificis Maximi erat לשכת פרהדרין *conclave Parhedrorum*, quemadmodum patet ex Misna prima capitis primi, quam allegavimus, quod clarius docet Gemara Hierosolymitana ad eandem Misnam, ut & Gemara Babylonica. תנו כל הלשכות שהיו במקדש היו פטורות מן המזוזה חוץ מלשכת פלהדרין שהיא דירה לכהן גדול שבעת ימים בשנה *Tradunt omnia conclavia in Templo libera esse a Messussoth* (schedulis quæ affigi solebant postibus) *excepto conclavi Palhedrin*, (*Palhedrin* corrupte dicitur ut & alibi pro *Paredrin*) *quia est habitaculum Pontificis Maximi septem diebus in anno*. Hæc sunt proculdubio duo ista conclavia Summi Pontificis, de quibus *Gemara* ad Codicem *Joma Cap.* 1. §. 5. אמר רב פפא שתי לשכות היו לו לכהן גדול אחת לשכת פרהדרין ואחרת לשכת בית אבטינס אחת בצפון ואחרת בדרום *Dixit Raf Papa Pontifex Maximus duo habebat conclavia; alterum conclave Parhedrorum. Alterum conclave domus Abtines, Alterum in Septentrione, alterum in Meridie erat*. In priori habitabat & dormiebat; in altero docebatur pugillationem thymiamatis, uti ibi explicatur a commentatoribus. Sed quæcunque fuerint ista conclavia, & in quacunque parte templi sita fuerint, patet ex iis quæ diximus, ea fuisse cœnacula excelsa; ut Pontifex Maximus, per septem dies, quibus ibi morabatur, non sine causa dici potuerit, ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν γενόμενος, *altior factus cœlis*,

Conclave Parhedrorum.

Domus Abtines.

Pontificis Max. duo conclavia.

quo

quo proculdubo Paulus respexit hoc loco.

Cœlum in Templo pictura veri cœli in quo est Christus.

LII. Qualecunque autem fuerit istud cœlum, supra quod evectus fuit Pont. Max. Veteris Testamenti, certum tamen est, illud fuisse typicum tantum, cum altior factus fuerit solum Civitate Hierosolymitana, monte Moriah, Atriis Templi, & quibusdam illius conclavibus inferioribus. Deinde ista elatio non durabat ultra septem dies. At vero Christus Summus Pontifex Novi Testamenti revera altior factus est omnibus cœlis, etiam altissimo. Sane si respicias illius dignitatem, cum verus atque æternus sit Deus, Angelis atque hominibus omnibusque creaturis, & cœlo & terra, infinito modo, altior est perfectione, dignitate, gloria, & majestate. Ipse enim cœlos æque ac terram & mare creavit & omnia quæ sunt in iis. 2. Chron. 6. 18. Act. 7. 49. 50. Neh. 9. 6. *Omnia per eum facta sunt, & absque eo nihil factum est*. Joh. 1. 3. *Omnia potenti sua manu sustentat*. Hebr. 1. 3. Tanquam summus Deus in cœlis habitat. Quid? perfectiones ejus divinæ, gloria & majestas ipsius evecta est supra omnes cœlos. *Cœli cœlorum eum capere non possunt*. 1. Reg. 8. 27. *Si ascendamus in cœlos, ibi est*. Ps. 139. 7. 9. Immo ex cœlis ad miseros peccatores descendit. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlis*. Joh. 3. 13. Es. 4. 9. Sed & secundum naturam humanam quoque exaltatus est supra cœlos, cum liberatus sit ab omni contemtu, & passionibus, quas pro nobis in hac vita passus est. *Solutus sane est a doloribus mortis*, & post ejus resurrectionem, mors in *eum nullum amplius habet dominium*. Rom. 6. 9. Exaltatus est sane per Resurrectionem, per ascensionem, & per sessionem ad dextram patris. Postquam *posuit animam pro reatu, vidit semen, prolongavit dies, & desiderium Dei per eum prosperatur. Feliciter agit, elatus est valde* Es. 53. 13. *Bibit ex torrente per viam, quare extollit caput*. Ps. 110. 7. *Sedit ad dextram majestatis Dei, in locis altissimis, supra omnes principatus & potestates, & virtutes, & dominationes, & supra omne nomen, quod nominatur, non tantum in hoc, sed in futuro sæculo*. Ephes. 1. 20. 21. *Deus eum valde exaltavit, & dedit ipsi nomen supra omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur, & eorum quæ sunt in cœlis & in terra, & infra terram, ut omnis lingua confiteatur, Jesum esse Dominum ad gloriam Dei Patris*. Phil. 2. 9. Patet itaque, si Pontifex Maximus Veteris Testamenti factus fuit *altior cœlis typicis*, Christum Summum Pontificem nostrum, sub Novo Testamento, revera altiorem esse factum *veris cœlis*, ut ipsi cæli cœlorum eum capere non possint.

Est altior cœlis, quia Deus.

Quia homo.

CAPUT V.

De Necessitate Pontificatus Jesu Christi.

LIII. *Decebat nos habere talem Sacerdotem*. NOS Sancti *sub Test. Novo*. *sub* Promissione *& sub* Test. Veteri *talem etiam habere debuerunt sancti*: Christus *omnium est* Sacerdos. *Solus* θεάνθρωπος *expiare potest peccata*. Ἔπρεπε decebat. *Quo sensu? Eodem sensu, ut sub* Test. Novo, Christus *non fuit Sacerdos*. LIV. *Antea se ipsum nondum obtulerat, nisi* typice. *Istis temporibus omnes Sacerdotes fuerunt* peccatores. *Erant* Sacerdotes typici. *Talem Sacerdotem* decebat *habere sub* Vet. Test. LV. Cerimoniæ *sub* N. Test. *cessare debebant*. Decebat *ut essemus* liberi a Jugo. *Noster* Sacerdos *offerre debuit sacrificium* valoris infiniti. *Talis poterat esse solus* θεάνθρωπος *Filius Dei*. *Perfecte* Sanctus. Summa gloria evectus. LVI. *Colligitur denuo in toto hoc loco Paulum respexisse ad* ritus Veteris Testamenti. *Multum lucis adfert cognitio* Antiquit. Judaicæ. *Occurrere* ritus *in Novo Testament. de quibus in* Lege Mosis *nihil*. *Tamen a* Sacris Scriptoribus approbari. LVII. Pauli sententia de Summo Pontifice hoc loco est eadem quam fovebant Veteres Judæorum Sapientes. LVIII. Sententia *Philonis Judæi*. Verum Pontificem Dei esse filium, virtute perfectissimum. *Jonathan* eandem docet veritatem. Exod. 40. 9. Tangitur, Danielis locus Cap. 9. 17. Et locus Psalmi 84. 10. *Targum* eum exponit. Et locus Zachar. 6. 12. LIX. *Jehova Justitia nostra* Jerem. 23. est Messias, secundum Chaldæum. Quædam loca Scripturæ. Vana detorsio Jarchii. Illustrantur loca Exod. 17. 15. & Ezech. 48. 35. Quædam loca Scripturæ. LX. Messiam, peccata expiasse & purgasse animas, probatur

batur ex Esaia cap. 53. *Chaldæus* de *Messia* exponit. Et Codex *Sanhedrin.* Plura nomina Messiæ LXI. Pontifex qui peccata expiaret, non potest esse nuda creatura. Sed ipse *filius Dei*. Id docet *Jonathan*, & *Targum Hieros.* ad Genes. 3. 15. De *Semine Mulieris*. Psal. 80. 15. De *Messia*, *filio Dei* exponit *Targum*. *Filium Dei* esse ipsum Deum, docent Veteres Judæi, etiam tempore Christi. Allegantur *Paraphrastes*; *Philo Judæus*, & quædam loca Evangelii. LXII. Vetustissimi Judæi agnoverunt *Messiam verum Deum*, *Jehova*. *Est Princeps Pacis*, ut habet *Chaldæus*, Es. 9. 6. Is est verus *Deus fortis*, *Pater æternitatis*. *Talmudici Cod. Sanhedrin*, *Messiam* æternum & immortalem agnoscunt. Ps. 72. 17. *Messiæ Nomen*; *Rabboth & Sanhedrin* fatentur eum extitisse in opere creationis. *Spiritus Dei* Genes. 1. est Spiritus *Messiæ*. Es. 11. 2. *Messiam* esse *omnisapientem* docet Cod. *Sanhedrin. Bar Cosiba* falsus Messias. Varia loca Scripturæ. LXIII. De *Christo mortuo* vana *Judæorum* cavillatio. Ipsos Veteres Judæos agnoscere *Messiam* Deum, *Deum* Assumsisse *corpus humanum*. Tres *Angelos* Genes. 18. agnoscunt unum *Deum*. ארוני *Chaldæo* est יהוה. Habere potestatem vitæ & mortis. Eundem *Messiam* tamen dicunt nasci ex Davide. Iterum colligitur, vetustissimos Judæorum Sapientes eundem exspectasse Pontificem, qualis hoc loco describitur ab Apostolo Paulo. *Philonem* & *Paulum*, de Summo Pontifice, eadem & fere iisdem docere verbis.

LIII. Apostolus tandem etiam addit: *decebat nos habere talem Pontificem Maximum*. Decebat NOS. Intelligit fideles Novi Testamenti, quos opponit Sanctis Testamenti Veteris. Sed fideles sub Testamento Novo *decet habere talem Pontificem Maximum*. Id est erat *necessarium*, *justum* & *æquum*, τὸ δικαίωμα τῦ νόμυ hoc postulavit, ut ab omni reatu & peccato liberaremur, & ut jus haberemus accedendi ad Deum, ab eoque petendi præmium. Verum est, omnes electos, qui unquam obtinuerunt salutem, sub Promissione & sub Lege Mosaica, non minus quam sub Testamento Novo, decuisse habere talem Pontificem. Cum enim omnes peccaverint, certum est, eos omnes per ejusmodi Sacerdotem tantum expiari potuisse, cum extra eum nulla sit salus.

Sub Promissione, sub Veteri & sub N. Test. debuit esse talis Pontifex.

Peccatum sua natura est horrendum, & vindicta Dei dignissimum. Cum autem Deus decreverit, in æterno suo consilio, se peccatum non remissurum, quin satis fiat divinæ suæ justitiæ, oportebat, decens & necesse fuit, ut filius Dei ipse se sacrificium expiationis offerret. Deus dixerat Adamo ejusque posteris omnibus: *Die quo peccaveris, morte morieris*. Gen. 2. 17. *Maledictus qui non perstiterit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut ea faciat*, Deut. 27. 26. Erit *afflictio & angustia in omnem animam, quæ perpetrat malum*. Rom. 2. 9. Debuisset itaque homo in æternum perire, nisi satisfactum fuisset Majestati Divinæ. Sed nulla erat creatura, nec inter homines, nec inter Angelos, quæ potuisset satisfacere: cum omnes creaturæ finitæ sint, peccata autem nostra læserint majestatem infinitam. Requirebatur igitur satisfactio pretii & meriti infiniti. Hoc autem a creatura finita præstari non poterat. *Nemo potest redimere fratrem suum, ullo modo, nec solvere Deo pretium redemtionis ejus* &c. Ps. 49. 8. 9. A solo filio Dei, qui, quum esset θεάνθρωπος, poterat patri solvere pretium dignitatis & valoris infiniti, hoc præstari poterat. Ἔπρεπε *decebat* itaque ut ipse esset noster *Sacerdos*, & ἱλασμὸς, qui sanguine suo nos purgaret ab omni peccato. 1. Joh. 1. 7. Uno verbo, decebat & necessarium erat, ut ipse nos cum patre reconciliaret, *pacemque faceret sanguine suo*; Col. 1. 20. alias in fœdus nos recipere non potuisset, cum ipsi nulla possit esse communio cum peccatore; peccatum potius hominem ab eo segreget. Es. 59. Decebat enim, ut faceret Deus nobiscum fœdus עלי זבח *super sacrificio*. Ps. 50. 5. Ideo cum Deus vellet pangere novum fœdus gratiæ cum primo peccatore ejusque posteris, promisit Servatorem, qui *caput serpentis contereret*, sed cujus *calcaneus* quoque *contereretur*, id est, qui sua morte peccata nostra expiaret. Ergo vi atque merito hujus sacrificii filii Dei, Summi Pontificis fœderis gratiæ, omnes electi obtinent remissionem peccatorum & vitam æternam.

Nuda creatura peccata expiare non potest

Sed solus filius Dei.

LIV. Nihilominus tamen, quamvis decens atque necessarium fuerit, ut Christus esset Pontifex Maximus omnium electorum, per omnes ætates, certum est, eum nondum fuisse Pontificem Summum sub Promissione & sub Testamento Veteri, quemadmodum hodie sub Testamento Novo. Toto isto tempore nondum seipsum obtulerat cum sanguine; depictus tantum fuit per Sacerdotes,

Talis esse debuit Pontifex, præsertim sub T. N.

Sub Test. Vet. Christus se obtulit tantum typice.

tes, per sacrificia & per sanguinem victimarum, quibus tanquam tot pædagogis, ad Christum deducebantur. Nunquam habebant Pontificem Maximum qui fuerit *sanctus*, *innocens*, *absque macula*, *separatus a peccatoribus*, *& cœlis altior factus*. Eorum Sacerdotes, qualemcunque habuerint sanctitatem & perfectionem legalem, tamen non habuerunt sanctitatem perfectam; sed, uti ostendimus, semper fuerunt miseri peccatores, non minus ac reliqui homines omnes, qui vel minimum peccatum, omnibus suis sacrificiis, nunquam potuissent expiare. Erant Sacerdotes, sed typici tantum, ut & eorum victimæ: nam versabantur, toto suo sacerdotio, circa στοιχεῖα τοῦ κόσμου *elementa mundi*. Gal. 4. 3. Col. 2. 8. 20. & δικαιώματα σαρκὸς & λατρείας; circa *mandata infirma & inutilia*, & *præcepta carnalia*, quæ sua natura nullam habebant utilitatem ad justificandum peccatorem. Hebr. 9. 10. & 7. 16. 18. quæ erant *umbræ tantum rerum futurarum*, Hebr. 10. 1. quæ *non poterant quoad conscientiam consummare eum qui præstabat cultum*. Heb. 9. 9. *lex enim nihil consummabat*. Hebr. 7. 19. Talis igitur Sacerdos, sub Veteri Testamento, sufficiebat. Talis decebat istam œconomiam, qui *sanctus* quidem esset & *innocens*, quantum id ab homine exspectari potest, tamen qui esset pictura tantum veri Pontificis, quamdiu verum Sacerdotium expectabatur.

Tales Sacerdotes decebat habere sub Test. Veteri.

LV. Nos autem, sub Novo Testamento, decebat habere alium prorsus Sacerdotem. Omnes sane cærimoniæ & picturæ Veteris Testamenti tandem, suo tempore, finem habere debuerunt. Non enim diutius poterant durare, quam *ad tempus a patre constitutum*. Gal. 4. 2. Dan. 11. 27. usque ad *tempus* διορθώσεως. Heb. 9. 10. Erat *Regnum mutabile*. Hebr. 12. & *Sacerdotes* & reliqui proceres populi erant *principes perituri*. Psalm. 82. 7. & *abolendi*. 1. Cor. 2. 6. Col. 2. 15. subsequi debebat Regnum cœlorum. Matth. 3. 1. *Vetera abire debebant*, *omnia debebant fieri nova*. *Futurum erat novum cœlum & nova terra*, *ubi habitat justitia*. Es. 65. 2. Cor. 5. 1. Juge sacrificium debebat cessare. Dan. 9. 27. & adducenda erat non tantum *justificatio cultus & carnis*; sed vera justitia & ἄφεσις in pleno sensu, *justitia sæculorum*, & perfecta debebat fieri *abolitio peccati*, *& una oblatione omnia consummanda erant in perpetuum*, ut *uno die*, *unoque sacrificio peccatum deleretur totius terræ*, ut plane liberaremur a jugo servitutis, & timore mortis, adeoque *a Chyrographo*, *quod erat contra nos*. Col. 2. Hoc autem fieri non poterat per Sacerdotes & sacrificia Veteris Testamenti. Ergo & aliud sacrificium, & alium decebat nos habere Sacerdotem, non ex tribu *Levi*, & secundum ordinem Aharonis, sed ex tribu *Judæ*, & *secundum ordinem Melchisedeci*, qui se ipsum offerret *sacrificium justitiæ*, & ἱλασμὸν, qui *Sacerdos maneret in perpetuum*, id est cujus unicum sacrificium sufficeret ad expianda peccata omnium electorum. Vide thes. XXVIII. Debebat igitur offerre sacrificium dignitatis & valoris infiniti. Quare requirebatur θεάνθρωπος, Sacerdos qui Deus esset non minus ac homo, ut *Deus ipse Ecclesiam suo sanguine redimeret*. Talis autem esse non poterat præter solum filium Dei, qui, ut summas possedit perfectiones, perfecte fuit *sanctus*, nullo peccato unquam maculatus, qui nullum habebat consortium cum peccatoribus, ut quidquam impii contraheret, & tandem qui dignitate, perfectione, merito, gloria & majestate evectus esset longe supra omnes cœlos. Optime igitur colligit Apostolus Paulus: *Decebat nos habere Summum Pontificem*, *qui esset sanctus*, *innocens*, *immaculatus*, *separatus a peccatoribus*, *& altior factus cœlis*.

Cærimoniæ sub N. Test. cessare debent.

Requirebatur Sacrificium valoris infiniti.

LVI. Ex omnibus iis quæ hactenus dicta sunt, manifestum est, Apostolum, in toto hoc loco ad Hebræos, respexisse ad ritus a Pontifice Maximo in Templo, sub Veteri Testamento observatos. Cogitet itaque Lector eruditus, quantum lucis nobis detur, per intelligentiam rituum Veteris Test. ad percipiendum verum tot Sacræ Scripturæ locorum sensum. Non possum etiam silentio præterire, de hisce ritibus nihil tradi in Lege Mosis, ut sola Traditione Patrum fuerint observati, eos tamen Christum depinxisse, adeoque ab Apostolo non fuisse neglectos, quod & de pluribus aliis intelligendum est. Unde iterum colligo, ritus istos fuisse antiquissimos, forte ab ipsis temporibus Aharonis observatos: ut non omnes ritus prorsus, tanquam humani & superstitiosi sint rejiciendi, præsertim si in Novo Testamento occurrant.

Cognitio Antiquitatis Judaicæ, summopere necessaria.

LVII. Non mirum ulli videri debet, Paulum *Hebræum ex Hebræis*, *Pharisæum*, qui olim *sederat ad pedes Gamalielis*, ideoque rituum Veterum sapientissimum, omnes istos ritus tam luculenter explicasse de Christo, vero *Messia*, & *Summo Sacerdote*, quo omnes uni-

De Summo Pont. eadem cum Paulo sentiunt Veteres Judæi.

unice respiciebant, & quem tanquam tot picturæ ad vivum depingerent; Cum Judæorum vetustissimi Sapientes, (quibus Pauli præceptorem Gamalielem lubentissime jungerem) *Chaldæi* & *Hierosolymitani Targumistæ*, *Gemarici* & alii, antequam Religio fuisset deturpata, agnoverint ipsum *Messiam* Summum Pontificem, per quem remissionem peccatorum obtinerent, *Filium Dei*, Verum *Jehova*, *Deum Omnipotentem*, *Omnisapientem & immortalem*.

Sententia Philonis.

LVIII. *Philo*, inter Judæos auctor gravissimus, ante tot sæcula, rotundis verbis fassus est; neminem Patri omnipotenti, supremo Judici, pro peccatis satis facere posse, præter solum *filium Dei perfectissimum*. *De vita Mosis lib.* 3. ita loquitur. Ἀναγκαῖον γὰρ ἦν τ̄ ἱερωμένον τῷ τ̄ κόσμου πατρὶ παρακλήτῳ χρῆσθαι, τελειοτάτῳ τ̄ ἀρετὴν υἱῷ, πρὸς τ̄ ἀμνηστείαν ἁμαρτημάτων. Necesse *enim est*, *ut*, *qui Patri mundi sacra facere cupit*, *utatur perfecta virtute*, *filio*, *ad obtinendam peccatorum remissionem*. Eo respexit *Jonathan* Paraphrastes, Exod. 40. 9. ubi ad hæc verba: *Et sanctificabis Tabernaculum*, *& omnia Vasa ejus*, *& erunt sancta*, ita παραφράζει: ותקרש יתיה מטול כליל דמלכותא דבית יהודה ומלכא משיחא דעתיד למפרק ית ישראל בסוף יומיא *Et sanctificabis illud*, *propter coronam Regni domus Jehudæ*, *& propter Regem Messiam*, *qui liberaturus est Israelem in fine dierum*. Quid sibi vult per ista verba? *Propter Regem Messiam*; nisi propter dignitatem & meritum sacrificii, quod ipse oblaturus est in fine dierum, ut populum liberaret a peccato. Vasa itaque omnia ista cum ipso Tabernaculo, *una* & Deo *sacrata* fuerunt tanquam pictura *Messiæ*, veri *Uncti* & Deo *Sancti*, in quo *omnis Deitas habitaret corporaliter*. Col. 2. 9. per & propter quem, *Tabernaculum*, *Vasa*, omniaque *sacrificia* Deo sunt grata, per ac propter quem omnis fit expiatio peccatorum. למען ארני *Propter Dominum*, ut loquitur Daniel. cap. IX. Com. XVII. In nomine Christi Joh. 14. 13. & Psal. 84. 10. מגננו ראחה אלהים וחבט פני משיחך *Scutum nostrum respice*, *O Deus! & intuere faciem uncti tui*. Recte habet *Targum*: ואסתכל פני משיחך *Et respice faciem Messiæ tui*. Idem *Targum* fatetur איש צמח שמו *Virum cujus nomen est Germen*, esse גברא משיח *Virum Messiam*. Zachar. 6. 12. Is autem est *Summus Pontifex*, qui Deo Patri ædificabit Templum atque in eo offeret sacrificia vera.

Jonathanis sententia.

Daniel 9. 17.

Psalmo 84. 10. Targum Zach. 6. 12.

LIX. Jeremiæ cap. 23. 5. 6. Deus promittit Ecclesiæ liberatorem, cujus nomen est יהוה צרקנו *Jehova justitia nostra*. Is autem, secundum *Paraphrasten*, iterum est: משיח רצדיקא *Messias justus*. Ipse *Salomon Jarchi* ibidem fatetur *Messiam* dictum esse יהוה. Est itaque verus *Deus*, cum nullæ creaturæ in verbo divino unquam, sed soli supremo Deo constanter & unice attribuatur. *Deus* ipse nomen istud sibi soli vendicat; immo se illud nulli creaturæ concessisse alte clamat. Es. 42. 8. Vid. & Ps. 83. 19. Nehem. 6. 9. Hos. 12. 5. Verum est, *Jarchi* conari compellationem istam detorquere. Vult scilicet Messiam dici *Jehova zidkenu*, *Jehova justitia nostra*, ideo quod tempore ejus justitia ubique obtinebit, eodem sensu, quo dicitur יהוה נסי *Jehova Nissi*; *Jehova Signum est mihi*. Exod. 17. 15. & שמה יהוה *Jehova Schamma*, *Jehova est ibi*. Ezech. 48. 37. Sed delirat. Nam præterquam quod *Vexillum* & *Civitas* non dicantur יהוה, quemadmodum *Messias*. Sed tantum *Jehova Nissi*, & *Jehova Scamma*, tanquam Symbola præsentiæ *Jehova*, cum *signum* aliquod, vel *Civitas* non possit dici *Jehova*, clarum est, ibi fieri mentionem de rebus, quibus nulla est mens, & quæ mera sunt symbola & signa Dei, ejusque operum ac beneficentiæ. *Messias* autem איש *vir*, צמח *Germen*, *sanctum semen*, *filius Dei* & *Servator* immo & *Jehova* expertis verbis toties nuncupatur. Quo sensu diceretur *Jehova justitia nostra*? nisi quod nobis acquirat, suo sacrificio, suo merito, sua *justitia* veram *justitiam*, *qua uno die peccata deleat*, & *æternam nobis adferat justitiam*. Zachar. 3. 9. & Daniel. 9. 24. qui esset noster מליץ *Melitz*. Job. 33. παράκλητος *Advocatus*, I. Jo. 2. חטאה ἁμαρτία & ἱλασμὸς sacrificium pro peccatis Uno verbo, qui בגדי ישע מעיל צדקה *vestibus salutis*, *Pallio justitiæ* suo nos vestiat, ut ad Deum grati & accepti accedere possimus. Es. 61. 10. Id nuda creatura intelligi non potest: non de Prophetis, non de ipso Mose, qui tamen *justitiam* serio docebant, & quantum fieri potest urgebant. Hi nunquam dicti sunt, nec sine impietate dici possunt יהוה nec יהוה צדקנו *Jehova justitia nostra*. Is solus verusque æternus est יהוה per quem populum suum se servaturum promisit. Hos. 1. 7. והושעתים ביהוה אלהיהם *Et servabo eos* (Deus Pater loquitur) *per Jehovam Deum suum*.

Jehova est Messias.

Jarchi sententia.

Chaldæi, & Sanhedrin.

Quo sensu Messias dicatur Justitia nostra?

De nuda creatura intelligi non potest

LX. Sane *Messiam* peccata populi sui expiasse, suis passionibus atque morte, meridiana luce clarius docet Esaias Vir Dei. Cap. 53. Hunc locum misere de-

Messiam peccata expiasse.

Es. 53. Detorsio Judæorum.

detorquent verpuli præsertim hoc nostro tempore. Digladiantur, utrum in isto Capite, per eum qui passurus prædicitur, intelligendus sit, totus populus Israeliticus? an Jeremias? an quilibet vir sanctus atque justus? An Rex Josias an vero *Messias*?

De Messia intelligit Chaldæus.

Vetustissimi tamen & Sapientissimi *Chaldæus* Paraphrastes, ipsi quoque Talmudici, id intelligunt de *Messia*, eundemque, pro peccatis nostris passum fuisse, adfirmant. Caput sane illud Esaiæ instar omnium nobis esse potest. *Chaldæus* cap. 52. 13. ubi introducitur is de quo in toto capite sequente 53: hæc verba Esaiæ הנה ישכיל עבדי ירום ונשא וגבה מאד: *Ecce prosperabit servus meus, extolletur, & altus erit valde*, ita vertit: הא יצלח עבדי משיחא ירום ויסגי ויתקוף לחדא: *Ecce felix erit servus meus Messias exaltabitur & robustus fiet valde*.

Es. 52. Com. 13.

Es. 53. 4.

Deinde cap. 53. com. 4. de eodem *Messia* hæc verba: *Idcirco morbos nostros ipse pertulit, & dolores nostros bajulavit*, sic παραφράζει. בכן על חובנא הוא יבעי ועויתנא בדיליה ישתבקן: *Idcirco pro peccatis nostris orabit, & iniquitates nostræ propter ipsum remittentur*. Eadem repetit Commate sexto· ומן קדם יי הות רעוא למשבק חובי כולנא בדיליה: *Et Domini fuit beneplacitum, ut condonaret omnia peccata nostra propter ipsum:* Quid clarius?

Messias purgat animas.

Immo *Messias*, suis passionibus, animam purgare debuit, eamque reddere mundam. Ad verba commatis X. *Et placuit Domino conterere ipsum plaga, si ponat animam pro reatu, videbit semen*, sic habet: וכן קדם יי הות רעות למצרף ולדכאה ית שארה דעמיה בדיל לנקאה מחובין נפשהון יחזון במלכות משיחהון: *Et beneplacitum Domini fuit, purgare & mundare residuum populi ipsius, ut animas eorum redderet mundas a peccato, videbunt regnum Messiæ sui*; pergit commate XII. Notabo tantum quæ habet in fine commatis, post quam dixisset: דמסר למותא נפשיה Et tradet animam pro reatu, addit: והוא על חובין סגיאין יבעי ולמרודיא ישתבק בדיליה *Ille quoque ob multa peccata intercedet, & rebellibus condonatur propter ipsum*.

Sententia Talmudicorum.

Hoc caput 52. de Messia ipsiusque passionibus, ipsi etiam explicant Talmudici. Codice Sannedrin. Cap. XI. Com. IX.

Nomina plura Messiæ.

Inter plura nomina, quæ ibi Messiæ attribuuntur, dicitur etiam leprosus, quia legitur (*Es.* 53. 4.) אכן חלינו הוא נשא ומכאובינו סבלם *certe morbum nostrum tulit, & ægritudines nostras bajulavit*. Messiam peccata nostra ferre eaque condonare, probari posset ex Rabboth aliusque Rabbinorum locis.

LXI. Ejusmodi autem Messias, sive Pontifex, qui Peccata hominum expiaret, non potuit esse nuda creatura:

Nuda Creatura peccata non potest expiare.

cum redemtio animæ sit carior, quam ut a fratre, nudo nempe homine, fieri potuerit, testante Psalte Ps. 49. 8. 9. Fratrem nemo redimere potest, nec potest dare Deo redemtionem ejus: caro enim est redemtio animæ ejus, non faciet in æternum. Debuit itaque fieri per Deum ipsum Sanctissimum, qui solus est ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν. *Talis nemo esse poterat, præter filium Dei, qui ipse est æternus Deus.*

Id fassi sunt veteres Judæi.

Ipsa sane Judæorum veteres Sapientes agnovisse *Messiam*, non nudam Creaturam peccatis pollutam, sed ipsum Dei filium, superius ex Philone audivimus; Sacerdotem scilicet, qui expiaret peccata mundi debuisse esse τελεώτατον τ̃ ἀρετὴν ὑὸν *Filium Dei virtute perfectum*.

Expiatio peccatorum fit per filium Dei.

Id fatetur Philo.

Et Jonathan.

Spiritus Dei.

Spiritus Dei.

Idem agnovit Jonathan Paraphrastes *Chaldæus*. Verba Dei Gen. 3. 15. ואתה תשופנו עקב *Et tu conteres ei calcaneum*, ita verba בעיקבא ביומי דמלכא משיחא ועתידין אנון למעבד שפיותא *Ipsi autem facturi sunt cantritionem in calcaneo in diebus Regis Messiæ*.

Targum Hierosolymitanum.

De *Messia* quoque exponit Targum Hierosolymitanum בסוף עקב יומיא ביומי דמלכא משיח *In fine calcanei, diebus Regis Messiæ*.

Semen mulieris. Messias.

Semen itaque illud mulieris, est *Messias* adeoque Filius Dei.

Ps. 2. 7.

Certe filium Dei eos agnovisse *Messiam* testantur quoque ad Psalmum secundum: Dicitur ibi commate septimo משיח *Messias filius Dei*. בני אתה *Tu es filius meus*. Ad comma secundum ועל משיחו *Targum habet*: ילמצני על משיחיה *Et ad certandum contra Messiam ejus*.

Psal. 80: 15. בן filius est Messias, docet Targum:

Ps. 80. 15. ועל בן אמצתה לך & *super filium, quem roborasti tibi*. Targum habet ועל מלכא משיחא דחילת לך & *super* (vel propter) *Regem Messiam, quem roborasti tibi*. *Messias* itaque est filius; Filius nempe Dei. Orat ibi Ecclesia, ut Deus sibi sit propitius, seque conservet contra omnes hostes, propter filium suum *Messiam*.

Filium Dei ipsum esse Deum agnoverunt Judæi veteres.

Si *Messiam* agnoverunt filium Dei, certum est, eos eum etiam agnovisse verum Deum æternum: Sane tempore Servatoris Jesus Christi, *Messias* a Scribis, Pharisæis & Principibus Populi habebatur filius Dei, id manifesto patet ex hac interrogatione, quam Christo proposuit Pont. Max. Matth. 26. 63. *adjuro te per Deum viventem, ut nobis dicas, an tu sis Christus* (id est *Messias*) *ille filius Dei?* (Ideo Christum accusarunt blasphemiæ atque impietatis, quod se dixerit filium Dei,

Commate 65.) Deinde neminem credebant filium Dei, nisi qui sit ipse Deus. Sed & parem se fecisse Deo eum criminabantur; ideo quod dixisset se filium Dei. Joh. 5. 18. Hanc ob causam crediderunt Christum debuisse esse omnipotentem, ut se liberaret e Cruce, si esset filius Dei; & cum inde non descendisset, negabant, eum esse filium Dei. Matth. 27. 40. Patet inde, veteres Judæos, Scribas, Pharisæos & Principes Populi, circa tempora Christi quibus etiam vixerunt, quos allegavimus Paraphrastes & non multum post, Philo Judæus, in ista fuisse sententia, *Messiam* esse filium Dei, & cum sit filius Dei, virtute perfectus ut loquitur Philo cum Paulo, ipsum etiam esse Deum æternum atque omnipotentem.

Eandem sententiam habuerunt Paraphrastes, Philo & Judæi tempore Christi.

Veteres Judæos Messiam agnovisse verum Deum.

LXII. Vetustissimos Hebræorum Sapientes agnovisse *Messiam* verum Deum, patet etiam inde, quod eum dixerint יהוה *Jehova*, יהוה צדקנו *Jehova Justitiam nostram*, ut modo ostendimus ex Jerem. 23. Eandem veritatem nobiscum profitentur, cum agnoscant verba Esaiæ Cap. 9. Com. 6. intelligenda esse de *Messia*, inter alia enim epitheta prorsus divina, *Chaldæus* dicit eum vocari: משיחא דשלמא *Messiam pacis*. In textu Hebræo habetur שר שלום *Princeps pacis*. Iste autem *Princeps pacis* est ילד *Jeled* & בן *Ben*, *filius* qui *natus est nobis*. At hic eodem commate dicitur, non solum שר שלום *princeps pacis*, sed & פלא יועץ אל גבור אבי עד *mirabilis*, *consiliarius*, *Deus fortis*, *pater æternitatis*. De creatura nuda nunquam dictum est, quod sit *Deus fortis*, *pater æternitatis*. Talis est is a quo est omne tempus, & qui cunctas creaturas producere ab æterno decrevit, illisque ætatem atque tempus ab æterno assignavit, quod non nisi de Summo atque *æterno Deo* intelligi potest. Ipsi Talmudici, Codice *Sanhedrin. Cap.* XI. ubi disputant de duratione Messiæ, inter alia tradunt, tria eum durare sæcula. Immo *æternitatem*, non obscure ipsi adscribunt, cum de eo dictum sit Psalmo 72. 17. יהי שמו לעלם לפני שמש *Sit nomen ejus in æternum coram sole*. Quare & ipsi datum sit nomen ינון *Jinnon*. Hinc sequitur veteres Hebræorum Sapientes Messiam credidisse *immortalem*. Cum Messiam fateantur non mirum ulli videri debet, si agnoscant eum jam in opere creationis exstitisse. Legimus in *Bereschit Rabbah*, *Parascha* 11. *Spiritum*, qui incubuit aquis, Genes. 1. esse *Spiritum Messiæ*. Ad hæc verba Mosis ורוח אלהים מרחפת *Et Spiritus Dei incubuit*, hæc habet : זו רוחו של מלך המשיח המד״א נחת עליו רוחה *Hic est Spiritus Regis Messiæ*, *quemadmodum dicitur* (Es. 11. 2.) *& requiescet super eo Spiritus Domini*. Eadem habent *Gemarici*, Codice *Sanhedrin cap.* XI. ubi repetunt eadem verba Esaiæ Cap. XI. 2. Sed & addunt ibi, quod silentio præterire non possum, Messiam judicaturum, *non ad aspectum oculorum suorum* (com. 3.) *nec ad perceptionem aurium suarum*, unde colligunt, eum quasi olfacientem judicare, id est summa sapientia sua, ut eum revera *omnisapientem* agnoscant, quod non nisi de Summo Deo intelligi potest. Addunt ibidem loci falsum Messiam *Bar Cosiba*, qui duobus annis regnavit, mendacem & falsum deprehensum fuisse, quod *olfacere*, id est secreta in corde hominis latentia scire non potuerit. Ejusmodi loca plura allegari possent, nisi studerem brevitati. Nemo sane mirabitur, si Messias dictus sit a Prophetis *Jehova*, *Jehova justitia nostra*, Jerem. 23. 6. Es. 40. 3. *Jehova per quem Deus nos servat*. Hos. 1. 7. ארוני *Adonai* Ps. 110. 1. Malach. 3. 1. *Elohim*, Ps. 45. 7. 8. & infinitis locis alibi, quorum plurima de *Messia* esse intelligenda, ipsi fatentur Judæorum Sapientes.

Veteres Judæos Messiam agnovisse verum Deum. Verba Es. 9. 6. exponuntur a Chaldæo.

Spiritus Gen. 1. esse Spiritum Messiæ, docet Rabboth.

Et Sanhedrin. Verba Es. 11. 2.

Docent Messiam esse omnisapientem.

Bar Cosiba falsus Messias unde deprehensus?

LXIII. Vana est recentiorum Judæorum exceptio, *Messiam* non posse dici *Christum Nazarenum*, cum fuerit homo mortalis, genitus ex Maria, crucifixus & mortuus. At quis non videt, modo velum Mosis eorum oculos non excæcet, *hominem & Deum* θεάνθρωπον prædictum fuisse *Messiam*, cum eum fateantur יהוה *Adonai & Elohim*, Deum æternum, & immortalem, omnisapientem, ut ex modo dictis liquet, & tamen exspectent nascentem ex stirpe Davidis de muliere, qui plagas nostras ferre & mori pro nobis debuit, ut nobiscum fatentur, maxime ex Esaiæ Cap. 53. Silentio præterire non possum Genes. 19. tres Viros qui apparuerunt Abrahamo, & Lotho, formam habuisse *hominum*, immo, ut *homines* comedisse, cum tamen, fatentibus ipsis Veteribus Judæorum sapientibus, ipse fuerint Deus. Dicuntur enim Commate 18. ארני *Adonai* cum Kametz, quod non nisi de vero æterno Deo intelligi potest. Quid? ipse *Chaldæus* pro *Adonai* habet יהוה *Jehovah*. ואמר לוט להון בבעו „ *Et dixit ipsis Lot, quæso Jehova* Verum *Deum* ibi esse intelligendum ipsi commentatorum patres fatentur: cum is quem Lot alloquitur, habeat potestatem vitæ & mortis; petit enim ab eo Lot, Commate 19. ut se in vita conservaret *Ado-*

Judæorum exceptio de Christo, quod fuerit homo & mortuus. Idem tamen de Messia docent.

Tres Viri Gen. 18. fuisse Deum, & יהוה ארני Docet Chaldæus.

Fatentur tres fuisse unum Deum.

Adonai. Deinde cum omnes tres dicantur *Adonai*, vel, ut habet *Chaldæus*, יהוה *Jehova*, certum est, tres esse qui dicuntur *Deus*, immo tres *unum* esse *Deum*, ut ipsi Commentatores ibi animadvertunt, nempe quamvis de tribus fiat mentio, & quamvis Lot eos alloquatur, tamen unicum solum intelligi a Loto, cum iterum eum in singulari alloquatur, veluti commate 19. מצא עבדך חן בעיניך ותגדל חסדך אשר עשית וגו' *Quæso reperiat gratiam in oculis tuis, servus tuus, & amplam facias gratiam tuam, quam mihi fecisti*. Quamquam alloquitur ארוני Adonai, immo quamquam loquutus est אליהם *ad eos*, non עליו *ad eum*, tamen pergit, tamquam unum intelligens עבדך *servum tuum*, non עבדכם *servum vestrum*; תגדל *amplifica*, non תגדלו *amplificetis*; חסדך *gratiam tuam*, non חסדכם *gratiam vestram*; עשית *fecisti*, non עשיתם *fecistis*, & quæ sequuntur, ut ipsi Judæorum commentatores ibi observant. Multa & infinita, nisi brevitati studeremus, alia essent observanda, ex Judæorum Veteri sapientia, ad probandum vetustissimos Judæorum, antequam religio apud eos fuerit deturpata, agnovisse, in uno Deo plures personas; *Messiam* esse *filium* æterni Dei, ipsum Deum summum, *Jehova*, *Adonai*, & *Elohim*, *Deum* & *hominem*; Verum Sacerdotem Summum qui pro populo suo passus est, suisque plagis, passionibus atque morte nobis obtinuit remissionem peccatorum, atque animarum salutem. Coguntur itaque, cum *Philone Judæo* fateri: verum Sacerdotem Summum, qui peccata expiet, debere, immo ἀναγκαῖον *necesse fuisse*, ut esset τελειότατος τ̃ ἀρετὴν υἱός. *virtute perfectus filius Patris*. Et cum Paulo nos decuisse habere Sacerdotem, qui esset ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τ̃ ἁμαρτωλῶν, καὶ ὑψηλότερος τ̃ οὐρανῶν γενόμενος.

Philo Judæus & Paulus eadem, & fere iisdem docent verbis.





JOHANNIS SELDENI
DE SUCCESSIONE
IN
PONTIFICATUM EBRÆORUM.
LIBRI DUO

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Duplex *apud Ebræos* Sacerdotium. *Instituti ratio. Successionis Pontificalis in* Eleazaro *initia. Et* de binis familiis Sacerdotalibus *seu* Aharonicis, earumque in classes *seu* Ephemerias distributione atque *Orbe seu Cyclo Hieratico.*

SAcerdotium, cujus fastigium & Pontificatus, in Ebræorum commentariis duplex est; Aliud, ante legem Leviticam de eo latam, in usu. Aliud, ea ex lege institutum. Prioris generis Sacerdotio, alii ex jure fungebantur ordinario seu communi; alii extra ordinem, seu jure singulari. Ex jure ordinario seu communi, mares primogeniti, ante legem Leviticam, Sacerdotali in familiis suis gaudebant munere. Sic docemur ex Misna Talmudica tit. *Zebachim* seu de *Sacrificiis* c. XIV. Verba sunt, עד שלא הוקם המשכן היו הבמות מותרות ועבודה בבכורות *antequam Tabernaculum constructum est, altarium seu excelsorum usus licitus fuit. Atque sacro ad ea fungebantur munere Primogeniti.* Quo etiam spectare volunt illud in Exodi capite XXIV. 5. *Moses mane consurgens ædificavit altare ad radices montis, & duodecim titulos seu columnas secundum duodecim tribus Israel, misitque juvenes de filiis Israel, qui obtulerunt holocausta atque immolaverunt victimas pacificas Domino, scilicet boves.* Qui נערי seu *juvenes* heic dicti sunt, pro Primogenitis, utpote qui jure suo tunc Sacerdotes fuere, sumunt. Unde etiam eodem in Loco Chaldæus paraphrastes Onkelus expressim pro *misit juvenes* substituit, receptissimæ sententiæ satis callens, שלח ית בוכרי *misit primogenitos*; quem sequitur item autor paraphrasis Uzielidi tributæ, in quo ratio etiam redditur; quia nondum initia habuere Sacerdotes Aharonici. Adstipu-

stipulatur non solum R. Saadiæ versio Arabica, quæ hoc in loco בעת בבכור *misit primogenitos*, habet, sed etiam Tavvasii Persica qua רשתר מר נחושת quod ipsum sonat, legitur. Et de ea re, testimonia plura ex veteribus annotata habes in cap. V. libri de Successionibus in Bona defuncti. Quin assentiunt heic Patres Christiani, ut videre est apud D. Thomam in prima secundæ quæst. 103. art. 1. ad tertium. Extra ordinem autem, Sacerdotii munere etiam eum, qui primogenitus non esset, interdum seculo in illo fungi liquet e Mosis exemplo, qui Aharonis frater secundo genitus (id satis docetur in Exodo VII. 7.) sacra, ante initia Sacerdotii Aharonici, ut Sacerdos jure singulari peregit. Quin & ipsum Aharonem filiosque ejus, jussu Numinis sanctissimi, solennibus septem dierum ritibus tunc primum institutis initiavit. Quod fuse in Levitici octavo enarratur. Neque Sacerdos duntaxat ille, sed Sacerdos Summus seu Pontifex censebatur; unde Philoni, in libris de vita ejus non semel tam ἀρχιερὺς seu *Pontifex*, quam Rex, legislator & Propheta indigitatur. Et de eo in *Semoth Rabba*, parasch. XXXVII. רבנן אמרו כל שנה שהיו ישראל במרבר שמש משה בכהונה גרולה ויש אומרים לא אלא שבעת ימי חמלואים ורבי ברכיה בשם ר׳ סימון אומר כל מ׳ שנה שמש משה בכהונה גרולה שנ׳ ובני עמרם אהרן ומשה וכחיב ומשה איש האלהים *Tradunt Rabbini, per cunctos annos, quos in deserto transegere Israelitæ, Mosem summi sacerdotii* seu *Pontificatus munus tenuisse; tametsi fuerint, quorum sententia est, eum minime id fecisse nisi per septem dies initiationis. At vero Rabbi Barachia, nomine Rabbi Simon, probat ideo per annos XL. Pontificatum gessisse Mosem, quia dicitur* (1. Paral. VI. 3.) *filii Amrami erant Moses & Aharon; & scriptum insuper est* (Deuter. XXXI. 1. 1.) *& Moses vir Dei*. Prærogativam nempe singularem ei utrobique tribui innuit, ac talem, qualem Sacerdotio esse intelligit propriam. Ex lege autem Levitica, Aharone & filiis ejus Sacerdotali muneri rite initiatis, pristinum seu anteriorum seculorum Sacerdotium, id est, primogenitorum hoc jus sacrum, apud eos desiit. Atque ille dein posterique eorum soli, ex jure ordinario Sacerdotes fuere כהנים *Cohenim* & Chaldaice כהנין *Cahnin* dicti. Aharon vero ipse qui summus erat, seu Pontifex nomine הכהן τῦ ἱερέως *Sacerdotis*, simpliciter & per excellentiam, sive הכהן הגדול *Sacerdotis summi* seu *Pontificis*, sive כהנא רבא *cahna rabba* quod idem significat Chaldæis, aliisque vocibus idem denotantibus, memorari solet, uti & successores ejus. Et Sacerdotes κατὰ μέρος, *minores* seu *gregarii*, כהנים הדיוטים *Sacerdotes idiotæ*, seu *vulgares* Juris consultis passim nuncupantur. Depravata autem nimis, ut fieri amat, habes horum nomina in Josephi exemplaribus. Sacerdotes, inquit ipse Ebræus, sacerdos & Juris consultus, Χαναίας *Chanæas* appellant, Pontificem Ἀναραβάχlω *Anarabachen*. Locus est in libro III. cap. VIII. Originum. Ruffini vetus interpretatio ibi habet *Arabarchen*. Ceterum nemo non videt e Chaldaica appellatione, Ebræis satis usitata, sed a librariis male accepta, prodiisse hæc vocabulorum portenta. Nam ex הרבא כהנא *barabba cabena* male fiebat *Ambarchen*. Qua autem ratione ac juris varietate, dignitas illa Sacerdotii sive ad Aharonis posteros, florentibus rebus Hebræorum, transmitteretur, sive eis, ut interdum, omnino præcluderetur, maxime liquebit, si de successione in Pontificatum penitius dispiciamus. Etenim qui Pontificatus, ex jure, plane capax non erat, ei nec minoris sacerdotii munus præstitisse fas. Adeo ut successionis seu hæreditatis Sacerdotalis jura sane universa ex eis, quæ ad successionem Pontificalem attinent, rite discussis, simul habuerimus explorata.

In successionis autem Pontificalis materie, alia sunt Historica, Juridica alia. Historica; ceu Pontificum Series seu Laterculus, Familiæ Sacerdotales, Dignitatis ab altera familia in alteram translatio, Potestatis in creando usurpatæ varietas, autorum dissensus, plurium Pontificum nomine tenus sub eodem tempore conjunctio, nonnullorum, qui alieni dicuntur scriptoribus aliquot, a genere Sacerdotali designatio, ejusmodi alia. Juridica; veluti personæ surrogandæ qualitas, (sive Natales, sive Ætatem, sive corporis animive vitia spectes) Consecrandi ritus, potestas forensis, cui competebat de hisce decernendi jus. Atque hisce tribuunt illa lucem subinde, & mutuo accipiunt. Utraque igitur, singulis libros assignantes singulos, explicare adgredimur; maxime quoniam hæc, quæ Juris sunt, adeo neglecta fere hactenus aut obiter subinde tacta apud scriptores Christianos sunt, ut, quin integra eorum fuerit etiam num messis, parum abfuerit. Historica vero, quæ huc pertinenti, ita

ita tantum hactenus tractata sunt, ut tum Animadversionibus, tum Additionibus, quarum vim non contemnendam inteximus, nimium carere videantur.

Aharonis, Pontificis, ex lege Levitica, filii bini Eleazar & Ithamar eorumque posteri binas familias Sacerdotales faciebant. Unde, cum universum genus Sacerdotale in Stationes, seu classes XXIV. a Davide Rege, ut per vices qualibet hebdomade sacris in templo adessent ministeriis, tribuebantur, ex eis sedecim fuere Eleazaridæ, octo autem Ithamaridæ; quod videre est, 1. Paralip. XXIV. 4. Atque instaurationem classium, seu numeri earum novationem, non primariam institutionem fuisse Davidis illam distributionem scribunt Ebræi. Etenim Mosem hasce familias binas in classes tribuisse. Sed de numero non convenit. Alii eum in VIII. singulis nempe quatuor, alii in sedecim, ut singulis essent octo tradunt divisisse. Hujus exemplum secutum Davidem; adeoque cum illas octo in plures (sic illi qui octo tantum classes instituto Mosaico deberi volunt) ob diffusiorem jam utriusque familiæ prolem, commodius tribuendas animadverterat, quatuor primum quaternario utriusque numero adjecisse, idque ita iterasse voluisse, ut singulis duodecim classes præberentur. Quod cum per imparem nimis Ithamaridarum numerum, sine incommodo, fieri nequibat; ex Eleazaridarum numero abundante, nova eorum recensione facta, octo classes alias constituisse; ut ita hisce sedecim, illis octo manerent. Sic Gemara Hierosolymitana ad tit. *Thanioth*, seu *de Jejuniis*, cap. IV. fol. 67. col. 4. halach. 2. שמונה משמרות כהונה העמיד משה ד' משל אלעזר וד' משל איתמר עד שעמד דוד ושמואל הרואה והוסיפו עליהם עוד שמנה ד' משל איתמר וד' משל אלעזר וביקשו להוסיף עוד שמנה ולעשותן עשרים וד' ומצאו משל אלעזר ולא מצאו משל איתמר הדא הוא דכתיב וימצאו בני אלעזר רבים לראשי הגברים מבני איתמר וגו' *Octo classes Sacerdotales constituit Moses, Quatuor ex Eleazaridis, atque ex Ithamaridis totidem. Id quod obtinuit usque dum David & Samuel prophetæ adjicerent eis octo alias. Quatuor ex Eleazaridis, & ex Ithamaridis itidem quatuor. Conati vero illi etiam & octo alias modo simili, ut numerus viginti quatuor classium ita compleretur adjicere. Sed Eleazaridas quot sufficerent, repererunt; Non vero Ithamaridas. Atque hoc innuit illud quod scriptum est* (Paralipom. XXIV. 4.) *Inventique sunt multo plures filii Eleazar in Principibus viris, quam filii Ithamar.* Ita Gemara illa. Qui vero sedecim fuisse ajunt sub Mose classes, nihil in Ithamaridis a Davide novatum volunt. Sed unaquaque Eleazaridarum in binas tributa, numerum viginti quatuor absolutum. De qua re vide sis Gemaram Babyloniam ad citatum tituli de Jejuniis caput, & Salomonem Jarchium ad dictum Paralipomenon locum; ubi David Kimchius utramque sententiam commemorat. Adde Maimonidem halach. *Celi hamikdasch* seu *de vasis templi* cap. VI. Ita scilicet se res habuit sub Tabernaculo & Templo primo. Et classes illæ XXIV. in Paralipomenis ordine suo recensentur. Nec sane alius post instauratam sub Templo secundo Rempublicam classium numerus. Ceterum is ex distributione nova confectus est, si Talmudicis fides. Nimirum quatuor cum Zorobabele Hierosolymam ascenderunt familiæ sacerdotales, Jedaiahidæ, Immeridæ, Pashuridæ & Harmidæ. Id quod liquet ex Nehemiæ VII. 39. Et vide eum cap. X. 1. & XII. 1. Quamplurimi autem tam ex Levitico & sacerdotali genere, quam ex Israelitico tum ascendere nolebant. Familiæ autem illæ quatuor, ne classium numerus alius, quam qui sub Templo primo obtinuerat, haberetur, in viginti quatuor itidem (sic illi) sorte tributæ sunt; statuto etiam ut jam dignitatis atque ordinis prærogativa non ex vetustiori illa omnino, sed ex hac tanto distributione nova penderet. Gemara Hierosolymitana ad tit. citatum fol. 68. col. 1. ארבע משמרות עלו מן הגולה ידעיה חרים פשחור ואמר והתנו עמהן הנביאים שביניהן שאפילו יהויריב עולה מן הגולה שלא ידחה את המשמר שלפניו אלא יעשה טפילה לו ועמדו הנביאים שביניהן ועשו כ"ד נורלות והטילום בקלפי ובא ידעיה ונטל חמש והוא הרי שש ובא חריס ונטל חמש והוא הרי שש ובא פשחור ונטל חמש והוא הרי שש ובא אמר ונטל חמש והוא הרי שש והתנו עמהן הנביאים שביניה' שאפילו יהויריב עולה מן הגולה שלא ידחה את המשמר שלפניו אלא יעשה טפילה לו ist est, *Quatuor classes ascendebant e captivitate, Jedajah, Harim, Pashur & Immer. Pactum autem cum eis inierunt prophetæ qui inter eos* (viri inter eos præstantiores) *nec quidem Jehojaribum si e captivitate ascenderet* (id primæ in distributione Davidica classis nomen est) *prærogativam habiturum præ classe* (jam sorte) *ante eum constituta, sed ei tantum fore adjungendum. Ex autoritate igitur prophetarum, qui inter eos, fiebant sortes viginti quatuor membranulis educen-*

cendæ. Venit Jedajah & eduxit præter ſe ipſum quinque; ita fiebant etiam ſex. Et venit Charim & eduxit præter ſe ipſum quinque ita fiebant etiam ſex. Venit ſimiliter Pasbur & eduxit præter ſe ipſum quinque, unde & ſex fiebant. Quod itidem fecit Immer. Et pacti ſunt cum eis prophetæ, nec quidem Jebojaribum, ſi e captivitate aſcenderet, prærogativam habiturum præ claſſe ante eum conſtituta, ſed ei fore adjungendum. Idem habetur in Gemara Babylonica ad tit. *Eracin* cap. II. fol. 12. b. & ad tit. *Thaanith* cap. IV. fol. 27. a. Excepto quod in loco poſteriori pro *Charim* perperam legatur *Jebojarib*; quod nec ceteris de Jehojarib ibi adjectis eſt omnino conſonum. Senſus puto eſt, facta jam familiarum harum quatuor in viginti quatuor claſſes in diſtributione, ceterarum familiarum Sacerdotalium ſeu claſſium quotquot nondum aſcenderant, in dignitatis ac functionis ordine decernendo, non aliter rationem habitum, quando aſcenderent, iri, quam ſi hiſce & quatenus hiſce ſe immiſcerent adjungerentque; At Joſephus expreſſim de diſtributione vetuſtiori ſeu Davidica, lib. 7. cap. II. καὶ, inquit, διέμενεν οὗτος ὁ μερισμὸς ἄχρι τῆς σήμερον ἡμέρας, *atque hæc diſtributio duravit uſque in diem hodiernum*, id eſt, uſque ad Templi ſecundi excidium. Numeri claſſium meminit & ipſe alibi; in vitæ ſuæ initio, unde & corrigendus eſt locus, qui in latinis libri ſecundi adverſus Apionem habetur; *licet enim ſint tribus quatuor ſacerdotum & harum tribuum ſingulæ hominum plus quam quinque millia, fit tamen obſervatio particulariter per dies certos*. Græca heic deperdita ſunt, ſed dubitari nequit, pro eo, quod eſt *tribus quatuor*, ſcripſiſſe Joſephum πατριαὶ εἴκοσι τέσσαρες, *tribus viginti quatuor*, quæ & ſtationes & Ephemeriæ & claſſes nuncupantur. Jam vero [quod obiter monendum] viderint interea viri Magni, qui ex diſtributione Davidica orbem ſeu Cyclum hieraticum ſub Templo faciunt ſecundo, adeoque ex Encæniis Judæ Maccabæi, Jehojaribi in diſtributione illa veteri loco primo atque Maccabaica jugis ſacrificii inſtauratione, Abiæ apud D. Lucam memorati Ephemeriam octavam fuiſſe, quemadmodum in Paralipomenis reperitur, fidenter admittunt. Certe, ſi Talmudicis credendum, ita novata eſt, ut vides, diſtributio, ut quemnam in ea locum jam teneret Ephemeria ſive Abiæ ſive alius cujuſcunque, familiis jam dictis Sacerdotalibus quatuor in claſſes viginti quatuor tributis poſtmodum immiſta adjunctaque; non omnino conſtet. Conſulas ante alios Joſephum Scaligerum, tum in Notis ad Fragmenta, Emendationi Temporum ſubjunctis, tum in Canonum Iſagogicorum libro tertio pagina 297. Adde D. Hieronymum in Quæſtion. Hebraicis ad I. Paralip. cap. 9. Sed & vide inferius ſub finem capitis undecimi. Prima autem in Pontificatum ſucceſsio erat ipſius Eleazari, cui, ex Numinis juſſu, Aharonis morituri inſignia Pontificalia in ſucceſsionis deſignationem induta ſunt, ut legitur Num. cap. XX. 28. & apud Joſephum Archæolog. IV. cap. IV. Incidiſſe autem Aharonis mortem, adeoque primam hanc in Pontificatum ſucceſsionem, in quadrageſimum ab Exitu ex Ægypto annum, volunt Hebræi; atque eodem ſimul anno Moſem fratrem ſororemque Miriam obiiſſe. Ita Seder Olam Rabba cap. X. Et Joſephus, anno ætatis centeſimo vigeſimo tertio, in Novilunio menſis Athenienſium Hecatombæonis, Macedonum Loi, μηνὸς vero καλουμένου Σαββᾶ παρ' Ἑβραίοις *menſis, qui Hebræis nuncupatur Sabba*; ubi Ruffinus vetus ejuſce interpres habet, *ſecunda luna initio menſis*, & pro *Sabba*, *Sedebath*, qui *apud Romanos*, inquit, *nuncupatur Auguſtus*. Sed quid *Sabba* aut *Sedabath* in menſibus Hebræorum? Neque τῷ *Sebat* eorum menſi, qui ſono proximat, & Januario ferme reſpondet, heic locus eſt. Id negant plane Hecatombæon & Lous, qui menſes ſunt æſtivales, & τῷ *Ab* Hebræorum menſi undecimo a Tiſri putato, ſeu Julio aut Junio, pro periodorum varietate, compares. Depravato igitur Joſephi loco, pro Σαββᾶ Ἀβ ſeu Ἀββᾶ legendum. Uti etiam citatur Samueli Petito in Eclogis Chronologiæ lib. I. cap. X. atque emendatur a Jacobo Capello in Hiſtoria ſacra anno M. 2542. Nam & diſerte Hebræi, מת אהרן באחת באב *Mortuus eſt Aharon die I. menſis Ab*, ut legitur in Seder Olam Rabba, alibique. Quin & Jejunium hoc nomine, eodem die habetur in eorum Ritualibus. Adjicere etiam de ea re viſum eſt locum inſignem ex Saidi Batricidis, Patriarchæ Alexandrini, Chronologia ante DCC. annos aut circiter Arabice conſcripta;
ומות מושי והרון ומרים אחתהמא פי
אלתיה: פי שנת ואחרת לתמאם ארבעין
שנת להם פי אלתיה מאתת אולא מרים
אחתהמא פי שתת איאם חלת מן ניסאן
והו ברמודה ולהא מאית ושבעת ועשרון
שנת ומאת הרון פי אול יום שהר אב והו
משרי ודפן פי גבל הור ולה מאית ותלתת
ועשרון

ועשרון שנת׳ ומאת מושי עליה אלשלאם פי שבעת איאם מן שהר אדאר והו ברמהאת פי ארץ מואב ודפן פי אוארי מן ארץ מואב ולה מאית ועשרון שנה *Et moriebantur*, inquit ille, *Moses*, *Aharon & Miriam eorum soror in Deserto*, *unico atque eodem in anno*, *qui complevit annos illos quadraginta*, *quibus erant in deserto*. *Primo autem demortua est Miriam*, *soror eorum*, *die* VI. *Nisan*, *qui est Barmuda*. *Ætas ejus*, *anni* CXXVII. *Dein mortuus est Aharon Die* I. *mensis Ab*, *qui est Musri*. *Sepultus est in monte Hur*. *Atque ætas ejus*, CXXIII. *anni*. *Mortuus autem est Moses*, *super quem sit pax*, *die* VII. *mensis Adar*, *qui est Barmehatha*, *in terra Moab*. *Sepultus est in Convallibus terræ Moab*. *Ætas ejus* CXX. *anni*. Barmuda heic est Coptitarum mensis seu Ægyptius ille, quem vulgo Pharmuthi dicimus, Musri Mesori; & Barmehatha ipse est, qui Phamenoth nuncupatur. Hebræi autem mortem Miriam tribuunt decimo diei Nisan, ut autor Seder & reliqui; quam diei sexto assignat heic Batricides [idque in binis, quibus utor, exemplaribus] & Josephus novilunio Xantici, mensis Macedonici, sed ut Ruffinus, *Xantici mensis initio*, *secunda luna*. Quin & Mosis mortem, quam VII, die Adar, passim tam Hebræi quam Batricides collocant, Josephus accidisse ait mensis ὑπὸ μὲν Μακεδόνων Δύστρου καλουμένου, Ἀδὰρ δὲ ὑφ' ὑμῶν Νουμηνίᾳ, *qui a Macedonibus Dystrus vocitatur*, *a nobis autem Adar*, *Novilunio*. Quomodo autem idem ipsum, quod Hebræi ceteri, in temporum hoc ratiocinio, velit Josephus, acute disputat Samuel Petitus in Chronologiæ Eclogarum libro I. capitibus X. & XIX. Sed undenam Ruffino tam in Aharonis, quam τῆς Miriam morte, locutionis illud genus, *mensis initium*, *secunda Luna?* Verba Josephi utrobique sunt, νουμηνίᾳ κατὰ Σελήνην, id est, *Novilunio*, *Calendis* seu *Mensis initio secundum Lunam*. Interpretis proculdubio librarii ex hoc fecere *secunda Luna*. Secundum ea autem quæ dicta sunt, Eleazari filii Aharonis, & superstitum majoris natu, in Pontificatum successio eodem anno contigit, quo Moses demortuus est, & septimo ante mortem ejus mense. Et satis concors est Eusebius in Chronico. *Mors Moysi*. *Hoc tempore apud Hebræos Pontific tum suscepit Eleazar post mortem Patris Aaron*.

CAPUT II.

De Phineesi & Eleazaridarum Successione. Et de Pontificatus ad Heli *Ithamaridem translatione*, Phineeso, *juxta Hebræos*, exautorato.

Quemadmodum sub Mosis mortem successione volunt Aharoni patri Eleazarum, ita & huic Phinees filium sub mortem Josuæ; quod eliciunt ex utriusque obitus tempore ad finem libri Josuæ simul memorato, ut habetur in Seder Olam Rabba, atque apud Josephum. Neque in Eleazari seu Pontificatus tantum, sed etiam in Josuæ seu Principatus Hebræorum Dignitatem successisse Phinees scribunt nonnulli. Excerpta illa ex Eusebio, Africano, atque aliis, barbare ab Anonymo versa, quæ in Thesauro Temporum eduntur; *Post obitum Hiesu filii Nave*, *præfuit populo Phinees sacerdos annos* XXIII. Et Saidus Batricides, Patriarcha Alexandrinus, וכער ופאת יושע אבן נון דבר אל׳ שעב פנהאש אלכאהן אבן אלעאזר אבן הרון ובאן כאהבא חמשת ועשרון שנת *Et post mortem Josuæ filii Nun præfuit populo Phinees sacerdos*, *filius Eleazari filii Aharonis*. *Et fuit Sacerdos annos* XXV. Certe & Nicephorus Patriarcha, φινεὲς υἱὸς Ἐλεάζαρ μετὰ πάντων πρεσβυτέρων τὸν λαὸν κρίνας *Phinees filius Eleazari cum universis senioribus populum judicans*. Ita scilicet in codice pervetusto MS. Bibliothecæ Collegii Sion, Londini nuper extructi, legitur, cum in Græcis editis τὸν λαὸν id est *populum* omittatur. Sed Præfecturam hujusmodi in eo nullibi agnoscunt Hebræi. Secutum ait Josephus hunc in Pontificatu Abiezer filium, a quo Bocciæ filio suo dignitatem acceptam ad Ozin hujus itidem filium esse transmissam. Sic ille Archæolog. lib. V. cap. XII. Abiezer ibi, depravatis, ut fieri amat, ex Græcorum Latinorumque scriptione Orientalium nominibus, est Abishua, Bocceias Bucci, Ozi Uzzi, qui omnes in posteris Phinees recensentur I. Paralipom. VI. 51. Alii sunt Josephi heic sequaces; ut Nicephorus Patriarcha & Georgius Monachus (cujus Pontificum recensionem habes apud Josephum Scaligerum in notis Eusebianis pagin. 255.) præter recentiores. Item Rabbi Isaac, Judæus Narbonensis, אלו, inquit, הכהנים גדולים ששמשו בבית יא אהרן אלעזר פנחס אבישוע בחקי זרקיא אמריה וגו׳ *Hi sunt Pontifices*, *qui sacro functi sunt ministerio in Templo primo*, *Aharon*,

ron , *Eleazar* , *Phinees* , *Abishua* , *Bochki* , *Zerakia* , *Amariah* &c. Nimirum hic ex ejusdem libro שערי ציון seu *Portæ Sion* inscripto , nec semel apud R. Gedaliam Ben Jechia in libro *Shalsheleth* citato, legitur in *Salsheleth* fol. 27. Ubi binos jam dictorum Eleazari nepotes inter Pontifices censeri ; tertium autem oscitanter prætermitti vides, uti & quintum ; ut ex stemmate , quod Capite quarto damus , liquebit . Quin & suis signantur annis Pontifices, Abiud , Boccei , & Ozi in Chronico Alexandrino ; ubi Abishua depravate , ut alibi , Abiud nuncupatus , tempori Ahudis Judicis assignatur , Boccei Samgaris , & Ozi Tholæ temporibus . At vero neque in sacris literis , neque in Hebræorum Chronicis aliis, quibus utimur, neque in Eusebio , horum Eleazari nepotum Pontificatus memoratur . Neque alius in hisce inter Eleazarum & Heli Pontificem (qui & populum , ut Princeps judicabat) præter Phinees, reperitur Pontifex . Et , in Chronico Alexandrino, alibi, Heli expressim Pontifex Hebræorum quartus nuncupatur , pag. *169*. editionis Raderianæ ; tametsi antea terni illi Eleazari nepotes, annis etiam suis signati , ut dictum est , recenseantur. Adeo ut sic Heli , non quartus aut Phineesum proxime secutus sit, sed septimus. Ceterum Chronicon illud ex variis Scriptoribus cento est , nec sibi semper constans . Quin vero nec Phinees ipsum usque ad mortem Pontificatum tenuisse volunt Ebræi ; sed ei exautorato Heli successisse , de quo sub initium libri primi Samuelis. Certe ævo belli Benjaminitici, id est, juxta vulgarem temporum rationem , trecentis aut circiter a morte Eleazari annis, Pontificem Phinees fuisse , manifesto liquet ex Judicium XX. 28. Neque, ad Magistrorum aliquot sententiam, sufficit hæc rarissime citra diluvium audita longævitas. Nam & ipsum in Templo Janitoribus præfuisse volunt nonnulli , atque de eo intelligunt illud 1. Paralipom. IX. 20. *Et Phinees filius Eleazar erat Dux eorum*. Et D. Hieronym. in Quæstionib. Hebraicis ad dictum locum , *hic monstratur Phinees adhuc eo tempore vivere*. Atque ita sane ut quadraginta insuper annos vixerit necesse fuerit ; tametsi Jehoiadam Pontificem (de quo infra) post Mosem , solum CXXX. annos vixisse in Eusebii Chronico asseratur. Sed alii Phinees alium , atque Levitam non Sacerdotem , in Paralipomenis innui rectius putant. Vide sis ad dictum locum Salomonem Jarchium & Davidem Kimchium. A Phinees autem, adeoque a familia Eleazaridarum , ad Heli qui Ithamarides fuit (quod liquet ex hoc , quod Achimelechus ab eo genus ducens Ithamarides est 1. Paralip. XXIV. *6*.) translatum ajunt ex jussu Numinis Pontificatum , Phineeso exautorato. Hoc factum ajunt, tum quia ipse atque familia ejus in causa nimis erant multiplicium , quæ ab Israelitis sunt patrata sub Judicibus facinorum, tum quia ipse de voto Jephthis consultus, eum solvere illo noluit . Nam etiam hac causa שכינה id est *Numinis Majestatem*, seu *præsentiam* aut *Spiritum Sanctum* ab illo discessisse tradunt. Ita dicti Rabbini ad locum citatum & ad Judicum XI. 35. vide sis gloss. ad Gemaram Babylonicam titul. *Thaanith* cap. I. fol. 4. *Vaicra Rabba* , Parash. 37. sub finem , *Bereshith Rabba*, Parash. *60*. *Midras Kobelet* ad caput X. 15. Certe votum Jephthis eum ex prophetia censuisse non relaxandum, diserte memorat Saidus etiam Batricides. Ita scilicet ille ; פתאמת תנוע עלי נפשהא פי ואלגבל שהרין וכאנוא אצחאב יפתאח קד אשארוא עליה אן ימשי אלי פנחאש אלנבי אבן לעאזר אבן הרון וישאלה לעלת יפתיה במא יחלע בה אבנתה פחמלה עז אלמלך אן לא יו הב אליה ופנחאש אלנבי חמלה עז אלנבות אן לא יחבי אליה ובעד שהרין עמל יפתאח אליהודי עידא עטימא ודבח אבנתה פי דלך אליום פשמי דלר אלעיד איד נוע *Et manebat lugens seipsam* [filia Jephthis] *in monte binos menses . Jam vero consiliarii Jephthis suaserant eum, ut adiret Phinees prophetam filium Eleazari filii Aharonis , atque eum consuleret , ut ab eo disceret qua ratione filiam morte eriperet . Sed monitus est ab Angelo , ne ad eum adiret . Etiam & Phinees propheta monitum accepit ex prophetia , ne indulgeret ei . Itaque transactis binis illis mensibus ingens festum celebravit Jephthes Judæus , & filiam suam immolavit eodem die ; quem Festum Luctus nuncupavit* . Sed diserte Jarchius ad Paralipomena , רבותינו אמרו הוא פנחס הכהן ועל שלא התיר ליפתח נדרו נסתלקה שכינה ממנו *dicunt Rabbini nostri , hunc* (Phinees præfectum Janitorum ibi memoratum) *fuisse Phinees sacerdotem , atque ex eo quod non solveret Jephthem voto suo , recessisse ab eo Numinis præsentiam*. De hoc autem voto & Pontificis in eo autoritate , consulas Ludovici Capelli de eodem Diatribam singularem , eamque doctissimam. Heli vero successorem Phineeso exautorato datum , Ithamaridem fuisse , atque ita Pontificatum in alteram

ram Sacerdotalium familiam tunc tranſlatum, Joſephus Archæol. lib. V. cap. ultimo, Nicephorus Patriarcha, & Rabbini ad 1. Samuelis cap. II. conſentiunt; ubi etiam tam tranſlationem ejuſmodi, verbis ſacris commatis 30. doceri volunt Rabbini, quam Pontificatus in Eleazaridarum familiam, qui in Zadoco ſecutus eſt, reditum. Quomodo autem *Sempiternum Sacerdotium* Phineeſo & poſteris ejus promiſſum a Numine (num. XXV. 23.) fuerit, eum hac in Ithamaridas tranſlatione capiendum, optime diſputat Ægidius Camartus Ordinis Minimorum nuper Generalis in Elia Tisbite ſub cap. III. ſect. 5. Sed in Euſebio Hieronymi legitur; *Hebræorum Heli Sacerdos ann. XL. In Hebræorum libro inveniuntur XL. anni: LXX. autem in interpretatione XX. Hebræi hunc tradunt eſſe Phineen.* Certe in Euſebii Græcis totidem fere de annis verba habentur. Sed non poſtrema illa, quæ nec Hieronymi eſſe autumari poſſum, ſed ſcioli alicujus adjectum gloſſema, idque ex traditione alia de Phinees Hebræorum quamplurimis credita perperam ac temere nimis etiam & ridicule acceptum. Nullibi apud eos comperitur, Heli Sacerdotem, id eſt heic, Pontificem, Phinees fuiſſe aut dici. Et tam certum eſt hoc non comperiri, quam illud apud eorum pleroſque obtinuiſſe; Phinees ſive per metempſychoſin Pythagoricam ſive aliter ipſum fuiſſe Eliam prophetam. De ea re obiter David Kimchius ad 1. Paral. IX. 20. Et de Elia. Samuel Schullam ad *Sepher Juchaſiu* pag. 11. b. כל ישראל נהגו לומר שהוא פנחס והדבר נשאר בתיקו והוא יבא במהרה ויגיד לנו *Solenne eſt univerſis Iſraelitis affirmare, ipſum fuiſſe Phinees. Sed ipſe optime novit. Cito igitur veniat, ut rem explicet nobis.* Scilicet dubiorum inexplicabilium ſolutionem ab Elia ſe expectare dicere ſolent. Rationes, quibus in hanc adducti ſunt ſententiam, aperit Levi Gerſomides ad 1. Regum XVII. 1. Etiam Saidus Batricides, Patriarcha Alexandrinus, ואליהודין עמון אן פנחאש טנחאש אלכהן הדא הו איליא אלנבי אלדיישמונה אלערב אלחצר *Et Judæis receptum eſt, Phinees Sacerdotem ipſum fuiſſe Eliam prophetam, quem Arabs nuncupant Cheter, Cheder,* ſeu (pro diſcrimine pronuntiationis) *Cherzer*, id eſt *virentem, ſplendidum, florentem*. Quæ eadem de cognomine etiam idem Patriarcha alibi. Inter prophetas alioſque qui tempore Achabi Regis floruere, Eliam enumerans, ad hunc modum eum commemorat; ואיליא והו אלחצר & *Elias, qui ipſe eſt Cheter*, ſeu *vocitatur Cheter*. Ideone vero ita Arabibus (ſcilicet *florens, vigens* aut quid ſimile) dicitur, quia in cœlum raptus, nec more mortalium vitam commutavit? At vero docemur a Joanne Cantacuzeno, celebrem eſſe Muſulmanis Chriſtianorum D. Georgium, nomine Χέτερ Ηλιάζ *Cheter Eliaz*. Sic ille in Apologia III. contra Mahumedem. Quod nomen idem, ut videtur, denotat cum eo, quod eſt *Chederle* & *Chederles*, apud Busbequium in epiſtolis, Poſtellum, Megiſerum, alios, pro D. Georgio etiam ſumtum. Et Eliæ nomen tam אליאש Elias (quod ſcimus ex Alcorani cap. VI.) quam איליא *Elia* ſeu *Elie* (ut in Batricide) unde *Chederle* facilius fiat, conſcribitur. Anne igitur Muſulmanis inolevit, Eliam ſeu *Cheter Elias*, id eſt, חצר אליאש Chriſtianorum D. Georgium vocitare? Certe eum ipſis, ut tutelare militiæ, puto, numen, cultum', ſcribunt Busbequius, Contovicus, alii. Hunc ea de re conſule in Itinerario Hieroſolomytano, lib. II. pag. 137. & 143. illum in Epiſtola prima: Credere tamen nondum queo, tam ipſum noſtrum Cappadocem ab iis ſic cultum eſſe (nam quid Muſulmanis & Chriſtianorum martyribus commune? quam Eliam, quem indicato cognomine inſignitum & pro numine, Chriſtianorum D. Georgio non ita diſſimili, ab eis cultum, D. Georgii nomen interdum induiſſe, ſuumque itidem D. Georgio (quemadmodum in ejusmodi rerum confuſione fieri amat) communicaſſe: Et vide nunc Colloquium Sinani & Achmedis pag. 32. ubi de Elia. Sed hoc obiter. Redimus ad Hebræorum de Phinees ſententiam. Ipſe etiam D. Hieronymus in Traditionibus Ebraicis ſuper libris Regum, ad illud, *venit autem vir Dei ad Eli*, 1. Sam. II. 27. *Hunc virum Dei*, inquit, *Judæi Phinees dicunt, quem & Eliam autumant*. Unde ſane æquum eſt, ut verba illa ſuperius ex Hieronymo de Heli Pontifice ac Phinees allata neutiquam fuiſſe ipſius Hieronymi conjiciamus, ſed potius ex craſſo errore, quem ſive librario ſive Scholiaſti alicui pepererat nominum Heli & Eliæ affinitas, illuc irrepſiſſe. Non aliter fere ac ineptiſſimus ille Euſebii, Africani, atque aliorum interpres vetus in Excerptis ſuis pro eo quod erat Ἰλίου ἐκπόρθησις *Ilii Excidium*, vertit *Solis Exterminatio*, cum pro Ἰλίου Ἡλίου legerat. Sed vero & alibi Judæis ait D. Hieronymus, Joiadam in Paralipomenis memoratum Phinees itidem fuiſſe. Locus citatur capite proxi-

ximo. Quin & alii Scriptores Christiani tantundem de Elia & Phinees, ex Judæorum placitis memorant; ut videre est apud Originem in D. Joannem tract. VII. Petrum Damianum lib. 1. Epist. VI. alios. Qua de re fusius etiam disputat Ægidius Camartus in libro de Rebus gestis Eliæ, Cap. III. Quin ejusmodi de Phinees ac Elia recepta sententia, etiam apud Mahumedanos, vestigia reperiri videntur. Nam in exegesi Mahumedis Achmetidis, in Alcorani caput VI, Elias dicitur fuisse בן אחי הרון אמי מושי *filius fratris Aharonis fratris Mosis*. Si fratrem Aharonis, pro filio heic errore substitutum [id est pro Eleazaro] admittas, ipsam de Phinees Judæorum opinionem simul habes. At vero Hellenistæ ad extremum libri Josuæ expressim habent in editione Romana ac Francofurtensi, *Phineesum Pontificem mortuum esse & sepultum in Gabaat, quæ ipsius erat*. Idem igitur, nisi metempsychosis admittatur, juxta hosce, Elias esse nequibat Ebræis codicibus, uti & nonnullis Græcis & versioni vulgatæ, desunt omnino verba illa aliaque aliquot sequentia. Sed vero ad Heli revertamur. Ipsius in senectutem provecti vices in Pontificatu gessit Phinees ejus filius. Josephus Archæolog. v, cap. penultimo, de arca in exercitum paulo ante mortem Heli adducta verba faciens, φινεέσης δὲ ἤδη καὶ ἱερᾶτο, inquit, τοῦ πατρὸς αὐτῷ παρακεχωρηκότος διὰ τὸ γῆρας. *Phinees tunc Sacerdotio fungebatur, patre id propter senectutem concedente*.

CAPUT III.

De Ithamaridarum *in Pontificatum Successione usque ad* Abiatharem; *& de* Jehoiada *seu* Joada & Samuele, *qui nonnullis heic in Pontificibus censentur*.

SUblatis, ante mortem Heli Ithamaridæ, filiis ejus Hophni & Phinees, huic relicti sunt filii bini, Achitobus & Ichabodus posthumus. Achitobi filii memorantur etiam bini; Achias & Achimelechus, cui Abiathar filius. De hoc stemmate vide sis 1. Samuel. IV. 19. XIV. 3. XXII. 9. & XXIII. 6. apud Eusebium in Chronico horum nullus ante Abiatharem in Pontificatum succedit. At vero Josepho lib. VI. cap. VII. Achitobus dicitur Pontifex ille, qui Sacerdotis nomine, ubi Saul Rex Deum consulit, habetur in 1. Sam. XIV. 36. καλέσας, inquit, ὁ βασιλεὺς Ἀχίτωβον τὸν ἀρχιερέα ἐκέλευσεν γνῶναι, εἰ δίδωσιν ὁ Θεὸς αὐτοῖς, &c. *Vocavit Rex Achitobum, jussitque ut consuleret, an Deus annueret, &c.* Alii etiam Achitobum proxime post Heli avum collocant, ut Nicephorus Patriarcha & Georgius Monachus. Sed annon adversatur scriptura ejusdem Samuelis capitis? Commate 18. loquitur Saul ad Achiam Achitobi filium, uti ad Pontificem, *Et ait Saul ad Achiam; applica arcam Dei*. Et paulo ante; ואחיה בן אחטוב אחי אי כבוד בן פנחס בן עלי כהן יהוה בשילה נושא אפוד *Et Achias filius Achitob fratris Ichabod, filii Phinees filii Heli, Sacerd. Domini in Silo, portavit Ephod*. Et assidua ejus functio eodem in capite satis indicatur. Quin septuaginta ibi τὸ כהן (quod ob declinationum in lingua Ebraica defectum, tam *Sacerdos* quam *Sacerdotis* heic sonare potest, adeo ut indiscriminatim liceat capere, ex locutionis formula, sive Achiam Sacerdotis nomine sive Heli ibi innui) ἱερεὺς vertunt, id est *Sacerdos*, adeoque Achiam faciunt Sacerdotem ex disertis scripturæ verbis; id est, Pontificatum tunc in Silo gerentem. Atque horum sane heic sequaces sunt recentiorum interpretum non pauci. Vulgata vero; *Et Achias filius Achitob, fratris Ichabod, filii Phinees, qui ortus fuerat ex Heli Sacerdote Domini in Silo, portabat Ephod*. Ita ut Achiam quidem ex Ephod induto cum Ebraica veritate denotet, Sacerdotio functum fuisse, Sacerdotis vero nomine Heli proavum ejus ibi memorari. Quod certe Ebræorum Magistris consonum satis est. Nam illi recte observant, Arcam tunc non fuisse in Silo, sed in Kiriathjearim, (ut ex scriptura liquet) adeoque verba illa כהן יהוה בשילה *Sacerd. Domini in Silo* ad Heli spectare (qui, dum Arca in Silo manebat, Pontificatum gesserat:) & *Sacerdotis Domini in Silo* esse vertenda; Achiam vero ejus pronepotem ex Ephod induto & ex eis, quæ sequuntur, pro Pontifice ibi accipiendum. Gersomides; כהן יהוה בשילה שבאל עלי לא אל אחיה כי כבר היה חרב משכן שילה ואולם אמרו נושא אפוד כר שב אל אחיה והרצון בזה לפי מקומו כי הוא היה כהן גדול *verba illa do Sacerdote Domini in Silo, spectant ad Heli, non ad Achiam. Nam antea destructum est Tabernaculum in Silo. Veruntamen ajunt, id, quod de Ephod gestato adjicitur, solum attinere ad Achiam: Atque ex ipsa re hoc colligitur. Quoniam ipse Pontifex erat*. Nam Ephod heic pro amictu Pontificio illo, superhumerali simul cum Rationali Judicii & Urim & Thummim, quæ Pontifici pro-

propria fuere, sumitur Magistris. David Kimchius ibi, הוא כלל החושן והאורים והתומים *Indicatur eo simul rationale & Urim & Thummim*. Tametsi interea agnoscant, nomine Ephod interdum intelligi lineas etiam Sacerdotum minorum, imo & Levitarum tunicas, ut I. Samuel. II. 18. & XXII. 8. Ubi vide Rabbi Jesaiam. Anne igitur mortuus tunc aut exautoratus Achitobus? Sed opinor sane Josephi exemplaria (unde recentiores Achitobum habuere) hic imposuisse, & non Ἀχίτωβον, loco ex eo supra adducto, sed Ἀχίαν legendum suadent, quæ paulo ante, etiam eodem in capite, occurrunt, & cum eis, quæ jam observata sunt, commissa rem evincere videntur. Achias eodem ipso tempore Pontifex ibi dicitur. Verba sunt: Καθεζόμενοι δ' αὐτός τε καὶ ὁ παῖς αὐτοῦ, καὶ ὁ Ἀρχιερεὺς Ἀχίας ἀπόγονος ὢν Ἠλεὶ τοῦ Ἀρχιερέως, ἐπὶ βουνοῦ ὑψηλοῦ, καὶ τὴν γῆν λεηλατουμένην ὁρῶντες, ἐν ἀγωνίᾳ δεινῇ καθειστήκεσαν. *Ipse* [Saulus] *& filius ejus & Achias Pontifex ex posteris Eli Pontificis, sedentis super excelso colle & terram devastatam conspicientes, graviter angebantur*: Certe Gelenius, ut videtur, ne alium Pontificem ibi admitteret, Achitobi nomen, in versione postea prætermisit. Veteri autem Ruffini versione, Achias heic tantum Sacerdos dicitur, adeo ut qui ea usi fuerint, nec Josephi Græca consuluerint, alium præter Achitobum (quem Ruffinus etiam Sacerdotem tantum vocat, sed res ipsa Pontificem ibi innui ostendit) ex Josepho Pontificem elicere nequirent; Proximus dein Pontifex habetur Achimelechus alter filiorum Achitobi. De eo legitur I. Samuel. XXI. & XXII. & apud Josephum lib. VI cap. XIV. Ad citatum vero Samuelis locum priorem D. Hieronymus in Quæstionib. Ebraicis; *Achimelech ipse est Achia, filius Achitob, filii Phinees, filii Heli*. Ille autem & universi ex ejusce familia Nobam Sacerdotum urbem incolentes, a Doego Idumæo, Saulis jussu, interempti sunt, excepto duntaxat Abiathare ejus filio. Quo spectare volunt id, quod prædictum erat Heli Pontifici de suæ, id est Ithamaridarum domus futura clade, I. Sam. II. 13. Nec tamen putandum. Abiatharem hunc *solum* fuisse *generis sui superstitem*, ut male legitur in Gelenii versione Josephi. Is plane μόνος διασωθῆναι δυνηθεὶς ἐκ τοῦ γένους τῶν ὑπὸ Σαούλου φονευθέντων ἱερέων erat, id est, *solus de Sacerdotibus* a *Saul interfectis ereptus*, ut recte satis interpres vetus, seu *qui eripi potuerit*. Abiathar heic in Pontificatum, demortuo patre, successit, Achimelechus item, & Abimelechus interdum dictus; quemadmodum etiam pater ejus tam Abiathar quam Achimelechus dicebatur, ut observant viri Docti tam in Pontificum successione, quam ad D. Marci cap. II. ubi Pontifex ille Aabiathar nuncupatur, qui manifesto Achimelechus erat Abiatharis hujus pater. Unde & Abiathar hic, pro eodem, qui Achimelechus filius Abiathar (II. Sam. VIII. 17.) & Abimelechus filius Abiathar (I. Paralip. XVIII. 16. nuncupatur, sumi solet; tametsi Hebræorum aliquot Achimelechum ibi pro Achimelechi a Doego occisi ex Abiathare filio nepote capiant, ut infra dicetur. In Josepho autem & tam in Hebræorum Chronicis, quam in vetustis Christianorum, præter Abiatharem, non reperitur, post Achimelechi pronepotis Heli necem, alius ante Zadocum Pontifex. Attamen non desunt in Magistris, qui Jehojadam interponunt, & sub initiis Davidis Regis Pontificatum gessisse volunt. In iis, qui Davidi Saulem fugienti adhæserunt, censetur Jojada הנגיד לאהרן *Princeps de stirpe Aaron* (ut in vulgata) seu ὁ ἡγούμενος τοῦ Ἀαρὼν *Dux ipsi Aaron*, ut Hellenistæ, I. Paralip. XII. 27. Atque capite ejusdem libri XXVII. 5. Banajas filius Jojadæ כהן ראש memoratur, quod vulgata *Sacerdos* tantum & ἱερεὺς ὁ ἄρχων *Sacerdos princeps* Hellenistis vertitur. Sed Magistris intelligitur casu genitivo, ut sit *Benajas filius Jojadæ Sacerdotis Principis* seu *Primarii*. Ad posteriorem igitur locum David Kimchius, יהוידע היה כהן גדול כמו שאמר למעלה בתחלת מלכות בירת דוד ויהוידע הנגיד לאהרן *Jehojada erat Pontifex, quemadmodum etiam notatur supra sub initiis regni David, cum fuisse Principem Aaroni*. At Jarchius ibi, הכהן ראש שהיה ראש ויש אומרים שהיה כהן גדול ואינו כן שהרי צדוק ואביתר היו כהנים גדולים *Dicitur Sacerdos primarius, quia primarius quidem* (veluti ex classium præfectis seu inter eos primarius) *fuit. Quod vero volunt aliqui, eum Pontificem fuisse, id fieri nequit. Nam Zadoc & Abiathar fuere tunc Pontifices*. At vero in Traditionibus ad citatum Paralipomenon locum Hebraicis D. Hieronymus; *Joada tradunt fuisse Phinees, ad cujus comparationem Sadoch puer vocatur*. Nec locus omnino heic Samueli; quem tamen nonnulli inter Pontifices posuere, ut Chronici Alexandrini autor, & Georgius Monachus,

qui

qui Achitobo eum successisse vult. Vide etiam D. Augustinum contra Faustum lib. XII. cap. XXXIII. Et Sulpitius Severus; *Samuel cum Heli Sacerdote natus, admodum senex Sacerdotio functus refertur*; quod de Pontificatu dictum merito sane suspicatur Drusius. Sed error est manifestus. Nam is non solum non fuit Pontifex, sed nec Pontificatus jure ordinario capax, aut ex genere Sacerdotali, sed tantum Levitico. Scilicet non ex Aharonis posteris, sed ex Izharis, Aminadab item dicti, Aharonis patrui, nepotibus. Id liquet ex I. Paralip. VI. 28. atque initio Samuelis, ubi atavus ejus Zuph Ephraites, domicilii, non sanguinis ratione nuncupatur, ut Magistri ibi & Jonathan paraphrastes. Et vir magnus, dum crassum Georgii Monachi hac in re errorem perstringit, suum item, sed ex incogitantia, prodit. *Crassus est*, inquit ille, *error, immiscere Pontificibus Samuelem, qui erat de plebe Sacerdotum, non de domo stirpis Pontificiæ*. Sed vero neque ex Pontificia neque ex sacerdotali stirpe ille, aliter & Levita qualiscunque dicendus erat. Quod & D. Hieronymus observavit; *Noscendum*, ait ille, *quod Samuel Levita, non Sacerdos, non Pontifex fuerit*. Vide sis eum contra Helvidium lib. I. cap. XIII. Sed Dionysius Petavius lib. de Doctrina Temporum X. cap. XLVIII. extra ordinem a Deo constitutum Samuelem Pontificem existimat. Atque eis, qui dignitatem Pontificalem Regiæ anteferendam disputant, Samuelem Pontificem fuisse asserere novum non est. Scilicet ex ejusdem in Saule ungendo functione, prærogativam Pontificalem elicere conantur. Sed hisce olim optime respondit Guilielmus Ockamus nostras, & *Samuel*, inquit, *non erat summus Pontifex, nec Sacerdos in Israel, sed Judex tantummodo, immo etiam non fuit de genere Aaron; & per consequens nec Sacerdos, nec summus Pontifex, nec minor, ut colligitur ex primi Paralipomenon cap. VI.* Vide sis ea de re plura apud eum in Decisionibus de Potestate summi Pontificis quæst. I. cap. II. & XII.

CAPUT IV.

De Abiatharis *&* Zadoci *in Pontificatu conjunctione*, Abdicatione Abiatharis, *atque domus* Eleazaridarum *in* Zadoco Restitutione.

Abiathari, Achimelecho item dicto, conjunctus est a Davide Rege Zadocus sive ut Pontifex alter, sive ut Secundarius aut Vicarius. Secundarium ejusmodi כהן משנה nuncupabant, *Sacerdotem secundum*, ut II. Regum XXV. 18. Eleazarides scilicet Ithamaridi conjunctus est. Nam Zadocum ex Eleazari nepotibus fuisse liquet, I. Paral. VI. 50. De hisce II. Samuel. VIII. 17. *Zadocus filius Achitob & Achimelechus filius Abiatharis fuere Sacerdotes*. Tantundem I. Paralip. XVIII. 16. & II. Samuelis XV. ubi aliquoties Zadocus & Abiathar, veluti Pontifices partiarii memorantur. De horum conjunctione vide sis, præter ea, quæ habet Abulensis, Dionysium Petavium de Doctrina Temporum lib. X. cap. LVI. Certe Josephus binos expressim eos facit Pontifices. Ἀπέδειξε δὲ (inquit de Davide, lib. VII. c. VI.) ἐκ τῆς Φινεὲς οἰκίας τὸν Σάδωκον Ἀρχιερέα μετ' Ἀβιαθάρου. φίλος γὰρ ἦν αὐτῷ. *Designavit etiam ex Phineesi familia* (id est Eleazari) *Sadocum Pontificem cum Abiatharo. Amicus enim ei erat*. Ubi mutilus nimis est locus in Ruffini versione. *Instituit de domo Phinees Principem Sacerdotum Abiathar, qui ejus amicus erat*. Sadoco prætermisso, & eo, quod falsum est, substituto; tametsi alibi eodem in libro recte habeat versio illa utriusque Pontificis sub Davide institutionem seu designationem. Et tam Zadocus quam Abiathar Pontifex sæpe vocitatur Josepho. Quin vero sub mortem Davidis eum ἀρχιερέα τῆς πλήθους ἁπάσης, *Pontificem universæ plebis designatum* scribit ille. Quod plenissime respondet verbis sacris I. Paralip. XXXI. 22. ubi Zadocus ungitur לכהן *in Sacerdotem*, seu *in Pontificem*, ut Vulgata diserte; cui adstipulantur Magistri, qui ideo eum ibi unctum ajunt לפי שמשח אביתר את אדוניה *quoniam unxerat Abiathar Adoniah*, scilicet in Regem. Sic Salomon Jarchius ibidem; perinde ac si tunc Abiatharis, utpote cum Adonia perduellionis rei, exautoratio, quæ secuta est, cœpisset. Etiam & volunt Magistrorum nonnulli (qui interea Achimelechum heic pro Abiatharis, de quo loquimur, filio sumunt) Pontificatum a Davide Rege

Za-

Zadoco & Pontificis ſecundarii סגן עד ſeu *Vicarii* dignitatem Achimelecho ita tributam eſſe, ut Abiatharis ipſius abdicatio inde deſignaretur. Kimchius ad II. Samuel. VIII. 17. כהנים שרי כהונה כי הוא מנה צדוק להיות כהן גדול מבני אלעזר ומשנהו אחימלך בן אביתר מבני איתמר אעפ״י שהיה אביתר עדיין חי כי ראינו כי שלמה גרשו מהיות כהן נראה כי במצות דוד עשה כי כאשר סדר דוד ראשי האבות סדר צדוק ואחימלך כמו שכתוב בדברי הימים והיה נקרא אבימלך ואחימלך כי שני השמות קרובים *Sacerdotes ibi pro Sacerdotalis Generis Principibus ſumendi ſunt. Et enim conſtituit David Zadocum Pontificem ex poſteris Eleazari, atque ei Secundarium Achimelechum filium Abiatharis ex poſteris Ithamari; idque tametſi tunc temporis ſuperſtes eſſet Abiathar. Et quod ad id attinet, eum a Salomone eſſe abdicatum, id videtur ex Davidis præcepto manaſſe. Quin cum familiarum diſtribueret Principes David, fecit eos Zadoc & Achimelech, ſicut ſcriptum eſt in Paralipomenis. Hic autem tam Abimelech vocitatur quam Achimelech ob ſoni affinitatem.* Locus indicatus eſt I. Paralip. XXIV. 6. ubi Zadoc Eleazaridis, uti Achimelech Ithamaridis præeſt. Quin ſub ipſo Davide, in Seder Olam Rabba, legitur, נסתלק אביתר מן הכהונה הגדולה ונכנס צדוק תחתיו *Summotus eſt Abiathar Pontificatu, & in locum ejus ſucceſſit Zadoc.* Sed ut ut ſe res ſub Davide habuerit, eo mortuo Salomon Rex, Abiathare omnino exautorato, Zadocum Pontificem ſolum plane conſtituit, I. Reg. II. 35. ואת צדוק הכהן נתן המלך תחת אביתר *Et Zadocum Sacerdotem conſtituit Rex loco Abiatharis.* Vulgata; *Sadoc Sacerdotem poſuit pro Abiathar*, Helleniſtæ; *Et Sadoc Sacerdotem dedit Rex* εἰς ἱερέα πρῶτον ἀντὶ Ἀβιάθαρ *in Sacerdotem primum pro Abiathar.* Et paulo ante, *Et ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non eſſet Sacerdos Domini; ut impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper domum Heli in Silo.* Scilicet I. Samuelis II. 30. ubi ſententia illa horrenda in Ithamaridarum domum, ob filiorum Heli ſcelera, pronuntiatur; reſtitutione Eleazaridarum promiſſa quæ & jam impleta eſt. *Dicit Dominus Deus Iſrael, dicendo dixi, quod domus tua & domus patris tui* (ad Heli Ithamaridem verba fiunt) *ambularet coram me* [ſeu *miniſtraret in conſpectu meo*, ut Vulgata] *uſque in ſempiternum. Nunc autem dicit Dominus; abſit hoc a me. Sed quicunque honorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum & brachium domus patris tui, ut non ſit ſenex in domo tua. Et videbis æmulum in Templo, in univerſis proſperis Iſrael. Et non erit ſenex in domo tua omnibus diebus. Veruntamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo, ſed ut deficiant oculis tui & tabeſcat anima tua; Et pars magna domus tuæ* ſic Vulgata; Ebraica ſunt כל מרבית ביתך *tota multitudo* ſeu *abundantia domus tuæ*, quod LXX. vertunt πᾶς περιοσεύων οἴκυ σου *omnis qui abundaverit domus tuæ*, ſeu, *omnis qui ſuperfuerit domus tuæ*) *morietur, cum ad virilem ætatem venerit. Hoc autem erit tibi ſignum, quod venturum eſt duobus filiis tuis Hophni & Phinees. In die uno morientur ambo. Et ſuſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum & animam meam faciet, Et ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Chriſto meo cunctis diebus. Futurum eſt autem, ut quicunque remanſerit in domo tua, veniat ut adoret eum pro moneta argenti & torta panis &* Vulgata, *ut oretur pro eo & offerat nummum argenteum & tortam panis*) *dicatque, dimitte, dimitte me obſecro ad unam partem Sacerdotii, ut comedam bucellam panis.* In morte filiorum Heli, clade Nobenſi, Abiatharis abdicatione & demum Zadoci Eleazaridæ ſubſtitutione, magnam hujuſce ſententiæ partem expletam eſſe, nemo non videt. Et Sacerdos heic fidelis, cui Domus ædificanda erat Zadocus eſt, primus in Templo primo ſeu Salomonico Pontifex. Sic Magiſtri ad I. Samulis II. & I. Regum II. Et Joſephus de Abiatharis abdicatione lib. VIII. cap. I. καταλύεται μὲν οὖν ἀπὸ τῆς ἱερατικῆς τιμῆς ὁ Ἰθαμάρου οἶκος διὰ τὴν προειρημένην αἰτίαν, καθὼς τῷ Ἀβιαθάρου πάππῳ προεῖπεν ὁ Θεὸς Ἠλί. Μετέβη δ' εἰς φινεέσου γένος, πρὸς Σάδωκον. *Ablatus eſt igitur ob hanc cauſam* (perduellionem) *Sacerdotalis honor* (quod de Pontificali neceſſe eſt ut accipias) *a domo Ithamari, ſicut Deus prædixerat* τῷ *Eli, Abiatharis abavo. Et translatus eſt in ſtirpem Phineeſi ad Sadocum.* Et alibi, lib. Archæolog. v. cap. ultimo; Ἠλὶς ἔχε τὴν ἀρχιερωσύνην καὶ τὸ μέρος τὸ ἀπ' ἐκείνου μέχρι τῆς κατὰ τὴν Σολομῶνος βασιλείαν χαιρῶν, τότε δὲ οἱ Ἐλεαζάρου πάλιν αὐτὴν ἀπέλαβον. *Eli Sacerdotio* (Pontificatu) *atque poſteri ejus potiti ſunt uſque ad Salomonis regni tempora, quando ad Eleazaridas rediit.* Neque de alio, præter Zadocum, capiendus ille locus in Chronico Alexandrino depravatus; *Salomon, Abiathare Pontificatu dejecto*, καθίστησι τὸν Βαρὺχ ὄντα ἐκ

τοῦ γέ-

τε γένες Ἐλεαζάρε, *Baruch ex Eleazari stirpe oriundum constituit*. Pro Βαρὺχ Σαδὸκ, planissime substituendum. Vide Chronicon illud pag. 214. editione Raderiana; ubi etiam, pauculis inde annis interjectis, occurrit Ἑβραίων ἀρχιερεὺς Ἀαρών. προεφήτευε Σαδὼκ, Νάθαν, καὶ Ἀχίας ὁ Σιλωνίτης &c. *Ebræorum Pontifex Aaron. Prophetabant Sadoc Nathan, Achias Silonites, &c.* Quid loci illic Aaroni Pontifici? Trajectio puto est simul cum defectu verborum. Lego, Ἑβραίων ἀρχιερεὺς ἀπ' Ἀαρὼν η' Σαδὼν προεφήτευε Νάθαν, &c. *Hebræorum Pontifex ab Aharone* VIII. *Zadoc. Prophetabat Nathan, &c.* Nam autori illi, in recensione sua numerali, Heli quartus est, & qui Zadoci tempora proxime sequitur, nonus. Zadocus igitur octavus est illiusmodi in recensione; tametsi in Fastis illis etiam Pontifices decem, sed in numerandi rationem ibi non recepti, Zadocum præcedant. In Eleazaridum autem stirpe, Zadocus erat Uzzi Pontificis abnepos, ut ostenditur hoc stemmate, quo utriusque familiæ usque in eum successio ponitur ob oculos.

AHARON

ELEAZAR	*Ithamar*	
PHINEES	HELI	
ABISHUA	*Phinees*	
BUKKI	ACHITOB	
UZZI	Achias	ACHIMELECH
Zerahia		ABIATHAR.
Merajoth		
Amariah		
Achitob		
ZADOK.		

Loci, ex Paralipomenis & Samuele, supra indicati, cum septimo Ezræ capite hujusmodi utriusque familiæ exhibent posteros. Horum eos, qui literis majusculis exarantur, sacrarum literarum, Flavii Josephi, atque Ebræorum qui sunt alii, præter Christianos Scriptores, autoritate subnixi Pontificatum gessisse, dubitare nequimus; nisi Achiam potius pro Achitobo ita in Pontificum serie collocemus, ut non patrem & filium Pontifices, sed duntaxat filium habeamus; quemadmodum ex sacris literis & Magistrorum commentariis supra adnotatis cum Josephi exemplaribus rite intellectis eliciendum videtur. Atque hoc modo erit Zadocus ab Aharone undecimus Pontifex, quod &, quantum ad numerum attinet, voluit Georgius Monachus; tametsi, ut numerum absolvat, Samuelem proxime ante Abiatharem, nimium hallucinatus, immisceat, qua de re jam dictum est. Eundem vero numerum retinere cum eo vult Magnus Scaliger. *Recte*, inquit, *Georgius undecimum facit ab Aaron. Sed vitiose seriem interrupit post Uzzi*. Numerum igitur ita ille instaurat, ut linea Eleazaridum, singulis recensitis, Zadocus fiat ab Aharone undecimus. Sed hoc abs re opinor est. Nam Georgius planissime de Pontificum dignitate functorum serie ac numero loquebatur; non de sanguinis gradibus. Et quatuor illi ea in linea, Zerahia, Merajoth, Amariah, & Achitob (qui numerum sic undenarium complent) rarissime apud veteres Pontificatum gessisse leguntur. Vide sis Rabbi Isaac Narbonensem apud R. Gedaliam Ben Jechia in *Shalsheleth* folio 27. a. Animadverterat autem Georgius illud de numero ad verba illa Eusebii sub Salomonis tempora; Ἑβραίων Ἀρχιερεὺς η' ἀπὸ Ἀαρὼν Σαδὼκ ἐγνωρίζετο, *Hebræorum Pontifex octavus ab Aarone Sadoc clarus habetur*. Quibus respondent in Eusebio Hieronymi, *Hebræorum Sacerdos Sadoc octavus ab Aaron*. Quod de Pontificibus dignitate functis manifesto dictum. Sed Eusebii mentem fuisse non dubitamus, Pontificum, quorum in sacris literis functio memoratur, numerum sic designare. Certe ita erit Zadoc octavus, I. Aharon II. Eleazar. III. Phinees, IV. Heli, V. Achias, VI. Achimelech, VII. Abiathar VIII. Zadoc. Attamen neque Achiam, neque Achimelechum Pontifices in Chronicorum ejus, quæ reliqua sunt, fragmentis comperimus, nisi pro Achimelecho Abimelechi (ut interdum in sacris literis; qua de re vide, præter magis obvia, J. Drusium in Miscellaneis centur. I. cap. XLVI.) nomen usurpatum ex alia in aliam annorum centuriam desiliisse putemus. Nam cum sub Davide seu numero Eusebiano DCCC. VLIII. aut circiter collocandus esset Achimelech Pontifex, sub Asa Rege, seu numero MVLIII. legitur, *Hebræorum Pontifex Maximus Abimelech illustris habetur*. Latinis Hieronymi respondent heic Græca Eusebii. In iis sub Asam Regem, Ἑβραίων ἱερεὺς Ἀβι-

Ἀβιμελὲχ ἐγνωρίζετο, *Ebræorum Sacerdos Abimelech claruit*. Idem voluit Autor Chronici Alexandrini, Eusebii codicis heic sequax, cum sub eodem Rege ait, Ἀρχιερεὺς ἔννατος Ἀχιμελὲχ ἐγνωρίζετο *Achimelechus nonus Pontifex claruit*. Sed neque in sacra neque in profana veterum historia hujus sub hoc mentio alibi comperta; tametsi eum in recentiorum aliquot Chronologiis retentum inter Pontifices atque Asæ regno conjunctum videam. Certe Asæ tempori proximus & Achimelecho nomine affinis est Achimaz, qui Zadocum patrem in Pontificatu excepit, de quo infra. Quin vero in Ms. codice, quem diximus Nicephori Patriarchæ, Zadocus octavum tenet locum, saltem τὸ η' ei adjicitur, non ζ, ut in impressis. Sed & Heli ita est quintus ibi. Sed unde numeratus, præcisis a compactore numeris eorum qui præcedunt, non satis liquet. Videtur sane trinos illos Eleazaridas, qui serie recta Phinees apud Josephum sequuntur, unico numero, id est, quarto fuisse assignatos. In impressis Nicephori, tam Græcis quam Latinis, simul cum Phinees in tertio conjunguntur. At quid interea est, quod habet Josephus de Eleazaridis, qui, dum in Ithamaridarum domo viguit Pontificatus, dignitatis alias hæredes, vitam agebant inter plebem Sacerdotum privatam? Sic ille lib. VIII. cap. I. Οἱ δὲ ἰδιωτεύσαντες ἐκ τοῦ Φινεέσου γένους, καθ' ὃν καιρὸν εἰς τὸν Ἰθαμάρου οἶκον ἡ ἀρχιερωσύνη μετῆλθεν, Ἠλὶ πρώτου ταύτην παραλαβόντος, ἦσαν οὗτοι. Ὁ τοῦ Ἀρχιερέως Ἰωσήπου υἱὸς Βοκκίας. τοῦ δὲ Ἰωάθαμος, Ἰωαθάμου δὲ Μαραίωθος Μαραιώθου δὲ Ἀροφαῖος Ἀροφαίου δὲ Ἀχίτωβος. Ἀχιτώβου δὲ Σάδωκος. ὃς πρῶτος ἐπὶ Δαβίδου τοῦ Βασιλέως Ἀρχιερεὺς ἐγένετο. *Qui vitam ex Phineesi genere agebant privatam*, seu *Pontificatu non fungebantur*, *durante tempore*, *quo Pontificalis dignitas in Ithamaris domum translata ibi mansit*, *Eli primum eam recipiente*, *hi fuere*; *Boccias Pontificis Josephi filius*, *hujus Joathamus*, *Joathami Maræothus*, *Maræothi Arophæus*, *Arophæi Achitobus*, *Achitobi Sadocus*, *qui primus*, *Davide Rege regnante*, *Pontifex est creatus*, Quem locum ita verterat Ruffinus; *De genere vero Phinees*, *tempore quo ad domum Ithamar Sacerdotium transmigravit*, *Eli primo Pontificatum accipiente*, *isti descendisse noscuntur*, *qui Sacerdotio sunt privati*, *Vochar filius Josephi summi Sacerdotis*, *hujus autem filius Jonathan*, *Jonathan autem Mareoth*, *Mareoth autem Asophi*, *Asophi autem Achitobi*, *Achitobi autem Sadoch*, *qui primus sub Davide Rege Sacerdos est factus*. Male autem pro eo, quod est ἰδιωτεύσαντες, id est, *privatam vitam degentes aut dignitate Pontificia neutiquam fungentes*, substituit *Sacerdotio privati*; quasi Sacerdotio aut Pontificatu (nam pro alio atque summo sumitur heic Sacerdotium) fuissent hi exuti aut abdicati. Illud plane innuitur tantum vitam transegisse hos inter כהנים הדיוטים τοὺς ἱερεῖς τοὺς ἰδιώτας *Sacerdotes Idiotas* seu *privatos* & ad Pontificatum non admissos; quo nomine vulgus seu plebem Sacerdotum a Pontificibus distinguere passim solent Ebræi. Ceterum ubinam sive in sacris literis sive apud Josephum aliosve veterum reperitur Josephus Pontifex heic memoratus, aut Boccias seu Vochar Josephi filius, aut illius sive Joathamus sive Jonathan in Eleazaridarum stemmate? Et Arophæus quis? In patre Zadoci & proavo etiam & in avo, si pro Arophæo Amarias substituatur, concors est heic Josephus stirpi Phineesi generis seu Eleazaridarum non semel in paralipomenon primo explicatæ, & superius ostensæ. At abavus ejus est ibi Zerahia, non Joathamus. Zerahia autem filius fuit Uzzi, qui Bocciæ, nepotis Phineesi, filius proxime ex Eleazaridis ante Zadocum Pontificatum gesserat, ipso Josepho sub extremum libri quinti id ipsum disertis verbis docente. Aut igitur corrigendus est ibi Josephus, aut a doctioribus, qui possint, ulterius explicandus. Nec satis congruit numerus Pontificum, ab Aharone ad Salomonis excessum Josepho assignatus, nisi Achimazum Zadoci filium (de quo in sequenti serie) cum eis conjungamus. Vide eum lib. XX. cap. 8. ubi eos tredecim ait fuisse. Sed prioribus ita adjectis Achimazus uno minuit numerum octodecim, quem sequentibus usque ad Captivitatem Babylonicam ipse ibi tribuit. De numero autem intervalli ab Aharone ad Templi conditum, consulas, quæ disputat Dionysius Petavius, de Doctrina Temporum lib. X. cap. XLVIII.

CAPUT V.

Perpetua Eleazaridarum *post* Zadocum, *usque in* Captivitatem Babylonicam *seu* Templi primi Excidium, *successio*. Nicephori Patriarchæ *hujus successionis series explicata & ex codice MS. Græco ejus restituta*.

NOn solum exautoratus est, causis jam dictis, Abiathar, Salomone regnante, nec sine exautorationis, sub Davidis imperio, prævia designatione; sed ita in Zadocum seu Eleazaridum familiam remigravit dignitas Pontificia, ut perpetua in ea successione stabiliretur; Abiatharis & Ithamaridum ceterorum posteris in Sacerdotum vulgus sepositis. Unde nec Jonathanis Abiatharis filii (de quo II. Samuel. XV. 27.) habita est omnino in successione Pontificia ratio. Sed a Salomonis Regis seu Zadoci tempore, id est, a Templi primi conditu, ad Excidium ejusdem seu Sedeciam Regem & Captivitatem sub eo Babylonicam (quadringenti amplius anni intercedunt) Eleazaridæ, παῖδες παρὰ πατρὸς διεδέξαντο τὴν ἀρχιερωσύνην (ut verba sunt Josephi lib. X. c. XI.) *linea recta, filii patres sequentes, in Pontificatum successere*; uti etiam ætatibus aliquot post ea, de quibus seorsim infra. Cum vero de hujus successionis serie bini sint autores primarii, Josephus & scriptor vetus, cui Seder Olam Zuta seu brevius Hebræorum Chronicon debemus, [nam Eusebius heic parum adjuvat; & Nicephorus Patriarcha confusione & defectu nimium laborat, de quo statim plura] nec tamen ipsi satis concordes fuerint; utriusque seriem invicem juxta positam contueamur, quo facilius tum ubi dissentiant, quantum fieri potest, concilientur, tum errores, qui in alterutrum irrepserint, corrigantur.

Fl. Josephi *Pontificum Laterculus a Zadoco seu Templi primi conditu ad ejusdem Excidium*.	*Laterculus Pontificum ex* Seder Olam Zuta, *a* Zadoco *ad Templi primi Excidium*.
Zadocus	*Zadocus, regnante Salomone.*
Achimas	*Achimaaz, reg. Rehoboamo.*
Azarias	*Azariahu, reg. Abia.*
Joramus	*Joabaz, reg. Josaphato.*
Isus	*Jehojarib, reg. Joramo.*
Axioramus	*Jehosaphat, reg. Abazia.*
Phideas	*Jehojada* } *reg. Joaso.*
Sudeas	*Phadea* }
Julus	*Zedekiah, reg. Amazia.*
Jothamus	*Joel, reg. Uzzia.*
Urias	*Jotham, regnante Jothamo.*
Nerias	*Uriah, reg. Abazo.*
Odeas	*Neria, reg. Ezekia.*
Saldumus	*Hoshaiah, reg. Manasse.*
Elcias	*Sallum, regnante Amone.*
Sareas	*Hilkiahu, reg. Josia.*
Josadocus	*Azariah, reg. Jehojakim.*
	Saraia, reg. Jejojachin.
	Jehosedec, Rege Sedeckia in captivitatem abducto.

Ita uterque initium a Zadoco sumentes, desinunt in Josadoco seu Jehosedec. Nec dubitari potest, quin verba illa in Seder Olam Zuta Sedekiæ regno adjecta, יהוצדק אחי עזרא הסופר ירמיה ויחזקאל נביאים quæ vertuntur tum Munstero tum Genebrardo in Hebraico-latina ejusdem editione, *fuitque Jehosedek frater Ezræ Scribæ; Jeremiha vero & Jehæzkel prophetæ*, ita emendari oportuerit, יהוצדק אחי עזרא הסופר כהן גדול ירמיה ויחזקאל נביאים *Jehosedec frater Ezræ Scribæ* [nam pater utrique Seraia] *fuit Pontifex, prophetis Jeremia & Ezekiel*. Ejusmodi locutionis formula de singulis qui præcedunt & Pontificibus & Prophetis ibi totius repetita, id reddit manifestum. Genebrardus autem cum in editione hujus libelli, quæ Chronographiæ ejus subjungitur, animadverterat Pontificis adnotationem, pro more autoris, prophetarum recensioni ibi, si verba tantum spectentur, deesse, audacter substituit, *Eodem* (scilicet Saraia, qui proxime præcedit) *Pontifice, prophetis autem Josadac fratre Ezræ Scribæ Jeremia, & Ezechiele*. Omnino contra mentem autoris; qui Josedecum in prophetas cooptari procul dubio nunquam voluit. Certum quidem est, Saraiam Pontificatum ges-

gessisse ipso in urbis ac Templi excidio. Nam & postea cum viris principibus aliis capite plexum eum esse scimus ex II. Regum XXV. 18. adeo ut, dum Sedekias regnabat, seu ante ipsum Excidium, Josedecum fuisse Pontificem, non sit dicendum. At vero occiso patri, in ipso Sedekiæ regni fine, statim ex jure successit in Pontificatum, eo etiam dignitatis nomine Babylonem a Nabuzardane cum Sedexia in Captivitatem adductus, ut diserte Josephus; tametsi interea לא משמש בעולם בכהונה גדולה *ministerio Pontificatus nunquam functus est*, quia Templum defuit, non vero, quia cum Jechonia ante deportabatur, ut rationem adfert Salomon Jarchius ad I. Paralip. VI. Atque tantundem voluit sane autor Seder Olam. *Regnavit*, inquit, *Sedecias undecim annis, fuitque Jehosedek frater Ezræ Scribæ Pontifex*. Finito scilicet ejus regno & Saraia occiso, in dignitatem successit Jehosedec. Josephus autem & Seder discrepant in Pontificum Numero, Ordine, & nominibus. Habet Seder XVIII. Pontifices in Templo primo. Eundem numerum etiam Gemara Hierosolymitana tit. *Joma*, fol. 38. col. 3. & Babylonia pag. 9. Josephus autem sedecim. Sed & ipse alibi diserte ait a Salomonis excessu, id est a Zadoco, numerum usque ad Captivitatem octodecim fuisse, eoque Josedecum postremum locum occupasse. Vide eum lib. XX. cap. VIII. Tam ei autem quam autori Seder olam Seraias ultimus est Pontificatu in templo functorum, ut Zadocus primus. Et Gemaræ Hierosolymitanæ verba sunt, בראשון היו משמשין הוא ובני ובן שימשו בו שמונה עשר כהנים *Templo primo, pater, filius, & nepos dignitate functi sunt, atque ita Pontificatum gesserunt octodecim Sacerdotes*. Ita *Sepher Siphri* in Parasha *Phinees*. Et de ea re vide *Thosiphtha* ad tit. *Joma*, in Talmude Babylonico, cap. I. fol. 9. a. ubi fusius disputatur; aliis etiam de Pontificum utriusque Templi numero opinionibus adductis; quas & vide sub finem capitis hujus libri penultimi. In tribus Superioris laterculi primis consentiunt Seder Olam & Josephus: Qui sequuntur bini in Josepho, Joramus & Isus, forte ita invicem sunt commutandi, ut hic illi anteponendus. Ita Isus (ratione semper habita tralatitiæ verborum ac nominum ex Orientalium linguis in Græcam traductorum discrepantiæ) satis respondebit Joahaz, qui, contractiore pronuntiatione, in Isum forte demigravit, uti & Jehojarib in Joram. Ex cognatis sonis ita scilicet fieri sæpius amat. Sed in codice Josephi MS. Regiæ apud Gallos Bibliothecæ, pro Ἰσος legitur Ἰσώ, ut manu sua Vir summus Isaacus Casaubonus in Josepho suo adnotavit. Sed vero in animadversionibus suis ad Sepher *Juchasin*, Samuel Shallum habet Joramum & Jehosuam heic in Pontificibus. Vide eum pag. 158. b. Mira quidem est proximi nominis in laterculo discrepantia. Sed & ipsum Axiorami nomen satis mirum est. Et in codice Regio iteratur, ita ut pro eo quod est in editis τότε καὶ φιδέας *hujus autem Phideas*, Axioramo ante nominato legatur τοῦ καὶ Ἀξιωράμου φιδέας *Axiorami autem Phideas*. Tanta autem in ceteris est inter utrosque concordiæ velut analogia, ut omnino heic a librariis depravatum esse Josephum par sit, ut concludamus. Sequuntur in hoc Phideas & Suedas, in illo Jehojada & Phadea simul conjuncti; eodem scilicet sub Rege, non eadem functione. Nonne & heic Συδέας pro Ἰωδέας, Ἰυδέας, aut simili vocabulo Jehojadam, more Hellenistarum, denotante, irrepsit? Jehojadæ autem hujus meminit, sacra scriptura in II. Reg. XII. 2. & II. Paralipom. XXIV. 2. præter Eusebium cui Ἰωδαὲ & in Vulgata Jojada nuncupatur. Sed non appellatur in Scriptura Pontifex, Sacerdotis nomine tantum & seorsim τοῦ ראש seu *Principis* insignitus. Vixit autem CXXX. annos sub Salomonis tempora natus. Vide sis Seder Olam Rabba cap. XVIII. Zedexiæ vero ne vestigium quidem habetur in Josepho. Adeo ut hinc, ob eum prætermissum, hujus series eam quæ est in Seder Olam per septem sequentes uno semper anticipet. Nam Julum Joelo satis respondere non dubitandum; qui neque in codice MS. Regio Ἴουλος [ut in editis] sed Ἰώηλος exaratur; quod Joelo proximius est. Ceteri ad Odeam, in utroque iisdem fere elementis scribuntur. Odeas autem seu Ὀδέας, literula mutata, est Ὀσέας. Quo nomine, utpote molliori, הושעיה Hoschaiah satis exprimitur; quemadmodum scimus ex Jerem. XLII. I. ubi Osaias pro eodem in Vulgata substituitur. Quomodo autem Salmudus ex Sallumo pro Sallum fieret, nemo non videt. Σάλλουμος ex simulitudine Λ & Δ facile, si accedat librarii incuria, in Σάλδουμος transit. Quin in Regio, quem diximus, codice MS. Σάλλουμος, ut oportet heic, exaratur. Etiam in Sadaniam migrasse videtur hoc nomen sub initium capitis primi, lib. IV. Esdræ, ubi quod in Esdræ stemmatis deductione sequitur,

tur, manifesta est hallucinatio atque Eleazaridarum & Ithamaridarum recta in linea confusio; ut intuenti facile constat. Elciam & Hilkiahu in laterculis eosdem esse, manifestum est. Jam vero post Elciam, deficit Josepho Azarias, sequente proxime Sarea, ut Elciæ filio. Certe in codice Regio Sareas abest, & locum ejus obtinet Ἄζαρος *Azaros*. In Ruffini versione *Zaroch*. Secundum igitur codicem utrumque mendum est in numero Pontificum. Utroque correcto, Josephus & autor Seder Olam satis erunt, juxta ea quæ dicta sunt, concordes. Ceterum ingentes heic ex sacra scriptura difficultates oriuntur, sive Numerum, sive Nomina, sive Successionem filiorum in patrum locos [quam asserit Josephus] spectes. Etenim alia omnino in Paralipomenis & apud Ezram series est eorum, qui a Zadoco recta usque ad Saraiam descendunt.

Zadok
|
Achimaaz
|
Azariah
|
Johanan
|
Azariah
|
Amariah
|
Achitob
|
Zadok
|
Shallum
|
Hil
|
Azariah
|
Serajah

In paralip. VI. 8. ad hunc modum genus deducitur. Atque simile est stemma in Ezræ VII. 1. excepto quod ibi, ab Aharone initio sumto, prætermittuntur quatuor heic primi simul cum Achitobo Zadoci primi patre, idque לקצר seu *Brevitatis causa*, ut ait ibi David Kimchius. Heic vero, ut nomina sunt alia ab Azaria Achimaaci filio ad Shallum, ita & alius numerus. Cuncti simul duodecim conficiunt, Unde & negant aliqui, fuisse Pontificatu in Templo primo functos octodecim, juxta seriem in *Seder Olam Zuta*; & duodecim fuisse volunt. Sic R. Salomon, ex *Siphri* & *Vaicra Rabba*, ad 1. Par. VI. Etiam alii minorem numerum constituunt, nec ultra octo eo nomine admittunt, recensionem ab Azaria Johannis filio auspicantes, quoniam dicti capitis commate 10. de eo adjicitur, *ipse est, qui Sacerdotio functus est in domo, quam ædificavit Salomon in Jerusalem*. Sed refutatur tum hæc numerandi ratio, tum loci explicatio, ex eo quod manifestum sit, Zadocum primum in Templo Pontificatu esse functum. Et D. Kimchius ibi; *Si ita locum explices, quod is fuerit primus Sacerdos in Templo, id falsum est. Nam Zadoc primus fuit, uti liquet ex libris Regum & Paralipom. At si intelligatur non primum eum fuisse in Temlo, sed tantum Sacerdotem, quorsum illud fuerit, cum etiam ceteri fuerint Sacerdotes.* ואם בא לומר כי כהן גדול היה גם אחרים היו כהנים גדולים ורז״ל אמרו שהוא עזריהו שהיה בימי עוזיהו ולפי שמסר נפשו על קדושת הבית שלא הניח עוזיהו להקטיר לכך נאמר הוא אשר כהן כלומר שהוא חס על כבוד הכהונה ולא נשא פנים ויש לפרש כי גם בימי שלמה כהן אחר צדוק ואחי אבותיו הנזכרים אלא בימי שלמה היה קטן עדיין ולא היה כהן גדול בימי עוזיהו ובימי חזקיהו עדיין היה חי והיה כהן גדול שנאמר ויאמר אליו עזריהו כהן הראש ולפי שהאריך ימים כל כך אמר עליו אשר כהן בבית כלומר אשר כהן כמה ימים *Quin si dicatur ideo hoc adjectum, quia Pontifex erat, etiam & alii fuere itidem Pontifices. Rabbini autem piæ memoriæ plerunque ajunt hunc fuisse Azariam, qui floruit tempore Uzziæ Regis. Et quia vitæ periculum subiit, ob Templi sanctitatem conservandam, cum non permitteret eum adolere incensum, ideo dicitur, qui ipse Sacerdos, &c. quasi dictum fuisset, stirps ejus notetur ob Sacerdotii dignitatem, qua nec Uzziæ cedere voluit. Sunt tamen qui opinantur, eum etiam tempore Salomonis Sacerdotem fuisse, Zadocum & majores suos heic memoratos sequentem. At vero sub Salomone fuisse annis minorem, ideoque nec tunc Pontificem; sed tempore Uzziæ & Hezekiæ* (vide II. Paralip. XXX. 10.) *superstitem Pontificatum gessisse, secundum id quod dictum est, & dixit Uzziæ, &c. Sacerdos Princeps. Et quoniam adeo longævus erat, ideo de eo dictum esse,* qui erat Sacerdos in Templo, &c. *Ut longævitas ejus inde denotaretur.* Locus de Azaria & Uzzia Rege habetur II. Paralipom. XXVI. 18. Tantundem habet de eodem etiam ex veteribus Salomon Jarchius ad dictum primi Paralipomenon caput, ubi etiam Azariam filium Achimaazi, seu ejus nominis primum, haud alium inde tradit fuisse ab Amaria, de quo II. Paralipom. XIX. II. sub Jehosaphato; והנה אמריהו כהן הראש עליכם לכל דבר יהוה *Et ecce Amariahu Sacerdos primarius erit vobis super omnem rem Domini*, seu, ut LXX. ὃς ἐφ' ἡμᾶς ὁ ἱερεὺς ἡγούμενος *Sacerdos dux super nos, &c.* Ubi Vulgata habet, *Amarias Sacerdos & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.* Neque sane aut tempus aut ratio adversatur, quo minus pro Amaria Azarias hic sumatur. Nam binomines subinde fuisse, etiam & tria interdum sortitos esse nomina Ebræos, qui in sacris literis memorantur, Doctis Viris est receptissimum. Vide sis Salomonem Jarchium ad I. Paralip. VI. & II. Paralip. XXVI.

de

de Zacharia ibi memorato, præter ea quæ ſupra adnotantur de Achimelech, Abiathar, & Abimelech. At vero tametſi in obſervatis ſimul ex Joſepho, autore *Seder Olam Zuta*, & ſacris literis Pontificum ſucceſſionibus, nullum ſit ante eum, qui ſequitur Azariam primum, uti nec ſub finem in quatuor poſtremis diſcrimen, nihilominus in intermediis mire diſcrepant Joſephus & Seder ille a ſacris literis, idque non ſolum in Nominibus, ſed etiam in Nominum & ſucceſſionum Numero. Etiam Chronici Alexandrini autori Achimelechus ſub Aſa Rege, id eſt, poſt Zadocum pro Achimaſo ut videtur collocatus, Pontifex nonus nuncupatur, uti & Joannanus, pro Johanan in laterculo ſacræ ſcripturæ, decimus. Etiam & Achitobus & Zadocus ejuſdem laterculi eidem Pontifices ſunt; Hic ſub Athalia Jorami Regis uxore, ille ſub ipſo Joramo. Vide etiam excerpta ex vetuſto ſcriptore, Alexandri Severi temporibus tributo, apud Henricum Caniſium in Antiquarum Lectionum tomo II. capit. 26. ubi prodigioſa Pontificum intervalli, quod tractamus, recenſio occurrit. Et conſulas etiam R. Samuel Shallum in Animadverſionibus ad Sepher Juchaſin fol. 158. b. ex Abarbinele, præter Gloſſam Talmudicam ad tit. *Joma*. cap. I. fol. 9. a. Et *Sepher Shalſheleth* R. Gedaliæ Jechiadis fol. 27. a. Azariam autem qui reſtitit Uzziæ Regi incenſum adolere volenti, eundem faciunt recentiorem aliqui ſcriptores cum Jothamo Joelis filio in ſerie Joſephi & Chronici Ebræorum. Sed curnam, dum Jehojada in Pontificum ſerie collocatur, prætermittitur Zacharias ejus filius, qui in atrio templi ex Joaſi Regis juſſu, quoniam patris demortui pietatem ſecutus in idolorum cultum invehebatur ſaxis eſt obrutus? Vide II. Paralipom. XXIV. 21. Certe ſi ſolus ſuperſtes aut natu maximus eſſet is Jehojadæ filius, ex jure communi attinuiſſet ad eum dignitas Pontificia. At vero non modo Zachariam ipſum ſed & ceteros, qui fuere, Jehojadæ filios, aut a Joaſo interſectos aut antea mortuos colligunt aliqui ex eo, quod commat. 25. ejuſdem capitis dicatur, quod ſurrexerunt contra eum ſervi ſui ברמי בני יהוידע הכהן *propter ſanguines filiorum Jehojadæ Sacerdotis*. Nec filium ſuperſtitem eorum quos habuit plurium (ut liquet in commate 3.) putant. Sic David Kimchius ibidem. Sed locus ille ſingulariter legitur in Vulgata atque Helleniſtis: *filii*, non *filiorum*. Diſerte etiam Zacharias ille Pontificis nomine memoratur Abrahæ Salmanticenſi in Sepher *Juchaſin* fol. 12. a. זכריה הכהן גדול ונביא שנהרג בבית המקדש על ידי יואש המלך קבל מיהוידע אביו שנת מ״ז לאלף הרביעי לדעת אחרים ולפי דעתי שנת ע׳ *Zacharias Pontifex & Propheta, qui occiſus eſt in Templo a Joaſo Rege, accepit* (legem oralem] *a Jehojada patre ſuo anno* XLVII· *quarti millenarii ſecundum opinionem, ſed mea ſentetia anno* LXX. De hiſce etiam conſulas Dionyſium Petavium lib. X. de Doctrina Temporum, cap. XLIX. Quin & idem nomine Azeriæ in Pontificibus recenſetur Nicephoro Patriarchæ, apud quem, in editis, modo ab oſtenſis diverſiſſimo, ſic exhibentur, qui Zadocum ſequuntur uſque in Seraiam, ſeu ultimum templi primi Pontificem.

ζ΄. Ζαδὼκ ἐκ τοῦ οἴκου Ἐλέαζαρ.	VII. *Zadoc, ex domo Eleazar.*
η΄. Ἀχιμὰζ Ἀζαρία Σαμαρίας.	VIII. *Achimaz Azaria Samariæ*, ſeu ut Vulgo vertitur, *Achimas Azariæ F. Samaria.*
θ΄. Ἀζαρίας ὁ διὰ ζῆλον Θεοῦ ἀναιρεθείς.	IV. *Azarias ob Zelum Dei peremtus.*
ι΄. Ἀζαρίας ὁ τὸν Ὀζίαν τῆς εἰς τὰ ἅγια εἰσόδου κωλύσας.	X. *Azarias qui Ozian*[Uzziam Regem] *in ſanctuarium ingredi permittere noluit.*
ια΄. Οὐρίας ὁ παρὰ τῷ Ἠσαΐᾳ πιστός.	XI. *Urias qui Eſaiæ dicitur fidelis*, Vide ſis Eſaiæ 11. 8.
ιβ΄. Σομνᾶς ὁ πονηρὸς καὶ ἄσωτος Ἐζεκίου Βασιλέως.	XII. *Somnas ille impius & perditus, regnante Ezechia.*
ιγ΄. Ἐλιακεὶμ Μουσελλάμ.	XIII. *Eliacim Muſelum.*
ιδ΄. Χελκίας ὁ ἐπὶ Ἰωσίου Βασιλέως,	XIV. *Chelcias, regnante Joſia.*
ιε΄. Σαραίας ὁ ἐπὶ τῆς αἰχμαλωσίας Βαβυλῶνος, ὃν ἀνεῖλε Ναβουχοδονόσορ.	XV. *Sareas ſub captivitate Babylonica, quem ſuſtulit Nabuchodonoſor.*

Sed ex Mſ. codice, quem ſupra memoravimus, numeri ita ſunt novandi, ut η΄ ſeu VIII. præfigatur Zadoco, & uno major ſingularis ſequentium. Octavo autem heic numero legendum, Ἀχιμὰζ, Ἀζαρίας, Ἀμαρίας, *Achimaz*, *Azarias*, *Amarias*. Qui nonum occupat, eſt Zacharias proculdubio Jehojadæ filius. Non ſolum res ipſa, cauſa occiſionis ejus indicata, id monſtrat, ſed & Helleniſtarum verſio, qua, pro Zacharia illo,

Aza-

riæ nomen usurpatur II. Paralip. XXIV. 20. De Azaria proxime sequente, satis jam est. Quisnam vero fuerit Somnas ille, ad Nicephori mentem, manifestum est. Neque erat omnino, cur conjicerent Viri aliqui docti, eo Neriam, qui Uriam apud Josephum sequitur, innui. Σοβνὰς & Σομνὰς idem est. Neque alium voluit Nicephorus, quam Sobnam illum seu Sebnam Quæstorem seu Prætorio Præfectum sub Ezechia Rege, de quo II. Regum XVIII. 18. & Esaiæ XXII. 15. & XXXVI. 22. Quod inde etiam liquet, quia Eliakim successorem ei facit, secundum citatos etiam Esaiæ locos. Scilicet uterque dicitur אשר על הבית *qui super domum est*, seu *domus præfectus*. Et *domus* nomine *Templum* significari sæpius, notissimum est. Unde etiam in Vulgata Sobna appellatur præpositus Templi. *Vade, ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum Templi;* pro eo quod in Ebræo est, *vade, ingredere* אל הסוכן הזה אל שבנא אשר על הבית *ad præfectum prætorio, ad Sebnam*, qui *Domui*, seu *palatio præest*. Et pro סוכן habet heic paraphrastes Esaiæ Chaldæus פרנסא הדין *præfectum Judicii*, fori seu prætorii præsidem. Hellenistis vero Sobna est interdum ταμίας *præfectus ærarii*, interdum γραμματεὺς *Scriba*, atque Eliacim successor ejus Οἰκονόμος *domui præpositus*, uti etiam Davidi Kimchio. Arabica item Esaiæ versio vetus in Bibliotheca Arundelliana habet heic אלחאזן pro *ærarii* seu *apothecæ præfectum*. Quin & Phinees Aharonis ex filio nepos, dum Pontifex erat, Præpositi domus vocabulo in Vulgata denotatur Judicum XX. 28. Sed neque in Ebræo in Hellenistis, verbis illis quidquam ibi respondet. Domus autem nomine atque eo, quod commate 21. capitis XXII. Isaiæ de Sobnæ dignitatis tunica & cingulo, seu, ut Hellenistæ habent, de stola ejus & Corona, præter potestatis amplitudinem, occurrit, deceptus Nicephorus tam Sebnam quam Eliacim Pontifices fecit. Sed vero nec ille inter superiorum seculorum scriptores in hoc errore solus est. Nam id ipsum habetur apud autorem Chronici Alexandrini, qui sub Ezechia Rege, Ἀρχιερεὺς, inquit, Σοβνὰρ ἐγνωρίζετο, ὃν διεδέξατο Ἐλιακείμ. *Pontifex Sobnar* (pro Sobnas) *claruit, cui successit Eliacim*. Male ibi pro ὃν διεδέξατο *cui successit*, legitur, ὃν διετάξατο *quem constituit*, uti etiam a Viris doctis observatum est. Etiam & Salomon Jarchius, ad verba illa de Sebna, *qui super domum est*, ממונה היה על בית המקדש יש אומרים כהן גדול ויש אומרים אמרכל *Præfectus erat Templo. Alii autem eum volunt fuisse Pontificem, alii Amarcalem*. Quin etiam D. Hieronymus ad dictum Isaiæ locum de Sobna, *Et qui*, inquit, *quondam habebas Coronam Pontificis, & Sanctificationem in auri lamina, in qua erat scriptum nomen Dei, coronaberis tribulatione & angustia*. Ubi Pontificem fuisse Sobnam diserte admittitur. Et vide sis eundem ad dictum caput Isaiæ lib. V. & lib. VII. Post Eliacim in codice Nicephori Ms. sequitur Σελὼμ *Selum*. Manifestum est, interpretem ejus Latinum male legisse ibi Ἐλιακὶμ ὑὸς τοῦ Σελλὼμ *Eliacim filius Sellum*. Dein apud eum habetur continua ac vera stirpis Pontificum series, usque in Saraiam. Etenim interponitur ibi Ἀζαρίας, *Azarias*, proxime post Chelciam; sed sub eodem, quo Chelcias habetur, numero. Ita diversæ invicem sunt Pontificum a Zadoco successiones, apud Josephum, Hebræorum Chronici minoris autorem, Magistros qui Pontificum in sacris literis progeniem duntaxat heic amplectuntur, & Nicephorum Patriarcham. Unde etiam apud recentiores diversitas multiplex. Et de Numero eorum vide etiam Eusebii sententiam capite proximo ostensam. Ut ut vero se res heic habeat, receptior est eorum sententia, qui Josephum ita sequuntur, ut hæreditaria idque perpetuo a patribus ad filios successione Pontificatum, etiam in hoc intervallo, quod Zadocum & Seraiam seu Josedecum, id est, captivitatem Babylonicam intervenit, delatum esse velint. Adeoque in Eleazaridum familia illum mansisse, eique ex Numinis Oraculo ita annexum esse, ut eam ob causam nec Ithamaridarum in sacra stemmatis Pontificii deductione omnino ratio haberetur, adnotant Magistrorum aliqui. Vide sis Syracidem cap. XLV. 24. Et David Kimchius ad 1. Paralip. VI. ubi stemma illud reperitur ab Aharone ad Saraiam & Josedecum per Eleazaridas tantum deductum, הזכיר יחס אלעזר ולא יחס איתמר לפי משבני אלעזר היו כהנים גדולים עד עולם כי כן אמר לפנחס הקבה כאשר קנא בשיטים והיתה לו ולזרעו אחריו ברית כהנת עולם זו היא כהנה גדולה כי נכ׳ אני איתמר היו כהנים ואלה שמבני פנחס היו כהנים גדולים עד עולם ובצדוק היתה תחלה הברכה הזאת עד יהוצדק והיו כהנים גדולים גם מבני׳ איתמר כי עלי היה כהן גדול שהיה מבני איתמר וכן אחימלך ואביתר בנו *recensetur progenies Eleazaris & non Ithamaris*. *Quoniam*

niam ex Eleazaridis fuere Pontifices in perpetuum. Etenim ſic locutus eſt Deus O. M. Phineeſo tempore, quo zelo ductus eſt in Shittim, (Numeror. XXV.) habebit ipſe & ſemen ejus poſt ipſum fœdus Sacerdotii perpetuum; *ſcilicet principatus Sacerdotii ſeu Pontificatus. Nam etiam & Ithamaridæ Sacerdotes fuere; ſed eis qui ex Phineeſo oriundi erant, Pontificatus perpetuus fuit. Quod tamen ita intelligendum, ut initium Benedictionis illius collocetur in Zadoko, quæ ad Jeboſedecum minime interrupta eſt. Nam fuere etiam Pontifices ex Ithamaridis, Eli ſcilicet Pontifex erat ex Ithamare oriundus, Sic etiam Achimelech & Abjathar ejus filius*. Et de ſucceſſionis Pontificum ſerie, ſtante Templo primo hactenus.

CAPUT VI.

Pontificum a Templi primi Excidio ſeu Secundi conditu, *uſque ad* Simonis II. *poſteros, ſeu* Antiochi Epiphanis *tempora, perpetua atque hæreditaria ſucceſſio.*

UT in Serie, qui proxime præceſſit, diſſenſus habetur, ſi nomina præſertim & numerum ſpectes, maximus, ita in ea, quæ ſequitur Saraiam ſeu Joſedecum ejus filium, id eſt captivitatem Babylonicam & Templi dein Reſtitutionem, uſque in Simonis hujus nominis ſecundi Pontificis poſteros, de ſucceſſione integrior multo reperitur, ſed nec omnimodus, conſenſus. Intervallum eſt annorum cccc. aut circiter, quod deſinit ſub annum ante Chriſti natales centeſimum quinquageſimum. Pontificum in illo Series & ſucceſſio, a Joſedeco ex optimis autoribus deducta, eſt hujuſmodi.

Joſedec
1 *Joſua*
1 *Joachim*
3 *Eliaſib*
4 *Jojada*
5 *Jonathan*
6 *Jaddua*
7 *Onias I.* 10 *Manaſſes*
8 *Simon I.* 9 Eleazar.
11 *Onias II.*
12 *Simon II.*
13 *Onias III.* 14 *Jeſu f.* 15 *Onia f. Jaſon. Menelaus.* 16 *Lyſimachus.*
Onias.

De primis horum ſex, ſacræ Hebræorum literæ ſatis teſtantur Ezra, Nehemias, Aggæus. Joſua autem, qui Jeſus filius Joſedec nuncupari ſolet, mendoſe apud Ruffinum, in Joſephi verſione, Syſon appellatur. Libro ſcilicet XX. capite octavo. In Nehemiæ cap. XII. 1. & 10. ſtemma cunctorum ſimul habetur; ubi ad verba illa, *Et genuit Joſua Joachim*, Salomon Jarchius, כל אלו במקרא זה היו כהנים גדולים *univerſi hac perioche comprehenſi fuere Pontifices*. Sic Abraham Salmanticenſis in *Sepher Juchaſin* fol. 13. b. & 66. b. Nec tamen defuere, qui Ezram Pontificatum geſſiſſe putarint; uti ille ibi adnotat. Sed is ſecundo genitus filius erat Saraiæ, nec jure Pontifex eſſe potuit poſt Joſedecum fratrem majorem, niſi ob ætatem minorem aliumve in Joſua filio Joſedeci defectum, quem non comperimus. Et Joſuam hunc in Pontificatum ſucceſſiſſe, manifeſtiſſimum eſt. Mirum autem, quod habet Salomon Jarchius ad 1. Paralipom. VI. ubi dum agnoſcit Joſuam in Pontificatum ſucceſſiſſe, rationem, ſi diis placet, ſic adjicit, quare Ezra patruus ejus Pontificatu non gaviſus eſſet; זהו הטעם לפי כי יהושע עלה עם זרובבל כמה ימים ושנים קודם עזרא *Ratio, inquit, eſt, quoniam Joſua aſcendebat cum Zerubabele compluribus diebus & annis ante Ezram*. Id qui-

quidem verum eſt. At ideo ne filius natu minor in hæreditaria ſucceſſione, filii majoris filio anteferendus? vereor ut locus corruptus ſit. Nam ipſe Jarchius, ad cap. XXIV. ejuſdem libri, expreſſim adnotat, Joſuam ratione primogenituræ patris in Dignitatem ſucceſſiſſe, atque ideo Ezram non admittendum. Sed vero & in Chronico Alexandrino Eſdras (qui ipſe eſt Ezra) Pontifex appellatur. Quin portentum eſt, quod in Traditionibus D. Hieronymi Hebraicis legitur; *Joſedech Sacerdos* (1. Paralip. VI. 15.) *ipſe eſt Eſdras. Demonſtrat hoc liber ejuſdem Eſdræ, ubi dicit: Et poſt hæc verba in regno Artaxerxis Regis Perſarum Eſdras filius Sarajæ filii Azariæ. Sed & in libro ſuo ſe prætermittit humilitatis cauſa.* Et paulo poſt: *Tradunt etiam Hebræi eundem Eſdram eſſe Malachiam Prophetam, qui in duodecim Prophetis ultimus eſt, ipſius filius eſt Jeſu Sacerdos magnus, de quo meminit Zacharias Propheta.* Scilicet Zachar. III. I. ubi Joſua Pontifex qui revera Joſedeci filius erat, nec Ezræ filius ſed ex fratre nepos, memoratur. In adjecta autem ſerie Joachim is eſt, qui in Judit, capite IV. Eliacim nominatur. Scilicet in Vulgata. Nam in Græcis Judithæ exemplaribus plane Ἰωακὶμ legitur. Jonathan Joſepho, Euſebio & Hieronymo Joannes vocatur, & Nicephoro Jonan. De hiſce Joſephus lib. XI. Euſebius tum in Chronicis tum in lib. VIII. Demonſtrationis Evangelicæ, & Hieronymus in Danielis cap. IX. item excerpta illa Barbarolatina ex Euſebio, Africano, aliis. Annos item Pontificatus cujuſque fere habet Euſebius, uti & aliorum qui ſequuntur, in fragmentis Græce editis. Ubi manifeſto oſtenditur, eum non ultra ſeptem Pontifices (memineris, quæ de eorum numero capite ſuperiori habentur) in Templo primo officio functos, eſſe opinatum. Nam ita ibi, Ἐλιάσιβος γ´ ἱεράτευσεν ἔτη λδ´, ἑπτακαιδέκατος ἀπὸ Ἀαρὼν τοῦ πρώτου Ἱερέως. *Eliaſibus tertio* (ſub templo ſecundo) *Pontificatum geſſit annos* XXXIV. *ſeptimus decimus ab Aharone Sacerdote primo.* Zadocum autem, qui primus erat, omnium conſenſu, in Templo primo octavo in loco eum poſuiſſe ex ſupra dictis liquet, ut heic Eliaſibum in tertio demptis igitur tribus Templi ſecundi & ſeptem, qui Zadocum antecedebant, ſuper ſunt VII. Templo primo ita aſſignandi; quos tamen ex ejuſce ſcriptis ſatis dignoſcere nequimus. Eliaſib vero etiam eadem interdum periocha Joaſibus nuncupatur, ut videre

eſt in *Græcis Euſebii* fragmentis pag. 51. lin. 35. & vide ſis latina ejuſdem numero MDLXXXV. Ἐλιασοῦν autem Nicephori eſt Ἐλιασιὺβ in Mſ. Jaddua ſeu Jaddus is erat, qui Alexandrum Magnum excepit, ut Joſephus, cujus ſequaces ſunt Paulus Diaconus, Freculphus, plerique alii. Id vero alii Simeoni I. ſeu Juſto tribuunt. Vide Abraham Ben David in Cabala, & *Sepher Juchaſin* pag. 159. a. Alii Chananiah (pro Onia qui ſequitur, ut videtur) eum nuncupant, ut Joſeph Gorionides lib. I. cap. V. Certe Simeonem illum etiam Iddo & Jaddum interdum apud Ebræos dici legimus. Vide ſis Abraham Ben David in Cabala Hiſtorica, interprete Genebrardo, *Sepher Juchaſin* fol. 66. a. & *Shalſheleth* R. Gedaliæ Ben Jechia fol. 22. Reliqui in Ebraica ſacrarum literarum parte non habentur. Sed omnes (præter Lyſimacum) in Euſebio & Joſephi lib. XI. & XII. occurrunt, uti etiam in Zonara & Nicephoro patriarcha. Etiam & Lyſimachus cum cæterorum pleriſque in Maccabaicis, alibi Onias Jadduæ filius erat. Et progeniem ceterorum (præter quartum Simonis ſecundi filium, de quo infra) ex Joſepho ſatis ſcimus. Sed Chronici Alexandrini autori interpolatum ſtemma eſt. Atque Onias primus & Eleazar ſunt filii Simonis primi, qui revera huic frater erat, illi filius. Quin poſt Jadduam continua ſerie ſequuntur apud Euſebium lib. VIII. Demonſtrationis, Onias, Simon, & dein Onias tertius. Sed mendoſa nimis, & contra non ſolum Joſephi ſed & ſuam alibi fidem Euſebius ibi agit, niſi exemplaria fuerint depravata. Ratio autem quare Eleazar frater & non Onias filius Simoni ſucceſſit, erat ob minorem Oniæ & Pontificatui imparem ætatem. Euſebius in fragmentis diſerte; Ἰουδαίων ἀρχιεράτευσεν θ´ Ἐλεάζαρ Σίμωνος ἀδελφὸς ἀντ᾽ Ὀνίου παιδὸς Σίμωνος νηπίου παραληφθέντος, *Judæorum Pontifex erat* IX. (ſub Templo ſecundo) *Eleazarus frater Simonis, filio Simonis Onia parvulo relicto*, quod a Joſepho idem affirmante acceperat. Sed vero an veluti pupilli, Oniæ tutela heic habuit locum, ſive in Manaſſis ejus propatrui, ſeu Eleazari patrui ſucceſſione, ſive in ipſius Eleazari perpetuitate? Nam anni amplius triginta Eleazari Pontificatui tribuuntur; cui demortuo, Onia jam per ætatis annos dignitate, ut videtur, ſatis idoneo, Manaſſes ſucceſſit. Ita ſcilicet Euſebius, qui annos habet. Et de ſucceſſione Manaſſis, poſt exceſſum Eleazari, Joſephus. Euſebii

R au-

autem Græca; Μανάσσης ὁ Θεῖος τοῦ Ὀνίου μετ᾽ Ἐλεαζάρου ἔτη κϛ´. *Manasses patruus Oniæ* [propatruum intelligit] *cum Eleazaro annos XXVI.* Legendum proculdubio, μετ᾽ Ἐλεάζαρον *post Eleazarum*. Unde in Eusebio Hieronymi. Paulo Diacono Historiarum II. aliis, *Judæorum Pontificatum post Eleazarum avunculus ejus* (patruus dicere debuerant) *Manasses accepit*. An igitur Onias non solum per omnes Eleazari annos, sed & in Manassis initia in minoribus censebatur, qui Sacerdotio, adeoque Pontificatui minime idonei? Certe pubertas erat civilis, quam nonnulli ante trigesimum quintum ætatis annum apud Ebræos non assequebantur, eousque in minoribus censeri soliti: qua de re plura lib. II. c. IV. Ubi etiam, an qui, prætermisso ob minorem ætatem, Pontificis demortui filio, consanguineus succederet, sui an pupilli jure illum gereret, itidem quæritur. Sed mirum adeo non est, Dignitatem sic interversam esse nec Oniæ citius restitutam, quum & ipse quemadmodum aliquandiu tantum ætate parvulus erat, ita nunquam non βραχὺς ἦν τὴν Διάνοιαν *parvulus esset mente*) ut Ruffinus Josephum vertit) atque eo usque desidiæ & avaritiæ jam senex deditus, ut τὴν ἀρχιερωσύνην, εἰ δυνατὸν, ἑτοίμως ἔχειν ἀποθέσθαι *se libenter pontificatu, si fieri posset abdicaturum* profiteretur. Sic Joseph. l. XII. c. IV. Atque observandum est, quod Ebræi etiam tradunt de pontificibus Simeonem primum sequentibus; pretio scilicet atque ambitione, non solum jure hæreditario, dignitatem eos assecutos; quod vide in R. Obadiæ Bartenorii commentariis ad Misnam, tit. *Joma* cap. I. Demortuus autem Oniæ hujus, ex Simone filio nepos, id est Onias tertius filium reliquit minorem, etiam Oniam dictum. Hujus igitur ætatis defectu, Jesus seu Jason patruus Pontifex fit (ut scribit Josephus dicti libri capite VI.) sed non sine ingenti auri pretio primum Antiocho Epiphani Syrorum Regi numerato. Demortuum scilicet tunc esse scribit heic Josephus Oniam tertium. Alii autem cum Pontificatu ab Antiocho depulsum ajunt, ut Sulpitius Severus lib. II. Et vide Jasonis Cyrenæi breviarium capite IV. Quin & ipse Josephus libro de Rationis imperio cap. VI. diserte de Antiocho; καταλύσας, inquit, τὸν Ὀνίαν τῆς ἀρχιερωσύνης Ἰάσωνα τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ κατέστησεν ἀρχιερέα, *Oniam Pontificem exautoravit, atque Jasonem fratrem ejus in Pontificatum erexit*. Quin paulo post iisdem artibus & duplo fere quam dederat Jason, Menelaus, qui & Onias nominatus, (nam præ Ebraicis jam Græca nomina, uti etiam & mores, malle cæperunt) licetur, & cauponante Pontificatum Antiocho, in dignitatem, fratre abdicato, evectus est. Et tunc primum, pro dominantium libidine, & petentium ambitione Pontificatus in tempus dari atque auferri cœptus, qui antea perpetuus, neque pro libitu exuendus erat: Josephus lib. XV. cap. III. οὐ γὰρ ἄλλος γέτις ἀφῃρέθη τὴν τιμὴν ἅπαξ παραλαβών. ἀλλὰ πρῶτος καὶ Ἀντίοχος ὁ Ἐπιφανὴς ἔλυσε τὸν νόμον, ἀφελόμενος καὶ Ἰησοῦν, καταστήσας δὲ τὸν ἀδελφὸν Ὀνίαν. *Neque solebat honor hic semel assumtus abrogari. Sed primus Antiochus Epiphanes eam legem violavit, abdicato Jesu & substituto Onia fratre ejus.* Vide sis eundem lib. XII. cap. VI. & lib. XIII. cap. XV. Eusebium numero MDCCCXLV. & II. Maccab. IV. At Sulpitius Severus lib. II. *quanquam*, inquit, *insolitum neque ante permissum cuiquam erat perpetuo Sacerdotio fungi, solicitus tamen Regis animus atque æger avaritia facile superatus est. Ita depulso Onia Jasoni Sacerdotium est mandatum.* Violatam vult contra Josephum legem, primo in Jasonis initiis, non in ejus abdicatione. Corrigendus autem proculdubio est, ut Sigonius & Drusius monuere; nec sine negatione legenda verba illa *perpetuo Sacerdotio fungi*. *Non perpetuo Sacerdotio*, aut *perpetuo Sacerdotio non fungi*, ipsum quidem scripsisse dubitari nequit. Ita res ipsa nemini non manifesta postulat. Et Sulpitius sane alia habet Josepho nimis adversa. Menelaus autem seu Onias ille in Jasonis Cyrenæi Maccabaici IV. 23. Simonis e tribu Benjamin frater nuncupatur, quod de eorum amicitia seu familiaritate, alii de contracta per conjugia affinitate intelligunt. Videsis Dionysium Petavium de doctrina Temporum lib. X. cap. I. Eodem in capite Jason Cyrenæus quarti filii Simonis, scilicet, Lysimachi, successionem memorat. Ὁ καὶ inquit, Μενέλαος, ἀπέλιπε τῆς ἀρχιερωσύνης διάδοχον Λυσίμαχον τὸν ἑαυτοῦ ἀδελφόν, *Et Menelaus reliquit pontificatus successorem Lysimachum fratrem suum. Reliquit* scilicet, ut qui ab Antiocho Eupatore necatus non relinquere nequiret. Nam apud Josephum & Eusebium, Menelaus Pontifex ita sublatus est. At ille uti & Nicephorus non Lysimachum, sed Alcimum proximum faciunt successorem, de quo inferius. Certe & Josephus verbis expressis Oniam

fis Oniam feu Menelaum νεώτατον ἀδελφὸν *natu minimum fratrem* Jafonis fuiffe ait. Neque alibi tribus plures Simoni fecundo filii. Vulgata autem de Lyfimacho, *Menelaus amotus eft a Sacerdotio, fuccedente Lyfimacho fratre fuo*. Si abdicationem ante obitum intelligendam velis, refragatur Jofephus, qui fecundum abdicationis perpetuæ hujus ex fui natura dignitatis exemplum, in Hyrcano Ariftobuli fratre ponit. Sed & Sulpitius heic; *Nec multo poft, quam Menelaus promiffum argenti modum non reddidiffet, loco pellitur, Lyfimachus fubftituitur*. Ceterum Eufebius in Fragmentis Græcis, pag. 53.

Ἰεδαίων ἀρχιεράτευσεν ιβ', Σιμὼν ὑὸς Ὀνίε ἔτη κ'

Ἰεδαίων ἀρχιεράτευσεν ιϛ' Ἰησῦς ὁ τῦ Σιράχ ὁ τὴν

Σοφίαν γράψας τὴν καλεμένην Πανάρετον, ἐν ἧ

μέμνηται τῦ Ὀνίε τῦ καὶ πρὸ αὐτῦ, ἔτη ϛ'.

Ἰεδαίων ἀρχιεράτευσεν ιγ' Ὀνίας ἔτη ....

Apud Judæos Pontificatum geffit XII. Simon filius Oniæ annos XX. Apud Judæos pontificatum geffit XVI. Jefus filius Sirach, qui Sapientiam fcripfit, cui nomen inditur Panareti, in qua etiam meminit Oniæ, qui eum præceffit annos VI. Apud Judæos pontificatum geffit XIII. Onias annos. ---- Sive librarii five Typographi ofcitantia perperam adjectos effe numeros binos pofteriores dubitari nequit. Res ipfa evincit, ut pro ιϛ' XVI. reftituatur ιγ' XIII. & pro ιγ' XIII. ιδ' XIV. qui etiam numerus Oniæ in quarta, quæ fequitur, linea præfigitur. Res inquam ipfa evincit, fi interponendus Jefus Syracides, ut ipfe decimus tertius effet Pontifex Templi fecundi. Sed error eft plane craffiffimus. Atque Syracides ex Pontificum ferie omnino delendus, retento Oniæ numero decimotertio, eoque, in quarta linea, ibi reftituto. Neque aliter voluit Eufebius ipfe, cui nunquam in mentem venit, Syracidem Pontificem facere, fed tantum adjicere Syracidem tum floruiffe, atque in eo libro Simonis & Oniæ mentionem feciffe. Ecclefiaftici (nam is liber innuitur) cap. L. 1. *Simon Oniæ filius Sacerdos magnus, qui in vita fua fuffulfit domum, & in diebus fuis corroboravit templum*. In Græcis igitur legendum puto; Ἰεδαίων ἀρχιεράτευσεν ιβ' Σιμὼν ὑὸς Ὀνίε ἔτη κ. Ἰησῦς ὁ τῦ Σιράχ ὁ τὴν Σοφίαν γράψας τὴν καλεμένην Πανάρετον, ἐν ἧ μέμνηται τῦ Σίμωνος καὶ τῦ Ὀνίε τῦ καὶ πρὸ αὐτῦ. Ἰεδαίων ἀρχιεράτευσεν ιγ' Ὀνίας, &c. *Apud Judæos Pontificatum geffit XII. Simon filius Oniæ annos XX. Jefus filius Sirach, qui Sapientiam Panareton dictam confcripfit* [tunc floruit.] *in qua meminit tum Simonis tum Oniæ, qui eum præceffit*. Non folum res ipfa heic argumento eft, fed & Hieronymi latina aftipulantur. Ibi numero MDCCLXXXV. *Judæorum Pontifex maximus Simon Oniæ filius clarus habetur; fub quo Jefus filius Sirach Sapientiæ librum componens, quem vocant Panareton, etiam Simeonis in eo fecit mentionem*. Idem itidem in Danielem, cap. IX. *Oniæ fucceffit Simon, quo regente populum, Jefus filius Sirach fcripfit librum, qui græce* Πανάρετος *appellatur & a plerifque Salomonis falfo dicitur*. Tantundem Chronicon Alexandrinum. Sed de Simone I. feu Jadduæ ex Onia filio nepote, Siracidem capiendum vult Jofepus Scaliger, cui & temporis Siracidis ratio magis confona videtur; de qua vide eum tum in animadverfionibus Eufebianis tum in lib. V. de Emendatione pag. 408. & tertio Canonum Ifagogicorum pag. 290. In Fragmentis etiam illis Eufebianis pagin. 52. legitur, Ptolemæum Philadelphum Ægypti Regem, qui verfionem facrarum literarum ex Ebræo in Helleniſticum fermonem curaffe dicitur, munera egregia miſiffe. Ὀνίᾳ Σίμωνι τῷ Ἀρχιερεῖ ἀδελφῷ Ἐλεαζάρε. *Oniæ Simoni pontifici fratri Eleazari*. Eadem verba habentur in Chronico Alexandrino. Sed nomen Pontificis hujufmodi, aut hujufmodi fratris Eleazari nufquam reperio apud veteres, præterquam in Fragmentis illis & in Chronico illo, cujus autor etiam Oniam & Eleazarum filios Simonis primi hallucinatus fecit, ut ante monitum eft. Librariorum errorem effe putat magnus Scaliger ad Eufebium. Et in Latinis Hieronymi dicitur, tantum vafa Eleazaro Pontifici eum tranfmififfe. Mancus autem manifefto eft locus ille in Græcis Eufebii Fragmentis, ubi poft Jadduam Pontificem atque Oniam ejus filium fequuntur, ferie ftatim continua, Eleazarus, Onias, Simon, nec hifce, ante Maccabæos, plures pontifices. Plures fcilicet prætermiffi funt, quam memorantur. Vide fis fragmenta illa pag. 51. Nec fane melius aut aliter fere ipfe Eufebius in lib. VIII. Demonftrationis, aut D. Hieronymus Danielis caput IX.

CAPUT VII.

De Pontificatus, *in superiore intervallo* annis Saidi Batricidis *Patriarchæ Alexandrini*, *de* Simone I. Justo *Cognominato*, *testimonium*, *&* *de* LXX. interpretibus, *quorum unum ille facit hunc Simonem*.

QUuod ad annos spectat eorum, qui in hac, quam tractamus, serie locum habent; qua Græca Eusebii qua Latina eos exhibent, non sine ea quæ reperitur in Chronico Alexandrino mira discrepantia atque Josephi ope subjiciendos eos duximus.

	Euseb.	Chron. Alex.
1 *Josua Ben Josedec*	---	XXXII
2 *Joachim*	XXXVI	XXX
3 *Eliasib*	XXXIV	XL
4 *Jojada*	-----	XXXVI
5 *Jonathan*, *qui &* *Joannes & Jannæus*	XXXII	XXXII
6 *Jaddua*, *tempore Alexandri Magni*	XX	XX

Sed in Latinis, inter locum hujus & Oniæ, qui sequitnr, anni tantum septemdecim interveniunt.

	Euseb.	Chron. Alex.
7 *Onias* I	XXI	XXI
8 *Simon* I	IX	XIV

Duodecim in Latinis a Simonis I. ad Eleazari locum.

	Euseb.	Chron. Alex.
9 *Eleazar*	XXXII	XV
10 *Manasses*	XXVI	XXVI

Sed in Latinis, annis duntaxat novem disjunguntur Manasses & Onias II

	Euseb.	Chron. Alex.
11 *Onias* II	XIV	XXXII
12 *Simon* II	XX	XXII

Viginti quatuor interveniunt in Latinis.

	Euseb.	Chron. Alex.
13 *Onias* III.	XXXVI	XXIV
14 *Jason*	------	XVI
15 *Menelaus*, *ex Josepho* lib. XIII. cap. XV	X	VII
16 *Lysimachus*	------	

Chronico autem Alexandrino priores aliquot posterioribus male postponuntur, ut Eleazaro Simon primus & Oniæ secundo Manasses.

At vero Simoni I. qui Justus cognominabatur [ut tam Christiani scriptores, quam Ebræi consentiunt] anni plures multo apud Ebræos tribuuntur. Novem habet Eusebius in Græcis; in Latinis Duodecim. Ebræi autem Quadraginta. Abraham Zacuthius in *Sepher Juchasin* f. 66. b. שמעון הצדיק הכ״ג עשה ב׳ פרות והוא משיירי כנסת הגדולה ונקרא שמו עידו מהרע יהושע בן יהוצדק הכהן הגדול כי בתחלת בית שני היה יהושע כ״ג ויהוצדק אביו בסוף בית הראשון ואחר שמת יהושע היו בניו ובני בניו כהנים גדולים כמו שנראה בספר עזרא עד שהגיעה הכהונה לשמעון הצדיק ושימש מ׳ שנה *Simeon Justus* (eadem sunt Simeonis & Simonis nomina) *Pontifex binas fecit vaccas* [rubeas ex lege Numeror. cap. XIX.] *atque erat ex reliquiis Sinagogæ Magnæ*. *Nominabatur etiam Iddo*, *ex posteris fuit Josuæ filii Josedeci Pontificis*. *Nam sub initio Templi secundi fuit Josua Pontifex*, *ut Josedecus pater ejus sub finem Templi primi*. *Post mortem vero Josuæ*, *filius ejus & nepotes recta linea Pontificatum gesserunt*, *ut videre est in libro Ezræ* [Nehemiæ, qui secundus Ezræ est Latinis & Græcis; & ita interdum dictus Ebræis) *usque dum perveniret pontificatus ad Simeonem Justum*, *qui sacro illo ministerio functus est annos* XL. Sic ille. De annis Pontificatus ejus consona est Gemara Hierosolymitana, ad tit. *Joma* cap. 1. f. 38. col. 3. & Babylonica fol. 9. a. Sed ingens nonnullos veterum invasit error, tot annos vixisse Simonem Justum, seu primum nominis illius Pontificem, tantaque longævitate, eaque raro audita, provectum, ut aut exautoratum eum sit necessario eis dicendum, aut nullum alium Pontificem Hierosolymis ante Christi natales & postquam ipse in dignitatem successerat, repertum. Vixisse nempe volunt usque in Christi tempora, Simeonis hujus atque ejus qui apud D. Lucam II. 25. occurrit, nominum confusione decepti, Nam cum ille ab Evangelista dicatur fuisse δίκαιος *Justus*, hic vero, qui Pontifex fuit, Justi cognomine celebretur δι' εὐσέβειαν πρὸς θεὸν καὶ τὴν πρὸς ὁμοφύλους εὔνοιαν *propter pietatem in Deum*, *& erga cives suos benevolentiam*) uti apud Eusebium memoratur :] inde putarunt eundem utroque nomine designari & Justi cognomentum item apud Evangelistam innui. Quin & eum annos CCCL. vixisse; ut Saidus Batricides Patriarcha Alexandrinus, cui unus est etiam ex Septuaginta Interpretibus. Quod sane adversatur receptiori ea de re historiæ, qua toties legitur Eleazaro Pontifici scripsisse Ptolemæum Philadelphum, ut bibliothecæ suæ instructissimæ Legem Ebræorum & idoneos interpretes in Ægyptum mitteret, atque inde interpretes lelectos esse, qui rem peragerent. Nam Simon hic Justus Josepho mortuus est, cum in Pontificatum succedebat Eleazar frater ejus. Quoniam vero variant nimium

mium scriptores de Interpretibus illis (aliis rem Ptolemæo Philadelpho, ut Aristea, Aristobulo, Josepho & Eusebio, aliis Ptolæmæo Lagi F., Philadelphi patri tribuentibus, ut Irenæo) atque alia ad interpretes attinentia aliter atque aliter se habent apud D. Augustinum, Epiphanium, alios, & in re, maxime tam celebri traditionum diversitas inprimis animadverti solet, ideo periochen Batricidis Patriarchæ integram de Interpretibus & Simeonis inter eos loco, subjungere non pigebit. Præsertim cum ipse etiam Alexandrinus ante DCC ab hinc annos, a ceteris, quotquot extant, Scriptoribus heic ita dissideat, ut neque Philadelpho neque Lagidæ interpretationis curam assignet, sed alium Ægypti, ut vult ille, Regem Ptolemæum item dictum, hisce interea vetustiorem nec alibi compertum, eam curasse narret, contra Græcorum & Latinorum fidem, Macedonum & Ægypti Reges, qui Alexandrum Magnum secuti sunt, miscens & eadem in successionis serie connectens. Ad hunc autem modum ille: ומלך בעד אלאשכנדר עלי אלאשכנדרירת ומצר אח להׄ יקׄאל להׄ פילפש וישמי בטלמיוש ארידאוש שבערת שנין ופי נשחרת אחרי ארבעין שנרת ומלך בעדה בטלמיוש וישמי אלכשנדר וילקב בעאלב אוז שבעת ועשרון שנת ופי נשחרת אחר יקׄול לחד ועשרון שנת ופי עשרון שנת מן מלכה בעה אלי אורשלים פאשחץ מנהא שבעין רגלא מן אליהוד אלי אלאשכנדרירת ואמרהם אן יפשרוא להׄ אלתורת וכתב אלאנביא מן אלעבראנית אלי אליונאנית וציר כל ואחד מנהם פי בית עלי חדה וחדה לנטר כיף יכון תפשיר כל ואחד מנהם ולמא פשרוא אלכתב נצר אלי תפאשירהם וכאן אלתפשיר ואחד ליש פיהׄ אחתלאף פגמע אלכתב וחתמהא תחת חאתמה וצירהא פי היכל צנם יקׄאל להׄ שראבון וכאן פי אלשבעין רגל אשמהׄ שמעאן אלצדיק אלדי אחד שידנא אלמשיח מן טלהיכל ולמא פשר שמעאן אלתוראת וכתב אלנביא מן אלעבראנירת אלי אליונגירת וכאן כלמא פשר חרפא פיה נבות עלי אלשיר אלמשיח וכאן ידכר דלך פי קלבה ויקול הרא מא לא יכון פאנשא ללה פי אגלה פעאש תלתמאירת וחמשין שנת חתי ראי שידנא אלמשיח ולמא ראהׄ קאל אקאן אטלק עבדך יא שידי ככלמתך בשלאם פקד אבצרתא עינאי חלאצך אלדי היית קדאם כל אנשעוב ומארת בטלמיוש עאלב אוז מולך בעדהׄ בטלמיוש וילקב׳ באלארנב תשעת ועשרון שנרת: *Regnavit autem in Alexandria & Ægypto, post Alexandrum, frater ejus, qui nuncupatus est Philippus, sed nominabatur etiam Ptolemæus Aridæus,* VII. *annos, seu ut alia habent exemplaria* (nam ita in perve-tusto, quo utor, codice, sæpius variæ ipsius autoris lectiones inseruntur) XL. *annos. Post hunc vero regnavit Ptolemæus, qui & nominatus est Alexander, & cognomen habuit* Galab auz, *annos* XXVII. (Exemplaria habent alia, XXI. annos.) *Anno autem* XXI. *regni sui, missis Hierosolyma nunciis, accersivit Alexandriam* LXX. *inde viros, Judæos, quibus jussit interpretari ei Legem & scripta Prophetarum ex Hebraico in Græcum sermonem. Et posuit eorum singulos in ædibus singulis & seorsim, ut ita discerneret, qualis foret unius cujusque interpretatio. Peractis autem singulorum interpretationibus & animadversis, diversitas in eis nulla omnino est reperta. Collectos igitur singulos codices, sub sigillo clausit, & posuit in Fano Idoli, cui nomen Serapion. In septuaginta autem fuit Vir, qui nuncupatus est Simeon Justus; is, qui excepit (ulnis) Dominum nostrum Christum e Templo Cum vero interpretatus est Simeon Legem & Scripta prophetarum ex Ebrea in Græcum sermonem, & quilibet ex interpretibus latere in eis sentiebat prophetiam de Domino Christo, hoc in corde suo reposuit ille, tametsi etiam diceretur, rem non eventuram. Produxit autem Deus ei vitæ terminum, adeo ut viveret* CCCL. *annos, & videret Dominum nostrum Christum. Quem cum vidisset, dixit: Nunc dimitte servum tuum, o Domine, secundum verbum tuum in pace. Jam enim viderunt oculi mei Salutem tuam, quam præparasti coram omni populo. Mortuus est dein Ptolemæus* Galab auz, *post quem regnavit Ptolemæus a Lepore cognominatus* XXIX. *annos.* Hactenus Batricides. Sed e Macedonia, vides, in Ægyptum transtulit Philippum Aridæum, qui Alexandri frater & proximus, non in Ægypto, sed Macedonia, successor fuit. Ptolemæi item & Alexandri nomina ei, nescio unde edoctus, tribuit. Veros autem Aridæi Macedonum Regis annos ei assignavit. Et in vetustiori quem penes me habeo, Batricidis exemplari, septem tantum annorum regnum habet hic Batricidis Ptolemæus. Substitutos vero puto in aliis XL. quoniam compertum habebant librarii Alexandri proximum in Ægypto successorem XL. annos revera regnasse. Tot enim regnavit Ptolemæus Lagi filius; quem ab Alexandro tertium facit heic Batricides, cum proximum debuisset. Nam a lepore cognominatum Lagidam seu Lagi filium esse nemo nescit. Sed quisnam secundus & qui Aridæum sequitur in hac Principum, temporum, regnorum confusione, Ptole-

mæus,

mæus, LXX. interpretum hactenus inauditus hospes? verba illa עאלב און Galab aux, ut in exemplari pulcherrimo, sed recentiori, leguntur, *Victor anseris* sonant. In vetustiori autem, sed cui non raro desunt puncta diacritica, priori in loco habetur וילקב אורז *cognominatus autem est Auraz*, in posteriori vocatur Ptolemæus עאלב אורז *Galab Auraz*; adeo ut videatur etiam priori in hujus exemplaris loco אורז quod punctulo tantum discrepat, potius legendum. Certe ut Aridæus ex Macedonia, ita alius quispiam aliunde, sed ex proximis Alexandri successoribus, oscitanter desumtus, cognomine, puto, hoc temere indutus est, ut nomine Ptolomæi. Et quoniam Victoria cognomen indutum esse liquet, forte *Nicanor* seu *Nicator* (quibus appellatus est nominibus Seleucus proximus post Alexandrum Syriæ Rex) id erat unde hoc fictum. Quomodo vocabula illa in exemplari Batricidis vetustiori, nobis plane [nec diffiteri pudet] hactenus incognita heic quadrent, scrutetur, qui operæ pretium esse putet. Quæ ita non displicent, occurrunt quidem sed libentius abstineo. Proximus huic, Batricidi est Ptolomæus Philadelphus, quem, cognomen ejus ut appellativum vertens, vocat Ptolemæum מחב אחיה *fratris amantem*, uti etiam Evergetem *Ptolemæum cognominatum* אלצאניע quod *Artificem* sonat, & *Evergeten* satis reddit. Ceteri eodem fere modo sequuntur. Anni autem Regni Philadelphi sunt tantum ibi XXVI. Neque exiguam habet a Chronologia Ptolemæorum recepta discrepantiam. Sed de hisce obiter.

CAPUT VIII.

Ebræorum de Simeone Justo, & de Templo Oniæ in Ægypto, instar Hierosolomytani, condito, Traditiones.

EBræis item, in Traditionibus Talmudicis, historia est de Simonis Justi tum Pontificatu tum prole, diversissima ab ea, quæ Josepho & Scriptoribus Christianis est receptior. Neque Oniam [quem חוניו & חניו *Hannio* vocant] ei successisse ajunt, nec filium ejus fuisse hunc majorem, sed quendam Semajum. In votis tamen habuisse Simeonem, sub mortis tempore, idque palam pronuntiasse, ut Onias filius minor, quoniam erat sacræ functioni fratre multo magis idoneus, succederet. Quod cum per primogeniti jus neutiquam satis liceret, Oniam, patria relicta, Alexandriam discessisse, ibique, Templum alterum, quod Hierosolymitanum imitaretur, condidisse, Pontificem ibi egisse, & Sacrorum suorum plurimos habuisse sequaces. Unde etiam de Sacris distinctionem habent, alia quæ in בית המקדש in *Templo sancto*, id est, Hierosolomytano, alia quæ in בית חוניו in in *Templo Oniæ*, seu Alexandrino peragi solita. De eis, vide sis Misnam tit. *Menachoth*, seu *de Oblationibus Vespertinis* Cap. XIII. & Gemaram Babyloniçam sub extremum capitis fol. 106. a. Ad Misnam vero, Rabbi Obadias Bartenorius totam ipsi Gemaræ ferme verbis adnotavit Simeonis filiorum successionis historiolam; quæ sive vera fuerit sive minime, observatu nihilominus, ad Pontificiæ successionis rationem juxta Ebræorum mores atque placita rite dignoscendam, est dignissima. Ad hunc modum Bartenorius, בית חוניו בית המקדש שבנה חוניו בנו של שמעון הצדיק באלכסנדרציה של מצרים שכשמת שמעון הצדיק אמר להם חניו בני ישמש תחתיו מפני שהיה בקי ורגיל בעבודה יותר משמעי אחיו ולא קבל עליו חניו להיות כ״ג לפי שהיה שמעי אחיו גדול ממנו שתי שנים ומחצי ונתמנה שמעי כ״ג תחת אביו לימים נתקנא חניו בשמעון אחיו אמר לו בא ואלמדך סדר עבודה הלבישו כתונת בד רקה שלובשות הנשים על בשרן ועליה אזור צר קטן והעמיד אצל המזבח יצא ואמר לאחיו הכהנים ראו מה נדר זה וקיים לאהובתו אותו היום שאתמנה לכ״ג אלבש כתונת שליכי ואחגור באזור שליכי בקשו אחיו הכהנים להרגו סח להם כל המאורע בקשו להרג את חניו רץ מפניהם לבית המלך ועדין כל הרואה אותו אומר זה הוא הלך לו לאכסנדריאה של מצראים שהיו בה רבבות מישראל ועשה שם מקדש ובנה מזבח והעלה עליו לשם ה׳ ועל אותו מזבח נתנבא ישעיה איום ההוא יהיה מזבח לה׳ ועמד הבית ההוא קרוב למאתים שנה ונקרא בית חוניו על שמו *Domus seu Templum Oniæ est Templum Alexandriæ, quæ in Ægypto est, constructum ab Onia filio Simeonis Justi. Etenim, mortis tempore Simeon Justus voluit quidem, ut Onias ei succederet in Pontificatum, quoniam exercitatior esset & magis assuetus sacræ functioni, quam Semai frater ejus. Sed minime suscepit in se Pontificatum Onias, quoniam Semai frater ejus eo natu major erat, anni dimidio supra biennium. Et constitutus est Semai Pontifex loco patris sui. Paulo post* (cum more solenni primo esset vestibus sacris induendus) *invidia erga fratrem commotus Onias verbis ad eum hujusmodi usus est:*

est: Veni & ego te docebo, quomodo te ipsum in functione geras. Et vestivit eum tunica linea, eaque viliori, quali se vestire solent in cute mulierculæ, & super eam pro cingulo funiculum parvulum induit. Atque ita constituit eum ad Altare. Quo facto, exiit & rem narravit Sacerdotibus fratribus suis, id est, *ceteris, qui existimantes eum vovisse uxori* (seu amicæ suæ) *ac dejerasse, se eodem die, quo more solenni vestiendus esset in Pontificem, indutum fore tunica ejus, atque ejus cingulo, ansam inde occidendi eum quærebant*. (Certe & cui vestes sacræ, quales in Exodo præscriptæ, inter sacrificandum, deessent, is excisionis reus habebatur ex lege Exodi XXVIII. 43. sed cœlitus tamen infligendæ, ut Magistri ad dictum locum & Maimonides in hilchoth *Celi hammikdasch* cap. x.) *Hominum turba eis accessit frequens, qui Oniam itidem interficere* (ut Zelotæ) *conabantur. Fugit ille in palatium Regis. Ubi quisquis eum videret, dixit illum ipsum esse, qui Alexandriam in Ægypto discesserat* (*quo in loco Israelitæ erant innumeri*) *atque ibi Templum construxerat cum altari, quo Oblationes fierent Deo O Maximo. Atque de altari hoc ante prophetaverat Esaias* (cap. XIX. 19.) *dicens, in die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti. Stetit autem Templum illud circa ducentos annos, & nomen accepit Domus seu Templi Oniæ a nomine conditoris*. Hactenus Obadias Bartenorius. In nonnullis Talmudis editionibus בית נחוניו Templum *Nechonio* pro *Honio*, quod Oniam denotat, depravate usurpatur. De eodem templo vide præter Gemaram jam memoratam, eam quæ est ad tit. *Megilla* cap. 1. atque *Sepher Juchasin* folio 15. b. ubi etiam utriusque Simonis filii mentio. Templi item hujus mentio est in Glossa Jarchii ad citatum Bartenorio Esaiæ locum, alibi. Quin Templum Oniæ ab Onia in Ægypto tale conditum repurgato scilicet atque novato Agrestis Bubastis fano apud Leontopolim in agro Heliopolitano & Deo O. M. sacrato non sine venia ad eam rem a Ptolemæo Philometore impetrata memorat aliquoties Josephus, quem vide sis lib. XII. cap. XV. & lib. XIII. c. VI. & lib. XX. cap. VIII. Etiam prophetiam Esaiæ Templum illud spectasse ait ipse, uti & Onias ille in literis, seu libello supplice, quo locum sibi assignari petiit, Principi dato. Ceterum Onias Templi hujus conditor apud Josephum est Onias Oniæ tertii Pontificis, non Simonis Justi filius, uti etiam apud Eusebium. Locus item & tempus mire discrepant. Alexandriæ collocatur illud, de quo Talmudici. Leontopoli hoc, quod Josephus & scriptores habent Christiani. Hoc etiam Antiochi Epiphanis & Ptolomæi Philometoris tempori tribuitur; illud ut superiora multum repetat initia necesse est, si tam prope excessum Simonis Justi seu ad filium ejus sursum trahatur. At vero alibi Josephus autor est; Templum item conditum (Ptolemæo quidem & Antiocho Regibus, sed non adjectis agnominibus) ab Onia Pontifice Simonis filio, quod τὸν ἐν τῇ Ὀνίᾳ χαλούμενον νεὼν *Templum in urbe ab Onia nominata situm* appellat. Interpretes ibi *apud Onion civitatem vertunt*. Locus est li. VII. Haloseos cap. XXX. Et extructum esse ait centum & octoginta a Memphi stadiis; itidem in tractu Heliopolitano. Utrunque autem Oniam, tam Oniæ filium, quam Simonis, Hierosolymis etiam fugatum scribit. Quin & tam ad hujus quam prioris altare Esaiæ prophetiam attinuisse. Sub Vespasiano autem, Lupo primum, dein Paulino Alexandriæ præfectis, hoc Oniæ Simonis filii Templum jussu principali clausum fuisse, atque Judæis fieri inaccessum. Et demum subjungit, χρόνος ἦν ἐς τὴν ἀπόκλεισιν τοῦ ναοῦ γεγονὼς ἀπὸ τῆς χατασχευῆς ἔτη τρία χαὶ τεσσαραχοντα χαὶ τριαχόσια *Tempus autem fluxerat a Templi conditu usque ad Tempus quo clausum, annorum* CCCXLIII. Ruffinus ibi; anni trecenti triginta tres. Certe uterque numerus a Vespasiano seu septuagesimo Christi anno retro putatus ipsis Simonis Justi filiorum temporibus satis erit concors. Sed & consulas Jacobum Capellum in Historia sacra, anno M. 3837. Oniæ autem Oniæ tertii filii ætatem adeoque Antiochi Epiphanis & Ptolemæi Philometoris ævum annis amplius centum superant anni, quos jam memoravimus. Quod ideo libentius animadverti, quoniam video Viros summos, Templum ab Oniæ Oniæ tertii filio conditum idem esse cum illo, quod apud Josephum Onia Simonis F. tribuitur, oscitanter nimis existimare. Vide sis Josephum Scaligerum ad numerum Eusebianum MDLVI. Tempus, locus, persona utriusque invicem discrepat. Et Judæis extra patriam degentibus, non solum in Ægypto, sed alibi etiam fuisse templa compluria (quæ tamen ex jure Ebraico semper damnanda) manifesto liquet ex Oniæ Oniæ tertii filii libello supplice Philometori, apud Josephum, de Templo Leontopolitano, porrecto. Et

vix dubitare queo, Strabonem de Hebræorum aliquo, in Ægypto, templo locutum esse, ubi verba faciens de Ægyptiaca Templorum extruendorum ratione, ἐστὶ δέ τις, inquit, καὶ πολύστυλος οἶκος, καθάπερ ἐν Μέμφει βαρβαρικὴν ἔχων τὴν κατασκευήν. Πλὴν γὰρ τοῦ μεγάλους εἶναι καὶ πολλοὺς, καὶ πολυστίχους τοὺς στύλους, οὐδὲν ἔχει χαρίεν, οὐδὲ γραφικὸν, ἀλλὰ ματαιοπονίαν ἐμφαίνει μᾶλλον. *Est etiam crebrum columnis Templum, ut in Memphi, cui extructio barbarica est. Nam præter columnarum magnitudinem, multitudinem, atque ordinem multiplicem, nihil habet elegans, Nec quid in eo pictum est. Sed potius inanis laboris exemplar videtur.* Sic ille Geographiæ libr. XVII. Templum, ni fallor, Judaicum aliquod in Ægypto depingit. Videtur igitur Talmudicorum בית חוניו *Templum Oniæ* idem fuisse cum Heliopolitano illo ab Onia Simonis, apud Josephum, filio extructo. Et quia in Alexandriæ præfectura positum est, forte illud Alexandriæ situm dicebant. Vide, si placet, etiam D. Hieronymum ad Danielis cap. IX. de Templo Oniæ. Quin certe Oniæ qui Oniæ tertii filius, Templum, velut per excellentiam & nomine notissimo ὁ Ὀνίου ναὸς *Oniæ Templum* appellatur in lemmate græco cap. VI. lib. XIII. Josephi. Opinionem autem illam, doctis satis pridem explosam, Simeonem nempe cognomento Justum, qui Pontifex erat, eundem fuisse cum Simeone illo in D. Luca, ob Christum ulnis exceptum, memorato habes item apud Petrum Galatinum de Arcanis Catholicæ veritatis libro I. cap. II. & III. libro IV. cap. VIII.

CAPUT IX.

De Alcimo *Pontifice. Quid* generis Pontificalis *seu* ἀρχιερατικοῦ *etiam &* Sacerdotalis *seu* Ἱερατικοῦ *nomine intelligendum.*

Eorum qui Lysimachum, postremum in superiore serie Pontificem prætermittunt, alii scribunt Antiochum Eupatorem, Epiphanem alii, alii Demetrium Soterem, Alcimum, Jacimum, id est Joachim (ut Ruffino interdum etiam nominatur in Josephi versione) item dictum post Menelaum substituisse. Neque hujus filium magis atque Oniam Oniæ III. Pontificis filium, ac verum tunc Dignitatis hæredem, succedere permisisse. Onias igitur Oniæ filius, patrui cæde territus, in Ægyptum ad Ptolemæum Philometorem Regem profugit, ubi humanissime exceptus cum omni paterna hæreditate potiundi spe exutus esset, veniam & urbem & Templum, quod Hierosolymitanum imitaretur, in agro Heliopolitanæ præfecturæ prope Memphim extruendi, ut supra ostensum est, impetravit. Vide sis Josephum libr. XII. cap. XV. & libr. XX. cap. VIII. & I. Maccab. VII. 9. & II. Maccab. XIV. præter Eusebium Numero MDCCCLVII. Scilicet Pontificatus ab eo stemmate seu domo, qua tamdiu per successiones continuas manserat, in aliam migravit. Josephus, de Antiocho isto; τὴν ἀρχιερωσύνην, inquit, Ἀλκίμῳ δέδωκεν οὐκ ὄντι τῆς ἀρχιερέων γενεᾶς, ἀλλ᾽ ὑπὸ Λυσίου πεισθεὶς μεταθῆναι τὴν τιμὴν ἀπὸ ταύτης τῆς οἰκίας εἰς ἕτερον οἶκον, *Pontificatum dedit Alcimo, qui non erat ex genere Pontificali seu Pontificum, persuasus nempe a Lysia, ut dignitatem transferret in aliam domum.* Male ibi Ruffinus; *non existenti de genere Sacerdotum*; pejus Gelenius, *nihil pertinenti ad cognationem Pontificum.* Minime enim negat Josephus, Alcimum fuisse ex genere Sacerdotali, sed ex Pontificali, id est ex nepotibus illis, qui, jure a majoribus recepto, & satis constanter per plurimos annos observato, aut in Pontificis dignitatem, sanguinis proximitate, succedere deberent, aut vicinius succedendi jus obtendere possent. Quin & ipse alibi hunc Jacimi nomine memoratum, ex Aharonico genere fuisse expressim ait, οὐκ ὄντα δὲ τῆς οἰκίας ταύτης, *sed non ex eadem familia.* Ex eadem nempe, qua priores qui proxime præcesserant. Ita ille lib. XX. cap. VIII. Cum de familia verba fiunt, familiam intelligi per masculos continenter deductam. Neque alios præter masculos posterorum nomine heic complectimur, quod ita monuisse sufficiat, ratio libro sequenti tradetur. Sed vero palam quidem est, si originem tantum sanguinis Sacerdotalis in Aharone spectes, idem esse Pontificale genus atque Sacerdotale. Nam ex ex origine, nemo in posteris Aharonis, Pontificiæ dignitatis, nisi interpositi gradus obstarent, non erat æque capax ac muneris Sacerdotalis. Sed vero stabilitio in Eleazaridis atque in eorum domo perpetuato diu Pontificatu (secundum ea quæ jam ostensa sunt) neque Ithamaridum domus, nec ipsæ Eleazaridum stirpes, a Pontificatu graduum collateralium ratione remotiores, Pontificales dicebantur. Sed vero, quibus ob majorum dignitatem & sanguinis pro-

proximitatem, ſpes erat ex jure recepto ſuccedendi, ii etiam ἀρχιερεῖς ſeu *Pontifices* interdum dicti ſunt, non aliter ferme ac in nonnullis olim regionibus Regum filii Reges, atque in Germania etiamnum Ducum & Comitum filii Duces & Comites. Inde etiam forſan Sceva Judæus, ἀρχιερεὺς ſeu *Pontifex* nuncupatur in Actis Apoſt. XIX. 14. Nam eum Pontificatum geſſiſſe nemo puto dixerit. Exemplum itidem eſt in Gamala Jeſus F. Pontifice Joſepho dicto, ſed nec in iis, qui munere fungerentur cenſito, ut in lib. IV. Haloſeos cap. XII. Expontifices etiam eidem Pontifices dicti, ut lib. XX. & Haloſeos II. & IV. ubi Jonathan, dignitate ſummotum Pontificis ſeu ἀρχιερέως veluti ἀπὸ τῶν ἀρχιερέων ſeu *Expontificis* (ut Romani vocabula Exconſulis, Exquæſtoris, id genus alia uſurparunt) nomine deſignat. Quin pluralis τῶν ἀρχιερέων ſeu *ſummorum Sacerdotum* in Novo etiam Teſtamento uſus frequens, qua de re inferius plura. Et de genere Archieratico ſeu Pontificali vide Græca Actor. IV. 6. ubi Vulgata habet *genere Sacerdotali*. Euſebius autem Alcimum ait neutiquam fuiſſe ἐκ γένους ἱερατικοῦ *ex genere Sacerdotali*, ſeu ut in Latinis Hieronymus habet, *alienum a genere Sacerdotali*. Hunc ſequitur Chronici Alexandrini autor. Et Nicephoro Patriarchæ ἀλλογενής *ex alieno genere*, appellatur. Sed niſi γένος ἱερατικὸν *genus Sacerdotale* pro eo, quod eſt ἀρχιερατικὸν *Pontificale* ſumatur, error eſt manifeſtus; uti & illud de genere alieno, niſi de alia tantum Sacerdotum ſtirpe etiam id intelligatur. Nam & diſerte Haſidæi in libro Haſmonæorum cap. VIII. 14. de Alcimo, *Homo Sacerdos de ſemine Abaron venit; non decipiet nos*. Et quod habet Sigonius aliique eum oſcitantur ſequaces, eum ex poſteris Levi, minime vero ſive ex Eleazari ſive ex Ithamari fuiſſe; id ex locutione jam dicta apud Euſebium male accepta & fallente Joſephi loco citato verſione natum eſſe nullus dubito. Sed monendum eſt interea, ut Pontificis nomen, modo quem diximus, ei interdum tribuebatur, qui nondum Pontificatum geſſiſſet, ita etiam ſæpenumero tum in ſacris literis, tum apud optimos ſcriptores, viciſſim Sacerdos & Sacerdotii vocabulum, adeoque genus Sacerdotale, pro eo quod Pontificem, Pontificatum, & Pontificale denotat, uſurpari. Unde etiam Pontificia dignitas ἱερατικὴ τιμὴ *honor Sacerdotalis* & Stola Pontificia ἱερατικὴ *Sacerdotalis* Joſepho vocatur, & ἱερωσύνη *Sacerdotium* aliquoties ipſe Pontificatus. Et frequens eſt hujuſmodi uſus Sacerdotis & Sacerdotii apud Sulpitium Severum, Hieronymum, Ruffinum, alios. Vide ſis Joſ. Scaligerum in Animadverſionibus Euſebianis pag. 132.

CAPUT X.

Haſmonæorum, *a* Juda Maccabæo *ad* Ananelum, *ſeu* Herodis Antipatri F. *tempora*, *Pontificatus*.

ALcimo, poſt exactum in Pontificatu quadriennium demortuo, dignitas, ſuffragiis populi, Judæ Maccabæo ex domo Haſmonæorum decernitur. Joſephus lib. XII. cap. XVII. τελευτήσαντος δὲ τούτου (Ἀλκίμου) τὴν ἀρχιερωσύνην ὁ λαὸς τῷ Ἰούδᾳ δίδωσιν, *Mortuo Alcimo Pontificatum populus Judæ tradidit*. Atque Euſebius Hieronymi; *Cum omnium Judæorum favore Judæ Maccabæo ſacerdotium decernitur*. Et Joſephus in extremo lib. XII. de Juda τὴν ἀρχιερωσύνην ἔτος τρίτον κατασχὼν, ἀπέθανεν, *adminiſtrato Pontificatu per triennium demortuus eſt*. Cum tamen ipſe lib. XX. cap. VIII. Jacimum ſeu Alcimum triennio in Pontificatu exacto obiiſſe ſcribat, adjiciatque, διεδέξατο δὲ οὐδεὶς αὐτὸν, ἀλλὰ διετέλεσεν ἡ πόλις ἐνιαυτοὺς ἑπτὰ χωρὶς ἀρχιερέως οὖσα, *ſucceſſorem autem habuit neminem, ſed per ſeptennium ſine Pontifice manſit civitas*. Neque dein, ante Jonathanem Judæ fratrem, Pontificem conſtitutum eſſe ait. Etiam de Alcimi exceſſu diſſenſus inter eum & primum Maccabæorum librum mirus. De quo, præter alios, conſulas Dionyſium Petavium de Doctrina Temporum libr. X. cap. L. & LII. Judas Filius erat Mathathiæ Sacerdotis, filii Joannis, filii Simeonis, filii Haſmonæi (unde domus nomen) atque ex ſtatione ſeu claſſe Sacerdotali Joaribi. Vide 1. Maccab. II. 1. Inde autem facultas erat populo eum in dignitatem evehendi, quia per ejus in Nicanorem Demetrii ducem & Alcimum victoriam jam ſui juris, poſt Syriæ Regum tyrannidem, denuo factus eſt. De Haſmonæorum cognominis ratione conſulas, ſi placet, Druſium ad librum de eis, primum Maccabæorum vulgo dictum, & Joſephum Scaligerum lib. III. Canonum pag. 324. Utrum vero claſſis Joaribi (e qua Haſmonæi, adeoque Judas iſte) fuerit ex Eleazaridis, an ex Ithamaridis, non ſatis liquet. Nam etſi in XXIV. claſſium Sacer-

cerdotalium distributione Joaribi classis primarium obtinet locum, ut videre est I. Paralipomen. XXIV. 7. id tamen sorti duntaxat, non singulari Eleazaridum dignitati deberi ajunt Ebræi. Atque ideo volunt sortes adhibitas fuisse; ut eis solummodo omnes simpliciter pariterque distribuerentur classes; minime vero ut sanguinis præstantia aut impari dignitate Eleazaridæ, quibus XVI. erant, & Ithamaridæ quibus VIII. invicem secernerentur. David Kimchius ad citatum Paralipomenon caput, comm. 5. *Et distribuerunt eos sorte, alteram cum altera.* רצ"ל כי לא נתן מעלה לאחר מהם על חברו כי כלם היו שרי קדש ושרי האלהים מבני אלעזר ומבני איתמר לפיכך לא נתן להם מעלה זה להיות זה קודם לזה אלא שעלה הגורל להם כן היו לבד הכהונה הגדולה שהיתה מבני אלעזר כמו שפירשנו למעלה *Sensus est*, inquit, *non concessam fuisse eorum alteri ante alterum dignitatem; quoniam universi fuere principes Sanctuarii & Principes Dei, tam Ithamaridæ quam Eleazaridæ. Inde fiebat, ut alteri non tribueretur dignitas ejusmodi; ut alteri præponeretur. Sed prout ascendebat sors tantum, ita quisque habendus erat. Excepto semper, quod Sacerdotium summum seu Pontificatus peculiaris erat Eleazaridis, ut supra ostendimus.* Argumento tamen est Hasmonæos ex Eleazaridum stirpe fuisse, tum quod adeo pronus eis Pontificatum deferebat populus, tum quod in oratione Matathia ad filios habita legitur. *Phinees pater noster zelando zelum accepit fœdus Sacerdotii æterni.* Nam Eleazaridum domus, etiam Phineesi dici solebat. Vide librum Hasmonæorum cap. II. 54. Quin & primæ Sacerdotum classi, quæ Joaribi erat, singularem dignitatem agnitam esse comperimus apud Josephum, qui sub initium vitæ suæ genus suum jactans, ἐμοὶ δ' inquit, οὐ μόνον ἐκ ἱερέων ἐστὶ τὸ γένος, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῆς πρώτης ἐφημερίδος τῶν κδ', πολλὴ δὲ κἀν τούτῳ διαφορά *non solum ex Sacerdotum oriundus sum genere, verum etiam ex classe prima inter illas XXIV. Et magnum sane ex ea nascitur discrimen.* Ita verto, non ut Gelenius, *quas inter non mediocre discrimen est.* Manifesto, de primæ excellentia, loquitur Josephus. Sed vero memineris heic, quæ capite hujus libri primo, de classium illarum viginti quatuor sub Templi secundi initiis novatione, e Talmudicis exhibemus. Ex Hasmonæis autem Judas fere primus Pontifex fieri solet. Sed Sulpitius etiam patrem ejus Matathiam Pontificem fuisse ait. *Ea tempestate* (Anthiochi Epiphanis) *Matathias, Joannis filius* (sic ille) *Sacerdos erat*, Eo nomine Pontificem sæpius innuit. Et in Eusebii fragmentis, ubi notatur sexennium a nonnullis tribui Judæ Pontificatui, (qui plerunque triennio terminatur, ut Josepho) adjicitur, τινὲς ἱστοροῦσι ματταθίαν ἔτη γ' τῆς ἀρχιερωσύνης καὶ Ἰούδα ἔτη ς' *quosdam tradere etiam Matathiam triennio Pontificatum gessisse, & Judam Sexennio.* De Matathia vide item Georgium Syncellum in Jos. Scaligeri Eusebianis numero MDCCCLXXVIII. Etiam & Ebræis non solum Matathias Pontifex dicitur, verum etiam pater ejus Joannes, ut videre est. Gemara Babylonica ad tit. *Megilla* cap. 1. & in *Sepher Juchasin* fol. 16. b. 25. b. 60. b. præter Gorionidem alios. Unde sane conjiciendum est, postquam avitum succedendi jus violari cœptum est, atque ambitione & libidine dignitas pro dominantium arbitratu & auferri solebat, jam populum Hierosolymitanum, ut pote patrii juris & Sacrorum sibi rituum tenacissimum, quam principes, quorum in potestatem sunt redacti Judæi, Pontificem sibi singularem quandoque selegisse. Ita scilicet Mathathias & Joannes pater ejus forsan, in turbido illo rerum statu, Pontifices fuere populo; dum Alcimus, Lysimachus, alii, pretio aut favore tantum, jure neutiquam adstipulante, dignitatem, velut Antipapæ, invadentes simili ejusdem titulo superbiebant. Negant autem & J. Scaliger & Dionysius Petavius, Matathiam Pontificem. Hic lib. X. de Doctrina cap. I. II. ille lib. V. de Emendatione Temporum, capite de initio Simonis Judæorum Ethnarchæ fol. 410 Vide I. Macc. II. 27. Ubi principatum eum obtinuisse in populo manifestum est. De Pontificatu ibi non satis liquet. Matathiæ autem filii fuere quinque, Joannes, Simon, Judas ille Maccabæus, Eleazar & Jonathan. Ita in Hasmonæorum libro cap. II. recensentur. Sed in Chronico Templi secundi, (ut & adnotavit J. Drusius) Judas est primogenitus, Jonathan secundus, tertius Joannes, Simon quartus, quintus Eleazar. Aliis etiam est primogenitus Simon. Fortiter patria jura propugnans occubuit Judas Pontifex simul & princeps. Eo mortuo, quadriennium aut circiter transiit sine pontifice. Quo exacto, Jonathan qui in Principatum antea successerat, ab Alexandro postmodum Syriæ Rege Pont. etiam renuntiatus more solenni sacris vestibus, in Scenopegiæ festo est indutus; annuente etiam Demetrio Sotere Syriæ tunc Rege & populo.

lo. Verba Epistolæ seu diplomatis Alexandri ad Jonathanem, quo eum in partes suas pellexit, sunt: χειροτονοῦμέν σε σήμερον ἀρχιερέα τῶν Ἰουδαίων *Ordinamus te hodie Pontificem Judæorum*. Accepta epistola Jonathan, ἐνδύεται μὲν τὴν ἀρχιερατικὴν στολὴν τῆς σκηνοπηγίας ἐνστάσης μετὰ ἔτη τέσσαρα ἢ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Ἰούδαν ἀποθανεῖν. καὶ γὰρ οὐδὲ μετὰ τοῦτον τὸν χρόνον ἀρχιερεύς τις ἐγεγόνει. *Pontificiam Stolam induit, instante ipso Scenopegiæ festo, post quadriennium a Judæ fratris obitu, cum vacasset interim Sacerdotium.* Vide sis Josephum lib. XIII. cap. V. librum Hasmonæorum cap. X. 12. & Eusebium num. MDCCCLXII. *Non extat in historia Sacra* (sic observat Jonathanis initia magnus Scaliger in Canonibus lib. III. p. 325.) *aliud exemplum tanti intervalli sine pontifice maximo. Nam summo Sacerdote mortuo, statim filius aut nepos aut frater jure successionis, ad Pontificatum, nullo impediente aut controversiam movente, veniebat.* Sed memineris heic, quæ ex Fl. Josepho sibi adversato supra habemus de Alcimi excessu. Quatuordecim circa annos Pontificatum gessit Jonathan. Nam, quod XIX. aut XVIII. anni ei interdum tribuantur, id ad Principatum, qui quadriennio Pontificatum antevertit, pertinet. Consulas præter latina Eusebii, græca ejus fragmenta pag. 55. & Scaligeri animadversiones ad Numerum MDCCCLXXVIII. Ubi etiam corrigitur Josephi locus de quatuor tantum annis ducatus ejus. Atque ea de re vide etiam Historiam Sacram Jacobi Capelli, in anno mundi 3857. Successit in utramque dignitatem Simon frater; ita tamen ut cum a Tryphone dolo caperetur Jonathan, imperium seu Ethnarchia Simoni a populo Hierosolymitano deferretur. Paulo post autem, eo interfecto, etiam adjicitur Pontificatus. Josepho diserte dicitur Simon κατασταθεὶς ἀρχιερεὺς ὑπὸ τοῦ πλήθους, *Pontifex constitutus a populo*. Sic ille lib. XIII. c. XI. & vide 1. Maccab. XIII. 42. Cum per octo annos Pontificatum cum principatu gesserat Simon, in convivio insidiis generi sui Ptolemæi cæsus successorem in dignitatem utramque reliquit Joannem filium, Hyrcanum item dictum. Ita Josephus libro jam dicto cap. XIV. & XV. præter Eusebium, Nicephorum, alios. Quod vero in Latina Nicephori versione legitur numero XXXI. *Judas Maccabæus & Jonathan & Simon cum fratribus* (unde Joachimus Camerarius, *fortasse*, inquit, *in pontificatu socii fratres fuere alii duo. Nam universi nominantur & numerantur quinque*) mendum est ex depravata Græci codicis lectione. Is non heic habet καὶ Σιμὼν σὺν τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ *Simon cum fratribus suis*, *sed* καὶ Σιμών, οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ *& Simon, fratres ejus*. Ita Camerarii conjectura evanescit. Joannes hic seu Hyrcanus Simonis filius Eusebio, non semel Jonathanis nomine memoratur. Triginta amplius annos Pontifex & Ethnarcha fuit. Mortuus quinque reliquit filios, quorum natu maximus Aristobulus, dignitatum paternarum hæres, principatum seu Ethnarchiam in Regni formam vertens: diadema sibi primus post captivitatem Babylonicam imposuit. Ita Josephus libro jam dicto & vigesimo, Eusebius etiam, & Nicephorus Patriarcha. Nam tametsi in vulgato Nicephori codice Græco (alium præter eum, qui in Thesauro Temporum Scaligeriano habetur, non vidimus) prætermittitur Aristobulus, in codice tamen Ms. quem supra memoravi, post Joannem Simonis filium sequitur, Ἀριστόβουλος υἱὸς αὐτοῦ ὃ καὶ διάδημα βασιλέως περιέθετο μετὰ Ἀλεξάνδραν τὴν αὐτοῦ μητέρα. *Aristobulus filius ejus, qui etiam coronam Regiam sibi imposuit post Alexandram matrem suam.* Quod vero adjectum est de Alexandra matre, ex scriptoris oscitantia ibi natum est. Etiam habebatur in Latini interpretis exemplaribus. Huic vero Aristobulo Matrem Alexandræ nomine agnosci non comperio, sed proximo ejusdem nominis, qui Alexandro Jannæo filius minor natu pontificatum post Alexandræ matris obitum, ut statim dicetur, accepit. Anno elapso unico successorem reliquit Aristobulus jam dictus Alexandrum Jannæum fratrem, qui ceteros ætate præcedebat. Bini Alexandro fuere ex Alexandra (quæ & Salina & Salome dicta) uxore filii, Hyrcanus & Aristobulus. Uxori Regni administrationem testamento reliquit. Atque ei καταστῆσαι τὸν ἀρχιερατευσόμενον ἐπιτρέψας *arbitrium deligendi Pontificis permittens*, sub vigesimum octavum Pontificatus ac regni annum demortuus est. Illa Pharisæis mire addicta, ἀρχιερέα μὲν (ita Josephus) ἀποδείκνυσιν Ὑρκανὸν διὰ τὴν ἡλικίαν, πολὺ μέν τοι πλέον διὰ τὸ ἀπράγμον αὐτοῦ. *Pontificem Hyrcanum renuntiavit, ætatis quidem causa, sed magis ob innatam ei segnitiem.* Novennio aut circiter exacto, etiam & regnum accepit, mortua Alexandra, Hyrcanus, quem ab utraque dignitate, inito ad quod coactus est fœdere; post tres menses depulit Aristobulus frater. Sed Eusebius in

in fragmentis Græcis de Alexandra ; αὐτὴ τὴν βασιλείαν Ὑρκανῷ τῷ πρεσβυτέρῳ ἐπέτρεψε περὶ θάνατον, Ἀριστοβούλῳ δὲ τῷ νεωτέρῳ τὴν ἀρχιερωσύνην, *ea regnum Hyrcano, natu majori ; Pontificatum vero Aristobulo minori sub mortis tempore commisit*. Vide sis Josephum, præter lib. I. de bello Judaico cap. IV. lib. XIV. cap. I. lib. XX. cap. VIII. & lib. XV. cap. IV. & III. ubi secundum hoc facit exemplum Pontificis dignitate, veluti non perpetua, pulsi. Primum id quod jam dictum est supra de Jasone & Menelao sub Antiocho Epiphane ; δεύτερος δὲ, inquit, Ἀριστόβουλος Ὑρκανὸν ἀφείλετο τὸν ἀδελφὸν, *secundo Aristobulus fratrem suum hoc honore privavit*. Dissidium hoc inter fratres hosce causa fuit ingentis, quæ secuta est, apud Judæos calamitatis. Inde inprimis ansa Romanis data, ut Judæam invaderent. Et capta urbe, atque Templo usque ad sancta sanctorum reserato, vinctum Romam secum abduxit Aristobulum Pompejus, atque Pontificatum Hyrcano fratri cum Ethnarchia seu regno restituit. Etiam ex Senatus consulto & decreto principali, sub Julio Cæsare, Pontificatus Judæorum Hyrcano διὰ παντὸς κατὰ πάτρια ἔθη, *omnimodo secundum mores patrios* firmatur, adjecto insuper, ut habetur in Senatus consulto apud Josephum edito, ὅσα τε κατὰ τοὺς ἰδίους αὐτῶν νόμους ἐστὶν ἀρχιερατικὰ ἢ φιλάνθρωπα, ταῦτα κελεύω κατέχειν αὐτὸν καὶ τὰ τέκνα αὐτοῦ, *universa item jura Pontificalia & Beneficia, quæ ex jure Patrio debentur, ei & filiis ejus manere jubeo*. Scilicet pro ἀρχιερατικὸς ἢ φιλάνθρωπος ibi sic legendum ; uti & manu sua in codicis sui margine animadvertit præstantissimus Vir Isaacus Casaubonus. Vide Josephum lib. XIV. cap. XXII. De Jannæo autem atque Hyrcano & Aristobulo ejusdem filiis mendum est in Græcis Nicephori editis non prætermittendum. Proxime post verba illa de Aristobulo, qui primus diadema imposuit superius ex ejusdem Græco codice Ms. citato, seu numero (ut in impressis) λγʹ seu XXXIII. legitur, Ἰωάννης ὁ καὶ Ἰανναῖος καὶ Ὑρκανός. Τοῦτον ἀδελφὸς αὐτοῦ ἐξέωσεν. *Joannes, qui Jannæus & Hyrcanus. Hunc expulit frater ejus*. Tum ex re ipsa, tum ex latina ejusdem interpretatione restituendum. Ἰωάννης ὁ καὶ Ἰανναῖος, καὶ Ἀλέξανδρος. Ὑρκανός. τοῦτον, &c. *Joannes qui & Jannæus & Alexander. Hyrcanus. Hunc expulit frater ejus*. Adeo ut Hyrcanus fiat Jannæo non cognominis, sed successor. Postmodum vero Hyrcanus hic ab Antigono ex Aristobulo fratre demortuo, nepote, armis lacessitus, auxilia in eum præbentibus Parthis, captus est, & a Rege Parthorum vinctus traditus Antigono, qui auriculas ei dentibus truncabat ; quod ideo fecit μηκέτ' αὖθις εἰ αὐτὸν ἀφίκεσθαι τὴν ἀρχιερωσύνην διὰ τὸ λελωβῆσθαι, τοῦ νόμου τοῦ ὁλοκλήρων εἶναι τὴν τιμὴν ἀξιοῦντος, *ne ille propter hoc vitium ad recipiendum Pontificatum esset idoneus, quando lex hunc honorem non concedit, nisi ei, qui corpore sit integro*. Qua de re Josephus libro jam dicto, cap. XXV. lib. XV. cap. II. & Haloseos lib. I. cap. XI. Zonaras, Africanus in Eusebii fragmentis græcis, alii. Antigonus etiam regno Judæorum potitus Antonii jussu, paulo post Antiochiæ securi percutitur; Hyrcano interea Babylone a Phraarte Parthorum Rege comiter habito, atque a Judæis, quorum magna ibi erat frequentia, etiam pro Rege gentis suæ atque Pontifice ibi agnito. Is autem postea Hierosolymis, ab Herode Antipatri filio, regno a Romanis Judaico donato, honorifice sed in neutrum avitarum dignitatem receptus est. Nupserat autem Alexandro Aristobuli Regis filio minori atque Antigoni fratri, Alexandra Hyrcani filia, e qua is, jam demortuus, susceperat Aristobulum filium & Mariamnem filiam, Herodis uxorem. Pontificatum igitur jam non ex Successione hæreditaria, sed ex arbitratu regio pendere volens Herodes, prætermisso Aristobulo (cui, postquam dignitati minime idoneus redderetur Hyrcanus, jure sanguinis Pontificatus debebatur) nec sine minoris ejus ætatis, quæ sextumdecimum nondum superaverat annum, obtentu, Ananelum ἱερέα τῶν ἀσημοτέρων, *obscuri generis Sacerdotem*, sed ex genere Pontificali Babylone natum (sic Josephus) Pontificatu donavit. Quod sane pro contumelia summaque habuit injuria Alexandra, cujus filio Aristobulo dignitas debita. Hortatu igitur ac precibus tum Alexandræ tum Mariamnæ redditur demum Aristobulo annum decimum septimum agenti Pontificatus, depulso Ananelo ; quod exemplum facit tertium Pontificis, pro libitu, exautorati. Herodes autem metuens, ne Pontificatus hujusmodi ambitione etiam regnum adfectaretur, securitati suæ consulendum existimavit, adeoque Aristobulum lusu natantem aqua præfocari dissimulans curavit, atque Ananelo Pontificatum restituit; cum nec annum integrum eum tenuisset Aristobulus. Et tandem, ut regii atque Pontificalis Hasmonæorum stem-

ſtemmatis nemo ſuperſtes ei, ſive in regno retinendo ſive in Pontificatu conferendo, eſſet impedimento, Hyrcanum etiam e medio ſuſtulit. Nicephorus autem de Ariſtobulo hoc Mariamnæ fratre, Ἀριστόβουλος, inquit, υἱὸς Ὑρκανοῦ, ὃν ἀνεῖλεν Ἡρώδης, γαμβρὸς Ἀνανήλου, *Ariſtobulus filius Hyrcani, quem ſuſtulit Herodes, gener Ananeli*. Hyrcani quidem is ex filia erat nepos, non filius, tametſi in Euſebii Fragmentis, tam filius Hyrcani quam nepos dicatur. Sed Ananeli generum fuiſſe, nemo alius puto præter Nicephorum dixit. Ita demum deſiit tam Regnum quam Pontificatus in Haſmonæorum familia. Antigonum non Regem ſolum ſed & Pontificem faciunt recentiores plerique, etiam & Nicephorus patriarcha. Sed apud veteres nondum mihi Pontificatus ejus teſtimonii ſatis occurrit. Circa annos CXXX. in Haſmonæis, primo ex ſuffragiis populi, ſeu electione, poſtmodum ex jure avito ſeu ſucceſſione hæreditaria, quæ in Joanne Simonis filio cœpit Pontificatus permanſit.

CAPUT XI.

De Pontificum ab Ananelo *ſeu* Herodis Antipatri F. *tempore uſque ad* Templi ſecundi excidium *ſerie, ac qualitate, juxta* Flavium Joſephum.

EXtinctis ab Herode, ſub Octavio Cæſare, ita Haſmonæis, deſiit omnino in ſucceſſione Pontificali, aut juris perpetui aut hæreditarii ſeu ſanguinis legitima haberi ratio; pro arbitrio ſive Principum Romanorum ſive Regum ſeu Ethnarcharum præſidumve, quos ipſi Judæis præfecerant, ſive multitudinis tumultuantis (veluti Zelotarum,) Pontificibus, qui ſequuti ſunt conſtitutis ſummotiſque. Neque obſtat, quod in eis filiis interdum fratribuſque paterna ac fraterna obtigit dignitas. Non enim ex ſanguinis jure ſervato ſed ex conſtituentium libitu, non tamen ſine aliquo juris interdum forſan obtentu, id accidiſſe palam eſt. Series eorum, ab Ananelo, uſque ad Templi ſecundi, ſub Veſpaſiano Cæſare, excidium, id eſt annum Chriſti LXX. ſecundum Flavium Joſephum, Zonaram, alioſque ejus ſequaces, eſt hujuſmodi.

I. *Jeſus Phabetis F*, quo ſummoto, ſubſtituitur.

II. *Simon Boethi Alexandrini F.* Herodis ſocer. In Ruffini verſione nuncupatur hic filius Buzi; Jeſus autem Boethi filius. In ſtirpe Aharonica vir erat præclarus. Vide ſis Joſeph. lib. XV. cap. XII.

III. *Matthias Theophili F.* Hieroſolymitanus, Simone, ob conjurationis in Herodem ſuſpicionem, exautorato. Joſeph. lib. XVII. cap. VI.

IV. *Joazarus Simonis Boethi F.* & Herodis uxori frater craſſus eſt, Sigonii atque recentiorum aliquot, Joſephum Ellemi F. Matthiæ ſucceſſorem facere. Is enim duntaxat vicarius ei fuit ſeu Pontifex ſecundarius, idque vice tantum in feſto Expiationum, unica; quod ex Joſepho manifeſto liquet. Vide eum lib. XVII. cap. VIII. Idem hic eſt, qui in Gemara Hieroſolymitana ad tit. *Joma* cap. I. fol. 38. col. 4. & ad tit. *Megilla* cap. I. fol. 72. col. I. appellatur בן אילם *filius Eillem*, ubi memoratur hiſtoria בבן אילם מציפורין שאירע קרי לכהן גדול ביום הכיפורים ונכנס בן אילם ושימש תחתיו בכהונה גדולה *de filio Illem ex urbe Sephori, qui cum feſto Expiationum fluxus ſeminis pontifici accidiſſet, ingreſſus eſt & vicariam ei in pontificatu præſtitit operam*. Somniaſſe eum ait Joſephus cum uxore congreſſum habuiſſe (quod idem eſt) ideoque ob pollutionem vicarium, pro jure patrio, ſuffectum. Tantundem legitur in eadem Gemara ad tit. *Horaijoth* cap. III. fol. 47. col. 4. ubi בן אלם E*llem* exaratur. Sed loco illo corrigendum eſt בציפורים in *Seppbori*, & legendum מציפורים *ex Seppbori*, id eſt, Sepphorita. Idem habetur in Gemara Babylonica ad tit. *Megilla* c. I. fol. 9. b. Summoto au-tem Matthiæ ſucceſſit, juſſu Herodis, Joazarus, Ruffino Azarus dictus, cujus in Pontificatu natus eſt JESUS CHRISTUS, ut adnotat Nicephorus Patriarcha, qua de re conſulas Dionyſium Petavium l. X. de Doctrina Temporum c, LV.

V. *Eleazarus Joazari frater* ab Archelao Tetrarcha Judææ, ſummoto Joazaro, ſuffectus eſt. Joſeph. l. XVII. cap. XV.

VI. *Jeſus filius Sie.* Pontificatum diu non geſſit Eleazarus, ἐπικατασταθέντος αὐτῷ ζῶντι Ἰησοῦ τοῦ Σιὲ παιδός *ſubrogato in viventis locum Jeſu Filio Sie*, ut. Joſephus Ruffinus ibi, *ſuper ipſum ipſum conſtituit Jeſum Soæ Filium*.

VII. *Joazarus* iterum Pontifex, a Quirino præſide pulſus. Joſeph. lib. XVIII. cap. I. & III.

VIII. *Ananus F. Seth*, a Quirino præſide ſuffectus; Annas item dictus, in Evangeliis.

IX.

IX. *Ismaelus Phabi Filius*, a Valerio Grato, sub Tiberio Cæsare, Judææ præside, constitutus; ademta Anano dignitate. Ruffino, filius Jabi Mendose citatur Josephi de eo locus, in nonnullis codicibus Eusebii Demonstrationis lib. VIII. ubi Ismaelum Τοῦ φήβα *Tu Pheba* legimus pro Ismaelum & τοῦ Φαβὶ *filium Phabi*. Etiam interpres oscitanter mendum retinet. Idem in Chronico Alexandrino pag. 158. editionis Raderianæ, diritur τοῦ Βαφὲ *Filius Baphi*, ex Josepho etiam citatus, quemadmodum itidem apud Eusebium Hist. Ecclesiast. lib. I. cap. X. Sed verum patris nomen erat באפי פאבי *Phabi* non *Baphi*, si Hebræis fides; ut videre est in Misna tit. *Perah* seu de Vacca rubea cap. III. alibi.

X. *Eleazarus Anani* Pontificis filius, a Grato substitutus, remoto Ismaelo.

XI. *Simon Camithi* (Cathimi Eusebio in Demonstrat. VIII.) filius, pulso post annum in dignitate exactum, Eleazaro ab eodem suffectus præside Chronico Alexandrino τοῦ Καμαθεὶ nuncupatur. Ebræorum commentariis scribitur patris nomen קמחית *Cambith*. Vide sis Gemaram Hierosolymitanam ad tit. *Joma* cap. 1. fol. 38. col. 4. & ad tit. *Megilla* cap. I. fol. 72. col. 1. Ubi *Simeon Ben Cambith* Pontifex memoratur. Sic etiam eadem Gemara ad tit. *Horaijoth* cap. III. fol. 47. col. 4. & in Babylonica ad tit. *Joma* cap. 5. fol. 47. a. ubi tamen pro *Symeon Ben Camith* depravate in nonnullis exemplaribus *Ismael Ben Camith* legitur; quod plane emendandum.

XII. *Josephus*, *Caiphas* item dictus, Anani seu Annæ gener, post annuum Simonis Pontificatum successor ei a Grato datus est. Ruffinus; *Simon Josephum, cui Caiphas nomen fuit, habuit ordine successorem*; quibus verbis posterioribus in Græco respondent tantum διάδοχος ἦν αὐτῷ *Successor ei erat*. Sub hoc passus est Christus; ut in Evangeliis.

XIII. *Jonathas Anani* Pontificis filius a Vitellio Syriæ proconsule substitutus, Caipha remoto. Joseph. lib. XVIII. cap. VI. & VII.

XIV. *Theophilus* item Anani ejusdem filius, fratre pulso, ab eodem suffectus, imperante Cajo.

XV. *Simon Boethi filius*, Cognomento Cantharas, ab Herode Agrippa Rege, summoto Theophilo, surrogatur, imperante Claudio. Joseph. lib. XIX. cap. V. ubi hæc adjicit; Δύο καὶ ἦσαν ἀδελφοὶ τῷ Σίμωνι καὶ πατὴρ Βοηθὸς, οὗ τῇ θυγατρὶ βασιλεὺς συνῴκησεν Ἡρώδης, ὡς ἀνωτέρω δεδήλωται. Σὺν τοῖς οὖν τὴν Ἱερωσύνην ἔσχεν ὁ Σίμων καὶ σὺν τῷ πατρὶ, καθὰ καὶ πρότερον ἔσχον οἱ Σίμωνος τοῦ Ὀνία παῖδες τρεῖς ὄντες ἐπὶ τῆς τῶν Μακεδόνων ἀρχῆς, ὅπερ ἐν ταῖς προαγούσαις γραφαῖς παρέδομεν. *Erant autem Simoni fratres duo & Boethus pater, cujus filiam Herodes Rex uxorem duxerat, quemadmodum in superioribus* (lib. XV. cap. XII.) *declaratur. Tam igitur ipse quam pater & fratres Pontificatum adeptus est, uti etiam antea Simonis Oniæ filii tres, sub Imperio Macedonum, quod supra item memoratur.* Simonis itaque Boethi Alexandrini (qui & Boethus dictus) filius erat Cantharas natu minimus, & Joazaro atque Eleazaro, qui quartum heic numerum & quintum occupant, frater.

XVI. *Matthias Anani* Pontificis filius, pulso Simone Canthara, substituitur ab Herode Agrippa; Jonatha fratre, cui dignitatem restituere volebat Herodes, eam recipere nolente, sed Matthiam ut maxime idoneum indicante.

XVII. *Alionæus* ab eodem Agrippa, summoto Matthia, surrogatus. Hunc Josephus, ut in excusis legitur, appellat τὸν τοῦ Κιθαίου παῖδα *filium Cithæi*. Sic lib. XIX. cap. VII. Sed legendum potius τὸν τοῦ Κανθάρου Κανθήρου, seu Κανθύρου (nam ita variat hujus nominis scriptio) παῖδα *filium Cantharæ, Chantaræ* seu *Canthyræ*. Suadet sane Ruffini versio; *Matthia Pontificatu spoliato, pro eo constituit Sacerdotem Elioneum Cantharæ natum*. E idem firmat ipse alibi Josephus. Nam Herodem ait, Agrippæ jam demortui fratrem, Chalcidis principem, cum sibi a Claudio Cæsare jus Pontificum Hierosolymis eligendorum impetrasset, dignitate summovisse τὸν ἐπικαλούμενον Κανθήραν *eum cui Cantheras* (Ruffino Cantharas) *cognomento erat*, quo nomine Alionæum denotari palam est. Unde & Sigonio Simonis Cantharæ Pontificis filius diserte nuncupatur. Paterno scilicet cognomine donatus est. Vide sis Joseph. lib. XX. cap. 1. Quod vero ibi legitur, Herodem hunc a Claudio Cæsare petisse τὴν ἐξουσίαν τοῦ νεὼ καὶ τῶν ἱερῶν χρημάτων, καὶ τὴν τῶν ἀρχιερέων χειροτονίαν, πάντων τε ἐπέτυχεν, ἐξ ἐκείνου τε πᾶσι τοῖς ἀπογόνοις αὐτοῦ παρέμεινεν ἡ ἐξουσία μέχρι τῆς τοῦ πολέμου τε-

λῶτῆς, quod Gelenio vertitur, *potestatem in templum & ſacrum ærarium, juſque eligendorum ſummorum Pontificum. Impetravitque hæc omnia ita ut etiam poſteris ejus idem jus manſerit uſque ad belli exitum*. Id ſi recte ſic vertatur, intelligere omnino nequeo. Nam Pontificum creatio poſt ejus exceſſum ad Agrippam juniorem Regem ejus fratre nepotem attinuit, ut in ſequentibus videre eſt. Et poſteri Herodis illius fuere filii tres, Ariſtobulus, Bernicianus, Hyrcanus, quorum nemo Pontificem omnino præfecit. Anne igitur locus ita potius vertendus? *omnia impetravit, adeo etiam ut poteſtas poſteris ejus manſerit uſque ad belli exitum*. In Templum ſcilicet & ærarium ſacrum; ita ut de jure Pontificis eligendi locus, qua poſteros ſaltem ſpectat, neutiquam fuerit capiendus. Idem habet & Zonaras, ut pleraque alia, quæ de Pontificibus, Joſephus.

XVIII. *Joſephus filius Canei*, Ruffino, filius Cami, ſucceſſor Alionæo ab Herode Chalcidis principe datur. Idem Flavio Joſepho etiam filius Camydi vocatur, dicto libro, cap. III. Puto קמיתי ſeu *Camithi* patris nomen fuiſſe.

XIX. *Ananias Nebedæi* filius ab eodem Herode, qui & Joſephum exautoravit ſuffectus.

XX. *Iſmaelus Phabei F.* ab Agrippa juniore Rege imperante Nerone ſuffectus. Joſeph, lib. XX. cap. VI. Ruffino, filius Siab dicitur, & Sigonio Siæ.

XXI. *Joſephus* cognomento *Cabei* (Ruffino *Gaddis*) Simonis Cantharæ filius, ab Agrippa item, Iſmaele Romæ cum Chelcia gazophylace obſidis nomine retento, Pontificatu ſub Nerone donatus.

XXII. *Ananus Anani* (Annæ item dicti) filius quintus ab Agrippa Rege Joſepho Pontifice privatam vitam agere juſſo, ſubſtituitur.

XXIII. *Jeſus Damnæi* (Ruffino Dannæi) F. Anano exautorato, ab eodem Rege in dignitatem evectus.

XXIV. *Jeſus Gamalielis F.* Damnæi filio ſummoto, ab eodem ſuffectus.

XXV. *Matthias Theophili F.* ab eodem etiam dignitate, pulſo Jeſu Gamalielis F. donatus.

XXVI. *Phannias Phanaſius* item dictus, Samuelis F. a populo tumultuante ſeu Zelotis, ſorte electus, cujus in in Pontificatu, urbis & Templi ſub Veſpaſiano excidium. Obtenſus etiam eſt tunc mos antiquus ſed falſo, ſorte creandi Pontifices. Vide ſis Joſephum lib. XX. cap. VIII. & Haloſeos lib. IV. cap. XII. ubi, μεταπεμψάμενοι, inquit, μίαν τῶν ἀρχιερατικῶν φυλῶν, Ἐνιακεὶμ καλεῖται, διεκλήρουν ἀρχιερέα, λαγχάνει δὲ ἀπὸ τύχης ὁ μάλιστα διαδείξας αὐτῶν τὴν παρανομίαν, Φαννίας τις ὄνομα υἱὸς Σαμουήλου κώμης Ἀφθίας, ἀνὴρ οὐ μόνον ἀνάξιος ἀρχιερεὺς, ἀλλ' οὐδ' ἐπιστάμενος σαφῶς, τί ποτε ἦν ἀρχιερωσύνη, δι' ἀγροικίαν, *accita una generis Pontificii tribu (cui nomen Eniacim) pontificem ſorte eligebant; caſuque ſors exit Phanniæ Samuelis filio ex vico Aphtha, unde maxima eorum legum violatio indicabatur. Homo ſcilicet is erat non ſolum Pontificatu indignus, ſed etiam qui ob ruſticitatem, nec quid Pontificatus eſſet, omnino dignoſceret*. Ita locus ille vertendus, non ut Ruffino, cui pro eo quod eſt *Pontificatu indignus*, ſubſtituitur *non ex Pontificibus ortus*; perperam & contra Joſephi mentem. Sed quænam hæc tribus ex genere Pontificio? an familia aliqua Eleazaridum, qui proprie magis Pontificalis generis dici ſoliti, an ex Sacerdotum vicibus aliqua, quæ omnes, utpote ab Aharone oriundæ, etiam Pontificales dici potuere? Certe in XXIV. illis a Davide inſtitutis vicibus habetur vigeſima prima Jachin dicta, 1. Paralip. XXIV. 17. An ex *Joachin*, *Eniacim* (ut legit Ruffinus) ſeu *Eniacim* factus? Forte etiam tribus illa familiam aliquam eo nomine cognitam & tunc primo in eorum, qui contra leges patrias ſub Romanorum Imperio Pontificatum invaſerant, aliquo ſtemmate ſignatam denotavit. Niſi potius intelligi velis nomen aliquod novatæ illius claſſium Sacerdotalium diſtributionis ſub initium Templi ſecundi, de qua ſupra capite primo. Nam tametſi Joſephus diſtributionem Davidicam uſque ad ſuum tempus manſiſſe ajat, ipſumque ſe ex prima viginti quatuor claſſe oriundum in vita ſua aſſerat, cum nihilominus Talmudici, ut ibi oſtendimus, tradant Claſſes ſeu ſtationes alias viginti quatuor factas, vetereſque ita tantum in poſterum dignitatem locumque ſortitas, quatenus novatæ diſtributionis claſſibus ſingulæ accederent, fieri potuit, ut accedentibus poſtmodum veterum, aliis vero earum minime accedentibus, ſaltem non ita accedentibus, nomina, partim diſtributionis

nis

nis veteris, partim novæ in Orbe illo Hieratico, ut viris magnis nuncupatur, comperirentur; quod inprimis advertendum est eis, qui de Orbe illo ac Abiæ loco octavo tam fidenter pronuntiant. Quin forte Josephus non tam ipsas familias Davidicæ distributionis, quam similem numerum ad sua tempora durasse intellexit. Sed viderint perspicaciores.

Et de Pontificum, juxta Josephum, laterculo, usque ad Templi secundi excidium hactenus. Horum autem universi, tametsi ex jure Pontificali seu cognationis non succederent, Sacerdotes tamen fuere atque ex genere Aharonico, ut diserte Josephus. Nam Herodes (inquit ille lib. XX. cap. VIII.) accepto a Romanis regno non amplius ex Assamonæorum genere creavit Pontifices, sed honorem illum τοῖς ἀσήμοις καὶ μόνον ἐκ ἱερέων οὖσι, πλὴν ἑνὸς Ἀριστοβούλου ἀπένειμε; *quibusvis ex Sacerdotibus etiam obscuris, absque uno Aristobulo, concessit. Idem fecit in ordinandis* (sic ille paulo post) *Pontificibus Archelaus ejus filius, & Romani qui post illum cum potestate præfuerunt provinciæ.* Quem locum ita male accepit & suis interseruit Eusebius in octavo Demonstrationis, ut contra Josephi mentem, Herodem cæterosque, qui cum potestate præfuere, Pontifices constituerit ἀσήμους καὶ μόνον ἐξ Ἑβραίων ὄντας *obscuros & ab Ebræis tantummodo oriundos*; ac si generis Sacerdotalis ratio postmodum nulla fuisset habita. De ea re item vide Is. Casaubonum Exercitat. in Baronium I. §. 8. Certe & Zonaras, alioquin Josephi sequacissimus, ait quidem Pontifices ex Aharonico sanguine plerunque constitutos, εἰ καὶ μὴ μέχρι παντὸς τὸ ἔθος τοῦτο τετήρηται, *etsi ea consuetudo semper non est observata*. Quam tamen violatam nullibi puto constabit. Numerus, quem assignat Josephus, loco jam citato, Pontificibus ab Herodis initiis ad Templi excidium constitutis, id est viginti octo, ex hisce viginti sex & Aristobulo atque Ananelo [de quibus capite superiore] constatur.

CAPUT XII.

Nicephori Patriarchæ *Pontificum intervalli jam dicti laterculus in vulgatis codicibus emendatur. De Pontificum nomine* Annæ *simul &* Caiphæ *in Evangelio tributo, atque* Chanameele Ægiptio *&* Ismaele Ben Elisha *Pontificibus, nec Josepho, nec Christianis scriptoribus, memoratis. De Jesu Ben Gamla* ac tempore Hasmonæorum. Alia ex Talmudicis de Templi secundi Pontificibus.

IN Nicephori patriarchæ Pontificum serie, horum quos diximus aliquot prætermittuntur; alii etiam præter hosce interdum inseruntur; idque in codice, quem memoravimus Ms. Sed & in eo reperitur, unde impressus corrigatur augeaturque. Pro Ἐλεάζαρ, Ἰησοῦς, Ὠσηέ, Ἰωασάρ, apud eum legendum proculdubio, Ἐλεάζαρ, Ἰησοῦς υἱὸς Σιέ, Ἰωασάρ, *Eleazar, Jesus filius Sie, Joazar*, uti etiam habet editio latina; adeo ut unicum constituatur nomen, juxta ipsam veritatem, inter Eleazarum & Joazarum. Quod vero habet Nicephorus sub Caiphæ Pontificatu, ἐπὶ ἐνιαυτὸν δὲ ἕνα μόνον οἱ τε ἀρχιερεῖς ἐγίνοντο, *In annum unicum duntaxat constituebantur Pontifices*, ex codice Ms. legendum est, οἱ τότε ἀρχιερεῖς ἐγένοντο, *Pontifices qui tunc fuere constituebantur*. Adjicit dein, Caipham ideo fuisse Pontificem anni illius, quo Christus passus est; τοῦτον δὲ, inquit, μεθίστησι Βιτέλλιος στρατηλάτης Ῥωμαίων. *Hunc vero destituit Vitellius dux Romanorum*. Ita enim ex Ms. etiam corrigendus est codex impressus, qui Μετέλλιος habet, ut recte pridem conjecit itidem Isaacus Casaubonus in Annales Ecclesiasticos Exercit. XIII. §. 4. Atqui error est, Pontificatum tunc ex more semper fuisse annuum existimare, tametsi binorum qui præcessere, Simonis scilicet & Eleazari Pontificum dignitatem annuam fuisse ex Josepho satis liqueat. Et male acceperunt Josephum Nicephorus & Cedrenus, quorum alter a Caiphæ, alter ab Anani seu Annæ Pontificatu annuam fuisse semper dignitatem tradidit. Vide sis Cedrenum pag. 155. Etiam & Eusebium in Chronico num. MDCCCCLXXXIII. Compluribus autem annis Pontificatum gessit Caiphas; idque tam ante quam post Christi passionem. In sacram enim evectus est dignitatem a Valerio Grato circa quinquennium ante Christum passum. Nam sub id tempus Pontius Pilatus ei successor datus est. Neque est

de-

destitutus, antequam Pilatus decennio in provincia exacto Romam accusatus proficiscebatur, & rebus Judaicis prospiciens Vitellius Syriæ Præses in Caiphæ locum Jonathan Annæ filium suffecit. Vide sis Joseph. lib. XVIII. cap. III. V. & VI. Eusebium num. MMXLII. & D. Luc. III. 2. De initiis autem Caiphæ plura atque alia, Cæsar Baronius in Annalibus, Josephus Scaliger in Prolegomenis ad Thesaurum, ac Dionysius Petavius in X. de Doctrina Temporum, cap. LV. At in citato D. Lucæ loco, ubi anno XV. Tiberii, quo Pilatus Judææ procurator biennium aut circiter dignitatem gesserat, conjunguntur Pontifices simul bini Annas & Caiphas. Verba sunt, ἐπὶ ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα *sub Pontificibus Anna & Caipha*. Quo tamen tempore Caipham Pontificatum solum tenuisse discimus ex Josepho. Et de Anna & Caipha simul Pontificum nomine memoratis, alia sunt in novo Fœdere obvia. Quintuplex fere hac de re habetur sententia. Prima eorum qui dignitatem seu functionem Pontificiam unico, ex jure communi, tantum debitam, violatis jam sub Romanis sacris Ebræorum legibus, sive binis simul sive alternatim etiam eodem in anno volunt donatam fuisse. Atque hæc vetusta est, cujus vestigia habes manifesta apud D. Augustinum in Joannem tract. XLIX. Secunda, hosce uti tunc ceteros annuis muneribus fuisse functos. Vide Nicephorum in Caipha, Eusebium Hist. Eccles. lib. I. cap. X. & Demonstrationis lib. VIII. Dionysium Petavium lib. X. de Doctrina Temporum cap. LVI. & commentariorum in D. Lucam & Joannem consarcinatores. Tertia sententia est, Annam ibi Pontificem dici aut eo, quod illo nomine etiam, qui eam dignitatem antea gesserant, exautorati uti solebant [quemadmodum & supra, ubi de Alcimo agitur monuimus] aut quia stationis alicujus Sacerdotalis princeps erat adeoque ἀρχιερεὺς seu Summus Sacerdos vocitabatur. Certe & Annam antea dignitatem tenuisse, ex Josepho manifestum est. De hac sententia vide sis Carolum Sigonium lib. V. de Repub. Ebræorum cap. II. ejusce sequaces. Quarta sententia est, Annam fuisse Pontificem secundarium, *vicarium* seu סגן Caiphæ, ideoque Pontificis simul cum Pontifice primario nomine designatum. Certe Josephus Ellemi filius, qui Matthiæ Theophili filio συνιεράσατο *in sacris adjutor erat* & vicarius unicum in diem, id est Expiationis festum, nuncupatur etiam Josepho ἕτερος ἀρχιερεὺς *Pontifex alter*. Vide eum lib. XVII. c. VIII. Et in Magistrorum commentariis, vicarius pontificis, etiam pontificis nomine diserte indigitatur, quod vide in iis, quæ sub finem hujus capitis & capite primo libri sequentis ea de re occurrunt. De hac sententia consulas Josephum Scaligerum in Prolegomenis Thesauro Temporum præfixis, Casaub. Exercit. XIII. §. 4. & 5. & Constant. *L' Empereur* ad tit. Talmud. *Middoth p.* 180. Quinta demum est Illustriss. Cardinalis Baronii, qui cum posteriore sententiæ tertiæ parte, quæ stationum Principatu nititur, aliam conjungit de Synedrii Magni Principatu velut huc attinente. *Non dicimus* (sic ille in Annalibus Ecclesiasticis ad annum Christi XXXI.) *Annam hac tantum ratione* (quoniam nimirum erat ordinis seu stationis alicujus Sacerdotalis Princeps) *esse dictum Principem Sacerdotum, sed & alia prorsusque diversa, quam subinferimus. Erat quidem apud Judæos ex Senioribus atque Magistris conflatum Collegium, quod ab illis Synedrin* [*alias Sanedrin*] *dicebatur, constabatque ex septuaginta duobus viris. Hujus originem a Deo per Mosen institutam habes in libro Numeri, quando Deus Mosi præcepit, ut septuaginta viros deligeret, quos Senes & Magistros populi esse nosset. Hoc seniorum Collegium junctis duobus aliis, qui Heldad & Medad personas agerent* [*qui licet remansissent in castris, eodem tamen afflati spiritu prophetarunt*] *numero septuaginta duorum semper perseveravit in posteris. Erat horum summa autoritas, ut qui de lege cognoscerent ac de propheta ac simul de Regibus judicarent.* Deinde pauculis interjectis; *Modo autem* [*quod ad rem propositam pertinet*] *qui prædictorum seniorum primus haberetur, idem Princeps Sacerdotum dicebatur; cum alioqui summus Sacerdos primum omnium locum teneret, cunctisque præesset Principibus Sacerdotum: Eratque horum perfunctio instar præfecturæ Mosis & Aaron, quorum quandam similitudinem exprimebant. Sicque Anna, cum esset ejusmodi Collegii Princeps, merito sicut & Caiphas, Princeps Sacerdotum dicebatur, licet utriusque functio esset omnino distincta.* Et paulo post: *Videas insuper in Evangelio* (D. Joannis capite) XVIII. *cum Christi causa ageretur, ac subinde de vero Propheta quæstio esset, eundem primo ad Annam, tanquam ad Principem Sacerdotum illius Collegii esse perductum, ac demum ad Caipham, sine cujus assensu sententia ferenda non erat. Videas etiam apud Acta Apostolorum, cum de le-*

ge esset judicium, nimirum de fide Christi, quam prædicabant Apostoli, in eo consessu primo loco nominatum Annam, inde Caipham, postea juxta consessus ordinem Joannem, Alexandrum ac ceteros. Hæc sunt quæ de Anna & Caiphæ Principatu Sacerdotum inter se distincto habuimus dicenda. Quod ad harum sententiarum primam attinet, certe nullibi binorum simul Pontificum pari jure simul utentium mentio extat. Et crebro apud Talmudicos occurrit, אין מושחין שנים כהנים גדולים כאחת *non ungebant binos in Pontificatum simul*. Vide sis Gemaram Hierosolymitanam ad tit. *Horaijoth* c. III. fol. 47. col. 4. Tantundem habetur eadem in Gemara ad tit. *Joma* c. 1. fol. 38. col. 4. & ad tit. *Megilla* c. 1. fol. 72. col. 1. Item Maimonides halach. *Celi bammikdasch* cap. IV. אין ממנין שני כהנים גדולים כאחת *Non constituebant binos simul Pontifices*. Tantundem non raro in Talmude item Babylonio. Neque ævo illo, quo venalis fuit & tam desultoria dignitas, bini ullibi pariter admissi simul leguntur Et quod de Abiathare Zadoco conjuncto supra habetur, aut apud Josephum de Manasse, qui μέτοχος τῆς ἀρχιερωσύνης *Pontificatus particeps erat* cum Jaddua, id de Vicario aut Segene potius capiendum. Quod de similibus dicendum. Secunda vero, quæ Pontifices vult annuos adeoque unico in anno commistos Annam & Caipham, tametsi Josephi Pontificum laterculo nimium adversetur, habet tamen etiam in commentariis Ebræorum, quibus aliquantulum asseratur. Etenim de annui Pontificatus usu in posteriori Templi secundi ævo expressa est mentio in Gemara Babylonica ad tit. *Joma* c. 1. fol. 8. b, ubi de Pontificatu pretio redimi solito agitur. Verba sunt, ומחלפין אותה כל שנים עשר חודש *Et permutabant illum singulis annis.* Unde etiam conclave, in quod sub festum expiationis se recipere solebat Pontifex לשכת בלווטן *Conclave Consiliariorum* seu *Principum* veteribus dictum, postea לשכת פרהדרין seu פלהדרין, id est, *conclave Præfectorum Palatinorum* seu *Regiorum* vocitatum ajunt, quoniam מחלפין אותה כל יב׳ חודש כפרהדרין הללו שמחלפין אותו כל יב׳ חודש *permutabant Pontificatum singulis annis, quemadmodum Palatina seu Regia officia singulis annis permutari solita*; ut verba sunt ejusdem Gemaræ. Vide ad Misnam eandem Obadiam Bartenorium. Atqui interea temporalis hujusmodi permutatio, veluti lege aut more certo subnixa sibive constans, alibi apud veteres non est satis comperta. Etiam de compluribus in ipso, de quo loquitur Gemara intervallo (nam ad Hasmonæorum tempora, & ea quæ Simeonem Justum sequuntur, spectat) constat satis eos non fuisse annuos sed perpetuos, qua tamen de re vide, quæ sub finem capitis hujus habentur. Quod ad sententiam tertiam & quartam attinet, certissimum quidem est, tum Pontificum Vicarios, tum eos, qui sive Pontificatu destituti sunt seu Expontifices sive stationibus præerant Sacerdotalibus eo nomine insigniri solitos, etiam & eos quibus erat Pontificibus sanguis conjunctior. Unde Josepho (ex quo similia Zonaras, alii) lib. XX. cap. VI. dicitur, Ἐξάπτεται τοῖς ἀρχιερεῦσι στάσις πρὸς τοὺς ἱερεῖς, &c. ἕκαστός τε αὐτῶν στῖφος ἀνθρώπων θρασυτάτων καὶ νεωτεριστῶν ποιήσας. *Pontifices dissidere cœperunt* (de tempore Agrippæ junioris & Ismaelis Phabæi filii Pontificatu loquitur) *a Sacerdotibus*, &c. *& singuli incedebant stipati manu audacissimorum & seditiosorum hominum*. Et Haloseos lib. II. cap. XXI. de Numidio Quadrato Syriæ Præside, *ad Cæsarem*, inquit, *misit* τοὺς ἀρχιερεῖς Ἰωνάθην καὶ Ἀνανίαν *Pontifices Jonathanem & Ananiam*, ubi etiam Jonathan seorsim paulo ante Pontifex nominatur. Cum tamen is diu antea esset exautoratus, uti ex laterculo liquet. Ananias autem ipsam Pontificatus dignitatem tunc gerebat, quod ex libro XX. cap. III. & V. manifestum fit. Atque ut Annas & Caiphas simul apud D. Lucam junguntur Pontificum nomine (scilicet si nominis tantum communionem spectes) ita apud Josephum Jonathas & Ananias. Neque mirum forte videatur, Annam præ ceteris ita cum Caipha apud D. Lucam conjungi, qui ipse Expontifex tanti esset apud populares honoris, ut non solum quinque haberet, ut in laterculo, filios omnes Pontifices (quod nemini antea accidisse notat Josephus) atque nunc Pontificem generum, sed etiam primarias in actione in humani generis Redemptorem partes velut jurisdictionis seu potestatis civilis, quæ Pontificibus tunc permissa est, socius ageret, quemadmodum a D. Johanne docemur. At in Actor. Apost. IV. 6. congregantur Annas Pontifex, & Caiphas, & Joannes, & Alexander, καὶ ὅσοι ἦσαν ἐκ γένους ἀρχιερατικοῦ *& quotquot erant ex genere archieratico* seu *Pontificali*, ubi Annas ita vocatur, officio sacro Caipha etiam tunc fungente. Quin utrique Pontificum nomine nuncupantur etiam exautorati, apud Joannem Antiochenum Ms. lib. X. hi-

historiarum, ubi, nescio qua fide, tradit, Annam & Caipham Pontifices cum Pilato vinctos, Neronis Augusti jussu, Romam ductos esse, atque ibi de judicio atque actione in Jesum Christum respondisse. Locus habetur in Excerptis Antiocheni nuper ab Henrico Valesio ex Constantino Porphyrogenito editis. Sed codex ferme integer, librorum ejus octodecim, extat in Bibliotheca Oxoniensi publica; cujus & editionem brevi futuram speramus. Summa est, & Vicarios & exautoratos, & sanguine proxime conjunctos, stationumque Sacerdotalium Principes, Pontifices seu summos Sacerdotes nuncupari frequenter; id quod etiam in Evangeliis passim satis liquet. An vero ex hisce fuerit rite elicienda ratio, curnam Annas ita cum Caipha nomine Pontificis conjunctus ei præponatur, viderint eruditi. Ni pro Expontifice aut Vicario sumatur, vix sane est ut ex sententiis de Pontificis nomine, notionibus jam ante, dictis communicato, allatis locum heic habere Annam quis admittat. At neutro modo ita Caiphæ præponendus fuisset, utcunque alias dignitatis præ ceteris egregiæ, quod supra monitum est. Et Segenis dignitas ejusmodi erat, ut solenni ritu proxime secundus Pontifice dextrum ejus latus, quemadmodum ראש בית אב seu *Princeps familiæ Sacerdotalis* (quæ puto vice sua sacris operam daret) sinistrum in functione sacra clauderet, quod docemur in *Misna* tit. *Joma* cap. III. & IV. alibique. Nec sane temere credendum videtur, D. Lucam, qui Tiberii Augusti, Pilati Procuratoris, ac Tetrarcharum nomine, annum, quo de loquitur, signasset, statim bina etiam ad tempora Ebraica denotanda, Pontificum nomina subjungere voluisse, quorum alterum aut Expontifex aut Vicarius tantum; cum morem certissimum majorum fuisse sciamus, eorum qui rebus ipsi præerant, non Vicariorum aut Legatorum nedum exatoratorum nominibus annos & tempora signari. In re tam hactenus inaccessa atque obscura nimium hærere me fateor. Sed vero dum sententiam quintam, quæ Baronii & de Synedrio Magno est, intueor; tametsi a Viris doctis fere rejectam video, hanc nihilominus penitus introspectam utcunque non ipsum quod heic verum est, certe verisimilioris sententiæ ansam præbere non illibenter existimarim. Scio quidem egregium illum virum hallucinationem ibi habere exploratissimam de numero illius Synedrii, quod non e LXXII. viris sed LXXI. perpetuo constabat. Nec ex Ebræorum more consessus habebatur Juridicus, in quo numerus non semper impar. Haud minus a vero discedit, dum Synedrii illius Principem semper Sacerdotum Principem dici admittit. Nec eo modo Annam a Caipha distinctum, ut verbis citatis vult ille, concedere possum. Sed tamen utrumque ex Synedrii magni dignitatum ratione ita simul nominatum non male forsan conjecerit, quisquis rem totam cum Ebræorum moribus rite perpenderit. Exhibere inter tot sententias etiam mihi liceat conjecturam. Eam ut explicem firmemque, præmittenda sunt nonnulla, quibus subnitatur. Primo, ex primaria Reipublicæ Hebræorum institutione, omnimodam jurisdictionem ordinariam cum imperio conjunctam fuisse in Regibus, Principibus, seu Judicibus, atque in Synedriis sive Magno illo Hierosolymitano, qui consessus erat LXXI. virorum, sive in ceteris XXIII. virorum, quæ per urbes disposita. Id scilicet in Hebræorum Commentariis passim liquet. Secundo, Pontificem seu Sacerdotem summum, quatenus tantum sacra functione insigniebatur, cum imperio ex primaria illa institutione non præfuisse, adeo ut non male quis dixerit (ad exemplum locutionis usurpari solitæ de Episcopis, quibus territoria, diœceses & Jurisdictio, & de Suffraganeis, quibus etiam est Episcopalis dignitas seu Ordinis potestas, sed cetera desunt) ad Pontificem ea, quæ sunt Ordinis, plene attinuisse, quæ vero Jurisdictionis, ad Principes & Synedria. Tertio, sive extra ordinem interdum sive innovata, ut sub Templo secundo, maxime sub Hasmonæis, ac tempore insequenti, Reipublicæ administratione, ita conjunctam fuisse Pontificis ac Principis dignitatem, ut qui Pontificatum gereret, is etiam plerumque rebus cum imperio præesset. Quarto, Hebræis in Romanorum potestatem tandem redactis, ac dignitate Pontificia, qua sacra functio erat, ita pro arbitrio Præsidum atque procuratorum conferri (ut ostensum est) solita, Jurisdictionem Hierosolymis omnimodam, præter eam quæ Hebræis permissa est, Præsidibus ac procuratoribus illis cessisse. Quinto, Hebræis tunc permissam esse a Romanis Jurisdictionem quandam utcunque minutam, qua judicia aliquot juxta leges patrias exercerent. Sexto, ex hac permissione Synedrium illud magnum ita etiam in temporibus, de quibus loquimur, scilicet Chri-

Christo Hierosolymis agente, locum habuisse, ut in eo de rebus gravioribus, veluti de Propheta (qua de re rectissime Baronius, ut expressim docemur ex Misna tit. *Sanhedrin* cap. I.) agi soleret, Hinc est quod habetur in D. Marc. XIV. 53. *Et adduxerunt Jesum ad* (πρὸς τ̃ ἀρχιερέα) *Pontificem* seu *summum Sacerdotem*, *& convenerunt apud eum omnes* (οἱ ἀρχιερεῖς) *Pontifices* seu *summi Sacerdotes & Seniores & Scribæ, &c. Omnes autem summi Sacerdotes*, seu *Pontifices*, seu *Principes Sacerdotum* (nam ita ἀρχιερεῖς indiscriminatim redditur) καὶ ὅλον τὸ Συνέδριον *& totum Synedrium*, seu *omne Concilium quærebant adversus Jesum testimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant*. Idem etiam capite proximo Evangelista, *consilium*, inquit, *inibant summi Sacerdotes cum Senioribus & Scribis, & totum Synedrium, & Jesum vinctum duxerunt, & tradiderunt Pilato*. Qui singulariter heic & signantius Pontifex dicitur, Caiphas erat, ut diserte habet non solum D. Matthæus, qui totidem ferme verbis capite XXVI. rem de Synedrio narrat, sed etiam exemplaria aliquot D. Marci Græca præter versiones tum Syriacam tum Arabicam. Divus etiam Joannes c. XI. commate 47. *Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi* Συνέδριον *Synedrium* seu *Concilium, & dicebant, quid facimus? quia hic homo multa signa facit*. Res ipsa insuper & tota actionis ratio circa sententiam in Christum latam apud Evangelistas narrata probat, in Synedrium hoc magnum convenisse summos Sacerdotes, Scribas & qui aliis nominibus ejusdem pars fuerint. Quin & Hebræi ipsi hoc agnoscunt. Nam ubi de Synedrii illius translatione e לשכת הגזית *Liskat hagazith*, id est, *Conclavi Lapideo* (quod ipsum Λιθόστρωτον seu *Lapidibus stratum*, ni fallor, D. Joannes nuncupat) in חנויות *Chanoth* seu *Tabernas* loquuntur illi, adjiciunt, pro re nata interdum in *Liskat hagazith* seu *Conclave* illud, quod Templo Hierosolymitano conjunctum est, Synedrium rediisse כי עובדא דישו וכיוצא בו *ut in causa Jesu, similibus*, quemadmodum legitur in Glossa Talmudica, ad tit. *Sanhedrin* cap. IV. fol. 38. b. Septimo, postquam Romani Præsides ac procuratores ita Pontificatus conferendi potestatem suo pro libitu toties exercuissent, totum genus archieraticum locum in illis Hebraicæ administrationis veluti reliquiis, quæ hactenus genti permittebantur, adeoque in Synedrii illius collegis locum principem obtinere solitum esse, ut videre est tum in jam adductis de Synedrio ipso, tum aliis, quæ sunt ejusmodi, nec infrequentia in Evangeliis & Actis Apostolorum. Unde factum est, quod in Arabica capitis quinti D. Matthæi versione, ubi mentio fit Synedrii quod ibi pro Synedrio hoc Magno tum ab interprete, tum a Viris doctis non paucis (quam bene, non heic disputo) sumitur; pro eo, quod est Synedrium, substituitur אימת אלגמאעת *Sacerdotes congregationis*, seu *Concilii*. Atque *ita* (sic adnotat Petrus Kirstenius) *simul exprimitur, e quibus Concilium tunc temporis inter Judæos constiterit*. Scimus quidem Scribarum, Pharisæorum, Seniorum, summis Sacerdotibus accedere etiam nomina, quoties fere Synedrium in Novo fœdere indicatur. Sed advertendum est & summos Sacerdotes principem locum semper fere habere, & cetera illa nomina non alia esse, quam quæ & ipsis summis Sacerdotibus competere possent, & eos, quia præessent interdum etiam complecterentur; ut apud D. Matthæum cap. XXXIII. 2. Octavo; Synedrio illi Magno binos perpetuo præfuisse, quorum alter (qui Præses primarius) נשיא *Nasi* seu *Princeps* Synedrii, alter אב seu *Pater* Synedrii, qui Principi secundarius; qua de re Talmudici passim, maxime in tit. *Sanhedrin* cap. IV. quibus adde Maimonidem halach. *Sanhedrin* c. I. Et de hisce universis nos fusius, Deo volente, in libris de Synedrio seu Concessu illo Magno. Hisce ita prælibatis, animadvertendum est, nomina illa τοὺς ἀρχιερεῖς, *Summos Sacerdotes* seu *Pontifices* qua munus aliquod in decurtata illius ævi Reipublicæ Ebraicæ formula denotant, aut Functionem sacram indicasse aut Præfecturam seu Dignitatem civilem, qua ipsi Pontifices præ cæteris eminebant. Ubi de Functione sacra dignitati propria simul cum Pontifice verba fiunt, ibi ipsum qui singularem dignitatem, id est, Pontificatum ab Aharone cum functione sacra derivatum obtineret, etiam in ævo, quo de loquimur, denotari palam est; ut in epistola ad Ebræos atque in commentariis Magistrorum, qui illud ad ævum spectant, satis crebro. At vero ubi non omnino de functione sacra, sed de civili prorsus rerum administratione Pontificum, id est, quatenus cum imperio a Romanis temperato præfuere, agitur quemadmodum passim tum in Evangeliis tum in Apostolorum Actis, certe veri satis est simile ibi illo nomine designa-

ſignari Pontifices, non qua in ſacram dignitatem evecti ſint, ſed qua adminiſtratione civili præeſſent. Quale profecto notionis nominis diſcrimen habetur in Synodis aliquot vetuſtis, ubi Comitum mentio. Dignitas Comitiva plane Palatina erat. Et quemadmodum, qua Palatina erat, ad Synodos non ſpectabat; ita qua in Synodis Vicariam Auguſti poteſtatam gererent Comites, nomen illud cum Palatio ſeu primaria ejuſdem notione commune nihil habuit At vero in Synodi Calcedonenſis Actione prima, occurrit δὸς τοὺς Κόμητας, *date Comites*, & ἐπῆλθον οἱ Κόμητες *ingreſſi ſunt Comites*. Ubi Comitum (utcunque vocabuli generatim uſurpati) notio eam dignitatem ſingularem, cujus ratione vice Imperatoris in Synodo præerant, qui Comites erant, non omnino eam, qua erant Palatini aut vulgi ſenſu acciperentur, indicat. Adeo ut hoc velim, non magis Pontifices, qua Pontifices & in ſacræ functionis dignitatem eveherentur, intelligi, ubi memorantur in locis jam de civili adminiſtratione aliiſque hujuſmodi adductis, quam Comites in Synodo illa, qua ſingularis erat ea, ſive in Conſiſtorio, ſive alibi in Palatio dignitas. Hinc, ſi conjecturæ venia detur, exiſtimarim, Annam & Caipham Pontifices ſimul a D. Luca dictos, non qua ſacræ functionis dignitas illo nomine denotatur, ſed qua civilis eorum adminiſtratio, uti & ceterorum quibuſcum conjunguntur, ad ipſum annum, de quo verba ibi fiunt, indicandum, denotaretur. Scilicet Annam tunc fuiſſe Synedrii (ut etiam & ipſe vult illuſtriſſimus Cardinalis) Principem, Caipham vero ejuſdem patrem. Fingatur binas ejuſmodi fuiſſe Comitum in Synodo, quam diximus, aliave qualicunque (nam & in Epheſina Comitum mentio obvia) præfecturas. Si quis annum in Synodi actis Cæſariani imperii notaſſet atque adjeciſſet (verbi gratia) ἐπὶ δὲ τ Κομήτων Εἰρηναίου καὶ Διωνυσίου *ſub Comitibus Irenæo & Dionyſio*, certe nemo heic Comites nominatos, qua Comites, ex vulgari & originaria vocis notione, exiſtimaſſet, ſed ex præfecturis ipſis, quas fuiſſent ſortiti ipſi; ut, pro more ævi, alii Comitum nomine eminentes. Atque hoc ſane admiſſo, difficile non eſt dijudicare, curnam in Evangeliis ita mutuas invicem tradant in actione adverſus Chriſtum operas Annas & Caiphas, uterque etiam Pontificum nomine. Nimirum eo nomine, quo ratione dignitatis ac generis Archieratici (ut tunc tempora fuere) Synedrio, in quo actio illa inſtituta eſt, modo indicato, præfuere. Idem dici non incommode poteſt de Anna Pontifice & Caipha cum ceteris Synedrii adſeſſoribus in quarto Actorum memoratis. Ita demum cur Caiphas, quem ſacram dignitatem ipſam velut Aharonis ſucceſſorem geſſiſſe intervallo illo ex Joſepho docemur, Annæ poſtponatur, ratio non inepta reddi poteſt. Etenim Principi Synedrii pater Synedrii erat ſemper ſecundarius. Sed vero nec Principis nec Patris Synedrii munus ſemper perpetuum erat, ſed ab alio ad alium, pro re nata translatum. Quod ex titulo Talmudico *Horaijoth*, cap. III. aliiſque Magiſtrorum commentariis elicitur. Et forſan tunc temporis annuum erat, ne imperii ejuſmodi prorogatio ceteris generis archieratici fraudi foret. Atque illinc forſan altera illa quæſtio de Caiphæ Pontificatu ſuo anno apud D. Joannem deſignato ſolvenda. Nam ut Pontificum nomen plurale, in ſacra rerum civilium adminiſtrationis enarratione, Judices, ac Judicum præſides (juxta ea quæ jam dicta ſunt) ſignificabant, ita ſingulare Pontificis nomen cum anni ejuſmodi denotatione uſurpatum, ipſum Synedrii Principem ſignificaſſe quis exiſtimarit? Adeo ut anno Tiberii XV. ſeu in loco illo D. Lucæ, Annas eſſet Princeps Synedrii, Caiphas Pater, anno vero Paſſionis Annas Pater, Caiphas Princeps; poſtmodum vero Annas, inter ſuos utpote eminentiſſimus, itidem Princeps, & Caiphas Pater, ut in Actorum quarto. Certo etiam Ananias Pontifex in Act. Apoſtolor. cap. XXIII. 5. ubi Synedrio præeſt, ἄρχων τοῦ λαοῦ, *Princeps populi* [qui forte ipſe Synedrii נשיא ſeu *Princeps* eſt] agnoſcitur. Alia ſunt ejuſmodi in novo fœdere, ex e uſmodi ratione forte intelligenda. Neque objiciat quis, ita fieri, ut ipſe Sacerdos ſummus, qui in ſacræ functionis dignitatem evectus eſſet, Principi Synedrii, dum Pater eſſet ipſe, poſtponeretur, adeoque eo minor in illa Reipublicæ formula exiſteret. Id quidem adeo verum erat in civili rerum, de qua loquimur, adminiſtratione, ut Synedriorum ipſorum non ſolum Magni, ſed etiam Minorum juriſdictioni ſubeſſet Pontifex ipſe, qui ſacræ functionis dignitatem gerebat, quod ex tit. *Sanhedrin* cap. II. & paſſim in Hebræorum liquet commentariis. Unde quomodo ipſi Principi Synedrii, qua locum in Synedrio teneret, ſecundarius eſſet, minus eſt mirandum. Etiam advertendum eſt,

mo-

moneri insuper a doctissimis Rabbinis, paria nominum, per quorum manus in seculis anterioribus lex eorum oralis tradita est, ita esse in solenni eorundem recensione intelligenda, ut alterum Synedrii Principem, alterum Patrem Synedrii sæpe denotet. Vide *Sepher Juchasin* fol. 159. a. Adeo ut hosce signantius conjunctos præ ceteris esse simulque in rebus gravioribus nominatos, novum non sit autumare. Et frequentissima est apud Talmudicos mentio Ezræ atque aliorum ejusmodi ובית דינו *& Synedrii sui*, ubi de rebus decernendis agitur; perinde ac si tunc pro Synedrii Principibus ex more essent semper accipiendi. Sed horum pleraque in libris, quos diximus de Synedrio illo seu Consessu Magno luculentius exequimur. Conjecturæ autem veniam speramus, ejusce, si Viris doctis displicuerit, non adeo pertinaces. Ad Nicephorum Patriarcham redimus. Theophilo, apud eum, Jonothæ fratri, adjiciendum est ex codice MS. ὃν ἔπαυσεν Ἀγρίππας *quem destituit Agrippas*. Prætermisso in Græco codice Matthia, qui numerum in Josephi laterculo decimum sextum obtinet, ponitur Jonathan ejus frater Simoni proximus atque iterum Pontifex, quem dignitatem recusasse diserte memorat Josephus. Ratio puto Nicephoro erat, quia eum Pontificem postmodum dictum a Josepho (ut jam animadvertimus) competerat, cum plane Expontifex tunc tantum esset. Quod sequitur in Græcis, depravatum nimis & mancum est, atque ex MS. ita restituendum: Ἰωνάθης, Αἰλιοναῖος ὁ καὶ (lege Αἰλιοναῖος καὶ &c.) Ἰώσηππος, Ἀνανίας, ὃν δέσμιον Κοδρᾶτος ἐς Ῥώμην ἔπεμψεν. Ἰώσηππος ὑπὸ Νέρωνος κατασταθείς. *Jonathas, Ailionæus, & Josephus, Ananias, quem vinctum Romam misit Quadratus. Ismaelus, Josephus a Nerone constitutus.* Codex editus tantum pro hisce habet, Ἰωνάθης Αἰλιονέων, ὁ καὶ Ἰώσηππος ὑπὸ Νέρωνος κατασταθείς. *Jonathas Ailioneon, qui & Josephus a Nerone constitutus.* At Latini codices heic Manuscripto Græco fere concordes. Ananum vero Anani seu Annæ filium, Ananiam appellat, & eum facit de quo Act. Apostol. XXXIII. 2. Posterioris autem hujus intervalli Pontifices aliquot aliter Rabbinis memorantur. Abraham Zacuthius in *Sepher Juchasin* fol. 25. a. אליועיני בן חקף וחנמט המצרי שניהם כהנים גרולים ועשה כל אהר מהם פרה קורם ישמעאל בן פאבי בפ׳ נ׳ בפרה *Ælioini Filius Hachaph & Chanameel Ægyptius utique Pontifices fuere, & vaccam rufam fecerunt ante Ismaelem, filium Phabi, ut habetur capite III. de Vacca rufa*. Ita sane in *Misna* ejusdem tituli. De Ismaele filio Phabei, qui numerum in Josephi laterculo superiore occupat vigesimum, verba fieri non dubito, & Ælioni ipsum esse Alionæum, de cujus patris nomine lectiones (ut ostensum est numero ejusdem laterculi XVII.) variant. Sed de Chanameele apud Josephum ac scriptores Christianos, nihil compertum. Alibi etiam Zacuthius eum memorat, & Ismaelem filium Phabei præcessisse, vide eum fol. 56. b. & 63. b. Quod vero ajunt Ismaelem hunc decennio dignitatem tenuisse; id nimium Fl. Josepho adversatur. Sed Gorionidi unicus ei Pontificatus annus tantum tribuitur. Utrum Ismaelus hic idem fuerit, qui a Valerio Grato, Imperante Tiberio, dignitate est donatus, non satis liquet. Certe temporis intervallum vix commode patitur, ut non sint diversi. Sed animadvertendum est, neutiquam Ismaelis F. Phabi nomen in designandis, qui præcesserint, futiliter usurpari. Idem est, ac si dixisset, Pontifices fuisse Chanameelem & Ælionæum tempore, quo Pontificatus & Sacerdotii dignitas splendorem suum hactenus retineret. Nam de Ismaele hoc diserte *Misna* tit. *Sota*, cap. IX. משמת ישמעאל בן פאבי בטל זיו הכהונה *Ex quo mortuus est Ismaelus filius Phabi, cessavit splendor Sacerdotii*. Ac si qui sequerentur, sine splendore dignitati tantæ debito, Pontificatum gessissent. Vaccæ rufæ autem sacrificium [de quo lex habetur Num. XIX. 2.] nonies tantum præstitum, ajunt in Misna jam dicta; Sub Mose semel, atque itidem sub Ezra, sub Simeone Justo bis, sub Joanne [Hyrcano] toties. Ac demum singulis vaccis fecisse singulos illos tres ex Abrahan Zacuthio jam memoratos. Sub ipso autem excidio Ismaelem F. Elisha, quem & unum ajunt fuisse מעשרה הרוני מלכות *ex decem iis, qui tunc ob perduellionem morte plexi sunt*, כהן גרול seu Pontificem etiam faciunt. Vide sis *Sepher Juchasin* fol. 25. a. 31. a. & 63. b. Forte inoleverat, ut ipsi Hebræi clam Pontificem constituerent alium præter ipsum, qui sive a Præsidibus Romanis, sive a Regibus palam factus, qua de re etiam antea monitum est. Atque inde forsan, aut ex vicaria Pontificis opera præstita, interpretandum est illud, quod toties occurrit in Gemara Hierosoymitana; Simeoni F. Camithi fuisse fratres sex, qui universi summi Pontifices. Verba sunt ad tit. *Horajoth* cap. III. fol. 17. col. 4. מעשה בשמעון בן קמחית שיצא

שיצא לטייל עם המלך ערב יום הכיפורים עם חשיכה ונתזה צינורה של רוק מפיו על בגדיו וטימאו ונכנס יהודה אחיו ושימש תחתיו אותו היום ראה אימן שני בניו כהנים גדולים שבעה בנים היו לה לקמחית וכולן שימשו בכהונה גדולה *Narratur de Simeone filio Camithi, qui pridie diei Expiationum, sub crepusculo, exibat ambulatum cum Rege* (Archelao Tetrarcha) *quod defluebant ei stillæ sputi in vestimenta ejus, atque eum inquinabant: unde ingressus est frater ejus Jebuda, qui vicariam ei præstaret operam. Eodem sic die visi sunt bini ejus filii simul Pontifices. Etenim septem fuere Camitho filii, quorum unusquisque Pontificatu functus est*. Id ipsum habetur in Gemara eadem ad tit. *Joma* cap. I. fol. 38. col. 4. & ad tit. *Megilla* cap. I. fol. 72. col. 1. Atque etiam in Talmude Babylonio ad tit. *Joma* cap. I. fol. 47. nisi quod, pro Simeone, Ismael Ben Camithi ibi in editis aliquot exemplaribus perperam legatur. Vides heic Pontificem Vicarium, seu unicam in vicem suffectum Pontificem præcise dici. Utrum ceteri Camithi filii eam ob causam, an, quia a populo clam surrogati sint, dignitate functi dicantur, aut in serie, quam supra ob oculos ex Josepho posuimus, sub aliis nominibus depravatis, quærendi fuerint, decernere nequeo. Certe observandum est, etiam numerum Pontificum secundi Templi multum in Talmude utroque, ab eo, qui in Josepho habetur, discrepare. Nam apud hunc lib XX. cap. VIII. compertus est ad ipsum Templi secundi excidium ab instauratione, numerus quinquiginta duorum. At vero in utraque Gemara ad titulum *Joma* cap. I. alii octoginta stante Templo secundo dignitate fuisse functos ajunt, alii plures, etiam usque ad octoginta quinque. Et ad hanc rem inprimis advertendum est, quod in primo contra Apionem habet Josephus; οἱ ἀρχιερεῖς παρ' ἡμῶν ἀπὸ δισχιλίων ἐτῶν ὀνομαστοὶ παῖδες ἐκ πατρός εἰσιν ἐν ταῖς ἀναγραφαῖς, *Pontifices apud nos a duobus millibus annorum nomine designati, filii ex patribus, habentur in Laterculis*. Quod de annorum numero scribit, intelligere nequeo. Nam etiam, ex sui ipsius alibi calculo, trecentis annis aut circiter minus est intervallum ab Aharone ad ejusce seculum. At vero, ut annorum numerum prætermittamus, successio heic memorata ad Pontifices, sive a Syrorum Regibus, sive a Romanis, aut ex eorum autoritate, absque Sanguinis proximitate, creatos attinere, puto, nequit. Nonne igitur laterculos innuit eorum, qui veri hæredes habiti, turbidis in rebus contra dominantium libidinem non erant palam agnoscendi? Commentum adjicimus heic ex *Thosiphtha* ad tit. *Joma* cap. I. fol. 9. a. de numero Pontificum tam primi quam secundi Templi; quod sane observatu in re adeo inaccessa indignum omnino non est. Ad locum superius allatum ex Gemara utraque de numero octodecim Pontificum Templi primi, notatur in Thosiphtha non octodecim, sed octo tantum a nonnullis ibi potius intelligi, idque ex Paralip. VI. 10. eliciendum, ubi legitur, *Azariah qui Sacerdos in Templo, quod extruxit Salomon*, & dein recensetur Amariah, Achitob, Zadoc, Shallum, Chelkia, Azariah, Sarahia & Jehosedec in captivitate Babylonica asportatus. Adeo ut extremo, cui defuit Templum, prætermisso, octo relinquantur, qui Templo primo dignitate fungerentur. Sed interea tam ex fide exemplarium utriusque Talmudis, quam ex autoritate vetusti libri Siphri dicti, legi quidem ibi octodecim; quod tamen juxta sententiam illam ita interpretandum, ut ex illis octodecim novem essent Segenes seu Pontifices Vicarii, reliqui Pontifices ipsi seu Primarii. Quin & in secundo Templo eadem ratione fuisse circa DC. Pontifices, scilicet CCC. qui Primarii, totidemque Vicarios. Certe Pontifices in ipsa Gemara ibidem Templi secundi sunt numero rotundo trecenti; quorum (ut nonnullis ibi placet) כל אחד ואחד לא הוציא שנתו *nullus annum suum superavit*; id est, ultra annum eorum nemini prorogata est dignitas. Quod sane tum historiis Christianorum, tum Josepho aliisque etiam ex ipsis Talmudicis nimium adversatur. Alia etiam affertur in Thosiphtha supputatio Pontificum octodecim, quæ non a Templi primi initiis, sed ab ipso Pontificatu Eleazaridis iterum donato, seu a sacra illa in Numeris (cap. XXV. 13.) ejusdem confirmatio, atque Serahiam, qui abductus cæsusque est, perpetua Eleazaridum octodecim series, juxta citatum Paralipomenon locum, prætermissis omnino Ithamaridis (veluti quorum ratio in Talmudica illa numeratione nulla est) ex illa sententia habeatur. Sed vero proximos illos Phineesi nepotes in vetustioribus Hebræorum commentariis (si Josephum excipias) alibi Pontificibus accenseri non memini compertum. Alia etiam Pontificum Templi secundi nomina eaque satis prodigiosa habes ex R. Isaac Narbonensi apud R. Gedaliam

Ben Jechia in *Shalsheleth* fol. 27. a. Quin occurrit in Misna tit. *Jabimoth* cap. VI. Josua Ben Gamla a Rege in Pontificatum evectus. Verum quidem est, nomen Jesus Ben Gamaliel, qui numerum in Josephi laterculo occupat vigesimum quartum, satis Josuæ Ben Gamla esse consonum. At vero Jesus ille paulo ante Templi secundi excidium Pontificatu ab Agrippa Juniore Rege donatus est. Josua autem Ben Gamla sub tempore Jannæi Regis collocatur, id est, si de Alexandro Jannæo capiatur, centum quinquaginta amplius annis ante Jesum illum in laterculo Josephi. Gemara Babylonia ibi fol. 61. a. & ad tit. *Joma* fol. 18. a. expressim; Martha filia Baithi, vidua opulenta, munera dedit ampla לינאי מלכא על דאוקמיה ליהושע בן גמלא בכהני רברבי *Jannæo Regi, ut scilicet in Pontificatum eveheret Josuam Ben Gamla*. Et glossa ibi. מרתה בת ביתוס אלמנה עשירה היתה וקידשה יושע בן גמלא ונתנה ממון לינאי המלך ומינהו להיות כהן גדול *Martham filiam Baithi, viduam opulentam, desponsavit sibi Josua Ben Gamla, quæ munera dedit Jannæo Regi; ob quæ is eum constituit Pontificem*. Sic item R. Jacob in *Ajin Israel* part. I. fol. 100. b. Accedat & illud glossæ ad tit. *Joma* cap. I. fol. 8. b. כהני בית שני היו עומדין על ידי ממון שנותנין על כהונה גדולה למלכי בית חשמונאי *Pontifices Templi secundi constituebantur per munera, quæ dabant, Pontificatus nomine, Regibus domus Hasmonæorum*. Anne igitur, Pontifices alii fuere ab Hasmonæis, qui ipsi Pontifices simul atque Ethnarchæ & Reges, constituti? Certe de ipsa Pontificis dignitate primaria, non de vicaria, seu secundaria verba palam fiunt. Notatur autem in margine Gemaræ Babylonicæ ad tit. *Joma* cap. I. fol. 18. a. Jannæum heic non esse ינאי המלך *Jannæum Regem*, memoratum in ejusdem Gemaræ capite tertio tituli *Kidoschin* fol. 66. a. ubi ינאי seu Jannæus plane pro Joanne Hyrcano usurpatur, ut nemini non constat, qui locum citatum cum Josephi historia de Joanne Hyrcano & Eleazaro Pharisæo comparat, vide Josephum lib. XIII. c. XVIII. atque infra lib. II. cap. III. Alexander igitur Jannæus is erat, qui Jesu Ben Gamla in Pontificatum evexit.

CAPUT XIII.

De eo quod apud Veteres, de perpetua Regni & Pontificatus *apud Hebræos* conjunctione, *occurrit*.

PRætermittendus heic non est Veterum aliquot error ille manifestus; Hebræos sibi semper eosdem Reges habuisse & Pontifices. Ita Trogus in Justini Epitoma, lib. XXXVI. *post Mosen*, inquit, *filius ejus Aruas* (seu ut codices aliquot MSS. *Arruans*, pro *Aarone* proculdubio, ut fieri in hujusmodi nominibus amat, substitutus & cognatione falsa Mosi conjunctus) *Sacerdos sacris Ægyptiis, mox Rex creatur; semperque exinde hic mos apud Judæos fuit, ut eosdem Reges & Sacerdotes haberent, quorum justitia religione permixta, incredibile quantum coaluere*. Diodorus item lib. XL. apud Photium de Mose verba faciens, καὶ τὴν τῶν νόμων, inquit, καὶ τῶν ἐθῶν φυλακὴν τούτοις (ἱερεῦσι) ἐπέτρεψε, διὸ καὶ Βασιλέα μὲν μηδέποτε τῶν Ἰουδαίων, τὴν δὲ τοῦ πλήθους προστασίαν δίδοσθαι διὰ παντὸς τῷ δοκοῦντι τῶν ἱερέων φρονήσει καὶ ἀρετῇ προέχειν. Τοῦτον προσαγορεύουσι Ἀρχιερέα καὶ νομίζουσιν αὐτοῖς ἄγγελον γίνεσθαι τῶν τοῦ Θεοῦ προσαγμάτων. *Legum atque morum custodiam Sacerdotibus permisit. Unde eveniebat, Regem quidem apud Judæos non fuisse, sed populo semper præfuisse aliquem ex Sacerdotibus, qui intelligentia ac virtute praecelleret. Hunc appellant summum Sacerdotem seu Pontificem, eumque existimant ipsis esse maadatorum Dei nuncium*. Error quidem ipse crassus; sed qualem non mirum est imbibisse hos sub Augusti ævum scriptores. Etenim Historiam sacram plane ignorantes, veterem Hebræorum politiam, ex ea quæ tunc novissima fuerat, nempe tum Hasmonæorum regno, tum Archieratici generis sub Romanis præfectura, æstimabant. Neque sane ante Hasmonæorum res, Hebræorum nomen ac politiam apud Græcos aut Latinos adeo claruisse comperimus. Tunc vero ex legationibus, fœderibus, rebusque bellicis, utrisque haud parum Hebræi innotuere. Quod ex Maccabaicis & Josepho satis liquet. Etiam & conscriptum est volumen tunc utrisque legendum, cui titulus Βιβλίον ἡμερῶν ἀρχιερωσύνης Ἰωάννου τοῦ Ὑρκανοῦ *Liber Chronicorum Pontificatus Joannis Hyrcani* (ut videre est 1. Maccabæor. XVI. 24.) qui vulgata ver-

versione dicitur *Liber dierum Sacerdotii ejus*. Etiam & Græce extitisse opus illud Lugduni, in bibliotheca, quæ fuerat Sanctis Pagnini, sub annum Christi MDLX. testatur Antonius Possevinus in Apparatu sacro. Sed incendio, anno proximo ipsam conflagrasse bibliothecam. Cum igitur cernebant illius ævi scriptores, eosdem fuisse Hebræis per centum amplius annos (nam totidem præfuere Hasmonæi) Pontifices & Reges seu Principes, quin & Pontificibus, pro dominantium libidine, postmodum suffectis tantam præ illis in administratione civili potestatem permissam fuisse, aliquam itidem gentis suæ præfecturam προστατίαν præsulatum seu Principatum quendam eos (quemadmodum ferme in Anglia olim, hodieque in Germania Hebræorum Episcopus seu Presbyter summus) semper obtinuisse, quod etiam tum ex Josepho, tum ex historia Evangelica atque e supra dictis cuivis facile elicitur; inde hallucinati existimarunt pariter anterioribus in seculis, atque ab ipsis Reipublicæ sacræ primordiis, Regnum semper atque Pontificatum apud illos conjunctum fuisse. Hisce igitur in rebus doctior Tacitus, quippe qui & Fl. Josepho coævus & scriptorum ejus forsan lector erat; honorem Pontificatus regno assumtum esse, non perpetuo conjunctum, ipsum Hasmonæorum Principatum palam indicans, memorat. *Rex*, inquit, *Antiochus demere superstitionem* (Judæorum) *& mores Græcorum dare adnixus, quo minus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello probibitus est. Nam ea tempestate Arsaces desciverat. Tum Judæi, Macedonibus invalidis, Parthis nondum adultis* (*& Romani procul aberant*) *sibi ipsi Reges imposuere, qui mobilitate vulgi expulsi, resumta per arma dominatione, fugas civium, urbium eversiones, fratrum, conjugum, parentum neces, aliaque solita Regibus ausi, superstitionem fovebant: quia honor Sacerdotii firmamentum Potentiæ assumebatur*. Sic ille in Historiarum quinto. Sed & scriptores Christiani veteres audacter, a reditu ex captivitate Babylonica ad seculum, quo natus est Christus, genti, tradidere, Hebræorum præfuisse, qui tam Regum seu Principum, quam Pontificum simul nomine ungerentur. Adeo ut in eo intervallo Regnum & Pontificatum conjungi velint. Seculum autem illud ab Alexandri Jannæi alii, alii a filii ejus Hyrcani excessu & Herodis Magni tempore auspicantur, ita in eo finiri volentes Danielis Prophetæ hebdomadas, atque tunc excisum esse *Unctum* seu veterem *Unctorum* tum Regum, tum Pontificum progeniem, ipsamque legitimam ad veterem ritum unctionem terminum accepisse. Qui Herodis tempori atque Hyrcani excessui hæc tribuunt, (ut plerique) ob ejus, utpote alienigenæ seu Proselyti, Regnum, atque Ananeli, eorumque qui sequuntur, venalem Pontificatum id faciunt. Qui Alexandrum Jannæum postremum heic fecere, id voluere, eo quod illi demortuo successit Salina Salome, seu Alexandra uxor, pro cujus arbitrio Pontificatus, ut ante docetur, Hyrcano filio donabatur. Ita enim legitimam successionem finem ajunt sortitam esse. De hac re vide sis Eusebii Chronicon numero MDCCCCLXXXIII. eundem lib. VIII. Demonstrationis Evangelicæ & Ecclesiasticæ Historiæ lib. I. cap. X. Cedrenum, Chronicon Alexandrinum, Excerpta Eusebii, Africani, aliorum græco barbara, pag. 65. præter recentiores, qui Annales consarcinant, & Epiphanium in hæresi XXIX. quæ est Nazaræorum; ubi omnimodo annorum accuratione neglecta, & legitimæ successionis in Alexandro Jannæo finis atque instaurati in Jesu Christo Pontificatus ratione tantum habita, ita oscitanter conjunguntur Herodes, Jannæus, Augustus & Christus, ut diserte ἐπὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ ἀπὸ γένους ἱερατικοῦ καὶ Βασιλικοῦ *tempore Alexandri genere Sacerdotali & Regio oriundi*, Christum natum etiam asseratur. Medelam adhiberi vult vir summus ad Eusebii numerum citatum huic Epiphanii loco; quam vide. Certe id interea animadvertendum ex hujusmodi annorum & rerum confusione, Hebræorum aliquot etiam falsam invasisse olim opinionem, tempora Jannæi & natalium Christi (quæ revera centum amplius annis disjuguntur) concurrisse. Abraham Ben David in Cabala; כותבי זכרונות בישראל אומרים שיהושע בן פרחיה רבי של ישו הנצרי ואם כן הוא בימי ינאי מלך היהודים *Historiographi Israelitarum dicunt Josuam Ben Perachia Magistrum fuisse Jesu Nazareni; quod si ita est, ipsum fuisse in diebus Janai Regis Judæorum*. Fuere etiam, qui non solum conjunctum volebant Regnum & Pontificatum ab ipso Captivitatis tempore, sed etiam ipsos Hasmonæos, tam Pontifices quam Principes ex familia Davidica seu Regia, id est, ex tribu Ju-

da, fuisse, tradere non sunt veriti. De utriusque tribus commixtione, vide Cedrenum, & Epiphanium loco citato. De Hasmonæis autem, Saidus Batricides Patriarcha Alexandrinus, Augusti tempora exequens, וכאן מלך אליהוד קד אנקטע מן אל דאווד מנד וקת שבאהם נבדתנצר לאן אליהוד לא ימלכון עליהם מלכא ואלי אליום אלא מן נשל דאווד וכאן כאהנא מן נשל דאווד יקאל לה ארשטובל ידבר אליהוד באלמלך *Reges*, inquit, *Judæorum olim a stirpe Davidica desumebantur, etiam a tempore, quo in Captivitatem abducti sunt a Nabuchadnesare. Siquidem Judæi Regem super ipsos minime constituerunt usque ad diem hodiernum, qui non esset ex stirpe Davidica. Erat autem Sacerdos ex Davidica stirpe, cui nomen erat Aristobulus, & Judæis, ut Rex præfuit*. De Aristobulo Hyrcani fratre, cujus etiam postea meminit, loquitur. Sed neque Aristobulum seu Hasmonæos stirpi Davidicæ per conjugia conjunctos fuisse probari potest. Ex Levitica quidem tribu, genere Sacerdotali, atque ex vice Joaribi oriundos satis scimus ex primo Maccabæorum. Neque satis probari potest, illud de conjuncto Regno ac Pontificatu post reditum e Captivitate ad Hasmonæorum exitum. Verum quidem est non absurde eum facere, qui ex Jaddi seu Simeonis Pontificis historia, apud Josephum & Abraham Ben David in Cabala, conjiceret summam rerum penes eum fuisse, cum Alexander Macedo Hierosolyma adveniebat. Et partes Regias ei manifesto satis attribuit Josephus Ad eum scribit Alexander, ut forum rerum venalium exercitui suo permitteret, atque ut ea, quæ antea Dario conferre soleret, nunc daret Macedonibus. Respondet Pontifex, juramento obligatum Dario, hostibus ejus se neutiquam opem laturum. Quo responso iratum Regem, postmodum ut Imperator seu Rex gentis suæ, non minus ac Pontifex, excipit; quæ fusius narrat Josephus, atque ex eo alii. Fœdus item ab eo cum Alexandro initum. Quæ omnia jura ejus Majestatis tunc temporis designant. An ea fuerint temporaria an perpetua, non disputo. Sed vero vix dubitare queo, quin hisce coævus & Alexandri Præceptor Aristoteles, etiam ipsum Ebræorum, sub Pontificis hujus & Alexandri adventus tempora, Reipublicæ statum in animo haberet, cum de Civitatibus aliquot loquutus est, apud quas θυσίαι κατελείφθησαν τοῖς βασιλεῦσι μόνον, ὅπου δὲ ἄξιον αὐτῶν εἶναι Βασιλέαν, ἐν τοῖς ὑπερορίοις τῶν πολεμικῶν τὴν ἡγεμονίαν εἶχον, *Sacra solum Regibus* (domi) *relicta sunt, ita tamen, ut Regni nomen in eo retineretur, quod foris rebus bellicis præessent*. Locus est Politicorum III. cap. XIV. Etiam de Jasone Pontifice ab Antiocho Epiphane creato, Josephus in libro de rationis imperio cap. VI. ὁ δὲ ἐπέτρεψεν αὐτῷ καὶ ἀρχιερᾶσθαι καὶ τοῦ ἔθνους ἀφηγεῖσθαι, *ille vero eum constituit tum Pontificem, tum gentis suæ Principem*. Singularia ejusmodi sunt forte alia. Sed de universis ceteris illius intervalli temporibus, ex hisce decernendum tuto non est. Quin genti, Pontificatum gerente in ipso e Captivitate reditu Josua filio Josedeci, præfuit Zerubabel ex tribu Juda; cui in Principatus dignitatem successisse posteros ejus, scribunt Ebræi in Seder Olam Zuta. Meschullamum scilicet filium, hujus dein filium Hananiam, Hananiæ item filium Barachiam, atque hujus itidem filium Hasadiam. Et post horum Principatum in Hasmonæis cœpisse Regni & Pontificatus conjunctionem. Atque inprimis est heic observandum illud Josephi de reditu post Captivitatem seu Politia Templi secundi; Judæi, inquit, Hierosolymis degebant, πολιτείᾳ χρώμενοι ἀριστοκρατικῇ μετ' ὀλιγαρχίας. Οἱ γὰρ ἀρχιερεῖς προεστήκεσαν τῶν πραγμάτων ἄχρις οὗ τοὺς Ἀσαμωναίου συνέβη βασιλεύειν ἐκγόνους *ea usi Reipublicæ formula, quæ tum Aristocratica est, tum Oligarchica. Nam Pontifices rebus præerant, donec Hasmonæorum gens Regnum obtinuit*. Præfuisse quidem, ait, rebus Pontifices, sed in Republica partim Aristocratica partim Oligarchica. Ideo ante Hasmonæos Pontifex idem atque Rex non erat, nec solus præfuit. Quin ratio redditur Reipublicæ sic mixtæ, quia Pontifices præfuere. Inde igitur pars Aristocratica. Atqui sic, non de Pontificibus successione singulis, sed de primariis aliquot eisque compluribus simul Sacerdotibus Pontificum nomine, ut dictum est sæpius, innui solitis, videatur capiendum. Undenam alias Aristocratiæ cum Oligarchia ratio redditur, quia Pontifices præfuere? Paulo post etiam (locus est lib. XI. cap. IV.) memoratur legatio ad Darium Regem ab Hierosolymitanis decreta qua functi sunt Zorobabel II. se, καὶ ἄλλοι τῶν ἀρχόντων τέσσαρες, *& quatuor alii Principes*, seu *qui rebus præerant*. Ruffinus pro jam allatis substituit, *Habitabant in Hierosolymis & optimatum gubernatione regebantur. Nam Sacerdotes tractabant eorum*

nego-

negotia, usque quo regnare contigit nepotes Asamonæi. Quod vero habent heic de τῷ κατὰ τοὺς νόμους χρίσματι seu *legitima Unctione*, qua Regia, qua Pontificia, in Hasmonæorum excessu finita Scriptores Christiani, id quam vero sit consonum, ex iis quæ libro proximo de Unctione Pontificali, ex Ebræorum commentariis, traduntur, est expendendum.

DE SUCCESSIONE IN PONTIFICATUM EBRÆORUM

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Sequentium distributio. De Sanguinis proximitate, *cujus, in* Pontificatus, *uti etiam in* aliarum *apud Ebræos* dignitatum *successione, ratio habebatur. Et de* Segene, *seu* Pontifice Secundario.

QUæ juris sunt, seu Legitima, quæ ad successionem Pontificalem apud Ebræos spectabant, in genere cernuntur triplici. Primum est, Personæ qualitas. Secundum, Ritus solennes in novo Pontifice consecrando adhibiti. Tertium, Potestas forensis seu Jurisdictio, cujus autoritate de binis illis erat decernendum. Personæ qualitas in specie reperitur quintuplici. Perpendebatur

I. *Sanguinis proximitas.*
II. *Natalium puritas.*
III. *Ætas ministerio sacro idonea & legitima.*
IV. *Corporis habitudo.*
V. *Animi integritas ac vitæ, & Existimatio.*

Proximitas, quæ sufficiebat heic, duplici nitebatur prærogativa. Altera, quæ Sexus erat; quæ Ætatis, altera. Sexus rationis par jus habebatur in universis, quibus deferendum erat τὸ τῆς Ἱερωσύνης μεγαλεῖον. *Sacerdotii cujuscunque dignitas*; idque ex primaria ejus institutione. Neque enim solum, qui masculus esset, admittendus erat, sed is etiam duntaxat, qui ex masculis tantum in stirpe Aharonica esset oriundus. Adeo ut nepos ex filia ceterique sequiori ita conjuncti sexu, semper, non aliter ac filiæ, dignitate arcerentur. Unde Moses Maimonides ad illud Numerorum capite XVIII. 4. זר seu *Alienigena sive extraneus non miscebitur vobis*, τὸ זר seu *Alienigenam* pro universis illis sumit, qui ex Aharonis prole mascula non fuerint Masculi. Verba ejus sunt in halach. *Biath bammikdasch* cap. IX. אי זהו זר כל שאינו מזרע אהרן הזכרים שנאמר וערכו בני אהרן והקטירו בני אהרן בני אהרן ולא בנות אהרן *Extraneus seu Alienigena heic est, quisquis non fuerit ex semine Aharonis idque ex masculis, secundum id quod scriptum est* (Levit. I. 18.) *& disponent Filii Aharon, &* (Lev. III. 8.) *adolebunt filii Aharon. Filii Aharon & non filiæ Aharon*. Et, cujus ipsæ capaces neutiquam fuere, ut dignitas ea ad earum posteros jure transmitteretur hæreditario, fieri nequibat. Quemadmodum autem omnes masculi e masculis oriundi in stirpe Aharonica, Sacerdotali dignitate, ubi, ob causam aliquam earum, quæ infra indicantur, arcendi non erant, gaudebant, ita mortuo Pontificiis tantum ex ejusmodi masculis jure succedebat, qui aut filius erat primogenitus, aut nepos primogenito Vicarius, aut aliter, in hæreditariæ successionis in bona stemmate, primogeniti atque proximi locum, ubi nil aliud obstabat, obtinebat; fœminis, & qui ex eis nati, omnino prætermissis. Quod Ætatis heic prærogativam appellamus. Primogeniti & natu maximi vocabula idem heic sonant. Hinc ob ætatis prærogativam anteponebatur in successione Eleazarus Ithamaro natu major. Josephus l. IV. Originum Judaicarum cap. IV. πρὸς Ἐλεάζαρον διὰ τὴν ἡλικίαν ἡ ἀρχιερωσύνη παραγίνεται, *ad Eleazarum propter ætatem Pontificatus advenit*. Inde et-

etiam in Hasmonæorum Pontificatu præferebatur Hyrcanus Aristobulo fratri minori, ut idem Josephus lib. XIII. cap. XXIV. Ob eandem causam Salomon Jarchius ad 1. Paralipomen. XXIV. & Abenezra ad caput 1. Haggæi, Josuam filium Josedeci prælatum ajunt Ezræ patruo, utpote fratris majoris filium, tametsi Jarchius alibi (quod supra monuimus) aliam & maxime rei ipsi incongruam rationem oscitanter adferat. Citato etiam loco bene adnotat (ad verba illa ibi sacra de Nadab & Abihu filiis Aharonis Eleazaro natu majoribus, sed patre superstite de mortuis, *Et filii non erant illis*) אבל אם היו לנדב ואביהוא בנים היו קודמים לאלעזר ואיתמר בכהונה גדולה *atqui si fuissent Nadabo & Abihu filii, ipsi in summo Sacerdotio fuissent Eleazaro & Ithamaro anteponendi*. Idem jus in dignitatum ceterarum, quotquot perpetuæ fuere, successione plerunque obtinebat. De Regali, II. Paralip. XXI. 3. *Regnum autem transmisit ad Joramum, eo quod esset primogenitus.* De Jehosaphato Rege verba fiunt. Cum tamen interdum, in regni successione, Minor Majori anteponeretur; quod vide in exemplo Joahazi & Joachimi filiorum Josiæ Regis, II. Regum XXIII. 1. & 36. Ubi consulas, de ætate, Gersomidem, Davidem Kimchium & Jarchium, præter Gemaram Hierosolymitanam ad tit. *Sota* cap. VIII. fol. 22. col. 3. & ad tit. *Horaijoth* cap. III. fol. 47. b. & ad tit. de *Siclis*, cap. VI. fol. 49. col. 4. De successionis autem jure ordinario Maimonides halach. *Celi bammikdasch*. cap. IV. כשמת המלך או כהן גדול או אחד משאר הממונים מעמידין תחתיו בני או הראוי ליורשו וכל הקודם לנחלה קודם לשררות המת והוא שיהיה ממלא מקומו בחכמה או ביראה אעפ׳ שאינו כמותו בתכמה שנ׳ במלך הוא ובניו בקרב ישראל מלמד שהמלכות ירושה והוא הדין לכל שררה שבקרב ישראל שהזוכה לה זוכה לעצמו וזרעו *Mortuo Rege aut Pontifice aut alio quovis in dignitate* [perpetua] *constituto, loco ejus substituitur filius ejus, aut is qui jure hæreditario est proximus. Nam quisquis in hæreditate anteferendus est, etiam is in defuncti Dignitatibus est anteferendus* [sexus, ut diximus, ratione habita] *modo ejusmodi fuerit, ut locum ejus cum sapientia suppleat, aut saltem cum timore, tametsi ei sapientia sit dispar. Secundum id quod scriptum est* (Deuter. XVII. 20.) *de Rege; ipse & filii ejus in medio Israel; animadvertendum est inde, Regnum esse hæreditarium. Atque hoc etiam jus est universis dignitatibus, quæ sunt in medio Israelis, ut qui in earum aliquam fuerit evectus, is eam non sibi solum sed & posteris suis retineat.* Tantundem ipse in halach. *Melachim* cap. 1. & vide sis Gemaram Babylonicam ad tit. *Cethuboth* cap. XII. fol. 103. a. & Syracidem cap. XLV. 25. De perpetuis autem, & quarum constans erat usus, dignitatibus hæc tantum intelligenda satis docet Maimonides, dum in priore loco, Sacerdotem משוח מלחמה *unctum in bellum*, ex Lege Deuter. XX. 2. ad posteros dignitatem suam non transmittere monet. Pro re enim nata constitui solebat ejusmodi præfectus sacer bello, nec perpetuus erat. Et de eo, ad hanc rem, vide sis *Sepher Siphra* col. 68. Perpetui autem fuere Magistratus hic sacri, veleti סגן seu *Pontifex secundarius*, גיזבר, id est, *Quæstor ærarii sacri*, id genus ceteri, qui, in Rabbinorum commentariis, passim sunt obvii. Sed etiam in earum successione, vix intelligi potest, quomodo non æque obstarent alii defectus; præter eum qui timoris erat, velut Ætatis; nisi aut Tutelæ ibi locus aut proximioris ex sanguine admissio temporaria concedatur. Qua de re in Pontificali Successione exempla aliquot in Superiori libro occurrunt. Advertendum autem, successionem in Segenis seu Pontificis secundarii seu Vicarii sive secundi a Summo Sacerdote dignitatem ejusmodi fuisse videri, ut, ex more ordinario seu usitatiori, is, qui spe proximior esset Pontificatus hæres, hanc gereret, eamque, cum Pontifex is fieret, hæres dein proximus itidem reciperet. Unde non defuere, qui ex eo, quod ut plurimum aut sæpe eveniebat, pronuntiarent, neminem in Pontificatum evehendum, עד שנעשה סגן *antequam fieret Segen*. De quo consulas glossam in Gemaram Babyloniam ad tit. *Menachoth* cap. XIII. fol. 109. b. & Zacuthium in *Sepher Juchasin* fol. 57. a. Certe Jadduæ Pontifici Segen videtur fuisse frater Manasses, tametsi filii ei non deessent bini, Onias & Manasses, qui postea Pontificatum utrique gessere. Vide Josephum lib. XI. cap. VIII. ubi μετεχειν τῆς ἀρχιερωσύνης *Pontificatus participem esse* (quod de Manasse fratre dicitur) non aliter forte intelligendum, participem scilicet in sacro ærario, proventu, id genus ceteris disponendis, etiam & sacri ad altare ministerii Pontificii adjutorem assiduum. Non raro etiam occurrit nomen in Talmude utroque, τοῦ Rabbi Chananiah סגן

הכהנים

הכהנים *Secundarii Sacerdotibus summis*, de quo Zacuthius loco citato. Et Zephanias כהן משנה *Sacerdos secundarius* Sareæ Pontificis memoratur II. Regum XXV. 18. & Josepho lib. XI. cap. XI. De Segenis autem seu Pontificis Vicarii dignitate ac officio advertendum est, quod legitur in tit. *Joma* cap. 1. ומתקינין לו כהן אחר תחתיו שמא יארע בו פסול *& constituebant ei alium Sacerdotem vicarium, si quid forte, quod eum profanaret* (veluti seminis fluxus seu hujusmodi alia) *accideret*. Et sæpius occurrit apud Talmudicos, ut dictum Rabbi Chananiah, qui ipse סגן הכהנים seu *Segen Pontificum* dici solet. למה סגן ממונה שאם יארע בו פסול בכהן גדול נכנס ומשמש תחתיו *Ideo constitutus est Segen, ut, si quid profanum Pontifici ipsi accideret, ille ingrediatur & vice ejus fungatur*. Quod vide in Gemara Babylonica ad tit. *Sota* cap. VIII. fol. 42. a. ad tit. *Joma* cap. IV. fol. 39. a. alibi. Etiam & Segenem non solum כהן אחר *Sacerdotem alium*, sed etiam כהן גדול אחר *Pontificem alium* nuncupabant Maimonides halach *Abodath Jom hacciporim* cap. I. ומתקינין לו כהן גדול אחר *& constituebant ei Pontificem alium*. Sic item Moses Mikotzi præcept. affirmativ. CCIX. alii. Initiabatur autem hujusmodi Vicarius ex ipso, quod præstabat Pontificis, si interea forte pollutus esset, vice sacro ministerio. Maimonides ibidem, וזה שנכנס תחתיו אינו צריך חינוך אלא עבודתו מחנכתו ומתחיל מעבודה שפסק בה הראשון *Is qui Vicarius fit, non aliter initiatur seu consecratur, quam ex ipsius sacro ministerio, quod ei est initiatio. Incipit autem ibi sacris fungi, ubi desinit Pontifex primarius*. Atque hoc maxime de Festi Expiationis sacris dici solet. Elapso Festo ipso, seu mundata pollutione in integrum restituebatur Primarius. Vicarius autem, inquit Maimonides, עובד בכל מצות כהונה גדולה אלא שאינו ככהן גדול *idoneus manet omnibus præstandis, quæ ad Pontificatum attinent, tametsi non fuerit ut Pontifex habendus*; cum tamen ab aliis negetur, Vicarium ipso die Festo elapso, aut Pontificis partes aut Sacerdotii gregarii rite agere, sed veluti medioxumi locum tenuisse; eo quod in dignitatibus sacris legitimum non habeat descensum, unde nec in Sacerdotum gregem eum reverti volunt. Pontificem autem agere non potuisse, quia Pontifex erat alius. Præter citatos Magistrorum Commentarios vide Gemaram Babylonicam ad tit. *Joma* cap. I. fol. 13. & ad cap. V. fol. 47. a. præter Hierosolymitanam fol. 38. col. 3. & 4. atque eandem ad tit. *Megilla* cap. I. fol. 72. col. 1. & ad tit. *Horaijoth* cap. III. fol. 47. col. 4. ubi exempla etiam habentur in Jehuda fratre Simeonis F. Camithi, qui ei die Expiationis erat Vicarius, aliis item. Et vide supra lib. I. cap. XI. ubi de Joazaro Pontifice agitur. Qui autem ita substitutus est in Vicarii munus, Segenis nomen perpetuo retinebat, & Vicarius erat Pontifici perpetuus; ita tamen, ut in sacris ipsis Pontifici propriis obeundis partes nullas omnino haberet, nisi tantum tempore, quo ipse Pontifex pollutione aliqua impediretur; ut a Magistris saltem nonnullis docemur. Glossa Talmudica ad tit. *Joma* cap. IV. fol. 39. a. כל זמן שלא יארע בו פסול אין הסגן עובד שום עבודה בעולם *Quamdiu ipse Pontifex pollutus* seu *profanatus non fuerit, tamdiu ab omnimoda functione sacra abstinet ejus Segen seu Vicarius*. Sed & vide de eo plura in dicto Titulo & in capite postremo tituli *Thamid* seu *de Sacrificio jugi*. Addit autem generatim Maimonides loco supra citato; אם מת הראשון זה השני מתמנה תחתיו *Mortuo Pontifice Primario, Secundarius iste in locum ejus succedit*. Quod tamen de alio Segene seu Vicario, præter eum, qui proximus ex sanguine ac moribus patriis hæres erat, capi nequit apud eum, qui jura popularium avita non eorum violationes ibi congerit. Rem se ita habuisse opinor, ut plerunque sanguine proximus hoc gauderet Vicariatu; extra ordinem vero, atque ut incommodum aliquod evitaretur, alii etiam, qui proxime non essent, interdum substituerentur. Qua sane in Specie, nec Segenis Successionem ex sanguinis jure locum habere, manifestum est.

CAPUT II.

Natalium inquinamenta, *quibus arcebantur tam functione* Sacerdotali *quam* Pontificali *successione Sacerdotum filii*.

QUod ad Natales heic attinet; qui ab omnimoda functione Sacerdotali, ob Natalium impuritatem arcendus erat, eum in Pontificatum succedere jure non potuisse, nemo non videt. Cum autem interdicto tam sacro, quam מדברי סופרים *ex Scribarum*, id est Legis Custodum *institutione* superinducto vetiti sint plurifariam Concubitus ac Nuptiæ; aliæ civibus universis, ve-

luti fœminarum in Levitici decimo octavo memoratarum atque earum, quas illis שניורת *Secundarias* vocant, aliarum item, quale interdictum שוא בכל *omnibus commune* nuncupant; aliæ Sacerdotibus tantum & Pontifici, quale interdictum מיוחד בכהנים *proprium Sacerdotibus* appellitant; arcendus erat ab altaris functione atque a successione, quam tractamus, ut חלל *profanus*, quisquis ex Nuptiis seu coitu, Lege sive Sacerdotibus sive Pontifici peculiari seu propria, vetito nasceretur, idque sive Lex illa sacra esset atque a Numine lata, sive a Majoribus seu Scribarum autoritate superinducta. Lex sacra est de Sacerdotibus in universum Levit. XXI. אשה זונה וחללה לא יקחו ואשה גרושה מאישה לא יקח כי קדוש הוא לאלהיו quod in Vulgata vertitur, *Scortum & vile prostibulum non ducent uxorem, nec eam quæ repudiata est a marito, quia consecrati sunt Deo suo. Hellenistæ ibi* Γυναῖκα πόρνην καὶ βεβηλωμένην οὐ λήψονται. *Mulierem meretricem & profanatam non accipient*, ceteris Vulgatæ & veritati satis consonis. Ita etiam Onkeli paraphrasis tametsi *Meretricem & violatam* substituat in versione P. Fagius. Violatam, pro eo quod in Chaldæo Onkeli est מחללא *profanatam*: Ebræa autem sonant, *fœminam, quæ Zona est*, seu *Scortum, aut Profanam non accipient. Et fœminam repudiatam a marito suo non accipient. Quoniam sanctus est is Deo suo.* Ut autem tria illa fœminarum genera Sacerdotibus universis ex lege eis peculiari interdicuntur, ita Pontifici, præter eas, & vidua interdicta est, & conjugium violatæ. Citati capitis commate 13. de Pontificiis nuptiis; והוא אשה בבתוליה יקח אלמנה וגרושה וחללה זונה את אלה לא יקח כי אם בתולה מעמיו יקח אשה *Uxorem, cui virginitas sua manet, ducet. Viduam, Repudiatam, Profanam, Scortum, istas non accipiet. Sed virginem de populis suis accipiet in uxorem.* Et subjicitur dein, ולא יחלל זרעו בעמיו *Nec profanet semen suum in populis suis.* Vulgata ibi; *Virginem ducet uxorem. Viduam autem, & repudiatam & sordidam atque Meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo, ne commisceat stirpem generis sui, vulgo gentis suæ.* Subindicans proculdubio non solum Virginem Pontifici ducendam, sed etiam ex genere seligendam Sacerdotali, quod per *populum suum* autor Versionis innui existimavit. Neque ille solus. Nam sic etiam diserte Philo, Judæus Alexandrinus lib. II. de Monarchia. Pontifici scribit ille, non solum Virginem esse duntaxat despondendam, ἀλλὰ καὶ ἱέρειαν ἐξ ἱερέων, ἵνα ἐκ μιᾶς οἰκίας καὶ τρόπον τινὰ τοῦ αὐτοῦ αἵματος ὦσιν νυμφιός τε καὶ νύμφη, *sed etiam Sacerdotem ex Sacerdotibus, puellam nempe ex Sacerdote natam, adeo ut sponsus sponsaque sint ex una domo & eodem quodammodo sanguine.* Sed nequein Josepho nec in Talmudicis hujusce interpretationis vestigium comperio. Minime enim populos suos pro genere sumunt Sacerdotali, sed Israelitico. Et Aben Ezra ad dictum locum, *Ratio est*, inquit, *in adjectione verborum illorum de populis suis.* כי הבתולה השבייה והמתייהרת אסורה לו *quoniam Virgo capta* (e gentilibus) *& Judæa facta seu Proselyta ei interdicitur.* Quam etiam nomine Zona seu Scorti, ut mox patebit, comprehendunt. Ex singulari vero vocabuli Uxoris in sacra de Pontificis nuptiis lege numero receptior est sententia, polygamiam ei negatam esse, adeo ut plures simul habere ei esset nefas. Qua de re vide sis Gemaram Babylonicam ad tit. *Jabimoth* cap. VI. fol. 56. a. & Maimonidem halach. *Isuri Bia* cap. XVII. præter *Magid Misna* ibidem. Et Nicolaus Mongeorgius in Codice de Mosaico & Vetere jure enucleando pag. 161. *Seniores*, inquit, *populi Israel præhabito maturo consilio ac deliberatione decrevere Magnum Sacerdotem unica Uxore fore contentum.* Quin quod habetur in II. Paralip. XXIV. 2. de binis Jehojadæ Pontificis Uxoribus, id intelligunt ii, qui sententiam hanc amplexantur, de altera post alterius sive mortem sive repudium ducta, aut pluribus simul ductis antequam in Pontificatum succederet, saltem de altera in Parasceve festi Expiationum libello ejecta. Nam tempore illo sanctissimo binas Pontifici retinere, utcunque illicitum habebant; ut scilicet inquinamenti ansa minueretur. Vide sis Maimonidem halach. *Celi hammikdasch*, cap. V. Sed vero apud Ezechielem cap. XLIV. 22. de Sacerdotibus legitur, *viduam & repudiatam non ducent in uxores, sed virgines quæ sunt de semine domus Israel*, והאלמנה אשר תהיה אלמנה מכהן יקחו quod Vulgatæ vertitur, *sed & viduam, quæ fuerit vidua a Sacerdote accipient*. Hæc quidem sonare videntur, ac si vidua nulla, præter eam, quæ Sacerdoti fuisset ducenda sed tantum virgo. Ceterum Ebræi ita in loco illo singula singulis distribui volunt, ut vidua tantum soli Pontifici, ei vero cum ceteris Sacerdotibus repudiata interdici intelligatur, uti & virgo duntaxat Pontificis connubio assignari. Ut ita nimirum cohæreant cum Le-

ge

ge in Levitico lata. Et demum verba illa posteriora, quæ Ebraice attulimus, capiunt, ac si dictum fuisset, *at viduam, quæ revera fuerit vidua, scilicet nec repudiata, nec a Leviro renuntiata* (ex lege Deuter. XXV. 7. nam par esse hujus cum repudiata jus, instituere Scribæ) *ii, qui sunt ex Sacerdotali genere ceteri licite ducant*. Nam מכהן quod *ex Sacerdote* significat, seu *a Sacerdote*, pro iis ibi volunt, qui sunt ex genere Sacerdotali, seu Sacerdotes gregarii, quemadmodum fere Græci dicunt, οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς pro *Stoicis*, & οἱ ἀπὸ τοῦ περιπάτου, pro *Peripateticis*. Vide sis ad locum citatum, Salomonem Jarchium & Davidem Kimchium. Et Uzielides in paraphrasi Chaldaica ibi expressim, וארמלתא די תהי ארמלתא שאר כהניא יסבון *viduam autem, quæ revera fuerit vidua* (marito superstes) *Sacerdotes ceteri* seu *gregarii ducant*. Interdicebatur igitur Sacerdotibus gregariis Scortum, prophana, ac repudiata ex Lege sacra: atqui & Leviro renuntiata [quam חלוצה nuncupant] ex Scribarum autoritate. Pontifici vero etiam & vidua & vitiata; ita tamen, ut ex peculiari Pontifici lege, connubium vitiatæ interdici velint, quod eliciunt ex uxoris vocabulo in præcepto de virgine ducenda expresse habito. Ceterarum tam coitum quam connubium ex ipsis Sacerdotio in universum peculiaribus Legibus vetari; quoniam לא יקחו *non accipiant*, generatim adjicitur. Quod ad sequentia rite capienda, inprimis est animadvertendum. Qualesnam autem fuerint heic vidua, repudiata, Leviro Renuntiata, & Vitiata, ita satis ad hanc rem vulgo dignoscitur, ut plura de eis heic subtexere necesse non sit. De ceteris binis idem non dicendum. Nam quænam fuerint bina illa fœminarum genera, Scorti ac Profanæ nominibus in versionibus vulgo vetita, fusius est heic exequendum; tum quoniam mire discrepat earum notio, apud Ebræorum Jurisconsultos ab ea, quæ Christianis recipitur, tum quia in Natalibus Sacerdotum ac Pontificum discernendis, ea momenti sit perquam insignis. *Zona* igitur seu Scortum ad hunc modum eis definitur, זונה האמורה בתורה היא כל שאינה בת ישראל או בת ישראל שנבעלה לאדם שהיא אסורה להנשא לו איסור השוה לכל או שנבעלה לחלל אע״פ שהיא מותרת להנשא לו Zona seu *Scortum in Lege memoratum fœmina est, quæcunque non est Israelitis* (id est, non ex Israelita; saltem non ex Israelitide genita) *aut Israelitis, quacum concubuit vir, cujus nuptiæ ei interdicto omnium communi interdicuntur, aut quacum concubuit profanus, etiam cujus nuptiæ ei essent permissæ*. Priori definitionis parte comprehendi videmus exteram qualemcunque, etiam & Proselytam & Libertinam. Quæ sequitur pars definitionis, non solum complectitur Israelitidas illas omnes, qui coitu aliquo nomine ערוה *Turpitudinis* seu *incestus* (excepto illo qui cum menstruosa habitus) in Levitici decimo octavo capite signato, inquinarentur, verum etiam universas, quæ cum eorum aliquo rem haberent, quorum nuptiæ Israelitibus vetantur; veluti Mamzere, Ammonite, Moabite, etiam proselyto facto, id genus aliis, in Deuteronomii vigesimo tertio. Nam quod ibi sigillatim de istis legitur לא יבא בקהל יהוה *non intrabit in cœtum* seu *congregationem Domini*, id ad unum omnes accipiunt Ebræi pro eo, quod est, לא ישא ישראלית *non ducat in uxorem Israelitidem*; seu, *inter eos & Israelitas minime ineantur conjugia*. Eadem erat ratio Israelitidis, qua cum gentilis coiverat nondum proselytus factus. Etenim Lex ait sacra, Deuter. VII. 2. *Non affinitatem facies cum eis; filiam tuam non dabis filio ejus, neque filiam ejus accipies filio tuo*. Vide item Exod. XXIII. 32. & XXXIV. 16. Quas leges, non de alienigenis simpliciter, sed de nondum proselytis factis accipiunt. Vide item Ezram X. 20. & Nehemiam XIII. 25. Quod pariter dicendum de ea, quæ cum servo ex gentibus capto, necdum libertate donato, tametsi Judaismo nomen dedisset, atque huc usque servilem retinens conditionem proselytus fuisset factus. Nam interdictum Israelitidi habebatur hujusmodi servi; veluti gentilis, conjugium, uti & Israelitæ hujusmodi ancillæ; qua de re consulas etiam Levitici cap. XIX. 20. & paraphrasin Onkeli Deuter. cap. XXIII. 17. Ex gentilis igitur servi hujusmodi, adulteri, sanguine nimium conjuncti, Mamzeris (qualisnam is esset, ostendimus in libro de Successionibus in Bona capite III.) Ammonitis, Moabitis, id genus aliorum coitu, quorum nuptiæ prohibitæ sunt, interdicto omnibus ex ipso sermone sacro, communi, Zona seu Scortum heic fiebat. Non item ubi nuptiæ, non ex sermonis sacri verbis, sed ex majorum tantum institutis, veluti Secundariarum, prohiberentur, tametsi esset etiam omnibus commune illud interdictum. Nam ita volunt heic distingui. Postrema denique de-

definitionis verba de Profani concubitu, explicata habebimus, si quid Profana Magistris in Lege denotet, prius ostendatur. Profana, ad eorum mentem, dupliciter fiebat fœmina, interdum ex Natalibus tantum, interdum ex solo Sacerdotis seu Pontificis coitu. Quod ad Profanæ Natales attinet; Proles utriusque sexus ex ea, quæ *Zona* seu Scortum, modo supra explicato, habebatur, aut è repudiata aut e fratria Leviro renuntiata, (nam in iis, quæ Sacerdotibus propria fuere de nuptiis aut coitu interdictis, nullum voluere esse heic discrimen inter sacram Numinis Legem & Majorum seu Scribarum instituta) a Sacerdote suscepta, sive a Pontifice, uti etiam ab hoc ex vidua, profana censebatur. Idem statuebant de Pontificis prole ex vitiata, quam matrimonio sibi conjunxerat, nata. Nam peculiare esse Pontifici de ea mandatum ajunt, qua tantum prohibetur ei ejus conjugium; idque ex usu vocabuli uxoris expresso, in Lege de Virgine, ut superius etiam monuimus. Et profanari nolunt prolem, nisi ubi generatio ejus ex causa peculiari sive Sacerdotis sive Pontificis nuptiis præcepto vetita manarit. Breviter rem explicant. חלל הוא שנולד מאיסור כהונה *Profanus est, qui nascitur ex coitu Sacerdoti interdicto*. Lege scilicet seu instituto generi Sacerdotali aut Pontifici peculiari. Unde in paraphrasi Uzielidi tributa, profana vertitur per דאנתילידא מן פסוליה *quæ nata est ex eis, quæ Sacerdotibus jungi rite nequeant*. Sacerdotis autem coitu solo profanabatur quælibet generi Sacerdotali vetita, nondum Profana. Uti & Pontificis coitu vidua, & Vitiata, quæ ei conjux. Atque ad illud, quod interdicto de Pontificis Nuptiis subjungitur, *nec profanabit semen in populis suis*, habet Jarchii glossa. הא אם נשא אחת מן הפסולות זרעו הימנה חלל מדין קדושת כהונה *Scilicet, si duxerit quempiam ex eis, quæ sive ipsi, sive generi Sacerdotali vetantur, semen ejus ex ea susceptum profanabitur ex jure sanctitati Sacerdotii præscripto*. Nam & ipsa prius ex coitu ejus profanata. Neque discrimen heic faciunt inter concubitum ex errore & scienter habitum. Statuunt etiam, filium ex Sacerdotis coitu, communi interdicto prohibito, veluti adulterio aut incessu (quod mirum videtur) quo *Zona* seu Scortum quæpiam primum fiebat, genitum, altaris functione neutiquam eo nomine arcendum fuisse, sed כשר seu *rectum*, uti vocant, haberi. Filiam vero Sacerdoti minime ducendam; quippe quæ Mamzera erat (ut omnes ita procreati] adeoque, ex communi omnibus mandato, non solum non Sacerdoti, sed nec Israelitæ cuicunque permissa. Atqui ex secundo cum eadem, Scorti nomine jam induta, coitu sive ejusdem sive alius Sacerdotis natum, ad altare, quia Profanus erat, non admittendum. Secundus nimirum coitus Scorti erat, ideoque (uti & omnes qui sequerentur) ex præcepto Sacerdotibus peculiari illicitus fuit. Non ita primus; sed ex præcepto omnibus æque communi. Neque igitur proles ex primo heic suscepta profana censebatur, sed ex secundo, juxta ea, quæ dicta sunt, quo etiam ipsa mater profana fiebat. Et solum ita mater atque posteri, non ipse Sacerdos (sic illi) profanabatur. Regulam tradunt; אחת מן הנשים האסורות לכהונה שנבעלה לכהן נתחללה אבל הכהן עצמו שעבר עבירה לא נתחלל *Fœmina quælibet, Sacerdotali generi interdicta, quacum Sacerdos concubuerit, profanatur. At vero Sacerdos ipse, qui sic deliquerit, neutiquam profanatur* Nimirum neque functione, neque juribus aliis Sacerdotalibus arcebatur. Profanarum autem, quales diximus, posteri universi a Sacerdotibus geniti, profani erant. Neque restituebatur in eo genere Natalium puritas ejusmodi, ut inde Uxores rite seligere potuerint Sacerdotes, nisi ubi e puellis profanis Israelitæ, qui non essent aut Sacerdotes aut profani, filias suscepissent. Etenim hæ, ob patrum dignitatem, quam sequebantur, Sacerdotum Nuptiis, non aliter ac Israelitides ceteræ, idoneæ sunt habitæ. Neque profanarum conjugia aliis præter Sacerdotes & Pontifices prohibebantur. Et tametsi illicitæ erant horum cum illis nuptiæ, filiarum nihilominus tam Sacerdotum quam Pontificum atque profanorum, ut etiam profanarum atque Levitarum Israelitarumque ceterorum (qui non ex genere Sacerdotali) atque horum filiarum cum profanis conjugia non aliter ac Proselytorum atque Libertinorum semper permissa. Atque ex ejusmodi conjugiis proles in aliam atque aliam conditionem ab ea, quæ alterius parentum erat, migravit. Israelitidis cujuscunque proles, cui Propater Proselytus aut Libertinus erat, in genere censebatur Israelitico. Profanæ, Proselytæ ac Libertinæ prolis ab Israelita, non Sacerdote aut Profano, genitæ par erat ratio. Ubi vero Proselytorum, Libertinorum ac Profanorum per nuptias invicem commix-

mixtio fiebat, proles conditionem sequebatur parris. Etiam & patris retinebat non solum Libertinæ & Proselytæ, sed & Israelitidis proles a profano suscepta. Et inter profanos censebatur semper profani posteritas, usque dum ex conjugiis jam dictis in aliud nomen filiarum seu nepotum proles migraret. Regula est; בת חלל זכר פסולה מן הכהונה לעולם *Filia Profani sexus masculi Sacerdoti haud rite jungenda est ulla in specie*. Semper nempe Profana est, ut pater, ipsa. Quod utique de filiis ejus pariter dicendum. Ex hisce manifestum est, tum qualisnam fuerit fœmina profanæ nomine in lege memorata, tum quisnam profanus ille fuerit, cujus concubitu, utcunque licito, puella quacum rem haberet, τῆς זונה seu *Scorti*, ad Magistrorum mentem, nomen induebat. De hisce omnibus, consulas Talmudicos, maxime tit. *Kidoschin*, cap. IV. & tit. *Jabimoth*, c. VI. & IX. præter Mosem Maimonidem halach. *Isuri Bia* cap. XVIII. & XIX. Mosem Mikotzi Præcept. Negativo CXXI. & CXXII. & sequentibus. Et de Natalibus demum, quorum ob impuritatem tam functione Sacerdotali, quam successione Pontificali Sacerdotum filii arcebantur, facile hinc liquet dijudicare. Summa est, nemo non arcendus erat ut profanus, qui ex concubitu jure Sacerdotibus ac Pontifici peculiari interdicto nasceretur. Hinc etiam, ne hujusmodi inquinamenti suspicio fraudi foret, aut fama de familia profanis inquinata sive functioni sive successioni adversaretur, in tabulas genealogicas, כתבים היחס *scripta* seu *libros familiæ* dictos, parentum nomina, genus, qualitatem referre solebant, maxime Sacerdotes; unde natalium puritas, qualis sacræ functioni atque successioni exigebatur, præsto assereretur. Qua de re apud Ezram cap. II. 62. & Nehemiam capite VII. 64. *Hi quæsierunt* inquiunt, *Scripturam genealogiæ suæ & non invenerunt, & ejecti sunt de Sacerdotio. Et dixit Athersatha eis, ut non comederent de Sancto Sanctorum, donec surgeret Sacerdos doctus atque perfectus:* Adeo ut a Sacerdotio arcerentur in perpetuum; quoniam utrum natales eorum satis essent puri, non satis constabat. Et de ea re, plura capite proximo. Id vero quod adjicitur de adventu *Sacerdotis docti atque perfecti*, ex locutione apud Hebræos Proverbiali interpretatur Jarchius, כאדם האומר לחבירו עד ימות המשיח *qua scilicet uti solent invicem homines; cum dicunt, usque ad dies seu adventum Messiæ*. Vide item Nehemiam XIII. 28. Ejecti autem sunt, seu altari arcebantur, ut polluti seu profani ex natalibus, נעבר שלא נמצא כתב יחסן *eo quod repertæ non sunt tabulæ eorum genealogicæ*. Ne scilicet profani forte, contra fas, ad sacram functionem admitterentur. Sic idem Jarchius ibi. De matribus item aviisque Uxoris ducendæ, sollicitius erat Sacerdoti inquirendum, ne aut interdictam ducens pœnas subiret, aut prolem inquinaret; quod fusius in libris de Nuptiis Hebræorum explicamus, etiam &, ex Josepho, capite sequenti tangimus.

CAPUT III.

Flavius Josephus, *de Sacerdotum & Natalibus, & Conjugiis, explicatus. Et de* Natalibus dubiis.

JAm dictis de Proselytarum, Libertinarum, & τῶν זונות *Zonoth* seu *Scortorum* (sensu supra ostenso) filiis functiones Sacerdotali arcendis, adstipulatur etiam VI. Josephus. Is in primo adversus Apionem, Δεῖ, inquit, τὸν μετέχοντα τῆς ἱερωσύνης ἐξ ὁμοεθνοῦς γυναικὸς παιδοποιεῖσθαι. *Oportet eum, qui Sacerdotii particeps fuerit, ex ejusdem gentis nasci muliere*. Scilicet neque ex Proselyta aut Libertina, nedum gentili aut ancilla ex gentibus capta; quæ omnes, ut ex Magistris manifestum fit, τῆς *Zona* seu *Scorti* nomine interdicebantur Sacerdotibus. Quin binarum posteriorum proles matrem in Republica Hebræorum semper sequebatur, ut passim habetur in eorum Commentariis. Scilicet docet ibi Josephus; genus apud populares suos Sacerdotale semper ἄμικτον καὶ καθαρὸν, *sine permixtione & purum*, manere debuisse; & uxorem ducturum μὴ πρὸς χρήματα μηδὲ τὰς ἄλλας ἀποβλέπειν τιμὰς, ἀλλὰ τὸ γένος ἐξετάζειν ἐκ τῶν ἀρχαίων λαμβάνοντα τὴν διαδοχὴν, καὶ πολλοὺς παρεχόμενον μάρτυρας, *neque pecunias nec honores spectare, sed genus perscrutari, atque ex Majorum monimentis stirpis successionem deducere, & multis eam firmare testibus*. Quibus statim subjungit, καὶ ταῦτα πράττομεν οὐ μόνον ἐπ' αὐτῆς Ἰουδαίας, ἀλλ' ὅπου ποτὲ σύστημα τοῦ γένους ἐστὶν ἡμῶν, κἀκεῖ τὸ ἀκριβὲς ἀποσώζεται τοῖς ἱερεῦσι περὶ τοὺς γάμους. λέγω δὲ τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Βαβυλῶνι, καὶ εἴπου τῆς ἄλλης οἰκουμένης τοῦ γένους τῶν ἱερέων εἰσί τινες διεσπαρμένοι. πέμπουσι γὰρ εἰς Ἱεροσόλυμα, συγγράψαντες πατρόθεν τοὔνομα τῆς γεγαμημένης καὶ τῶν ἐπάνω προγόνων, καὶ τίνες οἱ μαρτυροῦντες. *Atque hæc facimus non solum*

in Judæa ipsa, verum etiam ubicunque nostri generis cœtus reperitur simul, & cura habetur Sacerdotibus legitima conjugiorum. De iis loquor, qui degunt in Ægypto & Babylone, & qui sunt alibi in Terrarum orbe dispersi ex Sacerdotum genere. Nam mittunt Hierosolymas, ut descriptum habeant ex domo paterna nomen tum liberorum, tum qui superiores erant majorum, præter rei testes. Ut ita sollicitius prospicerent, ne de prolis suspiciendæ conditione, quæ ex Majorum labe pollui posset, non satis inposterum constaret. Unde & ipse sub initium Vitæ suæ, *παρ' ἡμῖν*, inquit, *ἡ τῆς ἱερωσύνης μετουσία τεκμήριόν ἐστι γένους λαμπρότητος, apud nos participem esse Sacerdotalis functionis, argumentum est eximii splendoris generis.* Aliorum nempe, præter optimo jure Israelitas, nequaquam commixti sanguine. Neque duntaxat, ubi de natalium impuritate manifesto liqueret, Sacerdotum filii a sacra arcebantur functione, verum etiam ex ספק זונה *Zona dubia*, seu *dubio Scorto*, ex ספק חללה *profanus in dubio* censebatur, eamque ob causam æque, ac is, qui manifesto Profanus erat, ab altari arcendus; nisi id, quod in dubio erat probationibus aperte solveretur. Ad hanc rem spectat, quod Ezra & Nehemia capite superiore memoratur. Hinc etiam fiebat, ut Puella Israelitica trima præter diem unicum aut majoris ætatis ex Captivitate gentium redemta pro Scorto heic dubio haberetur, filiusque ex ea a Sacerdote susceptus pro Profano, qui in dubio. Nam post triennii ætatem, (qua viripotentem puellam semper existimabant) de Gentilis alicujus, apud quem captiva servabatur, coitu, unde *Zona* seu Scortum fieri capite superiore ostenditur, aut præsumebatur, aut saltem habebatur suspicio. Atqui si teste unico firmari potuisset negatio, Gentilem cum ea neutiquam concubuisse, diluebatur ejusmodi præsumtionis vis. Moses Maimonides halach. *Isuri Bia* cap. XVIII. שבויה שנפריה והא בת שלש שנים ויום אחד או יתר אסורה לכהן מפני שהיא ספק זונה שמא נבעלה לגוי ואם יש לה עד שלא נתייחד הגוי עמה הרי זו כשרה *Captiva redemta, quæ fuerit trium annorum præter diem unicum aut majoris ætatis, Sacerdoti interdicebatur; quoniam dubium erat Scortum. Scilicet in dubio erat, utrum cum ea Gentilis rem habuisset. Ceterum si testem haberet, Gentilem minime secum concubuisse, tunc generi Sacerdotali Uxor ea satis idonea.* Qua de re vide item Gemaram Babylonicam ad tit. *Cethuboth*, cap. II. fol. 26. & 27. Consonum est, quod habet de captiva Josephus; cujus tamen ratio, sine Magistrorum commentariis, nimium delitescit. Is dicto contra Apionem libro, *πόλεμος δ' εἰ*, inquit, *κατάσχοι, καθάπερ ἤδη γέγονεν πολλάκις, Ἀντιόχου τε τοῦ Ἐπιφανοῦς εἰς τὴν χώραν ἐμβαλόντος, καὶ Πομπηΐου Μάγνου, καὶ Κυιντιλίου Οὐάρου, μάλιστα δὲ καὶ ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις, οἱ περιλειπόμενοι τῶν ἱερέων καινὰ πάλιν ἐκ τῶν ἀρχαίων γραμμάτων συνίστανται, καὶ δοκιμάζουσι τὰς ὑπολειφθείσας γυναῖκας, οὐ γὰρ ἔτι τὰς αἰχμαλώτους γενομένας προσίενται, πολλάκις γεγονυῖαν αὐταῖς τὴν πρὸς ἀλλόφυλον* (ita plane legendum pro eo, quod nihil est *ἀλλόφυλλον* in impressis) *κοινωνίαν ὑφορώμενοι. Si autem bellum interveniat, sicut jam crebro factum est, cum Antiochus Epiphanes nostras invasit terras, uti & Pompejus Magnus, & Quintilius Varus, & maxime nostro in avo, ii qui ex Sacerdotibus supersunt, novas ex vetustis monimentis conficiunt tabulas, & fœminarum, quæ relinquuntur, conditionem indagant. Etenim minime captivas approbant; quippe quarum cum Gentilibus seu alienigenis frequens consortium suspicantur.* Ipsa eadem, sed subobscure redditur ratio, quæ apud Magistros in Commentariis suis occurit, ut jam aperuimus. Atque inde erat illud, quod proterve nimis improperavit Eleazarus Pharisæus, cum Joannes Hyrcanus Pontifex & Princeps Judæorum, Simonis Pontificis ac Principis filius, Pharisæorum cœtum in convivio ad libertatem de se loquendi invitabat, atque ad officii sui, si quid delinqueret, correctionem. *Quandoquidem igitur*, ait Eleazarus, *ais te cupere audire veritatem, si vis esse justus, abdica te Pontificatu & contentus esto Principatu populi. Illo autem causam rogante, cur ita postularet, ut se Pontificatu abdicaret*, ὅτι φησὶ, ἀκούομεν (ita Josephus lib. XIII. cap. XVIII.) *παρὰ τῶν πρεσβυτέρων αἰχμάλωτον σου γεγονέναι τὴν μητέρα, βασιλεύοντος Ἀντιόχου τοῦ Ἐπιφανοῦς; quia, inquit, audivimus a Senioribus, matrem tuam captivam fuisse, regnante Antiocho Epiphane.* Fallus quidam erat rumor ille. Sed ex eo, quod objecit Pharisæus hic nemini non facillimum est elicere, sententiam etiam de Captivæ filio ad successionem Pontificalem jure non admittendo, nec in dignitate retinendo, veluti Profano, nisi de castitate matris aliunde constaret. Idem sed paulo aliter narratur in Gemara Babylonica ad tit. *Kidoschin* cap. III. fol. 66. a. ubi Joannes Hyrcanus Rex vocatur ינאי המלך *Jannæus Rex*.

Men-

Mensæ apposita esse ibi dicuntur tantum olera campestria quæ מלוחים & Syriace קקולי *Kekuli* vocant, atque כל חכמי ישראל *omnes sapientes Israel* [quamplurimos pharisæos] esse invitatos, ut læti convivio ea comederent, patrum, qui dum Templum secundum ædificabant, non aliis ferme usi sunt dapibus, memoriam celebrantes. Adfuisse inter eos Eleazar Ben פועריה *Phoaria*, hominem pessimum. Hunc, ut dissidium inter Regem & Pharisæorum genus concitaret, ei insusurrasse, Pharisæos eum summo habere clanculum odio, idque satis fore detectum, si per laminam, quam in fronte gereret (id est, eam, in qua inscriptum nomen tetragrammaton) eis juraret. Regem Jurasse. Et dein sequitur, היה שם זקן אחד ויהודה בן גדידיה שמו ויאמר יהוד בן גדידי לינאי המלך ינאי המלך רב לך כתר מלכות הנח כתר כהונה לזרעו של אהרן שהיו אומרים אמו נשבית במודיעים ויבוקש הדבר ולא נמצא ויבדלו חכמי ישראל בזעם ונו *Erat ibi presbyter* seu *senior quidam*, *cui nomen Jehuda Ben Gedidia, qui Jannæo Regi dixit, Jannæe Rex sufficit tibi, quod Regnum obtineas. At vero Pontificatu te abdica. Nimirum ajebant, matrem ejus captivam fuisse in Modin. Quod tamen falsum esse, disquisitione habita, est compertum. Discessere igitur sapientes Israel indignabundi*, &c. Quos postmodum juxta Eleazari consilium vita omnes privasse Regem, ibi etiam traditur. Res ipsa (nam circumstantias prætermittimus) quæ apud Josephum, pariter heic habetur, tametsi convitium ille Eleazaro, Gemara Jehudæ Ben Gedidia tribuat. Glossa autem ibi ad illud de Captiva; ושבויה פסולה לכהונה ונשאה אביו ונמצא חלל *Et Captiva Sacerdoti jungi non debet, quam tamen duxit Pater ejus, inde ipse Profanus est*, seu *Pontificatu arcendus*. Ita explicat ille vim rationis, ob quam, si vera fuisset, dignitate illa sacra esset dejiciendus. Josephus item lib. III. Originum cap. X. in mandatis scribit peculiaribus accepisse Sacerdotale genus, μήτε γαμεῖν τὰς ἑταιρικάς, μήτε δούλην, μήτε αἰχμάλωτον, καὶ τὰς ἐκ καπηλείας καὶ τὸ πανδοκεύειν πεποϱισμένας τὸν βίον, *eas in Uxores neutiquam ducere, quæ corpore quæstum facerent, nec ancillam, nec cauponariam, nec stabulariam*; præter alias de quibus ex sacri sermonis verbis satis liquet. Sive ob præsumtionem, sive ob suspicionem, prostibulum, captivam, cauponariam ac stabulariam gentilium, quorum frequentiæ adsuescerent concubitu pollui, juxta ea quæ jam dicta sunt, inter זונות ספקות *Scorta dubia*, eas censeri voluit, adeoque Sacerdotibus interdici. At contra Josephi mentem. Ruffinus ibi vertit, *neque meretrices neque concubinas eis habere permisit*. Cum manifestum sit, ex Talmudicorum scitis, & meretricem & concubinam etiam & prostibulum (de quo vide ad hanc rem Maimonidem halach. *Isuri Bia* cap. XVIII.) si de concubitu, qualis in τῆς *Zona* seu Scorti definitione memoratur, præsumptio aut suspicio vehemens abesset aut dilueretur, Sacerdotibus permissum esse, neque prolis ex earum conditione pollui natales. Ceterum Philo, Judæus Alexandrinus, ita de Scorto interdictum sacrum intelligere videtur, ut universæ fœminæ, præter Virginem & Viduam Marito superstitem, Sacerdotibus τοῖς μετ' μέρος, *partiariis* seu τοῖς τῆς δευτέρας τάξεως, *secundi ordinis*, (nam hisce nominibus in ceteris, præter Pontificem, designandis, utitur) pro vetitis essent ex jure generi sacro peculiari habendæ. Vide eum lib. II. de Monarchia. De solicitudine demum circa Sacerdotum nuptias, unde natalium puritas & successio pendebat, Josephus in primo contra Apionem, proxime post verba superius inde de Sacerdotibus allata, τεκμήριον δὲ μέγιστον, inquit, τῆς ἀκριβείας. Οἱ γὰρ ἀρχιερεῖς οἱ παρ' ἡμῖν ἀπὸ δισχιλίων ἐτῶν ὀνομαστοὶ παῖδες ἐκ πατρός εἰσιν ἐν ταῖς ἀναγραφαῖς. Τοῖς δὲ, τῶν εἰρημμένων ὅτι οὖν γένοιτο εἰς παράβασιν, ἀπηγόρευται μήτε βωμοῖς παρίστασθαι, μήτε μετέχειν τῆς ἄλλης ἁγιστείας. *Indicium summæ hac in re accurationis maximum est. Etenim qui Pontifices apud nos fuere a duobus millibus annorum* (de hoc numero locus heic non est disceptandi) *nomine designati, filii ex patribus reperiuntur in Laterculis. His vero, ubi eorum, quæ diximus, quid non fuerit observatum, interdictum est, ne ad altaria accedant, aut rem aliam sacram participent*. Nimirum מן קדשים seu *de rebus Sacris* Sacerdotali generi non profanato propriis, nihil illis jure cedebat; uti de Natalium puritate non satis constaret, ob admissam patribus circa sponsarum earumque majorum conditionem, negligentiam. Is sensus est illius loci, seu posterioris ejusdem periochæ, quæ apud interpretem (ut non pauca alia) misere se habet. *His autem qui prædicti sunt*, ita ille, *si quid prævaricentur, interdicitur, ne vel ad altare accedant vel alia Sanctificatione fungantur*. Perinde ac si ipsi, qui præscriptam ibi circa nuptias curam non servarent, altari sacrisque universa

versis velut profani adeoque in perpetuum interdicerentur. Cum certissimum sit nuptias nullas, ipsum Sacerdotem, cui interdicta aliqua nuberet, sed ejusce duntaxat prolem profanasse, quod ex superius ostensis etiam manifestum est. Nec melius interpres Josephi recentior lib. XI. cap. IV. *Rejecti sunt*, inquit, *etiam ex ordine & honore Sacerdotali, quotquot duxerant uxores, quarum genus nec ipsi indicare poterant, nec in Leviticis & Sacerdotalibus genealogiis inveniebatur*. Græca sunt, ἐξεβλήθησαν δὲ καὶ ἐκ τῶν ἱερέων, ἐκ τῆς τιμῆς, ἠγαμηκότες γυναῖκας, ὧν οὔτ' αὐτοὶ τὸ γένος εἶχον εἰπεῖν, οὔτ' ἐν ταῖς γενεαλογίαις τῶν Λευιτῶν καὶ Ἱερέων εὑρέθησαν. Quæ vertenda, *ejiciebantur ex honore Sacerdotum quidam etiam, qui uxores ceperant, quorum nempe nec ipsi genus indicare potuere, nec in genealogiis Levitarum & Sacerdotum sunt comperti*. Si res, ut oportet, ad ipsorum non ad uxorum genus omnino attinet, Ruffinus etiam expressim ibi concors est. Vertit enim, *Repulsi verso sunt quidam a Sacerdotali honore, qui uxores sibi copulaverant. Hi nec suum genus dicere prævalebant, nec in generatione Levitarum vel Sacerdotum inventi sunt*. Scilicet id ipsum, quod in Ezra & Nehemia habetur de Sacerdotibus, qui loco in tabulis genealogicis carebant, narrat heic Josephus. At quare igitur adjicitur illud ἠγαμηκότες γυναῖκας *qui uxores ceperant*. Opinor, quasi dixisset, qui ejusmodi erant natalibus vulgo habiti, ut uxores tantum sibi legitimas, id est, Israelitidas, quales Sacerdotibus, ut supra ostensum est, semper ducendæ, cepissent, a functione tamen sacra, quoniam de natalium puritate non constabat, velut prophani, in perpetuum arcebantur. Neque enim ibi de nuptiis illegitimis omnino agitur. Scimus quidem, sub id tempus non paucos fuisse etiam ex genere sacerdotali, qui fœminas sibi non legitimas, id est, generis externi, copulassent. Vide Ezram X. 18. Nehemiam XIII. 28. & Josephum lib. XI. cap. V. Etiam & ejectas fuisse plerasque, idque decreto publico. Sed qui ejecerunt, functione seu honore Sacerdotali summoti non sunt. Tametsi interea verum sit, quotquot non ejecerint, ex sententia forensi rite aut interdictos esse, aut potuisse interdici altari, usque dum ejecissent. Qua de re plura inferius cap. VI. Sed nemo non videt, aliud esse Profanum quempiam fieri, seu in perpetuum altari arceri, quemadmodum ex natalibus sive impuris, sive incertis; aliud sic tantum interdici, ut in functionem nihilominus rediret, simul ac id quod jusserat forum, præstaret, ut in uxoris illegitimæ repudio. Priore in specie, pro Sacerdote non omnino habetur; in posteriore, duntaxat intermissio functionis est. Ex hisce mirum non est, Herodem Antipatri F. Judææ Regem, cum Pontifices pro suo libitu creare abdicareque, nec tamen aperte nimis aut plusquam res sua exigeret, in personis, qui crearentur, seligendis in patrios Hebræorum ritus committere vellet, tabulas illas tam Sacerdotum quam aliorum genealogicas flammis, quas potuit, consumsisse; quod memorat Eusebius, alii. Et Saidus Batricides, Patriarcha Alexandrinus, de eo, אחד כתב אליהוד אלתי אעאדהא להם עזרא פי נשב קבאילהם ונגשהם פאחרקהא באלנאר כלהא לכימא לא ידרי אחד מנהם מן אי שבט' הו ולא מן הו אבוה *Cepit tabulas Judæorum, quibus recensebantur illorum cognationes, per familiarum & generum conjunctiones, contractæ, atque eas omnes igne combussit; adeo ut nemo cognosceret, quanam esset ex tribu, nec quisnam pater ejus fuisset*. Non tali cognovit, qui hisce careret tabulis, certitudine, qualis in natalibus, maxime eorum, qui ad Sacerdotium seu Pontificatum admittendi fuere, discernendis exigebatur. At vero si Profanus sacrificaret (quod obiter monendum) Sacrificium ejus neutiquam profanum habebatur, sed עבודה כשרה *cultus* seu *functio*, illa vice, satis qua actus erat sacrificantis, *legitima*; ita tamen, ut in classes Sacerdotales aut Pontificalem dignitatem non esset ipse admittendus, sed ab altari arcendus. Vide sis de ea re Maimonidem halach. *Biath hammikdasch* cap. VI. & MIKOTZI Præcept. Negativ. CCCVIII. Sacrificium scilicet ab eo peragi non debuit, sed peractum valuit. Nec profanabatur, sed vim habuit Sacrificii. Quo trahunt illud in Benedictione, qua Moses Levi benedixit Deuter. XXXIII. 11. *Benedic Domine Fortitudini ejus, & opera manuum illius accipies benevole*. Etiam ajunt inde, חולין שבי תרצה *Profanos, qui ex ea tribu, non aspernaberis*.

CAPUT IV.

De Ætate ministerio Sacerdotali *ac* Levitico, *etiam &* Pontificali successioni *idonea & legitima. Et de Successione, ubi* hæres *adhuc* impubes, *seu* minor.

IDonea undiquaque Sacerdotali ministerio ætas dici solet Ebræis annus exactus vigesimus. Ante, immaturitas quidem fuit, sed in genus duplex distinguenda. Alia sic præpediebat, ut, qui intra eam ad altare, ut Sacerdos, accederet, ejus עבודה פסולה *functio* seu *ministerium illegitimum* seu *profanum* censeretur Alia minime altari arcebat eum, aut functioni, si placeret, erat impedimento; sed intra eam, עבודה כשרה *functio* seu *ministerium rectum* & *legitimum* satisque sacrum habebatur. Ita tamen, ut veluti privilegii jus esset, quo ætate sic immaturus abesse posset pro libitu, nec obligatione, ad vices cum ceteris præstandas, teneretur. Prior heic ætas anno decimo tertio præter diem unicum, modo bini minimum pubis pili etiam ei excrescerent, seu plena, ac civili pubertate finiebatur; quemadmodum ætas eorum, qui גדולים seu *Majores* fuere, qua de re satis egimus libello de Successionibus in Bona, capite IX. Vetustus autor Rabbi Jehuda Ben Elai, in Sepher Siphra, quem & תורת כהנים *Legem Sacerdotum* appellitant (ad illud Levit. XXI. 17. *Loquere ed Aharon, dicens*, איש מזרע *quicunque vir de semine tuo in generationibus suis habuerit maculam* seu *corporis vitium, non accedat, ut offerat panem Deo suo*) de ætate utraque ad hunc modum; אמר רבי אלעזר כרבי יוסי הא תינוק פסול אעפ״ שהוא תמים מאמיתי עבידתו כשירה משיביא שתי שערות אבל אין אחיו הכהנים מקיבים אותו לעבודתו עד שיהיה בן עשרים שנה *Docuit Rabbi Eleazar, ex sententia Rabbi Jose, infantem seu minorem Sacrificiis haud idoneum fuisse, tametsi vitio corporis omnimodo vacarit. Tempus autem, quo Sacra rite peragere potest, incipit, postquam bini ei excreverint pili. At vero fratres sui Sacerdotes, seu Sacerdotum grex neutiquam eum ad sacra altaris ministeria accersunt, antequam fuerit annorum viginti*. Locus est in Siphra col. 188. quem & citat Moses Mikotzi Præcept. Negativ. CCCVIII. sed non sine verborum aliquot discrepantia. Sic ille ibi; תניא בתורת כהנים איש אמר רבי אלעזר כר׳ צדוק למדנו תינוק פסול תמים עד מתי עבודתו פסולה עד שיביא שתי שערות *Explicatur in Lege Sacerdotum vocabulum vir* (in Lege, quam memoravimus, sacra) *docuit Rabbi Eleazar ex sententia Rabbi Zadok, inde eliciendum, Minorem seu infantem non admittendum, tametsi fuerit corpore integer. Quin & illegitimum est ejus ministerium usque dum excreverint bini pili*. Tantundem etiam habetur in Gemara Babylonica ad tit. *Cholin*, cap. 1. fol. 24. b. תנו רבנן איש מזרע לדורתם מכאן אמר ר׳ אלעזר קטן פסול׳ לעבודה ואפי׳ תם מאימתי כשר לעבודה משיביא שתי שערות אבל אחיו הכהנים אין מניחין אותו לעבוד עד שיהא בן עשרים *Tradunt Rabbini ex eo, quod legitur, Vir ex semine tuo in generationibus suis, docuisse Rabbi Eleazar, Minorem functione sacra arcendum, tametsi corpore esset integer. Functioni vero satis idoneum esse, postquam excreverint ei pili bini, cum tamen Sacerdotum grex seu collegium eum in vices non accersant ante ætatem viginti annorum*. Sic item Maimonides halach. *Celi hammikdasch* cap. V. Et de ætate tredecim annorum præter diem unicum, seu binorum pilorum ætate, quæ heic discrepat tantum juxta ea, quæ in libello de Successionibus in Bona aperuimus. Vide insuper adnotatum ad Maimonidem halach. *Thephilla Webarceth Cohenim* cap. XV. & Mosem Mikotzi Præcept. Affirm. XX. Vigesimus autem, quo in functionem evocandus Sacerdos erat, indicari videtur in II. Paralipom. XXXI. 17. Commate præcedente verba fiunt de Sacrorum, sub Ezekia Rege, instauratione & proventuum distributione universis Sacerdotibus, qui trimatum attigerant aut ætate fuerant superiores. Nam ejusmodi minoribus, Templum cum parentibus sacrificaturis ingredi (quod jam memoratur) rite permittebatur; ideoque, in distributione eorum, infantibus ceteris prætermissis, ratio est simul habita, qua de re vide D. Kimchium ibidem. Ita ut, prioribus ibi verbis, totum genus Sacerdotale, præter infantes nondum trimos, includeretur. Nam quod in Vulgata est, *exceptis maribus ab annis tribus & supra*, substituitur pro מלבד התיחשם לזכרים מבן שלש שנים ולמעלה *præter generis ipsorum mares a filio trimo & supra*, seu ut in Græcis interpretibus ἐκτὸς τῆς ἐπιγονῆς τῶν ἀρσενικῶν ἀπὸ τριετοῦς καὶ ἐπάνω *prætor fœturam masculinorum a triennio, & supra*, Sequitur dein, *omni ingredienti Templum Domini, res diei in die suo* [detur] *pro ministerio eorum in vicibus* seu *classibus suis atque distributioni-*

tionibus suis, quibus commate jam citato subjungitur, ואת התיחש הכהנים לבית אבותיהם והלוים מבן עשרים שנה ולמעלה במשמר ותיהם ומחלקותיהם *etiam & prosapiæ Sacerdotum secundum domum patrum suorum & Levitarum à filio XX. annorum & supra, in vicibus seu Classibus suis atque distributionibus suis*. Adeo ut heic Sacerdotes, qui sacro fungerentur officio, designari videantur, ætate item adjecta; illic totum, ut dictum est, classis uniuscujusque corpus. Vulgata ibi, *Sacerdotibus per familias, & Levitis à vigesimo anno & supra per ordines & turmas suas*. Hellenistæ vero; οὗτος ὁ καταλογισμὸς τῶν ἱερέων κατ' οἴκους πατριῶν, καὶ οἱ Λευῖται ἐν ταῖς ἐφημερίαις αὐτῶν, ἀπὸ εἰκοσαετοῦς καὶ ἐπάνω, ἐν διατάξει. *Hæc distributio Sacerdotum secundum domus paternas: Et Levitæ in vicibus suis à vigesimo anno & supra, in ordinatione*. Ubi anni non omnino ad Sacerdotes, sed ad Levitas tantum referuntur. Et Levitarum quidem lex annalis, paulo ante conditum templi, viginti annorum ætatem eorum ministeriis præstituebat, ut eliciendum videtur ex I. Paralipom. XXIII. 27. *Juxta præcepta quoque David novissima, supputabitur numerus filiorum Levi à viginti annis & supra*. Cum tamen ex instituto Mosaico, seu lege annali primum a Numine lata, ante annum trigesimum Levita ad functionem non obligaretur, ut videre est Numer. IV. 3. & VIII. 24. Nam quod posteriori Numerorum loco vigesimus quintus annus & priori trigesimus designatur, id ita interpretantur Magistri, ut initium functionis altero in loco, discendi initium, atque tempus הלכות עבודה *instituta functionis*, veluti lectionem, cantum, & quæ sunt cætera, assequendi, ut disciplina plenus atque sic idoneus redderetur, in altero denotetur. Adeo ut quinquennium, quo discrepant bini illi loci, fuerit ipsum discendi tempus, intra quad, qui sacro eorum ministerio non idoneus deprehenderetur, rejiciebatur. Ita in Gemara Babylonica ad tit. *Cholin* cap. I. fol. 24. a. Maimonides halach. *Celi bammikdasch*, cap. III. & Salomon Jarchius ad Numer. YIII. De vigesimo autem post Davidis tempora heic anno, testimonium habetur in Ezra III. 8. & trigesimi antea, I. Paralip. XXIII. 3. Neque Legem illam annalem in Numeris latam aliter volent obligasse, quam dum arca Levitarum humeris portanda erat, seu בזמן שהעבודה בכתף *tempore, quo ministerium humeri in usu*. Hoc a Davide Rege sublato (I. Paralip. XXIII. 16.) etiam & vim suam ita Legem annalem exuisse, ut & eam novare liceret. D. etiam Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis ad I. Paralip. XXIII. de Levit. *quandiu*, inquit, *Tabernaculum mutabatur de loco ad locum, a viginti annis eligebantur. Postquam vero Templum Domini edificatum est, a triginta annis*. Ubi numerus viginti locum triginta, errore manifesto, occupat; sed annalis legis mutatio palam docetur. Vide nunc Salomonem Glassium Philologiæ sacræ lib. I. tract. I, sect. II. art. 31. Monendum autem est, in Græcorum interpretum versione Numerorum loci prioris, adeoque utriusque, vigesimum quintum annum Levitis præstitui; qua de re vide, si placet, Theodoretum Quæst. XIII. ad eundem librum. Sed vero nullibi comperio apud Magistros, annos Levitarum, qua Levitarum, legitimam Sacerdotum ætatem indicasse. Quod miror nimium, Viros magnos, etiam dum alios acriter castigant, admisisse. Id tamen, ipsum D. Hieronymum, qui Ebræorum mores ac traditiones ab ipsis quamplurimas edidicit, habet assertorem. *Recordetur* (inquit de Joanne Hierosolymitano, adversus quem in Epistola LXII. ad Theophilum, scribit, verba faciens) *legis antiquæ, & post viginti quinque annos a Levitica tribu eligi in Sacerdotium pervidebit. Aut si in hoc testimonio solo Hebraicam sequitur veritatem, noverit triginta annorum fieri Sacerdotem*. Item in prooemio ad Ezechielem; *nisi quis apud Hebræos ætatem Sacerdotalis ministerii, id est, tricesimum annum, impleverit nec principia Geneseos, nec Canticum Canticorum, nec hujus voluminis exordium & finem legere permittitur*. Eadem etiam ætas Sacerdotibus Christianis olim tum Cæsareo tum Pontificio jure est præfinita, ut videre est in Novell. Justiniani CXXIII. cap. XIII. & Gratiano Dist. LXXVIII. Sed Ebræorum de ætate heic jura suis in Commentariis sunt, qualia jam diximus; atque Sacerdotum alia, alia Levitarum. Neque auditum, puto, est, pubertatem fuisse legitimam. Levitæ ætatem, ad Magistrorum mentem, aut non fuisse Sacerdoti, distinctione, quæ supra adfertur, adhibita. Quæ tamen ita intelligenda etiam videtur, ut non quilibet Sacerdos vigesimum superans annum in functionem esset, sive evocandus, sive admittendus; sed is tantum, qui in Majoribus ætate, seu puber censendus erat; qualis non fuit aliquis post decimum

mum tertium annum præter diem unicum, nisi pubertatis illa signa seu pili bini ei excrevissent, tametsi annum superasset vigesimum; extra quam ubi aut spadonis signa sub vigesimo anno exacto aut postea, Spadonis (quem סריס vocitant) nomen, atque, ex eo nomine, Majoris, ei præbuerant, aut, hisce etiam deficientibus, trigesimus quintus annus exactus in Majorum demum numerum eum retulerat, Ejusmodi enim fuere gradus legitimæ, quæ Major erat ætatis adipiscendæ. Nec, antequam eam quis civiliter adeptus fuerat, functioni sacræ idoneum fuisse videntur existimasse: sed pubertatis signa & annum vigesimum, cui ut plurimum prævia sunt illa signa, velut quæ plerunque seu generatim heic mensuræ vicem obtinebant, in more hoc annali Sacerdotum (qui & Pontificum est) definiendo, usurpasse. Ita ut ante illam ætatem neminem in Vices accerserent; tametsi puberi sacra, pro libitu, præstare liceret, & Pontificis demortui hæredi etiam puberi in Dignitatem succedere. Neque ante eam ætatem, admittendus erat. Hinc de Onia II. Pontifice, Simonis I. filio, in successionem, per annos plurimos, post mortem patris, qui tenera ætate eum reliquerat, non admisso, dijudicandum est. Vide sis librum primum, cap. VI. Quin apud Josephum ratio redditur, cujus obtentu, utpote legitimæ, Antiochus Epiphanes Pontificatum contulit Jasoni, patruo Oniæ, qui filius erat & hæres Oniæ III. Pontificis. Ο' γὰρ (inquit ille lib. XII. cap. VI.) παῖς, ὃν Ὀνίας καταλελοίπει, νήπιος ἦν ἔτι. *Nam filius Oniæ superstes, parvulus hactenus erat*. An vero, qui ita ob minorem demortui hæredis ætatem succederent, ij jure suo, an pupilli pontificatu fruerentur, quæstio facta est. Audacter Josephus Scaliger in Elencho Orationis Chronologicæ Davidis Paræi; *Pontifex*, inquit, *Maximus*, *quamvis ante pubertatis argumenta*, *non admittebatur in functionem suam*, *nihilominus tamen erat & vocabatur Pontifex Maximus. Sed habebatur illi Vicarius*, *qui intra terminum pubertatis ejus vice fungeretur. Is in priore Templo dicebatur* משנה כהן גדול *Secundus a Pontifice Maximo. Sub posteriore Templo vocatus est* סגן כהן גדול *Vicarius Pontificis Maximi*, *quem locum in Ecclesia Græca explet is*, *qui vocatur* πρωτοσύγκελλος τοῦ πατριάρχου. *Hujus rei illustre exemplum extat in Onia; cui, quum, patre Simone Justo mortuo, relictus in cunis esset*, *Vicarius datus est Eleazarus patruus*. Sic ille. At vero, annos XXX. Pontifex fuit Eleazarus, & Manasses propatruus XXVI. antequam dignitate gauderet Onias nepos, ut libro ostenditur superiori, ex Eusebio; aliis quindecim duntanxat annos Eleazaro assignantibus. Etiam uterque demortuus est, antequam succederet Onias, de cujus tamen pubertatis civils retardatione nullibi legimus. Detur sane, extremam pubertatis metam eum præstolatum esse, id est, annum trigesimum quintum; nec Eleazarum XXVI. sed XV. annos tantum dignitatem tenuisse. Certe diutius etiam ita præclusus est Oniæ Pontificatus, quam tutelæ jus aut Vicarii ratio pateretur. Nec fiebat Pontifex solo jure proximitatis. Accedebat præter vestitum sacra Unctio sub Templo primo, solennis item & sacer vestitus sub secundo. Sine quibus pro Pontifice nemo agnoscebatur, ut mox liquebit. Impuberes autem aut unctos aut vestitu illo insignitos, haud puto compertum. Quomodo igitur Vicarius ei datus, qui nondum ipse Pontifex? qua ratione etiam & ubi tributum ipsi Pontificis nomen, quatenus illud supremam in ordine Sacerdotali dignitatem significat? Quin Josephus diserte ante Antiochi Epiphanis tempora neminem ἅπαξ παραλαβόντα *semel nactum dignitatem Pontificiam* eam exuisse scribit. Neque obstat Abiatharis exauctoratio, perduellionis rei. Loquitur de ordinaria successione & perpetuo Pontificis creati jure. Nec minus ipse sive Eleazari sive Manassis Pontificatum, quam aliorum, qui præcesserant perpetuum facit tutelæ seu pupilli jure liberum. Quæ cum ita sint, statuendum potius videtur, Impuberum jus ejusmodi fuisse, ut præcluso ipsis Pontificatu, proximus, perinde, ac sic illi abessent, sanguine succederet, non tutelæ aut Vicarii jure, sed pleno suoque & perpetuo. Quo item mortuo, proximus itidem succedebat, nisi impuberi pubertas civilis antea accessisset. Adeo ut Impubes a paterna dignitate arceretur, usque dum & pubertas sua & Pontificatus vacatio concurrerent, Quod sane, ex Oniæ patruique sui & Propatrui exemplo, videtur eliciendum. Jam dicta autem de Sacerdotali seu Pontificali functione, ante annum vigesimum, ubi pubertas civilis adesset, rite peragenda, apprime firmantur ex eo, quod apud Josephum legitur de Aristobulo Hyrcani Pontificis ex Alexandra filia nepote, adeoque Pontificatus, sub Herode Magno, hærede. Is annum agebat decimum sextum, *cum Herodes Ana-*

nelum

nelum Babylonium contra jus in dignitatem illam evexerat. Alexandra igitur mater ejus ἐτετάρακτο καὶ χαλεπῶς ἔφερε τὴν ἀτιμίαν τοῦ παιδὸς, εἰ περιόντος ἐκείνου, τῶν ἐπικλήτων τις ἀξιοῦται τῆς ἀρχιερωσύνης, *turbata est & inique ferebat ignominiam, qua effectus est filius suus, quod eo superstite aliunde quis vocatus Pontificatum usurparet*. Sic ille lib. XV. cap. II. Etiam & Mariamne Aristobuli soror atque uxor Herodis, assiduis precibus eum flagitabat, ἀποδοῦναι τῷ ἀδελφῷ τὴν ἀρχιερωσύνην *reddere fratri Pontificatum*, quod demum factum est. Et paulo post subjungit Josephus, τὸ μειράκιον Ἀριστόβουλος, ἕβδομον ἐπὶ τοῖς δέκα γεγονὼς ἔτος, ἐπειδὴ κατὰ νόμον ἀνῆλθεν ἐπὶ τὸν βωμὸν συντελέσων τὰ θύματα τόν τε κόσμον ἔχων τὸν τῶν ἀρχιερέων, καὶ τὰ πρὸς τὴν θρησκείαν ἐπιτελῶν, κάλλει τε κάλλιστος καὶ μεγέθει πλέον ἢ πρὸς τὴν ἡλικίαν ὑπεράγων, τοῦ γε μὴν περὶ τὸ γένος ἀξιώματος πλεῖστον ἐν τῇ μορφῇ διαφαίνων. ὁρμή τε τῷ πλήθει πρὸς αὐτὸν εὐνοίας ἐγένετο, καὶ τῷ Ἀριστοβούλῳ τῷ πάππῳ πεπραγμένων ἐναργὴς μνήμη παρίστη. *Adolescens Aristobulus, annum egressus decimum septimum, cum secundum legem ascenderet ad altare sacra operaturus, ac habitu Pontificali indutus, atque ea, quæ functionis erant, rite perageret, eximia forma & statura, quam pro ætate procerior, maxime etiam in facie generis dignitatem præ se ferens, convertit in se multitudinis oculos simul & studia, reputantis secum etiam avi Aristobuli memoria digna facinora*. Exploratissimi vides heic juris fuisse, omnium consensu, Pontificatus functionem ante vigesimum annum rite peragi potuisse & successione accipi. Nec habet locum in hoc exemplo pubertas singularis XVII. annorum, quæ, Hebræis, suis in rebus hujusmodi, inaudita, Viro magno imposuit. Ad jus autem perpetuum eorum, qui ob minorem hæredum ætatem sufficiebantur asserendum, nec hæredis pubertate, seu, quod idem est, legitima ætate finiri probandum, etiam quod in historiola hac de Ananelo occurrit, inprimis facere videtur. Herodes fatetur, se Ananelum Pontificatu donasse παιδὸς παντάπασιν ὄντος Ἀριστοβούλου, *Aristobulo omnino puerulo*. Impubes desinit esse Aristobulus. Tunc Herodes Ananelo Pontificatum abrogat παράνομα ποιῶν ut diserte Josephus, id est, *jum violans*. Consequens est, Ananelum ex jure, quippe qui semel ob minorem Aristobuli ætatem in dignitatem evectus est, juxta morem receptum abdicari non debuisse. Male interpolatur locus iste Josephi in versione recentiori. Sed recte ibi Ruffinus; *Ananelum* (sic ille) *Principatu Sacerdotii, præter Legem exuit*.

CAPUT V.

De Vitiis Corporalibus, *quorum in admittenda sive* functione Sacerdotali *sive* Pontificali successione, *ratio erat habenda*.

UT, sine ætate legitima, neque functio neque Successio admittebatur, ita nec sine legitima Corporis habitudine Membrorumque integritate. Adeo ut qui ὁλόκληρος *corpore integer*, seu ἄμωμος *vitio carens* non esset, aut τὸ σύμβολον ἀτυχίας *notam infelicitatis* (quo nomine vitium heic corporale memorat Philo in secundo de Monarchia) in corpore gereret, is plane arcendus esset. Lex sacra est stirpi Aharonicæ, Levit. XXI. 17. *Quicunque de semine suo in generationibus suis habuerit maculam, non accedat, ut offerat panem Deo suo*. Macula seu vitium corporis מום lingua Mosaica vocitatur. Et Hellenistæ ipsum veluti retinent; dum pro eo μῶμον, quod *dedecus* seu *vitium* sonat, substituunt. Recensentur aliquot in sacro sermone maculæ seu vitia corporis, quæ hominem a functione Sacerdotii arcent, uti etiam Levit. XXII. 20. quæ animalia ita vitiabant, ut rite offerri nequirent. Sed recensionem illam exemplum tantum esse, ajunt Ebræi, seu specimen, quod in vitiis heic dijudicandis est sequendum, non quod totam legis, quæ præcedit, vim explicat. Corporalia igitur, quorum in hisce habenda est ratio, Vitia tripliciter distribuunt, Alia fuere שפוסלין בכהנים מלעבוד והבהמה מליקרב *quæ ita vitiabant tam Sacerdotes, quam animalia bruta, ut neque hæc rite offerri, neque illi rite ministerium præstare possent*. Quæ ad animalia tantum spectabant, qualia plurima enumerant, locum heic habent nullum: Alia שפוסלין את האדם בלבד מלעבוד *quæ vitiabant hominem tantum, ita ut à sacro ministerio esset abstinendum*. Alia demum שאין פוסלין אלא משום מראית העין *quæ non vitiabant aliam ob causam, quam quod intuenti deformitate displicerent*. Primi generis faciunt quinquaginta.

Quo-

Quorum V. in Aure;

I. *Cartilago auris lacera.*
II. *Cartilago auris discissa.*
III. *Perforata auris cartilago, adeo ut foramen vitium possit recipere.*
IV. *Auris arida & exanguis.*
V. *In aure alterutra cartilago duplex.*

In palpebris tria.

VI. *Perforata palpebra.*
VII. *Palpebra discissa.*
VIII. *Palpebra lacera.*

In Oculo Octo:

IX. *Cæcitas, sive in utroque sive in altero.*
X. *In alterutro lippitudo.*
XI. *Visus obscurior, ob tenebras utrique seu alteri offusus.*
XII. *Tuberculum, uvæ instar, tametsi visus non minueretur.*
XIII. *Caruncula nigredinis aliquantulum operiens.*
XIV. *Albugo in nigredinem extensa.*
XV. *Macula alba, intra nigredinis circuitum;* vitium hoc, uti & sequens, nomine דק *in origine eis denotatur:* Id Vulgatæ, lippus est. Neque locum habuit, nisi aliquantulum promineret hæc macula.
XVI. *Macula nigrior in Nigredinem depressa;*

In Naso tria.

XVII. *Naris perforata.*
XVIII. *Discissa naris.*
XIX. *Naris lacera.* Quod de perforatis, discissis, laceris, naribus, auribus, palpebris & labiis [de quibus statim] habent, inprimis vocabulo חרוץ in Levit. XXII. 22. designari ajunt. Id scissum significat & diffractum.

In Ore sex;

XX. *Labium perforatum;*
XXI. *Labium lacerum;*
XXII. *Discissum Labium;*
XXIII. *Maxilla inferior superiori prominentior.*
XXIV. *Os, ex sui constructione, occlusum.*
XXV. *Lingua impeditior, adeo ut verborum plerorumque prolationi sit impar.*

In vasis seminariis duodecim;

XXVI. *Membrum genitale compressum.*
XXVII. *Contusum idem.*
XXVIII. *Idem avulsum.*
XXIX. *Idem abscissum.*
XXX. *Testiculus compressus.*
XXXI. *Contusus.*
XXXII. *Pars Testiculi exsectæ.*
XXXIII. *Testiculus evulsus.*
XXXIV. *Testiculus unicus.*
XXXV. *Uterque unico in loculo.*
XXXVI. *Utriusque sexus, velut Hermaphroditi, membra.*
XXXVII. *Genitalium loci obstructi.*

In Manibus pedibusque sex;

XXXVIII. *Claudus.*
XXXIX. *Femur alterum altero longius.*
XL. *Femur alterum altero altius.* Ex utroque scilicet fiebat Pedum incessus inæqualis.
XLI. *Ossis manus fractura manifesta.*
XLII. *Ossis pedis fractura manifesta.*
XLIII. *Pedes, ex sui constructione clausi, seu in se strictius contracti.*

In superficie Corporis quatuor,

XLIV. *Scabies sicca. Psora.*
XLV. *Verruca, quæ non sine osse.*
XLVI. *Scabies Ægyptiaca; foris humida.*
XLVII. *Ossium, quæ apertius cerni possent, aliquod incisum.*

Hisce adjiciuntur,

XLVIII. *Ab ætate provecta tremor.*
XLIX. *Tremor ab Ægritudine.*
L. *Sordes & inquinamenta; veluti sudor, fœtor oris.* Sacerdotem sudore inquinatum, antequam ad sacram admittendus esset functionem, abluendum atque aromate conspergendum. Oris item fœtorem, si quis fuerit, aromate aliquo devorato corrigendum. Aliter חלל עבודתו *profanabat functionem seu Sacrificium suum.*

Secundi Vitiorum heic generis sunt Ebræis nonaginta; eorum nempe, quæ hominem tantum seu Sacerdotem, non Victimas, vitiabant, aliave animalia cacranda.

In Capite, octo;

I. *Verticis capitis concavitas.*
II. *Convexitas verticis, nimium exsurgens, instar ovi.*

III. *Frons seu sinciput faciei superpendens.*
IV. *Occiput cervici superpendens.*
V. *Caput adeo deorsum amplum & diffusum, ut etiam colli locum pars ejus occuparet.*
VI. *Calvitium in eo capite.*
VII. *Calvitium [nec tamen sine recto crinium ductu inter aurem utranque] in sincipite.* Nam in occipite, ductus ejusmodi vitium perimebat.
VIII. *Dalvitium in vertice; tametsi alias Crinibus circundaretur caput.*

In Collo bina;

IX. *Collum adeo depressum seu breve, ut caput humeris continuum videretur.*

In aure quatuor,

XI. *Aures nimis exiguæ.*
XII. *Aures turgidæ nimis, instar spongiæ.*
XIII. *Languidæ nimis ac pendulæ aures.*
XIV. *Auris altera ab altera obiter intuenti diversa.*

In superciliis quinque;

XV. *Pilorum defectus in utroque.*
XVI. *Jacentia supercilia.* Puto, aliquantulum pendula.
XVII. *Supercilium tantum unicum.*
XVIII. *Supercilia binis plura.*
XIX. *Dissidentia, veluti sive colore pilorum sive longitudine, Supercilia.*

In Palpebris quatuor;

XX. *Pilorum in utrisque defectus.*
XXI. *Densitas in pilis nimia, seu hirsutia, ut in silonibus.*
XXII. *Pilorum alterius ab altero diversitas, veluti colore, tenuitate.*
XXIII. *Non ita, ut par est, apertæ, sed nimium conniventes palpebræ.*

In oculis undecim;

XXIV. *Oculi superius, quam par est, siti.*
XXV. *Oculi siti inferius, quam est par.*
XVI. *Oculi omnino rotundi, nec in longitudinem aliquantulum extensi.*
XXVII. *Oculi furibundorum instar.*
XXVIII. *Oculi majores, quam par est, instar vituli.*
XXIX. *Minores, quam par est, oculi, instar anseris.*
XXX. *Lachrimæ perpetuo stillantes.*
XXXI. *Humor ab alterutro oculi angulo fluitans.*
XXXII. *Contractio palpebrarum & oculorum visui solita, seu nictatio, inter videndum, frequens.*
XXXIII. *Visus adeo confusus, ut sine monitore inter objecta ampla distinguere nequiret.*
XXIV. *Oculi dissidentes veluti colore, magnitudine, loco.*

In Naso, sex;

XXXV. *Superior pars nasi, inter oculos, depressior.*
XXXVI. *Nasi medium nimium eminens.*
XXXVII. *Extremitas nasi repanda.*
XXXVIII. *Nasus alterutrinque divergens.*
XXXIX. *Nasus grandior, quam ferret ceterorum membrorum ratio.*
XL. *Nasus exilior, quam ratio ea ferret.* Mensura autem heic erat digitus ejus, de quo fiebat quæstio, auricularis, אם היה חוטמו גדול ממנה או קטן ממנה הרי זו מום *Si nasus ei esset aut major digito eo aut minor, vitium erat.* Sic Magistri.

In Labiis tria;

XLI. *Labium inferius superiori promimentius.*
XLII. *Labium superius inferiori prominentius.*
XLIII. *Os adeo laxatum, ut salivam non retineret.*

In Ventre tria;

XLIV. *Venter tumidus.*
XLV. *Umbilicus prominens; & non depressior, ut esse solet.*
XLVI. *Mammillæ super ventrem, instar mulieris, jacentes, seu pendulæ.*

In dorso tria;

XLVII. *Dorsum incurvum.*
XLVIII. *Gibbositas ex vertebra spinæ luxata.*
XLIX. *Gibbositas carnosa.*

In Manibus sex;

L. *Digitorum numerus excrescens.* Abscisso vero, qui excreverit, desiit vitium; sed ita demum, si exos esset.
LI. *Digiti alicujus defectus.*
LII. *Bini digiti continenter conjuncti.* Sed desiit vitium, si a vola ad extremitates discinderentur.
LIII. *Digitus alter alteri inquietans.*
LIV. *Caro e pollice extuberantior.*

LV. *Usus dextræ incommodus*. Nam sinistra ministerio functum, id, quod peragebat, profanasse scribunt.

In Vasis seminariis quatuor;

LVI. *Scrotum ad genua ferme pendulum*.
LVII. *Veretrum, adeo longum, ut genua ferme attingeret*.
LVIII. *Scrotum percussum adeo ut inde læderentur testiculi*.
LIX. *Hernia*.

In Cruribus & Pedibus quindecim;

LX. *Crura adeo extorsum incurva, ut, genibus nunquam conjunctis, pedes facile commiscerentur*. Ut in valgis.
LXI. *Talus extuberantior*.
LXII. *Calcaneus ita retrorsum extensus, ut crus medio pede inniti videretur*.
LXIII. *Planta pedis in latum diffusa, & instar anseris, plana*. Ut in plancis seu plantis.
LXIV. *Caro e pollice pedis extuberantior*.
LXV. *Digitorum pedum alicujus defectus*.
LXVI. *Digitorum numerus excrescens*.
LXVII. *Digitus alter alteri inequitans*.
LXVIII. *Bini digiti continenter conjuncti*. Idem heic jus erat, quod in digitis manus ita conjunctis.
LXIX. *Pes adeo undiquaque sibi æqualis, ut a calce ad digitorum extremitates, utrinque ac ubique eandem haberet figuram*.
LXX. *Pes a calcaneo ad digitos ita incurvus, ut arcus instar, alterutrinque distorqueretur*; ut in loripede.
LXXI. *Pes excavatus, seu planta sic concava, ut stans calcaneo & digitorum extremitate tantum inniteretur*.
LXXII. *Tali intertrigine se mutuo inter eundum pulsantes*.
LXXIII. *Genua se mutuo inter eundum intertrigine pulsantes*.
LXXIV. *Pedis sinistri potior usus*.

In Corpore toto quatuor;

LXXV. *Corpus grandius, quam membrorum ferret ratio*.
LXXVI. *Corpus minutius quam eadem ratio ferret*.
LXXVII. *Corpus longius quam ratio ferret eadem*.
LXXVIII. *Pumilionis statura*.

In Cute & Carne octo;

LXXIX. *Nigrities, qualis Æthiopis*.
LXXX. *Albor, qualis casei*.
LXXXI. *Rubor, qualis coccini*.
LXXXII. *Cutis, ex causa interiori decolorata, veluti ex pustulis, lentigine*.
LXXXIII. *Cutis ex causa foris admissa, decolorata, ut cicatricosa*.
LXXXIV. *Verruca seu nævus in facie etiam assario minor; modo ex eo crescat pilus*.
LXXXV. *Verruca seu nævus in facie assario æqualis seu major*.
LXXXVI. *Caro seu cutis languida & pendula*.

Adduntur insuper hisce;

LXXXVII. *Surditas*.
LXXXVIII. *Fatuitas, qua insania etiam denotatur*.
LXXXIX. *Epilepsia*.
XC. *Spiritus immundus*.

Tertii generis, quæ vitiabant, quia intuenti deformitate displicerent, bina duntaxat faciunt;

I. *Pilorum, qui in palpebris, defectus; tametsi eorum radices manerent*.
II. *Dentes excussi*.

De hisce universis consulas Misnam & Gemaram Babyloniam tit. *Becoroth* cap. VI. & VII. R. Jehuda Ben Elai in *Torath Cohenim* col. 188. & 189. Maimonidem halacoth *Biath hammikdasch* cap. VI. & VII. & Mosem Mikotzi Præcept. Neg. CCCVIII. Vide sis item Philonem lib. II. de Monarchia, & libro de Victimis. Numerus omnium est CXLII. Nullum eorum non est אנלוי *in aperto*, adeo ut intuenti discerni posset. Neque enim admittunt, ut quod in aperto non esset, veluti in renibus, vesica, liene, intestinis, heic locum haberet, edocti scilicet exemplis in sacro sermone expressis. Quod vero in Hellenistarum versione Levitic. XXII. 22. pro חרוץ substituitur γλωσσότμητος *lingua sectus*, id plane Talmudicis adversatur. Neque enim linguæ sectionem inter vitia enumerant; nec locum illum (qua vitia designat) non æque ad Sacerdotem offerentem ac ad victimas attinere volunt. Τὸ חרוץ igitur, quod scissum seu incisum denotat (Vulgata, *cicatricem habens*) aures, palpebras, nares discissas significare ajunt. Nec linguæ vitium aliquod interponunt: Animadvertendum autem est, in Vulgata re-

reperiri, eum qui *parvo vel grandi*, *vel torto naſo* fuerit, altari non admittendum: Vocabula quæ reſpondent in origine (Levit. XXI. 18.) ſaltem illum locum occupant, ſunt חרום או שרוע. Horum primum pro eo *cui ſuperior pars naſi depreſſior eſt*, ſeu ſimo nimis, capiunt Magiſtri, & ſecundum pro *eo, cui membrorum paria ſunt imparia*, veluti oculi, aures, crura. Pro utriſque habet Græca verſio κολόβοῤῥιν ἢ ὠτότμητος *naſo mutilatus aut auribus ſectus*. Sed Vulgatæ autor non tam originis verba, quam receptam de naſi vitiis, ſententiam ibi ſecutus videtur. Ex enumeratis autem vitiis, alia vides eſſe קבועים *permanentia* ſeu *perpetua*, alia עוברים *tranſeuntia*, ſeu *quæ tempore deſinunt*. De univerſis ſimul pronuntiant, כל כהן שיש בו מום בין מום קבוע בין מום עובר לא יכנס למקדש מן המזבח ולפנים שנ׳ אל הפרוכת לא יבא ואל המזבח לא יגש *Sacerdos, cui ineſt vitium, ſive permanens illud fuerit ſive tranſiens*, (antequam tranſierint) *non introeat Sanctuarium uſque ad altare, nedum locum aliquem interiorem; ſecundum id quod ſcriptum eſt; ad velum non ingredietur nec accedet ad altare*. Locus eſt Levit. XXI. 23. legi de vitiis corporalibus ſubjunctus. Atque interdicto teneri volebant ſingulos ex genere Sacerdotali vitio ex jam recenſitis aliquo laborantes; Ita tamen, ut ſi quis contra faceret, diverſimodus eſſet contumaciæ effectus. Nam cum tria ſint Vitiorum jam dicta genera, & flagelli pœna plerumque delictis, graviori non punitis ſupplicio, irrogari ex ſententia forenſi ſoleret; ſi quis ex Sacerdotali genere, cui vitium aliquod ſive primi, ſive ſecundi generis ineſſet, heic contra feciſſet, vapulabat. Maimonides; אם עבר ונכנס לוקה אע״פ שלא עבד *ſi contumax fuerit Sacerdos, & cum vitium habuerit, introiverit, vapulat; idque etiamſi non ſacrificaverit*. Si nempe hoc fecerit במזיד ולא בשגגה *ſcienter & non ex ignorantia*. Aliter enim pœna hæc non ſequebatur. At vero Sacrificii ab iis, qui binis hiſce generibus vitiorum laborarent, peracti natura alia atque alia erat: Primum genus non modo pœnam ſacrificantibus ſcienter induxit, ſed etiam ipſum Sacrificii actum vitiabat, adeo ut eſſet עבודה פסולה *ipſum Sacrificium illegitimum profanumque*, ſive illud ſcienter ſive ex ignorantia perageretur. Secundum vero genus לא חלל עבודתו *minime profanabat Sacrificium*, tametſi ſacrificans verberum pœna eſſet afficiendus. Ob tertium demum Sacerdos, qui adverſus patria hæc inſtituta contumax eſſet, אינו לוקה ועבודתו כשרה *nec ipſe vapulabat, nec Sacrificium ejus illegitimum*. Adeo ut genus tertium in monitis, quæ interdicti ſpeciem induebant, tam ſine pœna adjecta, quam ſine Sacrificii profanatione tantum haberetur. Primum & ſecundum in interdictis; huic etiam pœna verberum, illi tam profanatione Sacrificii quam pœna adjecta. Quomodo autem tum primum tum ſecundum vitiorum corporalium, quæ diximus, genus ſucceſſioni Pontificali æque ac functioni Sacerdotali, obſtare poſſet, haud difficile eſt ex hiſce decernere. Et de mutilatis auribus etiam exemplum habetur ſuperiore in libro capite VIII. ubi de Hyrcano Pontifice agitur Aures ei præroſit Antigonus, ut ob hoc vitium a dignitate, ſi forte redux eſſet, arceretur. De hiſce vitiis Joſepus lib. III. Archæolog. cap. X. & lib. VI. Haloſeos cap. XV. Utroque etiam in loco, juxta Legem in Levitici XXI. 22. latam ſacrarum epularum & rerum Sacerdotali generi ſuſtinendo aſſignatarum fuiſſe eos participes recte docet. Sed peſſime poſteriori in loco, ut non raro, vertitur. Verba ejus ſunt, τῶν δὲ ἀπὸ γένους ἱερέων ὅσοι διὰ πήρωσιν οὐκ ἐλειτούργουν, παρῆσαν τε ἅμα τοῖς ὁλοκλήροις ἐνδοτέρω τοῦ γείσου, καὶ τὰς ἀπὸ τοῦ γένους ἐλάμβανον μερίδας, quod vertitur. *Qui vero ex origine Sacerdotum genus ducentes, cæcitatis cauſa munere non fungebantur cum incolumibus intra limitem aderant parteſque generis conſequebantur*. Nugæ meræ, nec autoris mentis ferme veſtigium. Redde, *Ex genere Sacerdotali, quotquot propter defectum aliquem corporis, ſacrum non obibant munus, aderant cum integris corpore intra atrii limites, & partes ſuas, etiam ex ipſorum originis jure, accipiebant*. Fuerunt alia corporis in Sacerdotibus vitia, quæ munere quidem arcebant eos, uſque dum corrigerentur. Sed pro libitu ac momento corrigi potuere. Ideoque ſucceſſioni in functionem non aliter obſtare potuere, quam ſi non corrigerentur. In hiſce, præputium, immundities lavacro aliiſque ritibus abolenda, crines intonſi. Neque enim luctus cauſa aliave, Sacerdoti cuiquam ſacram vicem obſervanti ſeu Pontifici ex lege permittebatur aut raſum caput, aut non tonſum habere crines promiſſos. Qua de re vide ſis Levitic. X. 6. & XXI. 10. præter Ezechielis c. XLIV. 20. Nam quod legimus in citatis Levitici locis ראשיכם לא תפרעו de Sacerdotibus

bus universis, & את ראשו לא יפרע de Pontifice, pro quibus in Vulgata habetur *capita vestra nolite nudare, & caput suum non discooperiet*, & apud Hellenistas, τὰς κεφαλὰς ὑμῶν οὐκ ἀποκιδαρώσετε *caput vestrum cidari non nudabitis*, & οὐκ ἀποκιδαρώσει *cidari non nudabit*, seu, ut in nonnullis, οὐκ ἀπομιτρώσει *non nudabit mitra*, apud Judæos etiam Hispanienses *vestras cabecas non descubrades, & sua cabeca non descubrita*, quemadmodum item alii recentiorum; hæc ita capiunt Talmudici, ut crines promissos tantum verbis illic interdici velint. Adeo ut vertendus sit locus primus *comam capitum vestrorum non nutriatis*, & secundus *comam capitis sui non nutriat*. Nam cum τὸ פרע comam seu cæsariem significet, ut in dicto Ezechielis loco & in Numeror. VI. 5. verbum etiam פרע (quod sæpius quidem *retegere* aut *denudare* significat) velut ab ea notione factum, pro eo quod est *comam nutrire* seu *promittere* sumi heic volunt, & pro eodem quod in Ezechiele est פרע לא ישלחו *cæsariem non promittant* seu *nutriant*, quod tamen in Græca versione est τὰς κόμας αὐτῶν οὐ ψιλώσουσι, *comas suas non adpressum tondebunt*, contra Hebraicam veritatem & Vulgatam, quæ Hebraicam heic sequitur. Sed Magistris consonus est etiam diserte Onkelus in paraphrasi Chaldaica loci utriusque; רישיכון לא תרבון פירוע *Capitis vestri non nutriatis comam* & ית רישיה לא ירבי פירוע *capitis sui non nutriat comam*. Adstipulatur Arabs Erpenianus. Altero in loco ille, שער ראשכם לא הכברוא *cæsariem capitis vestri non crescere faciatis* aut *promittatis*; altero idem, numero & persona mutata. In Arabico etiam Saadiæ, posterior locus vertitur ראשה לא ישערח *caput suum* (cæsariem capitis) *non diffundat*; priore itidem eisdem vocabulis usurpatis. Versio autem Arabica MS. Bibliothecæ Arundellianæ, habet, לא תעטוא רוושכם *non obtegatis capita vestra*, priore in loco; eodem item vocabulo in posteriori adhibito. De tecto forte capillis capite locus capiendus; ut res ipsa exigit. Et immane quantum adversantur Talmudicorum placita versioni tum Vulgatæ tum Hellenistarum aliorumque de capitibus non nudandis. Nam ex more receptissimo pileus seu cidaris Sacerdotum & Pontificis exuenda erat, quandocunque a sacro ministerio recederent, ut infra capite VII. docetur. Qualis vero comæ nutritio in interdicto comprehendatur, [quantum ad Sacerdotes gregarios attinet] eliciunt ex lege de Nazaræis lata Numer. VI. 5. ubi verba sunt de coma eorum nutrienda per tempus consecrationis, quod triginta diebus, brevius numquam ex recepto more legitimum habebatur. Quamobrem & ultra triginta dies comam nutritam Sacerdotem functioni, donec tonderetur, imparem reddidisse volunt. Nam post tot dies exactos rite nutriverat comam Naziræus. Nec interdictum hoc ad omnia tempora, sed ad functionis seu vicis solennis præstandæ tantum tempus, qua Sacerdotes gregarios obligabat, attinuisse ajunt. Perpetuo vero & nunquam non Pontificem obligasse; utpote cujus præsentia in Sanctuario adeoque veluti assidua functio, non per vices disterminata, ex lege præstituebatur. Qua de re videsis Mosem Maimonidem halach. *Celi hammikdasch* cap. V. & halach. *Biat hammikdasch* cap. I. Mosem Mikotzi Præcept. Negat. CCCII. præter commentarios ad citatos e Levitico locos. Qualibet autem Sabbati vespera ita tondendus erat Pontifex, ut forcipe circumquaque crines æquarentur; capite tantum non raso. Ante alios consule heic D. Hieronymum lib. XIII. in Ezechielem, ad cap. XLIV. Quatenus hoc imitata fuerit Ecclesia Christiana, ejusve pars aliqua, vide, si placet, Gratian. dist. XIII. cap. 21. & 22. & Extr. tit. de vita & honest. Clericorum, cap. 5. & 6. obviosque de Sacerdotum tonsura locos alios. Minime vero profanabat Sacrificii sui actum comam nutriens, tametsi ex præputio & immunditie ipsum actum, aliquin sacrum, profanatum esse statuant. Quod vide apud Maimonidem laudato libro, cap. IX. Tam comam autem nutriens, quam ex præputio aut immunditie altari arcendus, verberibus ex sententia forensi plectebatur, si contra morem functioni se forte immiscuerat. Et de Corporis heic habitu hactenus.

CAPUT VI.

De vitiis Animi, quæ tam Functioni Sacerdotali, quam Successioni in Pontificatum, obstarent. Etiam & de Artibus, quæ existimationem tantum minuerent.

ANimi habitudo & integritas vitæ, cujus in Sacerdotibus Pontificibusque ad functiones suas adeoque ad Successionem Pontificalem admittendis ratio erat habenda, ex illis animi vitiis

tiis seu peccatis intelligitur, quibus præcludebatur ad sacra peragenda seu in Sanctuarium, usque ad Altare, Sacerdotibus aditus. Horum, alia vim suam exuebant, si pœnitentia ducti, qui iis laborabant, ad bonam mentem redirent; Alia vim retinebant suam in hac re æternum. Prioris generi exemplum est multiplex in nuptiis Sacerdotum illicitis; non solum quæ lege eis singulari, sed etiam, quæ communi omnium interdicto vetabantur. Etenim si quis Sacerdos matrimonio sibi contra fas quomodocunque fœminam junxisset, functione, ex majorum instituto, arcebatur; ita tamen, ut si in forum (puto LXXI. virorum; seu quod Consessum magnum appellitant) evocatus, in populi frequentia, illicita quam contraxerat consuetudine abstinentem se fore palam profiteretur, & demum repudio conjugem illegitimam ejiceret, altari, non minus ac sacri cœtus ceteri, idoneus haberetur. Ita Maimonides halach. *Biath hammikdasch* cap. VI. Et hujusce rei exemplum est luculentum Manassis Jadduæ Pontificis fratris, cui, ducta in uxorem, contra fas, Sanabalatis Cuthæi filia, eo nomine imperatur, ut aut eam repudiaret aut altari abstineret. Quod itidem de aliis eodem tempore Sacerdotibus dicendum; ut est videre apud Josephum lib. XI. cap. VIII. Adde etiam Nehemiam, XIII. 8. & vide Jacobum Capellum in Historia sacra anno M.3666. Posterioris generis species sunt binæ illustres; Cultus extraneus seu Idololatria, & Cultus etiam qui in Pentateucho præstituitur, loco tantum discriminatus, id est alio in Templo, alibi extructo, ad Hierosolymitani similitudinem, Numini vero exhibitus. Cultus extraneus sive sponte sive errore a Sacerdote præstitus, eum ita vitiabat, ut altari perpetuo, tametsi solenniori ritu pœnitentiam ageret, esset arcendus. Maimonides, libro jam laudato, capite IX.; כל כהן שעבר ע״ז בין במזיד בין בשוגג אע״פ שחזר בתשובה גמורה הרי זה לא ישמש במקרש לעולם שנ׳ לא יגשו אלי לכהן לי אחד העובד אותה בשירות כגון שנעשה כומר לעבודה זרה או המשתחוה לה או המודה בה וקבלה עליו באלוה הרי זה פסול לעולם עבד והקריב אין קרבנו ריח ניחוח אע״פ שהיה שוגג בעת ששרת או שהשתחוה או שהודה אבל השוחט לע״ז בשוגג אם עובד והקריב קרבנו ריח ניחוח ונתקבל שהרי לא שרת ולא נעשה כומר אלא שחט בלבד והוא שוגג ואף על פי כן לכתחילה לא יעבוד *Quicunque Sacerdos cultum præstiterit extraneum, sive id sponte fecerit, sive ex errore, tametsi solenniori pœnitentia ductus ad bonam mentem redierit, in Sanctuario nihilominus officio nunquam omnino fungetur. Nam & scriptum est* (Ezechielis XLIV. 13. ubi de Sacerdotibus, qui idola coluerant, agitur) *non appropinquabunt ad me, ut Sacerdotio fungantur mihi. Neque discrimen est heic inter eum, qui ut Sacerdos in cultu extraneo minister fuerit, & eum, qui adoraverit idolum, & eum, qui agnoverit in eo divinitatem, atque ei se addixerit. Hi omnes æque ac æternum altari sunt arcendi. Quin nec, si eorum quisquam Sacerdotio functus Sacrificium obtulerit, erit id odoris grati, tametsi ex errore sive Sacerdotem in cultu extraneo is egerat, sive adoraverat, sive divinitatem agnoverat. At vero, qui ex errore mactaverit Idolo, si is Sacerdotio functus Sacrificium obtulerit, erit id grati odoris & recipietur, quoniam scilicet nec ministerium præstitit, nec Sacerdos cultus extranei factus est, sed tantum mactavit, idque ex errore. At interea cruor hic non facit, quo minus is, ut ceteri, altari sit itidem arcendus.* Atque ita Talmudici ad tit. *Menachoth* cap. XIII. fol. 109. a. Cultus autem loco tantum, ut diximus, discriminati, veluti in Templo Heliopolitano aut Samaritanorum, eandem vim fuisse ibi asseritur, tametsi pro ע״ז *Cultu extraneo* seu *Idololatria*, is neutiquam acciperetur. Maimonides loco jam memorato, מי שעבר ועשה בית חוץ למקדש להקריב בו קרבנות לשם אינו כבית ע״ז ואע״פ כן כל כהן ששימש בבית כזה לא ישמש במקדש לעולם וכן כלים שנתשמש בהן שם לא ישתמשו כהן במקדש לעולם אלא יגנזו ויראה לי שאם עבר כהן ששמש שם במקדש לא פסל *Qui lege sacra violata extruxerit Templum extra Sanctuarium, ut offerat ibi Sacrificia Numini vero, non quidem Templum illud quale Templum idolis sacratum habetur. Veruntamen, Sacerdos quicunque in ejusmodi Templo officio functus fuerit, Sanctuario æternum est arcendus, quemadmodum etiam instrumenta universa ibi in cultu adhibita, adhiberi nunquam debent in Sanctuario, sed in gazophylacio reponenda sunt. Ceterum mihi videtur, si modo forte sacrificaverit in Sanctuario Sacerdos, qui in ejusmodi Templo antea ministerio functus est, actum ejus minime profanum esse.* Huc spectat cultus Sacerdotum in Templo ab Onia Oniæ tertii Pontificis filio in Ægypto, sub Ptolemæo Philometore, extructo, de quo fusius libro superiore cap. VII. Instar Hierosolymitani factum est, atque ut ritus in eo Judaici peragerentur. Ce-

terum

terum ex recepto, quem diximus, more, Sacerdoti, qui in eo Templo sacrum ministerium præstitisset, aditus in Sanctuarium Hierosolymitanum, ut ibi redux officio fungeretur, æternum præcludebatur. Misna tit. *Menachoth* cap. XIII. הכהנים ששמשו בבית חוניו לא ישמשו במקדש בירושלם ואין צריך לומר לדבר אחר שנ אך לא יעלו כהני הבמות על מזבח ה׳ בירושלם כי אם אכלו מצות בתוך אחיהם הרי הן כבעלי מומין חולקין ואוכלין אבל לא מקריבין *Sacerdotes, qui officio functi fuerint in Templo Oniæ, functione in Sanctuario Hierosolymitano arcendi sunt; multo magis ii, qui idola coluere. Nam & scriptum est* [II. Regum XXIII. 9.] *veruntamen non ascendebant Sacerdotes excelsorum ad altare Domini in Jerusalem, sed tantum comedebant azyma in medio fratrum suorum; Scilicet veluti inter eos, qui corporalibus vitiis laborabant, censebantur hujusmodi Sacerdotes. Partes suas in distributionibus cepere, & comedebant,* [epulis Sacerdotalibus rite satis assuere; qua de re vide Levit. XXI. 22.] *sed minime Sacrificia offerebant*. Præter commentarios ad eum locum, consulas hac de re Mosem Mikotzi Præcept. Negativ. CCCIX. Hinc facile fit dijudicare, quamobrem neque Onias Oniæ tertii filius, cui hæreditario jure Pontificatus, post ætatem legitimam, alioquin debebatur, nec posteri ejus unquam avitam in Templo Hierosolymitano hæreditatem sibi postularent. Eo scilicet jure excidere, quotquot in Oniæ Templo Heliopolitano sacra fecissent. Nec ambigendum est, tam filios Oniæ nepotesque proximiores, rebus suis in Ægypto haud parum florentibus, ibi sacra peregisse quam Oniam ipsum. Filios autem habuisse illum binos, liquet, Chelciam & Ananiam, qui ipsi a Strabone quidem memorati, dicti sunt Cleopatræ ἐδοκιμῶν μάλιστα *magno in pretio fuisse*. Sed filios fuisse eos Oniæ, autor est Josepus lib. XII. cap. XVIII. ubi & Strabonis locus. Præmissis igitur hisce, qui ita jure suo, ac si plane esse desierant, excidissent, omnino legitima potuit esse atque civili proximitate sanguinis undiquaque subniti Hasmonæorum successio, de qua libro superiore egimus. Et certe Hebræorum nonnullis adeo legitima fuit Hasmonæorum in Pontificatum successio habita, ut in Mosis benedictionibus veluti prævisam illam designari scribant. Unde posteriora Benedictionis Levi verba in Deuteronom. XXXIII. II. ad eam spectare volunt, quod adnotatur ad dictum locum in glossa Jarchii. Adeo ut ratio sane desit viris aliquot eruditissimis, dum veram Pontificum successionem in Hasmonæis interpellatam esse, & contra jus eos successisse fidenter affirmant. Nec melius fere illi, qui successionem legitimam ideo in Hyrcano, Hasmonæorum ultimo, finem habuisse scribunt, eo quod ἐξ ἐκείνου ἐδὲ κατήγοντο *ex eo originem non ducerent* ii, qui sequerentur, quemadmodum Theodorus ait Metochites, alii. Ratio nihili est; quia tam ipsius natis jure, causis multiplicibus jam dictis, potuit Pontificatus præcludi, quam ad alios sine injuria devenire. Vitiis hisce animi seu moribus inquinatis, qui heic locum habuere, expectarit forsan quis, ut adjiciatur etiam homicidium; idque sive sponte sive errore commissum; maxime cum ex vetusto, in Christiana Republica Hebraicam non raro imitante, more homicidæ, sive voluntarii sive involuntarii, (modo Canonistarum aliquot exceptiones admittas) Irregularitatem contrahant, id est, functioni Sacerdotali minus idonei reddantur. Certe ex Commentariis Talmudicis homicidium functioni Sacerdotum in Sacrificiis peragendæ obstitisse nondum satis didici. At vero homicidam functionem aliam Sacerdotalem, Sacrificatione minus illustrem, rite non præstare potuisse uno ore satis asserunt Magistri. Nempe Benedictionem, quam נשיאות כפים *extensiones manuum* nuncupant, in sacra Lege Numeror. VI. 23. præscriptam, atque in templo & Synagogis a cœtu Sacerdotum præstandam. Maimonides halach. *Thephila VVebirchoth cohenim*, cap. XV. כהן שהרג את נפש אפילו בשגגה אף על פי שעשה תשובה לא ישא את כפיו *Sacerdos, qui quempiam occiderit, etiamsi id ex errore fecerit, etiam & pœnitentiam egerit, non debet unquam in Benedictione solenni manus extendere*. Quin eundem facere videtur, ex sententia Veterum, homicidam cum idololatra hac in specie. Etiam & adjicit, וברכה כעבודה היא שנ׳ לשרתו ולברך בשמו *Benedictio insuper veluti sacrum in Sanctuario ministerium est, secundum id quod dicitur, ut ministraret ei & benediceret in nomine ejus*. Locus citatur ex 1. Paralip. XXIII. 13. Tantundem habetur in Talmude Babylonico, tit. *Beracoth*. cap. V. fol. 33. & Mose Mikotzi Præcept. Affirmat. XX. Atque huc trahunt etiam illud Esaiæ 1. 15. *Et cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam*.

Ma-

Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Præter locos citatos, vide Davidem Kimchium ibidem. Certe & alia fuere, quibus reddebatur Sacerdos Benedictioni huic solenni parum idoneus, nec tamen altaris functioni. Veluti lingua aliquantulum blæsa, & distorti digiti. Alia etiam fuere vitia, quibus functio denegenda erat, nec tamen Benedictionis præstatio; ut quæ memoravimus ante, sive corporis sive animi pleraque. Neque ad hanc rem spectat illud Exodi cap. XXI. 14. *si quis per industriam occiderit proximum suum & per insidias; ab altari meo evelles eum, ut moriatur*. Id intelligitur, non de vitio ejusmodi ex homicidio quolibetcunque contracto, ut inde ministerio altaris Sacerdos esset deponendus, sed de pœna tantum mortis ita homicidæ infligenda ut nec altare, velut asylum, eum omnino tueretur. Sic sane Magistri, ad quorum mentem, Jarchius ibidem; אם היה כהן ורוצה לעבוד עבודה תקחנו למות *Etiam si fuerit Sacerdos homicida, atque is Sacrificium peragere velit, ipsum quoque evelles* seu *tolles, ut morte plectatur*. Vide nunc D D. ad tit. de Homicidio cap. I. Sed tam de homicidio errore commisso, quam spontaneo, in specie de Benedictionibus loquuntur Magistri; quibus etiam, ob apices aliquot forenses in actionibus observandos, quamplurima adulteria, incestus, idolorum cultus, homicidia spontanea, ultimum supplicium evasere, quæ tamen unico teste probata, fama credita, seu præsumta, effectus suos alios habuere. Quod tum in eo, quod de Sacerdote homicida heic diximus, tum in eis, quæ supra de Sacerdotis Idololatria ac incestis nuptiis asseruntur, est inprimis advertendum; Etiam &, quæ existimationem minuerent aliqua, utcunque non mala in causa fuere, ut idoneus non haberetur quis successioni huic sacræ. Maimonides halac. Melachim cap. I. 3. אין מעמידין מלך ולא כהן גדול לא קצב ולא ספר ולא בלן ולא בורסי לא מפני שהן פסולין אלא הואיל ואומנותן נקלה העם מזלזלין בהן לעולם ומשיעשה במלאכה מאלו יום אחד נפסל *Non constituunt sive Regem sive Pontificem, eum qui est aut Lanio, aut Tonsor, aut Balneator, aut Textor, aut Coriarius. Non quod artes ejusmodi illegitimæ habitæ, sed quoniam, ob earum sordes, populus in ejusmodi successione nunquam acquiesceret. Etiam & qui die unico aliquam ex artibus ejusmodi exercuerit, minime idoneus redditur*. Et quemadmodum non admittebantur, qui vitiis jam dictis laborabant, ita etiam ex eis, quæ dignitati accederent, destituendi, ut videtur, erant & Pontifices & Sacerdotes. Et de ea re præter exemplum Hyrcani Pontificis auribus truncati, vide Maimonidem halach. *Cele hammikdasch*. cap. IV. & Misn. tit. *Horaijoth*, c. III.

CAPUT VII.

De vestibus *ac* indumentis sacris, *tum* Sacerdotalibus *tum* Pontificiis. *Et quinam* vestitus *sacer* Pontifici succedenti *ritu solenni* induendus.

Ritus solennes in novo, apud Ebræos, Pontificem consecrando triplices fuere. Vestitus sacer, Unctio, & Sacrificium. Quod ad vestitum sacrum Pontificis attinet, ex legibus, in Exodi capite XXVIII. & Levitici XVI. de ea re latis, atque ex eis, quæ occurrunt in hujus libri cap. VIII. illius XXXIX. vestium Sacerdotalium genus faciunt trinum; בגדי כהן הדיוט בגדי זהב ובגדי לבן *vestes Sacerdotis cujuslibet gregarii, vestes aureas, & vestes albas*. Primi generis quatuor fuere; כתנת ומכנסים ומגבעת ואבנט *Tunica, Femoralia, Pileus, Cingulum*; secundi item quatuor מעיל ואפוד וחשן וציץ *Pallium*, cui appensa tintinnabula & mala Punica, *ephod* seu *epomis*, (quo nomine tamen tunicæ Sacerdotum etiam & Levitarum interdum denotatæ, ut alibi monitum est) *Pectorale* seu *Rationale Judicii*, in quo sanctissimum illud oraculum, & *demum Lamina*, qua nomen tetragrammaton inscriptum fronte eminebat. Tertii generis totidem etiam fuere; כתנת מכנסים אבנט וצנפת *Tunica, Femoralia Cingulum & Pileus* seu *Tiara*. Generis primi universæ albæ fuere, & ex lino purissimo contextæ; excepto duntaxat cingulo, cui lana intertexebatur opere phrygionico seu polymito. Tunica talaris erat. Femoralia quales fere braccæ passim in usu; sed nullibi scissura disjuncta. Cingulum latum erat circa digitos tres, longum cubitos circa triginta duos, adeo ut multoties in se circumplicatum, corporis medium incingeret. Pileus autem non ita erat contextus, ut caput indutum statim reciperet, sed tela sedecim (ut plerique) cubitos longa caput etiam multoties circumplicans, operiebat. Quatuor hæc Sacerdotibus gregariis præstituta esse docent in Exod. XXVIII. 40. & 42. Et quod שש ibi toties legitur, pro quo in versione tum Græca tum Vulgata atque apud Josephum, Philonem, alios sæpissime, *byssus* substituitur; id

pro lino puriſſimo, qui veluti byſſus eſt ſeu Ægyptiaco ſumunt. Opus autem phrygionicum, quo ornabatur cingulum ſeu balteus, non aliud fuiſſe volunt ac picturam textilem, qua fila ex lana purpurea, hyacinthina, coccinea, lino artificioſe intermiſcerentur. Nec colorum, quos diximus, in ſacro ſermone mentionem, ubi Sacerdotum veſtes deſignantur, aliud innuere, quam lanam eis tinctam; Et lanam tantum. Nam ex lege & more patrio, Sacerdos gregarius non rite veſtiebatur (ſic illi) לעבודה אלא צמר ופשתים בלבד *in ſacrum miniſterium, niſi tantum lino & lana indueretur*. Modo jam dicto. Neque veſtes hæ ſacræ (quæ omnes בגדי כהונה לעבודה *veſtes Sacerdotales ad ſacrum miniſterium* nuncupantur) alibi aut alio tempore Sacerdoti gerendæ, præterquam dum, vicem ſacram obſervans, altaris miniſterio aſſiduus adeſſet. Peracta vice, in apothecis reponebantur; adeo ut extra templum, veſtitus cultu, nec a plebe cetera differret Sacerdos. Ejus autem balteus ex lino & lana contextus, reliquo hominum generi (ſicut & omnes aliæ ita contextæ veſtes) interdicebatur ex lege lata Levitic. XIX. 16. qua *veſtis ex duobus contexta non erat induenda*, adeoque nec generis Sacerdotalis alicui extra vim Legum de ſacris veſtibus ſpeciatim latarum. Juriſconſulti Ebræi; אסור לכהן הריוט ללבושו אלא בשעת עבודה *fas non erat Sacerdoti gregario, ſacris indui veſtibus alio tempore, quam dum ſacris operabatur*. Et Joſephus lib. VI. Haloſeos, cap. XV. τὴν ἱερὰν ἐσθῆτα ὁ λειτουργῶν ἠμφιέννυτο μόνος *veſtes ſacras Sacerdos, qui ſacris operatur, ſolus induit*, ceteris, ut ipſe etiam ibi, τοῖς ἰδιωτικοῖς *plebeiis* indui ſolitis. Vide etiam Ezechiel. XLVI. 19. atque ibi D. Hieronymum. Sed Tunicæ Sacerdotalis lineæ uſus Levitis, ſub Agrippa Rege, æque ac Sacerdotibus (ſed contra fas) impetrabatur, quod tradit idem Joſephus lib. XX. cap. VIII. Et exceptio heic videtur adhibenda, de conventu publico in communem ſalutem habito, dum de non geſtandis, extra muneris ſacri præſtationem, ſacris veſtibus, morem diſpicimus. Nam cum Jaddum Pontificem comitati Sacerdotes gregarii ac populus Alexandrum Magnum Hieroſolymis exciperent, Sacerdotes univerſi τοῖς νομίμοις στολαῖς *habitu ſacro* prodibant, ut legitur apud Joſephum lib. XI. cap. VIII. Niſi id tribui velis tantum Numinis monito, quod in ſomnis accepiſſe nocte præcedente Pontificem, ex eodem loco docemur. De veſtium autem Sacerdotalium genere, ipſe etiam Joſephus lib. III. Archæolog. cap. VIII. ad Magiſtrorum ferme mentem. Sed cingulum ait fuiſſe quatuor digitos latum. Conſulas de hiſce ſi placet præter Gemaram Babylonicam ad tit. *Joma* cap. I. fol. 2. *Sepher Siphra* fol. 16. col. 64. Maimonidem halac. *Celi Hammikdaſch* cap. VIII. & Moſem Mikotzi præcept. Affirmat. CLXXIII. ut omittam Magiſtrorum commentarios aliorumque ad memoratos Exodi locos. Vide etiam Joſephum Scaligerum in Euſebianis pag. 178. Quemadmodum autem quatuor, quas genus primum complectitur, Sacerdotibus ſacra obeuntibus nunquam non geſtandæ erant, ita etiam Pontifici quatuor illæ, quæ ſecundi ſunt generis (Aureæ, ob aurum lino & lanæ intinctæ intertextum, aliterque varie in vittis, catenulis, lamina adhibitum, nominatæ (ſimul cum ipſis, quæ ſunt primi ſplendidius confectæ habitus erat ſacer; iſque in ſacra ejus functione perpetuus, excepto feſto Expiationum, de quo ſtatim. Eæ a Scriptoribus obviis paſſim explicantur, uti & in ipſo ſermone ſacro, ſatis. Nec diſcrimen faciunt inter Femoralia & Tunicam, quæ Sacerdotibus gregariis & Pontifici in uſu. Balteum autem Pontificis & Pileum aliquanto diſcrepaſſe a ceterorum. Balteum opera accuratiori tam auro quam lana tincta intertextum. Pileum vero (quem מצנפת *tiaram* ſeu *cidarim*. etiam ex ipſo ſermone ſacro, vulgo nuncupant) ex tela quidem capiti circumplicata etiam Pontifici formatum, ſed ita, ut capitis ejus involveret partem ſuperiorem in figuram pilei Turcici, quem *Turibantum* vocamus, nec inferius deſcenderet, ne Laminæ fronti annectendæ loco incommodaret. Ceterorum vero pileos undiquaque capite, galearum inſtar (unde & Onkelo כובעים *galeæ* dictæ) plicaturis incluſiſſe. Ita fere Magiſtri. Sed in hac re non eadem eſt omnium ſententia, cum circumplicatæ telæ figuram explicant. Vide ſis jam indicatos Hebræorum Commentarios & maxime Abarbinelem ad Exodi vigeſimum octavum. Sed haud parum heic differt Joſephus, qui ſane ſub excidio Templi ſecundi oculatus erat, ipſe etiam Sacerdos, teſtis veſtium ſacrarum. Pileum Sacerdotum gregariorum (quem μασαναμφθὴς vocabulum a מצנפת *Mitzanepath* deformatum nuncupat; & cetera etiam apud eum, ut fieri amat, veſtitus ſacri nomina, uti & alia non pauca, in verborum portenta diſtor-

ſtorquentur) minime faſtigiatum fuiſſe ait, nec totum caput incingens, ἀλλ' ἐκ ὀλίγȣ ὑπερβεβηκότι μέσης *ſed paulo plus quam medio ſuperimpoſitum*. Et de crebris telæ plicaturis ſatis quidem aſtipulatur. Hiſce autem conſutis, σινδὼν, inquit, αὐτὸν ἄνωθεν ἐκπεριέρχεται διήκȣσα μέχρι μετώπȣ, τὴν ῥαφὴν τῆς ταινίας καὶ τὸ ἀπ' αὐτῆς ἀπρεπὲς καλύπτȣσα καὶ ὅλῳ δὲ τῷ κρανίῳ γιγνομένη ἐπίπεδον ἥρμοσαι δὲ ἀκριβῶς, ὡς ἂν μὴ περιῤῥυῇ πονȣ̃ντος περὶ τὴν ἱερȣργίαν. *Sindon deſuper pileum integit, uſque ad frontem deſcendens, & faſciæ conſuturas atque id quod in eis deforme erat occultans, & toti cranio adhærens. Aptatur autem accurate, ne ſacrificanti forte dilabatur.* Tam vetus interpres, cui deſcendit Sindon hæc *uſque ad inferiora barbæ*, quam recentior in loco illo reddendo nimium fallunt. Niſi Sindon hæc aut continua aut conſuta pars telæ, e qua formatus eſſet pileus, fuerit, adeoque redimiculi velut vicem, plicaturas etiam obtegentis, præſtiterit, certe bina erant capitis Sacerdoti gregario indumenta; reclamante alias univerſa Hebræorum turba. Ceterum non ſolum ab Hebræis ceteris recedit heic Joſephus, ſed etiam in Pontificis, capitis indumentis mire diſcrepat. Alium ſcilicet, eumque partim hyacinthinum, priori impoſitum vult. Huic item στέφανον χρύσεον ἐπὶ τρισοιχίαν κεχαλκευμένον, θάλλει δὲ ἐπ' αὐτῷ (ſic ille lib. III. Archæolog. cap. VIII.) κάλυκα χρύσεον τῇ δακχάρῳ βοτάνῃ παρ' ἡμῖν λεγομένῃ ἀπομεμιμημένον, ὑὸς δὲ κύαμον Ἑλλήνων οἱ περὶ τομὰς ῥιζῶν ἐμπείρως ἔχοντες προσαγορεύȣσι. *Coronam auream, triplici ordine fabrefactam, fuiſſe circumligatam; e qua exſurgunt calyculi aurei, quales videntur in herba nobis Daccharo dicta, Græcorum autem herbariis Hyoſcyamo.* Calyculos autem ab occipitio ad tempora utrinque exſurrexiſſe, non autem in fronte, quoniam locus is laminæ ſacræ integer ſervatus. Certe & Philo præter pileum, quem Mitram nominat, Cidarim etiam videtur aſſerere Pontifici geſtamen capitis; De lamina locutus, μίτρα δ' ἦν (inquit lib. III. de vita Moſis) ὑπ' αὐτὸ τȣ̃ μὴ ψαύειν κεφαλῆς τὸ πίταλον. πρὸς δὲ καὶ κίδαρις κατεσκευάζετο κιδάρει γὰρ οἱ ἑῴων Βασιλεῖς ἀντὶ διαδήματος εἰώθασι χρῆσθαι. *Subfuit huic mitra, quo fiebat, ut caput ipſa non attingeret. Quin cidaris eis in ornamentis erat. Nam & Orientis Reges cidari, diadematis vice, uti ſolent.* Et paulo poſt, Κίδαριν ἀντὶ διαδήματος ἐπιτίθησι τῇ κεφαλῇ *Cidarim pro diademate impoſitam habet capiti*. Sed vero an is heic mitram a cidari aliam eſſe voluit? an pro eadem utrunque ſumſit vocabulum? Adeo ut non adjectam mitræ eſſe innuerit cidarim, ſed mitra memorata, cidaris nomen, veluti ſynonymum, ob explicationem tantum atque dignitatem Pontificiam (quam aut Regiam aut Regiæ proximam eſſe voluit) adjecerit. Sane eliciendum illud videtur ex eo, quod apud eundem in libro περὶ φυγάδων legitur. De dignitate Pontificis ibi verba faciens, ipſam mitram, ni fallor, pro diademate ſumit. Verba ſunt, Καὶ ὅτι τὴν κεφαλὴν ȣ̓δέποτε ἀπομιτρώσει, τὸ βασίλειον ȣ̓κ ἀποθήσεται διάδημα, τὸ σύμβολον τῆς ȣ̓κ αὐτοκράτορος μὲν, ὑπάρχȣ δὲ καὶ θαυμαστῆς ἡγεμονίας. *Ex eo etiam, quod caput ejus mitra nudandum non eſt* (Helleniſtarum verſionem, de qua capite V. hujus libri, ſequutus eſt) *Regium diadema non eſt ei exuendum; quod quidem inſigne eſt poteſtatis, non quidem Imperatoriæ, ſed tamen Gubernatoris & Præfecturæ admirabilis*. Niſi hoc in loco mitram & diadema pro eodem ſumſerit, ipſum me non intelligere fateor. Quod ſi ita fuerit, etiam & cidarim, quam diadematis Regii veluti vicem, priori in loco, occupaſſe vult, eandem ei cum mitra fuiſſe, æquum eſt ut exiſtimemus. Nam & undenam diadema aliud, quod Regium ſit e ſacris literis, quas ſequi velle videtur, habere potuiſſet, non ſatis conſtat. Multo vero minus undenam coronam illam triplici ordine fabrefactam cum calyculis exſurgentibus habuerit Joſephus; qui tamen magis morem ſui ævi (quod forte etiam in Pontificis capitis indumentis ut in aliquot aliis, ab origine deviaſſet) quam ipſum Moſaicum, id eſt, primarium horum indumentorum inſtitutum ibi enarrat. Nam de præſenti ſibi tempore, quantum ad figuras attinet, plane loquitur. At mire ſibi placent nonnulli, dum ex illa Joſephi traditione teſte alio non ſubnixa, triplicem, neſcio quam, ex Oriente in Occidentem deducunt coronam. Hebræis cæteris millies occurrit, Exodi & Levitici hac de re veſtigia diligentiſſime prementibus, & ſuos proculdubio mores callentiſſimis, quatuor tantum numero fuiſſe Sacerdotibus gregariis veſtes ſacras, atque octo Pontifici; neque alterutris plura. Quod non ſine magno errore ſcripſerant, unoque ore tradiderant, ſi aut bini pilei, aut corona ſeu diadema aliud præter cidarim, tiaram, mitram ſeu pileum (nam hæc heic nomina idem ſonant) & laminam illam auream, in qua tetragrammaton inſcriptum eſt,

Pon-

Pontificis sacrum gestamen fuisset. Scimus Exodi XXIX. 7. legi *Pones tiarum in capite ejus* ונתת את נזר הקדש על המצנפת *& collocabis Coronam sacram super tiarum*; unde etiam Coronam in ejus indumentis fuisse, conjici quis recte posse forsan existimet. Quod manifesto quidem certum est. Sed ita planissime capiendum, ut Corona sit ipsa Lamina aurea, quæ vitta hyacinthina tiaræ imposita, verum erat diadema, & coronæ sacræ nomen, in sacris literis, alibi, sortitur. Exodi XXXIX. 30. Et fecerunt את ציץ נזר הקדש זהב טהור *Laminam, coronam sanctam, ex auro puro*. Sic etiam habetur in Levit. VIII. 9. Nec dubitant Magistri in locis hisce semper coronam, pro ipsa Lamina, sumere. Quibus astipulatur Vulgatæ autor, qui priori Exodi loco, ipsum vocabulum, quod Coronam, significat, per *Laminam* reddit, atque in binis ceteris *Laminæ* nomen tantummodo retinet. Neque aliam præter ipsam Laminam, coronam seu indumentum, agnoscunt in locis illis Hellenistæ. Quod vero in Vulgata, Exod. XXXIX. 25. occurrit, *Fecerunt & tunicas byssinas opere textili Aaron & filiis ejus, & mitras cum coronulis suis ex bysso*; id in origine nihil habet, quod τῷ coronulis respondeat aliter ac in his verbis, ואת המצנפת שש ואת פארי המגבעות שש *& tiaram seu cidarim byssinam & tiaras seu ornamenta pileorum byssinorum*, seu ut Hellenistæ ibi καὶ τὰς κιδάρεις ἐκ βύσσου καὶ τὰς μίτρας ἐκ βύσσου *cidares byssinas & mitram ex bysso*. Adeo ut tantum Pontificis cidarim, atque gregariorum Sacerdotum pileos seu mitras, quæ non multum, ex instituto (si vittas hyacinthinas demas) discreparunt, ibi simul indicari videatur. Tametsi sint etiam in Hebræis, qui Pontif. pileo seu cidari, tiaram seu cidarim decoris caussa aliam aptandam ibi denotari velint, quæ ob vittas hyacinthinas, quibus constringebatur, primam circundabat כמין כתר *in figuram coronæ*; qua de re vide glossam ibi Jarchii. Non male sic quadrat syndoni plicaturas cidaris obtegenti, quam memoravimus ex Josepho. Atque ex unica longa illa tela, e qua formatus est pileus Pontificius seu cidaris, tam adjecta hujusmodi tiara, quam ipsa cidaris, quæ capiti proxime adhæsit, simul, ut unicum tamen indumentum, commode satis plicando potuit confici. Certe & alibi Josephus non aliam præter laminam auream, & tiaram byssinam hyacintho circumstrictam, Pontifici coronam fuisse agnoscit. Is cetera diligenter describens lib. V. Haloseos, cap. XV.) τὴν τε κεφαλὴν, inquit, *βυσσίνη μὲν ἔσκεπε τιάρα. κατέστεπτο δ' ὑακίνθῳ. περὶ ἣν χρυσοῦς ἄλλος ἦν στέφανος ἐκτύπωμα φέρων τὰ ἱερὰ γράμματα. ταῦτα τε ἐστὶ φωνήεντα τέσσαρα. Caput tiara byssina tegebat. Coronatur autem hyacintho. Et circa eam alia corona erat aurea, scriptas ferens sacras literas, id est, nomen tetragrammaton*. Binas heic habet ille coronas quidem; sed alteram, ipsam cum vittis cidarim aut tiaram, seu potius ipsas vittas, alteram, Laminam auream, quæ & in sermone sacro aliquoties, ut jam dictum est, Corona sancta nuncupatur. Atque id etiam est inprimis heic advertendum, ubi Josephus habitum Jaddi Pontificis Alexandrum Magnum excipientis describit [quem legitimum fuisse, id est, integrum, ipse diserte narrat] nihil aliud capiti ejus induitur præter Cidarim & Laminam auream; quod habetur in libro ejus XI. cap. VIII. Quin & cum Alexander postmodum Syriæ Rex, Jonathanem mitteret stolam purpuream & coronam auream, quibus veluti Pontificem eum designare voluit, Jonathan ipse dicitur induisse τὴν ἁγίαν στολὴν seu ἀρχιερατικὴν, *id est sacra Pontificatus indumenta*, tam in Josepho ipso lib. XIII. cap. V. quam in primo Hasmonæorum libro cap. X. 21. nulla mentione coronæ aureæ in indumentis ejus habita, tametsi novam ab Alexandro dono accepisset. Cum nihilominus, petentibus per legatos Judæis a Claudio Cæsare stolæ sacræ, seu Pontificii vestitus custodiam diplomate conceditur & sacræ vestis & Coronæ, qualiscunque illa fuerit (sed pro lamina aurea accipienda mihi videtur) custodia. Diplomatis verba sunt: τὴν ἱερὰν ἐσθῆτα καὶ τὸν στέφανον ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν ὑμῶν εἶναι συγχωρῶ, *ut Vestitus sacer & corona a vobis custodiatur, concedo*. Diploma habetur integrum apud Josephum lib. XX. cap. I. Utut vero se res hæc habuerit, de indumentis capitis Pontificis tam certum est, ab origine illud unicum fuisse, quod, præter laminam auream, capiti ejus imponeretur, utcunque hyacinthino coloris opere auroque variegatum, unamque fuisse illud Tiaram, cidarim, mitram seu pileum, quam verisimile, idem, pro diverso complicandi, contexendi, ornandique artificio, ad augustam gestantis præsentiam efferendam adhiberi solito, non semper eandem tulisse figuram, sed aliam atque aliam ita induisse, ut etiam, tum merito corona (quoniam & plane diadema erat) nuncupa-

cupari posset, tum, ex diversis in exteriori parte plicaturis, e duabus veluti tiaris consistere videri. Et de Pontificis cidari, hæmisphærii figuram habente, diserte D. Hieronymus epist. CXXVIII. ubi Pontificis a Sacerdotum ceterorum non discrepasse ait. Eum ante alios de ceteris omnibus ibi consule. Quod vero habent Talmudici de triplici Israelitarum Corona, (כתר appellitant) Corona nimirum Legis, Corona Regis, & Corona Sacerdotii, id ad illustrem horum dignitatem eo nomine designandam tantum attinet. Neque coronæ figuram singulis hisce impositam esse magis probat, quam Israelitis triplicem. De ea vide tit. *Aboth* in Talmude Babylonico fol. 9. & Maimonidem halach. *Talmud Thorah* c. III. Tertium demum vestium sacrarum genus, quod Album dictum est, eadem figura erat ipsa, qua genus primum. Sed in iis nec balteus lana tincta intertextus est, nec, præter linum purissimum seu byssum quid omnino adjectum. Hæc autem indumenta Pontifici fuere propria, ac semel tantum in anno, intra Sacrarium intimum seu Sanctum Sanctorum, id est, in festo Expiationis, ipsi gestanda. De quatuor hisce locus est manifestus in Levit. XVI. 4. ubi scite glossa, מגיד שאינו משמש לפנים בשמנה בגדים שהוא משמש בהן בחוץ שיש בהם זהב לפי שאין קטיגור נעשה סניגור אלא בארבעה ככהן הדיוט וכולן של בוץ *Intelligendum, quod non intra* (in sancto Sanctorum) *ministerium præstabat Pontifex octo indutis vestibus, quibus Sacerdotio fungi solebat extra, utpote quibus aurum intertexebatur. Nam accusator non debet personam patroni induere. Sed quatuor tantum, quemadmodum & Sacerdos gregarius. Atque hæ ex bysso*, seu *lino purissimo solum constabant*. Tantundem habetur in Gemara Hierosolymitana ad tit. *Joma*, cap. VII. fol. 44. col. 2. halach. 5. Atque de hisce aperte Josephus lib. V. haloseos, cap. XV. Primo ait Pontificem habitu augustiori (quem describit) Calendis, Sabbatis, aliisque illustrioribus festis maxime, cum Sacerdotibus gregariis in Templum ascendere & sacra peragare. Statim autem subjicit, ταύτην μὲν οὖν τὴν ἐσθῆτα, οὐκ ἐφόρει τὸν ἄλλον χρόνον. λιτοτέραν δ' ἀνελάμβανεν ὁπότε δ' εἰσίοι εἰς τὸ ἄδυτον. εἰσῄει δ' ἅπαξ κατ' ἐνιαυτὸν μόνος ἐν ᾗ νηστεύειν ἔθος ἡμέρᾳ πάντας τῷ Θεῷ. *Habitum quidem illum alio tempore non gerit, sed simpliciorem adsumit. Ita vero sic cum adytum introit. Semel autem in anno introit solus, quo die cunctos Deo jejunare mos est*. Atque is ipse in lib. II. contra Apionem; *In adytum soli Principes Sacerdotum ingrediebantur propria stola circum amicti*. Ut stola heic pro Pontificio, die quo adytum ingressus est, habitu toto plane sumenda est, ita in priore loco τὴν ἐσθῆτα, quam *vestem* vertit interpres, pro habitu augustiori toto, antea ibi descripto, sumere debemus. Philo item, libro de somniis, expressissimam habet vestium Pontificalium hanc distinctionem. Alias enim diserte fuisse ait ποικίλας *variegatas*, id est, aureas, seu auro & coloribus conspersas, quales בגדי זהב *Vestimenta aurea*, Magistris ita nominata, fuere. Alias διαλλάκας *albas*, quo nomine hasce, quas gestabat Pontifex, adyta ingressus vocitant Magistri, id est, בגדי לבן *vestes albas*. De illis item Philo, ut a ceteris omnino discrepantibus, in lib. II. de Monarchia, plura. Sed mirum est, Viros aliquot doctissimos locum ex libris Haloseos Josephi indicatum ita citare, ut Josephum affirmare faciant id, quod Hierosolymis maxime inauditum est; Epomidem & Rationale Pontifici in usu solum fuisse, cum adyta ingrederetur. Quo nihil in rebus Hebraicis absurdius dici potest. Nec sane ea omnino Josephi mens. Vide sis Carolum Sigonium de Repub. Hebræorum lib. V. cap. II. & Petrum Cunæum lib. II. cap. I. Manifestius nihil est, quam Josephi sensum esse, qualem diximus; quod & satis sane agnoscit vetus ejus ibi interpres. Ita demum genus primum universis Sacerdotibus erat commune, secundum & tertium Pontifici proprium. Hoc scilicet in festo Expiationis tantum etiam in Sancto Sanctorum, illud cum primo quandocunque Sanctuario rem sacram peragebant. Unde sexcenties occurrit in Magistrorum commentariis, כהן הדיוט בארבעה בגדים כהן גדול בשמנה *Indumenta Sacerdotis gregarii sunt quatuor, Pontificis vero octo*; prætermissis ita generis tertii indumentis, quæ non omnino a primis discrepant, excepto, quod Pontifici tantum propria fuere atque ex lino purissimo seu bysso duntaxat conficienda erant. Cautum vero est tam de מחוסר בגדים sive *Sacerdote* sive *Pontifice*, *cui deficerent vestes præscriptæ*, quam de היתר בגדים *eo, cui plures, inducerentur, quam lex præciperet*. Primi generis fuit quicunque Sacerdos gregarius ex quatuor suis, aut Pontifex, qui ex suis octo aliquam non haberet idutam, dum officio fungeretur. Atque etiam

adnu-

adnumeres, cui breviores essent quam par erat. Secundi fuit Sacerdos Pontificiis indutus vestibus aureis, aut binas pro unica habens. Cui etiam jungatur, qui longiores, quam statura sua pateretur, demitteret. Quisquis, sive inopia sive abundantia ita peccaret, ejus ministerium illegitimum fuisse ac profanari censebant. Nec sane Sacerdotem sine vestitu suo sacro magis Sacrificium rite aut sine profanatione peregisse, quam זר *extraneum* sed quemvis e plebe, altare temere invadentem. Vide si placet supra indicatos Maimonidis & Mosis Mikotzi locos, cum cap. X. halacha Maimonidis, quam ibi citavimus. Is etiam capite VIII. & IX. ibidem, quomodo singulæ jam dictæ vestes atque indumenta sacra contexi & fieri deberent, ex veteribus operose ostendit, quod libenter heic prætermittimus. Octo autem illa, quæ Pontifici in Sanctuario sacro munere fungenti necessario induebantur, eadem fuere, quibus, ritu solenni, Pontifex in dignitatem succedens erat induendus. Ea *Josepho* atque aliis uno nomine τῆς στολῆς ἀρχιερατικῆς *stolæ archieraticæ* seu *Pontificiæ* non raro indigetantur.

CAPUT VIII.

De solenni Pontificis novi *sacris vestibus* induendi ritu.

VEstitu sacro ita explicato, sequitur, ut de ritu vestiendi solenni dispiciamus. Quæ occurrunt in Exodo & Levitico ea de re (nam ritus Aharonis vestiendi, archetypi heic locum obtinere, nemo nescit) ut satis obvia mittimus; ea duntaxat observaturi, quæ in Talmudicorum commentariis & sequentium Pontificum successionis ratione, de Vestibus solennibus occurrunt. Ritus solennis ejusmodi a Talmudicis, ex sacris literis & moribus receptis, docetur, ut indutis primo Femoralibus & supra Lumbos constrictis, accederet Tunica talaris. Hac cinguli crebris plicaturis sub axillis (inferior enim, ex more recepto, locus cingulo non permittebatur) circumligata, induebatur quidem cidaris seu pileus Sacerdoti gregario. Sed Pontifici, proxime post cingulum pallium, cui Ephod seu Epomis imponebatur. Et tunc induebatur Cidaris ejus seu tiara, cui annixa demum vittis Lamina aurea, seu Corona, ut in sacris literis vocitatur, sancta. Vide, si placet, Gemaram Babylonicam tit. *Zebachim*, cap. II. fol. 19. Maimonid. halach. *Celi hammikdasch*, cap. X. & Mosen Mikotzi præcept. affirmativ. CLXXIII. Sic vestitum fuisse ajunt Eleazarum, cum Patri jam morituro succederet. Numer. XX. 25. *Tolle Aharon & Eleazar filium ejus & duc eos in montem Hor. Et spoliabis Aharon vestibus suis, induesque eas Eleazar filium ejus. Aharon vero colligetur & morietur ibi. Fecit itaque Moses, sicut Dominus præceperat, & ascenderunt in montem Hor, vidente cuncta congregatione. Et denudavit Moses Aharon vestimentis suis & induit eis Eleazar filium ejus. Mortuusque est Aharon ibi vertice montis.* Et de ea re Josephus; Aharon ἀποδύεται τὴν ἀρχιερατικὴν στολὴν, καὶ παραδοὺς αὐτὴν Ἐλεαζάρῳ τῷ παιδὶ, πρὸς ὃν διὰ τὴν ἡλικίαν ἡ ἀρχιερωσύνη παραγίνεται, θνήσκει, *exuit vestes Pontificias, quibus Eleazaro filio, cui ob ætatem in Pontificatum debebatur successio, traditis, mortuus est.* Hinc est, quod Jonathan Hasmonæus Pontifex designatus, Sacram seu Archieraticam stolam, id est, habitum Pontificium indueret Festo Tabernaculorum, consecrationis suæ ritu usus; ut videre est apud Josephum lib. XIII. cap. V. & I. Maccab. X. 21. Et, cum Agrippa Rex Pontificatum denuo Jonathæ Anani F. reddere volebat, ἅπαξ, inquit ille renuens, ἐνδῦναι στολισμὸν ἱερὸν ἀρκοῦμαι, *mihi sacrum illum amictum semel sumsisse satis est.* Scilicet, *Sacrum amictum induere*, pro *Pontificem creari*, usurpabatur sub Templo secundo. Nam sacrificium, quod in novo Pontifice sacrando ritus erat tertius, extra Templum fieri nequibat, nec habebatur omnino sub Templo secundo, ut mox ostendimus, oleum sacrum seu unctio. Locus est Josephi, lib. XIX. cap. VI. Et *Herodes regnum Hebræorum adeptus, indumenta Pontificia in Antonia turri reperta, sibi ibi suaque in potestate detinuit,* πιστεύων δὲ οὐδὲν νεωτερίζειν ἐπ' αὐτῷ τὸν λαόν, *ratus inde populum a rebus novis moliendis contineri*, ut idem Josephus lib. XVIII. cap. VI. Nimirum sacri amictus custodia & potestas tanta erat habita, ut novi Pontificis creationis juri ea proxima, etiam velut eadem, existimaretur. Unde itidem, post Herodem; Romanis & eis, qui sub hisce præerant, usque ad Vitellii præsidis sub Tiberio tempora, ejus potestas erat & custodia. Tunc vero ab Imperatore redditum est jus illud, idemque postea a Claudio Cæsare firmatum Judæis, ita a Sacerdotibus, qui

qui tum successorem induerent, utcunque suffectum, tum in sacra peragenda amictum sacrum, ad morem pristinum depromerent, custodiretur. Sed quomodo hæc res aliter atque aliter se habuerit, enarrat fusius Josephus lib. XV. cap. XIV. lib. XVIII. c. VI. & lib. XX. c. I. Et de solenni vestiendi ritu exemplum habetur etiam in historiola illa filiorum Simonis Justi, Pontificis maximi e Talmudicis in libri superioris cap. VII. narrata; quam consulas. Quin tam sub Templo secundo, quam sub primo octo vestes, eodem modo confectas, quo sub primo, Pontifici tum creato, tum sacra operanti, induendas fuisse ajunt, adeo etiam ut Oraculum illud in Rationali Sanctissimum, quod, cum Templo primo, in Pontificibus revera volunt desiisse (ut ex capite proximo etiam liquet, imitatione artificiosissima sub secundo exhiberetur; tametsi ejusdem nullus alius tunc usus fuerit, nisi ut in numero indumentorum octonario nullum reperiretur contra fas, figura saltem imperfecta, nec Pontifex ullus מחוסר בגדים *cui vestes deficerent*. Maimonides halach. *Cele hammikdasch*, cap. X. עשו בבית שני אורים ותומים כדי להשלים שמנה בגדים ואעפ שלא נשאלין בהן *Sub secundo Templo faciebant sanctissimi illius Oraculi figuram, ut ita perfecta redderentur octo indumenta Pontificia; tametsi eam Oraculi figuram nunquam tunc consulerent*. Tantundem legitur, ex veteribus, apud Mosen Mikotzi præcept. affirmat CLXXIII. Etiam & ratio redditur, quare Oraculi illa figura in secundo Templo non consuleretur, gemmis Oraculi vetustioris seu Aharonici omnino deperditis ומפני מה לא היו שואלין בהן מפני שלא היתה שום רוח הקדש וכל כהן שאינו מדבר ברוח הקדש ואין שכינה שורה עליו אין נשאלין בו *Et quænam est ratio, cur non consulere solerent illud sub Templo secundo oraculo? Quoniam non adfuit ibi Spiritus Sanctus; Neque enim Sacerdotis alicujus in consulendo opera adhibenda est qui non ex Spiritu loquitur Sancto & majestatis divinæ præsidio*. Et consulas item Epiphanium in vita Zachariæ Prophetæ. Modus Oraculi vetustioris consulendi describitur, uti & responsa dandi, apud Magistros jam dictos, unde etiam desumsere pridem Christiani aliquot res Judaicas tractantes. Vide ea de re V. Cl. Guilielmum Schikardum libello de jure Ebræorum Regio. Neque vero Pontifici novo rite satis induebantur in initiatione vestes sacræ, nisi indutus, qualem diximus, per septem dies continuos iteraretur; tametsi ex indutu unico Pontifex ita legitimus, ut sacro ministerio fungi posset, conficeretur. Maimonides halach jam citatis, c. IV. לובש שמנה בגדים ופושטן וחוזר ולובשן למחר ז׳ ימים יום אחר יום *Induit octo vestes, easque exuit. Quod similiter facit per septem dies continuos*. Rei hujus origo est in Exodi XXIX. 29. & vide Levit. VIII. 33. Subdit vero Maimonides, *si sacra peregerit, antequam toties iteratus fuerit indutus, rem fieri non illegitimam*, sed עבודתו כשרה הואיל ונתרבה פעם אחת נעשה כהן גדול לכל דבר *Sacrificium ejus rectum esse* seu *legitimum, quandoquidem, ex eo quod vestibus sacris induebatur, vice unica fiebat Pontifex, adeoque, ut dignitatis ipsius nihil omnino ei deesset*. Fiebat nempe Pontifex, quantum vestitus sacer solus facere potuit. Nam de Unctione, & Sacrificio etiam, mox dicetur. Ritus igitur vestiendi Pontificis, & sacra ceremonia per tot dies servanda erat; sed non per tot dies, ut ex substantia initiationis, quæ etiam unica ex vice haberetur non illegitima. Neque solennis hic vestiendi ritus noctu, sed die tantum præstandus; ut Maimonides ibidem.

CAPUT IX.

De ungendi Pontificis *ritu*, Figura *seu* modo & Tempore. Unctionis cessatio. *Discrimen hac in re inter* Templum primum & secundum. *Et de* Initiationis Pontificiæ Sacrificio.

Vestiendi ritum sequebatur Unctio. De qua agitur in Exodi XXX. & Levitici VIII. Quibus ex aromatibus conficeretur Oleum Sanctum, explicatur in citato Exodi capite; quinam etiam eodem essent ungendi. In ipsa Sacerdotii institutione, qua sacrati Aharon posterique ejus, non solum ipse, sed & filii ejus ungebantur: Idque per septem dies continuos, quemadmodum & solenni ritu vestiebantur, ut liquet in Exodi XXIX. 29. Obiter vero notandum, Phinees in filiis Aharonis, cui ex Eleazaro nepos fuit, non ita Magistris censeri, ut qui tunc sive revera sive juris fictione unctus esset; sed prætermissum primo singulari, postmodum jure seu indulto Numinis ei peculiari; Sacerdotii participem factum esse. Aharonem nempe & omnes filios ejus ex unctione, quam acce-

ceperant ipsi, Sacerdotes factos, uti & posteros eorum sine unctione iterata quotquot postea nati. Ante vero natum Eleazaro Phinees (quia ante est natus) non prius Sacerdotem factum quam, peremtis Zimri & Cozbi, a Numine in Sacerdotium, promisso adjecto singulari cooptatum. Numeror. XXV. 12. *erit tam ipsi quam semini suo pactum Sacerdotii sempiternum*; ubi Glossa, שאף על פי שבכר נתנה כהונה לזרע של אהרן לא נתנה אלא לאהרן ולבניו שנמשחו עמו ולתולדותיו שיולידו אחר המשחתן אבל פנחס שנולד קודם לכן ולא נמשח לא בא לכלל כהונה עד כאן *Tametsi antea Sacerdotium concessum fuerat semini Aharonis, non tamen concessum est aliis præter Aharonem & filios ejus, qui ungebantur cum eo & posteris eorum natis post unctionem. Ceterum Phinees, qui antea natus erat, nec ungebatur, non omnino Sacerdotii particeps erat ante hoc tempus.* Quod etiam Gemara Babylonica tit. *Zebachim* ibi firmat. Sacerdotes gregarios, qui sequerentur, minime fuisse unctos ajunt; sed tantum Pontifices & Sacerdotem, quem משוח מלחמה *unctum belli causa* (ex lege, Deuteronom. 20. 23.) præter Reges; de quorum Unctione fuse & docte Guilielmus Schickardus de Jure Regio. Gemara Hierosolymitana ad tit. Horaijoth, fol. 47. colum. 33. ממנו נמשחו כהנים גדולים ומלכים *Ex eodem oleo sancto ungere solebant Pontifices & Reges.* Ita tamen, ut tametsi Regni hæres, nunquam, nisi ob adversam factionem, atque ut dissidium inter competitores facilius sopiretur, ungi soleret, hæres nihilominus Pontificatus nunquam non esset, cum initiaretur, ungendus. Eadem Gemara ibidem; מלך בתחילה טעון משיחה מלך בן מלך אין טעון משיחה שנ' קים משחהו כי זה הוא זה טעון משיחה ואין בניו טעון משיחה אבל כהן גדול בן כהן גדול אפילו עד עשרה דורות טעון משיחה *Rex qui primo constituitur, ungendus erat; Regis autem filius qui in Regnum succederet, ut is itidem ungeretur, necesse non erat. Nam & scriptum est* (I. Samuel XVI. 12. de Davidis Unctione) *Surge & unge eum; ipse enim est. Ipse ungendus erat. Filii ejus ut ungerentur necesse non erat. At vero Pontifex Pontificis filius erat ungendus, usque in decem generationes.* Id est ex lege in perpetuum. Et de factione adversa, quæ in causa erat regni hæredes ungendi, sequitur ibi paulo post, אין מושחין את מלכים אלא מפני המחלוקת מפני מה נמשח שלמה מפני מחלקת של אדוניהו ויואש מפני עתליה ויהוא מפני יורם *Reges ungi non solebant, nisi ob adversam factionem. Ita unctus est Salomon, ob factionem Adoniæ, Joas ob Athaliæ, & Jehu ob Jorami.* Et de hac re tantundem videre licet in Gemara etiam jam dicta ad tit. *Sota* cap. VIII. fol. 22. col. 3. & ad tit. *Siklim* cap. VI. fol. 46. col. 3. atque in Babylonica ad tit. *Ceritoth* cap. I. fol. 5. & *Vaicra Rabba* parash. X. & apud Maimonidem halach. *Cele hammikdasc* cap. I. Mikotzi Præcept. affirmat. CLXVI. Jarchium, D. Kimchium & Gersomidem ad II. Reg. XXII. 30. præter commentarios ad Exodi caput trigesimum. Ad unctionem autem successoris in Pontificatum cujuslibet ex lege primaria firmandam, adducunt etiam illud Levitici VI. 15. הכהן המשיח תחתיו מבניו יעשה אותה *Sacerdos unctus in ejus locum faciet eam*, Ubi Vulgata, *Sacerdos qui jure patri successerit*; id est Pontifex hæres dignitatis, quem, quoniam uncti nomine in origine designatur ungendum esse æque ac Patrem statuebant. Et observandum est, quod habet Levi Ben Gersom. ad I. Regum cap. I. לא הוצרכו למשוח שלמה אלא מפני מחלקת אדוניה כי במשיחת דוד נמשחו כל הקמים תחתיו מזרעו כמו שבמשיחת אהרן ובניו נמשחו כל הבאים אחריהם להיות לכהנים ולזה לא הוצרכו למשוח אחר כי אם כהן גדול *Necesse non erat, ut ungeretur Salomon, nisi ob adversam Adoniæ factionem, quoniam in unctione Davidis universi successores sui, qui ex ejus erant semine, itidem ungebantur, quemadmodum in unctione Aharonis & filiorum ejus ungebantur eorum posteri universi in Sacerdotes, unde evenit, ut postmodum nemo eorum necessario esset ungendus præter Sacerdotem summum.* Nam ex Levitico & Exodo satis liquet, sub initio Sacerdotii Ebraici, non solum Aharonem, sed etiam cunctos filios fuisse unctos. In Unctionis autem Pontificis ritu, tria inprimis consideranda sunt; Tempus, Figura seu modus, & Cessatio ejus. Tempus erat idem cum eo, quod vestiendi ritui præscriptum est. Toties item iteranda erat, ut dictum est per septem scilicet dies continuos, unctio. Ita tamen ut non minus revera post unicam unctionis vicem Pontifex fieret & legitime peragere sacra posset, quam ibi unica duntaxat vice sacris vestibus indueretur. Nec noctu sed die tantum ungendus erat. Quæ omnia habes in locis, de vestitus tempore, supra memoratis. Figura autem seu modus unctionis, ita plerunque describitur, ut Andræanæ (ut vocant) Crucis

cis

cis figuram olei ductu in fronte ejus ſeu inter oculos exprimi ſolitam eſſe merito ſatis autumemus. Fuſo ſcilicet ſuper caput oleo (juxta illud, quod a Moſe Aharonem ungente fit in Levitici VIII. 12) digito ungentis, ajunt, in medio, qui oculos ſeu palpebras interjacet loco ſolenne fuiſſe figuram τοῦ *chi* Græcorum ſeu χ ex oleo ibi diducto confici. Sed & antequam Tiara imponeretur, fuſum in caput oleum volunt nonnulli, ut Abenezra ad Exod. XXXIX. aliis in verticem, poſtquam imponeretur ea, plicaturæ figura locum præbente, oleum tradentibus, eſſe fuſum, ut Ben Nachman, qua de re vide ſis Abarbinel in *Piruſh Torah.* fol. 202. Certe in caput ita fuſum eſſe, ut in barbam deſcenderet, licet ex Pſal. CXXXII. 2. Mikotzi autem, præcepto paulo ante indicato; תנו רבנן כיצד מושחין את המלכים כמין נזר והכהנים בתחילה מוצק לו שמן על ראשו ואחר כך נותן שמן בין ריסי עיניו ומוסך באצבעו מהם להם עד שהוא כמין כי יונית *Traditur a Rabbinis ungi Reges in figuram Coronæ; Pontificibus vero primum ſuper caput oleum fundi, dein oleum inter ſupercilia poſitum digito ungentis ita in utramque partem diduci, ut figura* χ *Græcorum fiat.* Et Obadias Bartenorius ad tit. *Cerithoth* cap. I. משיחת הכהנים היא שיוצקים מן השמן על אשו ומושחים בין גבות עיניו כמין כי ירונית ומשיחת המלכים כמין נזר *Unctionem Pontificum ita fiebat, ut fuſo ſuper caput oleo, inter ſupercilia, ungerentur figura* χ *Græcorum Reges vero Coronæ figura ungi ſolebant.* Ita etiam diſerte Maimonides halach. *Cele hammikdaſch* cap. I. & Gemara Babylonica tit. *Cerithoth* cap. I. f. 5. Quin & Salomon Jarchius ad Exodi XXIX. 7. ubi Unctio Capitis præcipitur, אף משיחה זו כמין כי *etiam*, inquit, *& hæc Unctio erat in figuram Chi*; qui locus plane retroſpicit ad id, quod adnotat in comma ſecundum ejuſdem capitis, ubi de laganis oleo unctis verba fiunt; de quibus ille, אחר אפייתן מושחין כמין כף כי יונית שהיא עשויה כנון שלנו *poſtquam cocta fuerint, ungebant in figuram Chi caph Græcorum, quæ formatur ut noſtrum Nun.* Editionibus nonnullis, non כי כף *Chi*, *Caph*, ſed כי כ' *Chi C* (quod parum diſcrepat) tantum exaratur; adeo ut ita non χ Græcorum, ſed κάππα, quod τῷ *Caph* reſpondet, figura fuerit Unctione ex ejus ſententia formanda; niſi & ipſe ſibi adverſaretur, dum τῷ Nun Hebræorum ſimilem eſſe literam, quam intelligit, expreſſim adjecit. Certe in ſcriptione Biblica ſeu quadrata, uti appellant, nullum eſt *Nun*, quod ſive τοῦ χ, ſive τοῦ κ Græcorum, ſive elementi alicujus aliis in linguis, quantum ſcimus, reperti, & eorum alterutri reſpondentis, ſimilitudinem gerit. Sed in Rabbinica ſcriptionis formula, ipſum Nun angulis, quos in Biblica & vetuſtiori ſemper habet, carens, atque inſtar ſive ſemicirculi ſive circuli arcus minoris ad hunc modum,) ſe exhibens, Latinorum C, quod pro Græcorum Cappa ſubſtitui ſolet, retro verſum imitatur, atque a figura illa, quam כי יונית ſeu *Chi Græcanicam* appellant, maxime recedit. Sed interea mirum eſt, tam *Chi* quam *Caph* ita ſimul a Jarchio memorari altero in loco, altero vero tantum Chi. Et merito ſuſpicandum eſſet illud, quod de Caph & Nun inſeritur interpolantis alicujus gloſſema fuiſſe, niſi & aliorum etiam, qui inter Hebræos celeberrimi fuere, eandem fuiſſe ſententiam comperiremus. Iſaac Abarbinel in *Piruſch Torah* fol. 20. כבר זכרו חז״ל שהכהנים הגדולים היו מושחין על ראשם מיעט מהראש ועושין כמין כף' יונית כמו שקבלו חז״ל מן הנביאים שראו המשיחות התמה בעיניהם ואומתאני שהיה כף' יונית לרמוז שהוא אשר בחר השם לכהן כי הכף' היא ראשונה לאותיות כהן והיה מורה זה על כהונה כמו שהנזר היה מורה על המלכות *Memoriæ olim proditum eſt a Sapientibus, piæ memoriæ, Pontifices ita ungi ſolere, ut exigua capitis parte inuncta, figura eis fuerit* τοῦ *Caph Græcanici, quemadmodum ipſi piæ memoriæ Sapientes acceperunt a Prophetis, qui hujuſmodi Unctionis oculati fuere teſtes. Atque ex mea quidem ſententia, Caph Græcanicum adhibebatur, ut indicaretur eo, unctum fuiſſe a Numine in Pontificem electum. Etenim Caph eſt primum elementum* τοῦ כהן *Cohen, quod Pontificem ſonat. Atque ita fuerit inſigne dignitatis Pontificiæ, ut corona eſt Regiæ.* Sed nugæ ſunt in ratione ejus perquam ridiculæ. Nam Caph ſeu Cappa Græcanicum primo τοῦ כהן elemento eſt diſſimillimum. Et ſi figura ejuſmodi eſſet, ut primum τοῦ כהן elementum præ ſe ferret, quamobrem, immo qui fieri cum ratione potuit, ut e Græcia peteretur ad Hebraicum vocabulum denotandum? Vide item Davidem Kimchium ad Pſalm. CXXXIII. Apud Maimonidem, loco jam ante citato, ipſa figura locum habuit. Sed in impreſſis omittitur, ſpatiolo, quod occupare ea debuit, relicto. Sed quod de Unctione diximus, ad Templi primi ævum tantum attinere ajunt. Neque ſub ſecundo Unctionis uſum aliquem omnino fuiſſe.

se. Etenim cum ex interdicto divino in Exodi XXX. 33. nefas esset oleum aliud præter illud ipsum, quod tum ex præscripto conficiebatur, componere, nec sub Templum secundum primarii illius quidquam omnino remaneret, saltem non reperiretur, sine quo unctionem sacram peragi aliquam plane nolebant, sequebatur, ut Pontifex, qui antea tam מרובה משיחה *insignis unctione* quam מרובה בגדים *vestibus* seu *indumentis sacris insignis* erat, jam vestibus tantummodo, præter sacrificium, initiaretur, nec aliquis omnino haberetur unctionis sacræ usus. Atque, ob rei necessitatem, non minorem ita solenni ritu vestito sine unctione dignitatem ajunt accessisse, quam seculis anterioribus tam uncto quam vestito. Maimonides halach *Cele hammikdasch* c. I. בבית שני שלא היה שם שמן המשחה היה כהן גדול מתרבה בלבישת בגדים בלבד שהיה לובש בגדי כהונה גדולה *sub templo secundo, quoniam nullum erat Unctionis oleum, Pontifex vestium indutu initiabatur, adeo ut tantum Pontificiis indumentis vestiretur*, minime vero ungeretur. Idem passim apud Magistros occurrit, maxime locis de unctione laudatis. Et de Olei Sancti sub Templo secundo defectu, expressim Gemara Hierosolymitana ad tit. *Maccoth*. cap. II. fol. 32. col. 1. אילו ה' דברים שחסר מקדש אחרון ממקדש ראשון אש ארון אורים ותומים משן שמשחה ורוח הקודש *Quinque hæ res defuere in Templo secundo, quas primum habuit, Ignis* [cœlestis] *Arca, Urim & Thummim, Oleum Unctionis, & Spiritus Sanctus*. Unde & emendandus est locus alter ejusdem Gemaræ ad tit. *Horaiioth* cap. III. fol. 47. col. 3. ubi enumeratio ad hunc modum fit; אש וארון ואורים ותומים ושמן הקודש *Ignis, & Arca, & Urim, & Thummim, & Oleum Sanctum*. Legendum proculdubio, ושמן המשחה ורוח הקודש *& Oleum Unctionis & Spiritus Sanctus*. Neque ad hanc de Unctionis defectu rem, & aliud volunt illi, quibus aliter recensentur res, quæ sub Templo secundo defuere. In Gemara Babylonica ad tit. *Joma* cap. I. numerus retinetur quinarius. Sed olei nomen in eo locum non habet, ארון ואורים ותומים ואש העליונה ושכינה ורוח הקדש *Arca, & Urim, & Thummim, & Ignis Cœlestis, & Majestas Divina, & Spiritus Sanctus*. De quibus item vide sis Jarchium & David Kimchium ad caput primum Haggæi. Quod autem de Sanctissimo illo oraculo, Urim & Thummim vulgo dicto, heic habent, satis dignoscitur ex eis, quæ de Rationali, in quo oraculum illud situm est, capite superiori monuimus. Etiam & de igne vide, si placet II. Maccabæorum c. I. 19. II. 4. Ex eo autem quod Arca fœderis in altera hac recensione memoratur, includitur item Oleum Sanctum, quod in ea servari solitum, cum eadem esse deperditum scribunt. Atque hinc sane dijudicandum est, quam vera sit veterum aliquot sententia, qui legitimæ unctionis, tam qua Pontificiæ quam qua Regiæ, in Hasmonæorum excessu finem collocant; neque eos unctos fuisse dubitant. Nam non solum, ut uno tradunt Hebræi ore, Oleum sanctum atque usus unctionis in Templo secundo omnimodo defuere, verum etiam tritum est illud & aliquoties in locis e Gemara Hierosolymitana supra citatis repetitum, אין מושחים מלכים כהנים *non ungebant in Reges eos, qui fuere Sacerdotes*. Quo dicto etiam Hasmonæos signantius negatur unctos fuisse. Quod vero attinet ad Unctionem Regiam, eam non necessario oleo illo Sancto a Mose primum confecto fieri debere consentiunt. Nam & a Josia Rege absconditum illud ajunt nec postea repertum; unde Jehojakim Regem unctum fuisse balsamo. Sic Gemara Hierosolymitana in locis supra de Unctione citatis. At vero Pontifices, alio ungi oleo, præter ipsum quod Moses confecit, ex ipso præscripto sacro non omnino debuisse volunt. Nec sane aut Regiæ aut Pontificiæ sub Templo secundo Unctionis vestigium aliquod exhibent. Quemadmodum autem sub Templo secundo Unctio Pontificalis nulla erat, ita etiam nec sub primo fuit perpetua. Nam 50. aut circiter ante primi excidium annis absconditum fuisse oleum Sanctum (sub Josia scilicet) nec postea repertum volunt. Glossa Talmudica ad tit. Megila cap. I. folb. 9. b. מרובה בגדים כהנים ששימשו בבית שני ואף בבית ראשון מימות יאשיהו ואילך שנגנז צלוחית של שמן המשחה *Vestitu insignes sunt Pontifices secundi Templi, etiam & primi a tempore Josiæ & deinceps. Quoniam Vasculum Olei Sancti absconditum est*. Pontifici rite sub Templo primo vestito & uncto, &, sub secundo vestito juxta ea quæ dicta sunt, Sacrificium singulare, si patrios mores ad amussim observaret, peragendum erat, quo initiatio ejus omnino compleretur; Quali item Sacrificio Sacerdos gregarius quilibet etiam initiandus erat. Idque ex Lege sacra Levitic. VI. 20. *Hæc est oblatio Aaron & filiorum ejus, quam offerre debent*

Domino in die Unctionis ejus. Decimam partem Ephi offerent similæ pro Sacrificio jugi. Dimidiam partem mane, dimidiam vespere, quæ in sartagine oleo conspersa frigetur. Offeret autem frictam in odorem suavissimum Domino. Et sacerdos, qui loco ejus unctus fuerit [Vulgata, qui jure patri successerit) *faciet idem. Perpetuum statutum est Domini. Tota incendetur.* Ex hac Lege, si quis Sacerdos gregarius nondum eo nomine initiatus, in Pontificatum evehendus esset, primo Sacrificium heic præscriptum gregarii Sacerdotis nomine peragebat, dein secundum nomine Pontificis. At vero si aut Sacerdos aut Pontifex initiationis Sacrificium hoc prætermitteret, atque alia muneri suo propria sacra adgrederetur, non hinc fiebat, quo minus ministerium, quod præstaret, ex se legitimum, id est non profanum, haberetur; Sed עבודתו כשרה *Sacrum ejus* hac in specie, *ministerium*, *rectum* seu *legitimum* censebatur, ut docet Maimonides halach. *Cele bamikdasch* cap. V.

CAPUT X.

De Potestate Forensi, *seu Jurisdictione, cujus autoritate, de rebus jam explicatis, ubi controversia oriretur, erat decernendum.*

EX iis, quæ hactenus de qualitate Personæ, quæ jure successionis ad Pontificatum erat admittenda, & de consecrandi Ritibus enarrata sunt, nemo non videt crebras difficultates oriri potuisse, nec sine potestate Forensi seu Jurisdictione, quæ cum imperio præesset, commode decernendas. Quot enim de Natalibus, parentum nuptiis, Ætate, Corporis vitiis, Animi vitæque erroribus existimationis labe, rituum initiandi præstatione (quorum omnium in successione legitima ratio habenda) controversiæ nasci potuere? Habuere igitur hæc Forum suum, idque augustum & amplissimum, quo, pro more patrio, quæstiones ejusmodi omnimodæ deciderentur. Eorum erat celeberrimum illud Tribunal LXXI. virorum, seu Consessus Magnus Hierosolymitanus, quem סנהדרין *Synedrium Magnum* & בית דין הגדולה *domum Judicii magnam* vocitant, cujus autoritas & jurisdictio in rebus gravissimi apud Hebræos momenti semper eminebat, etiam a Mosis tempore, quo institutum est; quod & suo loco fusius & data sigillatim opera dispicimus. Quod ad qualitatem personæ heic discernendam attinet, locus est egregius in Misna, tit. *Middoth* cap. V. ubi docetur, Præsides, Judices ac assessores hujus fori de vitiis seu inquinamentis, quæ functione sacra quempiam ex genere Sacerdotali arcerent, jure solenni cognovisse; atque arcendos vestibus nigris; admittendos, seu legitimos, albis, in distinctionem, statim induendos fuisse. Verba sunt, לשכת הגזית שם היתה סנהדרין גדולה של ישראל יושבת ודנה את הכהונה וכהן שנמצא בו פסול לובש שחורין ומתעטף שחורין ויוצא והולך לו ושלא ימצא בו פסול לובש לבנים ומתעטף לבנים נכנס ומשמש עם אחיו הכהנים *In conclavi cæsi Lapidis seu quadratario opere insigni, sedes habuit consessus Magnus Israeliticus, & judicabat Sacerdotes. Sacerdos autem, in quo reperiebatur vitium, vestes induebat nigras, quibus amictus & egressus abibat. Cui vero vitium non erat, vestes induebat albas, quibus amictus ingrediebatur* (in Templum) *& Sacro ministerio fungebatur cum fratribus suis Sacerdotibus.* Et Maimonides halach. *Biath bamikdasch*, cap. VI. בית דין הגדול היו יושבין בלשכת הגזית ועיקר מעשהן התדיר שהיו יושבין ודנין את כהונה ובודקין הכהונה ביוחסין ובמומין כל כהן שנמצא פסול ביוחסו לובש שחורים ומתעטף שחורים ויוצא מן העזרה וכל מי שנמצא שלם וכשר לובש לבנים ומתעטף לבנים ונכנס ומשמש עם אחיו הכהנים מי שנמצא כשר בייחס ונמצא בו מום יושב בלשכת העצים ומתלע עצים למערכה וחלק בקדשים עם אנשי בית אב שלו ואוכל שנאמר לחם אלהיו מקדשי הקדשים ומן הקדשים יאכל *Consessus magnus sedes habet in conclavi lapideo. Nobilior vero jurisdictionis eorum pars est, quod sedent & judicant de genere Sacerdotali, & disquirunt de Natalibus Sacerdotum, & de vitiis eorum. Sacerdos, quicunque reperitur Natalibus inquinatus, induit vestes nigras, quibus amictus egreditur ex atrio. Quicunque reperitur perfectus & legitimus, induit vestes albas, quibus itidem amictus ingreditur & Sacro fungitur ministerio cum fratribus suis Sacerdotibus. At vero si quis repertus fuerit natalibus perfectus & legitimus, aliquo tamen alio vitio inquinatus, is locum seu munus habebat in conclavi Lignorum, ubi in strues ligna discinderet, & partem haberet rerum Sacrarum cum suæ familiæ ceteris, ut conviva; secundum illud quod scriptum est* (Levit. XXI. 22. de corpore vitiato,) *Panem Dei sui, de Sanctis Sanctorum & de Sanctis comedat.* Nam qui a natalibus profani fuere, etiam hisce, non solum

lum functione, arcebantur. Cum autem ſolennis ejuſmodi de Natalibus aliiſque Sacerdotalis generis vitiis diſquiſitio fiebat; ſi nullum reperiretur impedimentum, quo minus univerſi, qui ea vice in examen venerant (& univerſos per ætatem functioni idoneos ſimul veniſſe in examen, vix eſt ut dubitemus) ad ſacra miniſteria ut integri ac legitimi admitti deberent, indicta, eo nomine, Panegyri ac feſto celebrato, ad hanc verborum formulam Deum O. M. laudibus efferebant, ברוך המקום ברוך הוא שלא נמצא פסול בזרעו של אהרן וברוך הוא שבחר באהרן ובבניו לעמוד לשרת לפני ה׳ בבית קדשי הקדשים *Benedicatur Deus ille benedicendus, quod non reperitur vitium in Abaronis ſemine. Benedicatur ille, qui elegit Abaronem ejuſque filios, ut aſtarent ad miniſterium coram Domino in domo Sanctiſſima*. Sic habetur in Miſnæ loco etiam ſupra memorato. Quicquid demum ad Pontificis ſucceſſionem ſpectare potuerit, ex autoritate Conſeſſus hujus (accedente itidem ſemper Regia, quoties Regibus etiam gubernabantur Hebræi, & res ipſa poſcebat) ita pependiſſe videtur, ut ſine ea ſucceſſio legitima neutiquam ſatis ex jure ordinario haberetur. Maimonides halach. Cele hammikdaſch cap. IV. אין מעמידין כהן גדול אלא בית דין של ע״א *Non conſtituere ſolebant Pontificem alii præter ipſum Conſeſſum LXXI. virorum*. Quin, & apud Joſephum lib. XX. cap. VIII. exemplum eſt ſingulare quod Regiam ſimul & Conſeſſus magni in rebus ſacris, etiam cum alieno Judæi ſubeſſent imperio, autoritatem exhibet. Levitæ aliquot quorum miniſterium præcipuum erat hymnos in Templo canere, adito Rege Agrippa πείθουσι τ̃ βασιλέα καθίσαντα Συνέδριον, φορεῖν αὐτοῖς ἐπίσης τοῖς ἱερεῦσι ἐπιτρέψαι λινῆν στολήν; *induxerunt eum precibus ut habito Synedrio, ſeu conſeſſu, decerneret eis uſum ſtolæ lineæ, quemadmodum ea Sacerdotibus in uſu fuit*. Et paulo poſt, ὁ βασιλεὺς μετ᾽ γνώμης τ̃ εἰς τὸ Συνέδριον ἐποιχομένων συνεχώρησε τοῖς ὑμνῳδοῖς ἀποθεμένους τὴν προτέραν ἐσθῆτα φορεῖν λινῆν οἵαν ἠθέλησαν, *Rex adbibita etiam ſententia eorum, qui in Synedrio locum babebant, permiſit bymnodis, ut depoſito priore babitu, lineam, pro arbitratu, ſumerent*. Id genus alia ibi ſic indulta occurrint, tametſi πάντα ἐναντία τοῖς πατρίοις, *omnia adverſus patrios mores*, ut monet ibi idem Joſephus. Etiam & adverſus jus patrium, ſive Romanis ſive Syris ibi rerum potitis, in Pontificum ſucceſſione, plurima commiſſa fuiſſe, ſatis ex eis, quæ diximus, fit manifeſtum. Neque cum dominantium libidine & peſſimis ambientium artibus, Jura ſeu legitima locum ſuum retinere ſatis quibant. At vero, dum ſui juris erant Hebræi, legitima omnino potuit eſſe & ſæpius procul dubio etiam erat ſive Succeſſio Pontificis, ſive Rejectio aut Depulſio; quæ tamen, abſque Natalium, Corporis, Animi, Morumque habitudine, rite juxta ea, quæ ex eorum commentariis depromſimus perpenſa, non ſine injuria fieri merito videatur.



JOHANNIS BUXTORFII HISTORIA URIM ET THUMMIM.

CAPUT I.

Occasio hujus Tractatus. De duobus Summi Sacerdotis Vestibus אפוד Ephod, & חשן Hhoschen, *cui inserta fuerunt Urim & Thummim.*

VErissimum esse quod Moses Deuter. 4. v. 7. מי נוי גדול אשר לו אלהים קרבים אליו כיהוה אלהינו בכל קראינו אליו *Num est Gens ulla ita magna, cui Dii ita sint propinqui, sicut* DOMINUS *Deus noster est nobis in omnibus in quibus invocaverimus eum?* ejus vel ex præsenti & præcedenti Arcæ fœderis, & Ignis Sacri & cœlestis, historia, ut alia nunc prætercam, illustria habemus argumenta. Ad *Arcam*, quotiescunque & quandocunque Mosi libuit Deum consulere, præsentem se ei stitit, & responso eit dignatus: In *Igne* è cœlo descendente, & momento partes Sacrificiorum foco impositas cum stupore & pavore astantis populi consumente, Deus ipse q. involutus fuit, & oblationes sibi factas e manibus eorum acceptavit.

His affine, nec minus admiratione dignum, quod de URIM & THUMMIM, Pectorali Summi Pontificis insertis refertur, quibus ille instructus, in rebus dubiis & perplexis, ad salutem totius Populi pertinentibus, certissima responsa & Oracula, non ex Apollinis tripode, sed a Deo ipso, ex singulari Spiritus Sancti revelatione, accepit & edidit. Ut verissime non minus quam eleganter D. Chrysost. Orat. IV. contra Judæos scripserit: Καὶ γὰρ ἡ Ἰουδαικὴ πολιτεία οὐχὶ κάτωθεν πάσας εἶχε τὰς ἀρχάς, ἀλλὰ καὶ τὰς πλείους, καὶ σεμνοτέρας ἄνωθεν ἐκ τῶν οὐρανῶν. *Neque enim Judaica religio origines omnes habebat ex inferioribus; sed plures ac magnificentiores superne e cœlis.*

Quid hæc URIM & THUMMIM fuerint? Quomodo, & quibus in rebus, Sacerdos summus per illa rogatus & consultus fuerit? Quomodo responsa Divina

vina ipsi ex iis data & patefacta fuerint? Qua de causa Deus hanc se consulendi rationem populo suo indulserit? Quandiu duraverint & desierint? anxie omnibus seculis a doctis quæsitum fuit, quæritur adhuc, & quæretur. Causa, quod Mosaica historia hæc non ita plene & accurate, ut cætera Pontificis ornamenta, descripserit, neque seu curiosioribus, seu rerum sacrarum avidioribus ingeniis satisfecerit. Hæbræi veteres etiam parcius eorum historiam tangunt, neque, ut in aliis quibusdam, ita hic sunt in commentis fingendis fœcundi. Recentiores quidem ingenium suum in re ista indaganda exercuerunt, attamen neque inter se convenire, neque definitivam aliquam sententiam ferre potuerunt, sed ipsimet incerti, incertos Lectores relinquunt.

Quam vis ergo has ipsas ob causas neque ego, qui nec mei ingenii tenuitatem, nec rei difficultatem, ignoro, vel aliis, vel mihi, hac in parte aliquid certi & solidi polliceri possim, ac propterea satius fortasse foret manum abstinere; attamen affinitate Argumenti invitatus; (quia Oraculum hoc in Sancto Sanctorum ad Arcam coram Domino consulebatur) & Amicorum quorundam precibus & hortationibus fortius incitatus, qui, vel varias Hebræorum de hac re sententias paullo accuratius legere & cognoscere, operæ pretium fore judicarunt, monente etiam Salomone, חוט המשלש לא במהרה ינתק *Filum triplicatum non facile rumpitur*, Eccles. 4. 12. currente prælo, binis antegressis Dissertationibus, tertiam hanc conjungere, atque ita Triadem Summorum Mysteriorum Divinorum, opella mea qualicunque illustratam, Sacræ hujus Philologiæ cultoribus & amatoribus, quod Deus fortunare, & Spiritus sui Sancti gratia benigne juvare velit, exhibere constitui.

Præceptum Divinum, Mosi de Urim & Thummim datum extat Exod. 28. v. 30. his verbis: ונתת אל החשן המשפט את האורים ואת התמים והיו על לב אהרן בבואו לפני יי' ונשא אהרן אה משפט בני ישראל על לבו לפני יי' תמיד: quæ de verbo ad verbum ita sonant; *Et dabis ad Pectorale judicii Urim & Thummim, & erunt super cor Aharonis, cum ingressus fuerit coram* DOMINO (in Sanctum Sanctorum,) *& portabit Aharon judicium filiorum Israelis super cor suum coram* DOMINO *jugiter*.

Exod. 39. ubi Ornatus vestimentorum, quæ artifices fecerunt, recensentur, mentio fit τῶ Ephod, & Pectoralis totius, una cum Gemmis illi insertis, nulla vero in specie & nominatim URIM & THUMMIM.

Levitici cap. 8. ubi Consecratio Aharonis, ceu Summi Sacerdotis, describitur, v. 8. dicitur; וישם עליו את החשן ויתן אל החשן את האורים ואת התמים: *Et super imposuit ei Pectorale, & indidit pectorali Urim & Thummim*.

Numeror. cap. 27. ubi Deus præcipit Mosi, ut suo loco (postquam sc. excesserit ex hac vita) Josuam Populi Ducem instituat, inter alia dicit v. 19. 20. 21. *Statuesque illum coram Eleazare Sacerdote, & coram universa congregatione, & dabis illi mandata in oculis eorum: Et pones de gloria tua super illum; ut audiant illum universa congregatio filiorum Israel:* ולפני אלעזר הכהן יעמד ושאל לו במשפט האורים לפני יי' על פיו יצאו ועל פיו יבאו הוא וכל-בני ישראל אתו וכל-הערה *Et coram Eleazare Sacerdote stabit, & interrogabit eum de judicio* (h. e. Sententia) *Urim, juxta os ejus egredientur, & juxta os ejus ingredientur, ipse, & omnes filii Israelis, & tota congregatio*: Hic solorum URIM mentio.

Deuteron. 33. Moses moriturus, & singulis tribubus Israelis benedicens. v. 8. ad Levi ita dixit; תמיך ואוריך לאיש חסידך THUMMIM *tua*, & URIM *tua*, *a viro Sancto tuo* vel propter virum sanctum tuum, Aharonem sc. vel, ut alii, sermone ad Deum converso, *Urim & Thummim tua erunt tribus Levi propter virum illum sanctum tuum*; Aharonem sc. qui primus dignus iis habitus fuit, propter eximiam sanctitatem suam.

Hæc sunt loca ex Lege, in quibus nominatim eorum mentio. De exemplis eorum consultorum inferius agetur.

Antequam vero ad illorum explicationem progrediamur, pauca quædam præmittenda sunt de vestibus nonnullis Summi inter Judæos Pontificis, quem Ἱερὰν ἐσθῆτα non immerito vocat Josephus.

R. Moses ben Majemon in הלכות כלי המקדש c. 8. scribit: *Vestimentorum Sacerdotalium tres sunt species*, בגדי כהן הדיוט *Vestes Sacerdotis vulgaris*, ובגדי זהב *Vestes Aureæ*, ובגדי לבן *& Vestimenta alba*.

Vestes Sacerdotis vulgaris sunt quatuor, כתנת *Indusium*, מכנסים *Femoralia*, מגבעת *Tiara*, אבנט *& Baltheus*.

Vestes Aureæ הן בגדי כהן גדול *sunt Sacerdotis summi, & sunt numero Octo, quatuor sc. commemoratæ Sacerdotum reliquorum, &* מעיל *Palliolum*, אפוד *Ephod*,

Ephod, *Amiculum humerale*, חשן *Pectorale*, & ציץ *Cidaris*, *seu Corona*.

Vestimenta alba sunt quatuor, *quibus Sacerdos summus utitur in Die expiationum*; *Indusium*, *Femoralia*, *Baltheus & Tiara*, *quæ omnia sunt alba*, *e filo sextuplicato*, *& ex solo lino tenuissimo* &c.

De his singulis susius agere hoc loco non est instituti nostri, sed tantum quædam monere de אפוד *Superhumerali*, & חשן *Pectorali*, vel *Rationali*, ut D. Hieronymus vocat, quæ conjuncta erant, & illorum posteriori inserta Urim & Thummim.

Horum descriptio Sacra habetur Exodi cap. 28. v. *6*. & seqq. EPHOD quidem a v. *6*. usque ad 15. CHOSHEN a v. 15. ad 31. unde Benevolus Lector ea repetat. Exscribere Verba ipsa Textus, & sigillatim explicare nimis foret prolixum, & alia forte occasione id commodius fieri poterit. Descriptionem illorum, juxta Hebræorum plerumque mentem, hic subjiciam ex eodem Majemonide, cap. *6*.

Sic ergo ille ibi §. *6*. *7*. *8*. כיצד מעשה חשן *Quomodo seu quæ ratio erat operis ipsius* CHOSCHEN, *seu* Pectoralis judicii? *Contexebatur vestis quædem* מעשה חשב *Opere ingenioso polymito* (h. e. tali, cui intertextæ sint variæ figuræ, quæ non in una tantum parte, sed utrinque eadem forma conspiciebantur: illud enim, quod in una tantum parte figuras illas exhibet, vocatur מעשה רקם quod ab utraque, מעשה חשב, quod majoris esset ingenii & artis. Majemon. ibid. cap. 8. §. 15.) *ex auro*, *hyacinthino*, *purpura*, *coccineo dibapho*, *& bysso*, *viginti octo filis* (sumebatur quippe filum unum aureum quod miscebatur, vel intorquebatur cum sex filis hyacinthinis seu cæruleis; unum cum sex filis purpureis, unum cum sex filis coccinei dibaphi, & unum cum sex filis byssi, candidis sc. quæ in universum faciunt 28.) *Longitudo ejus erat cubitus*; (duarum sc. spithamarum) *Latitudo*, *spithama*; *ita ut quadratum esset*, *undiquaque spithamale* (quia secundum longitudinem duplicabatur, sicut dicitur; *Quadratum erit*, *& duplicatum*; unde & in longitudine nonnisi spithamam habebat) *huic inserebat quatuor Ordines lapidum pretiosorum*, *qui in Scriptura nominantur*: *quisque Lapis erat quadratus*, *& immersus fundæ seu palæ aureæ*, *quæ illum circumdat inferne*, *& a quatuor lateribus*: *super lapides illis sculpebantur Nomina tribuum secundum nativitates*, *seu generationes ipsarum*; *ut sic* τῷ אודם *Rubino inscriptum fuerit nomen* ראובן *Ruben*; לישפה *Jaspidi*, בנימין *Benjamin*: *supra* ראובן *scriptum erat*, אברהם יצחק ויעקב Abraham, Isaak, & Jacob; *infra* בנימין *scriptum erat*; שבטי יה Tribus Jah, *ut omnes literæ alphabeti illic extarent*: *Super quatuor angulos istius Pectoralis faciebat quatuor Annulos aureos*: *Duobus Annulis superioribus*, *a quibus dependebat pectorale*, *indebat vel annectebat duas catellas aureas*; *duobus Annulis inferioribus*, *qui erant circa mammas*, *duos funiculos hyacinthinos*.

§. *9*. 10. II. אפוד EPHODI *latitudo respondebat tergo seu dorso hominis ab una scapula ad alteram*: *Longitudo ejus*, *ab opposito axillarum manuum*, *a tergo ejus*, *usque ad pedes*: *Habebat quasi duas manus vel manicas*, *per texturam ex eo utrinque egredientes*, *quibus illud accingebant*, *quæ vocantur* חשב האפוד *Cingulum Ephod*: *Totum contextum erat ex auro*, *hyacinthino*, *purpura*, *coccineo dibapho*, *& bysso*, *ex* 28. *filis*, *ut ipsum* Choschen *seu Pectorale*: *Ei assuebantur duo humeralia*, *quæ essent super humeris Sacerdotis*: *super unumquemque humerum figebatur lapis* שהם Schoham *quadratus*, *& palæ aureæ insertus*: *& his duobus lapidibus insculpebat Nomina Tribuum*; *sex scilicet super hunc*, *& sex super illum*, *secundum nativitates ipsarum*: *pro* יוסף *autem scribebant* יהוסף *ut essent viginti quinque literæ super lapide unoquoque*, *sic videlicet*;

שמעון	ראובן
יהודה	לוי
זבולן	יששכר
דן	נפתלי
אשר	גד
בנימין	יהוסף

Cui ראובן Ruben *inscriptum erat*, *is erat super humero dextero*: *cui* שמעון *inscriptum*, *super humero sinistro*: *Porro in unoquoque humero faciebat duos Annulos*, *unum superne in vertice humeri*, *alterum infra humerum*, *supra cingulum*: *duobus superioribus annulis indebat duas catellas aureas*: *Postea immittebat extremitates catellarum* τοῦ חשן Choschen *Pectoralis in annulos superiores in humeralibus* τοῦ *Ephod*: *& duos funiculos hyacinthinos*, *qui erant in oris Pectoralis*, *immittebat in duos annulos qui erat supra cingulum Ephod*, *& demittebat Catellas in annulis humeralium Ephod*, *usque ad annulos Pectoralis superiores*, *ut stricte invicem cohærerent*, *neque amoveretur Pectorale a Superhumerali vel Ephod*. *Quisquis enim abstulerat vel separaverat Pectorale*

ctorale a superhumerali, & conjuctionem illorum solverit per contemtum, is vapulabat. Hac ergo ratione, quando Sacerdos induit Superhumerale cum Pectorali, Pectorale recta erat super ipsius corde, & Superhumerale ex opposito a tergo; Cingulum τȣ Ephod Superhumeralis ligatum super ejus corde, sub Pectorali: duo humeralia τȣ Ephod super duobus ejus humeris; duæ catellæ aureæ descendebant utrinque ab ejus humeris, ab humeralibus τȣ Ephod usque ad annulos Pectoralis; duo fila hyacinthina alligata sub axillis ejus manuum, a duobus annulis Pectoralis inferioribus, usque ad duos annulos humeralium τȣ Ephod inferiores, qui sunt supra Cingulum. Hæc ille.

Fl. Josephus Antiquit. Judaic. lib. 3. cap. 8. ita de his scribit: *Super hanc tunicam* (מעיל dictam,) *Tertiam etiamnum induit vocatam* Ephod, *Græcanicæ Epomidi similem. Ea fit hoc modo: Ex variis coloribus, auro intermixto, longitudine cubitali ita contexitur, ut circa medium pectus lacuna quædam relinquatur maniculis quoque ita extantibus, ut plane Tunica appareat. Lacunæ vero inseritur frustum amplitudine palmi* (Heb. זרת Spithamæ,) *eisdemque coloribus, quibus Ephod, variegatum: id vocatur essen* (melius Ossen. Hebr. חשן) *ut si dicas Rationale, quod ita quadrat, ut ad amussim spatium illud circa pectus a texente relictum expleat. Id committitur cum Tunica annulis aureis per singulos angulos ex oris Tunicæ & Ossenis* (חשן) *extantibus, intercurrente tænia hyacinthina, adhibita ad annulos inter se connectendos. Ac ne laxum sit, quod inter annulos relinquitur, ejus sutura filo hyacinthino firmata est. Epomidem* (אפוד) *connectunt in humeris Sardonyches duo* (Heb. שהם) *ad utrumque extremum in humeros excurrens* ἐπίδεον χρύσεον ἔχοντας *uncinum aureum habentes, ut sit aptum fibulis: his insculpta sunt Jacobi filiorum nomina literis vernaculis linguæ nostratis. Quin & Ossen ipsum duodecim gemmæ distinguunt, eximia vel magnitudine vel pulchitudine, ornatus propter enorme precium incomparabilis, cui ternæ, per ordines quatuor, inerant, consertæ coronulis, ita ut excidere non possent: In primo ordine Sardonyx, Topazius, Smaragdus: in secundo, Carbunculus, Jaspis, Sapphirus: in tertio, Lyncurius, Amethystus, Achates; in quarto, Chrysolitus, Onyx, Beryllus. His omnibus erant insculpta filiorum Jacobi nomina, quos tribuum authores habemus, ordine qui olim singuli nati fuerant. Cum autem per se illi, quos diximus, annuli sint infirmi, nec possint pondus gemmarum sustinere, alios duos majores in extremitate Rationalis, quæ respicit ad collum, eminentes a textura fecerunt, qui suscipiant Catenas aureas, opere plexili venientes per fistulas quasdam ad extremitates humerorum, quarum Catenarum summitas ascendens reducitur post tergum, & circulo qui est a tergo in Epomidis ora connectitur: id quod præcipue sustinet Ossenem, ne quo pacto defluere possit. Osseni autem assuta erat Zona jam dictis coloribus, & auro distincta, quæ totum complexa, rursumque supra suturam nodata, deorsum propendere sinebatur. Omnes autem fimbriæ aureis fistulis ab utroque capite includebantur.* Hæc Josephus. Cujus authoritatem vel ideo majori loco habendam ex Hebræis R. Asarias in מאור עינים sub finem cap. 46. censet, quod vixerit stante adhuc Templo secundo, atque ita hæc non ex auditu & rumore, sed coram videre potuerit, secta Pharisæus, professione Sacerdos, stirpe Regia, a matre nimirum ab Hasmonæis oriundus fuerit. His consentientia scribunt Philo lib. 3. de vita Mosis, D. Hieronymus Epist. ad Fabiolam, de vestitu Sacerdotum, quos consulat, qui plura desiderat, ut & Ariam Montanum in Aharone.

Huic חשן *Pectorali*, vel *Rationali* jubentur indi a Mose URIM & THUMMIM, & quæ porro de illis dicuntur, in locis supra allegatis: Usus illorum erat, ut veluti certissimum Oraculum Divinum essent, per quod Deus in rebus gravibus dubiis, & inopinatis, ad Ecclesiæ vel Reipublicæ salutem spectantibus, consultus, populo in trivio q. cogitationum & consiliorum constituto, aut veluti in labyrintho oberranti, quæ facere oporteret, per Sacerdotem summum revelabat.

Ad horum cognitionem aliquam consequendam, sequentium Quæstionum consideratio lucem allatura videtur.

I. *Quid fuerint* URIM & THUMMIM?
II. *Quomodo Interrogatio per ea facta fuerit?*
III. *Quomodo, & Qua Virtute, Responsa per ea data fuerint?*
IV. *Quamdiu inter Israelitas in usu fuerint, & quando desierint?*
V. *Quare Deus populo suo extraordinarium & singulare hoc in rebus dubiis se consulendi medium concedere & indulgere voluerit?*

De his, quantum Deus gratiæ nobis faciet, & vires ingenii permittent, in sequentibus Capitibus disquisituri sumus.

CA-

CAPUT II.

Quid fuerint URIM & THUMMIM?

Divinum hoc Oraculum definire, est difficile. Nomina quippe sunt ambigua. Res per ea significata, in Sacro contextu non explicata, nisi quantum ad illorum usum spectat. Cum enim omnium reliquorum vestimentorum Sacrorum Materia, Forma, & Factura describantur, de his solis nihil commemoratur, apertis saltem & disertis verbis: Cætera omnia expresse jubentur a Deo per artifices fieri, de his vero tantum dicit ad Mosen; *Et indes Pectorali Urim & Thummim* Posteaquam etiam Pectorali a Mose indita, & Aharoni fuerunt applicata, nihil ad eorum explicationem ulterius reperitur.

Ad *Nomina* quod attinet, אורים Urim significat *Ignes*, vel, *Luces*, nec de eo vel dubitatio, vel disceptatio: תומים Thummim *Perfectiones*, *Integritates*, a singulari תום, & radice תמם *Integrum*, *Perfectum esse*.

Aliquando אורים Urim tantum Synechdochice, Numer. 27. 21. & 1. Sam. 28. 6. Nunquam enim fuerunt separata & divulsa. Hinc scribit R. Bechaj; לא הזכיר התומים וזה יורה כי האורים עקר השמות שמכחם היו מאירות האותיות לעיני הכהן לדעת בהם העתידות והתומים לא היו אלא לזווג האותיות זו עם זו להתמים אותם בחבור התיבות עד שיהיה לב הכהן תמים בידיעתו וחבורו ועל כן הזכיר מה שהוא עיקר ושתק מן התומים אבל לעולם לא היו האורים בלתי התומים כי שניהם דבר אחד ושניהם שלימים הענין: h. e. *Non nominat hic etiam* Thummim; *quia* Urim *fuerunt Nomina principalia, quorum virtute literæ lucem emittebant in oculos Sacerdotis, ad futura cognoscenda,* Thummim *non alio inserviebant, quam ad combinandas inter se illas literas quæ lucebant, ad perfectas ex illis eliciendas voces, ut Sacerdos in animo suo de illis certus esset. Ideo mentionem facit tantum principalis, & reticet minus principale. Nunquam tamen Urim erant sine Thummim: utraque enim unam & eandem rem conficiebant & perficiebant.*

Deut. 33. 8. Thummim præter morem præponuntur; eandem ob causam, ut doceatur, nunquam hæc sine illis esse, & utrisque rem perfectam esse, ut iterum R. Bechaj & R. Nachmanides scribunt.

Aliquando *Ephod* seu *Pectorali* nominato hæc intelliguntur, ut 1. Sam. 23. 9. Hos. 3. & alibi, quia sc. illa in Templo primo cum eo erant conjuncta.

Utrum jam ista Urim & Thummim Nomina hæc acceperint, vel 1. a *Natura sua*, quod Lucida fuerint & Perfecta, nihil ad sui perfectam constitutionem desiderantia; vel 2. ab *Effectu*, quod consulentes se illuminarint in rebus dubiis, perfectaque, vera, & certa responsa Sacerdoti summo suggesserint & dederint; vel 3. ab *Utroque* simul; non ita certum.

Talmudici volunt secundum. Ita enim scribunt in Massecheths Joma, sub finem cap. 7. fol. 73. col. 2. למה נקרא שמן אורים ותומים אורים שמאירין את דבריהן תומים שמשלימן את דבריהן *Quare vocatur Nomen eorum* אורים תומים? אורים & *quia* מאירים *illuminabant verba ipsorum*: תומים *quia perficiebant verba ipsorum* (sc. Israelitarum interrogantium, in rebus dubiis clarum & certum responsum dando.) Idem habetur in Talmud Hierosol. eodem cap. paulo aliis verbis: Urim *vocabantur, quia illuminabant Israelem:* Thummim, *quia perficiebant coram ipsis viam. Nam dum Israelitæ fuerunt* תמימים *integri & perfecti in Lege, dirigebant ipsorum viam*. Hoc sequutus est Jonathan Paraphrastes Chaldæus in Legem, versum 30. cap. 28. Exod. ita reddens, ותתן בחשן דינא ית אוריא דמנהרין מליהון ומפרסין טמירן דבית ישראל וית תומיא דמשלימין בעובדיהון לכהנא רבא דתבע אולפנא מן קדם יי׳ בהון: *Et indes Pectorali judicii* Urim, *quæ illuminant verba ipsorum, & revelant occulta domus Israelis; &* Thummim, *quæ perficiunt operibus suis Sacerdotem magnum, qui per ea quærit doctrinam a Domino.*

Sic scribit R. Bechaj in Legem fol. 107. 1. נקראים אורים ותומים על שם פעולתם *Vocantur Urim & Thummim ab operatione sua.*

Sic plures alii, ut in seqq. videbimus.

Qui Urim & Thummim volunt fuisse ipsas Gemmas Pectorali insertas, ideo sic dicta volunt, tum quod in se lucidæ, & perfectæ fuerint, omni vitio & defectu carentes, tum quod responsa per insolitum & extraordinarium splendorem patefacerent, & manifestarent.

Onkelos voces Hebræas retinuit: Sic & Tusius, Metaphrastes Persicus. Arabs reddit, אל אנואר ואל צהאיה *Dilucidationes & Certitudines*. Sic & Samaritanus; *Elucidationes & Perfectiones*. Syrus, נהירא ושלמא *Lucidum & perfectum*.

ctum. LXX. Græci Δήλωσιν καὶ Ἀλήθειαν *Declarationem & Veritatem*. Vulgatus eodem ſenſu, ut & D. Hieron. *Doctrinam & Veritatem*. Aquila; φωτισμοὺς καὶ τελειώσεις, propius ad veritatem Hebraicam. Lut, Liecht und Recht. Quod ad LXX. & D. Hieronymi interpretationem attinet, non putarim eam eſſe ſimpliciter exagitandam, & rejiciendam: videntur illi ſenſum, non literam verborum exprimere voluiſſe, ut in pluribus aliis locis: nam תומים non eſt *Veritas*, & אורים non eſt *Manifeſtatio*, vel *Declaratio*. At quoad Senſum, prorſus videntur illi duabus vocibus iſtis expreſſiſſe, quod ſupra ex Talmudicis de Nominum horum etymologia allatum, & dicere voluiſſe, *Juberi Moſen pectorali indere Urim & Thummim* (quæ nomina non expreſſerunt, quia quid eſſent ignorarunt) *per quæ in rebus dubiis, ignotis & incertis, Iſraelitis per Sacerdotem ſummum voluntas Dei, de eo quod ſibi faciendum vel omittendum ſit*, claro, vero & certo reſponſo *doceantur*. Sic Jonathan ſupra dicit, *Thummim dici, quia perficiunt Sacerdotem magnum, qui per ea quærit doctrinam a Domino*. Ipſa *Urim & Thummim* vocant Δήλωσιν καὶ Ἀλήθειαν, non quod verba Hebræa hoc ſignificent, ſed quia Res ipſa ex Dei ordinatione virtutem Δηλώσεως, & docendæ Ἀληθείας habuit, earum ſc. rerum, de quibus interrogabantur; atque ita paucis verbis idem dicit quod pluribus Talmudici, & Jonathan. Hinc Eccleſiaſtici 45. 17. *Induiſti eum* λογείῳ κρίσεως, δήλοις ἀληθείας *pectorali judicii, manifeſtationibus veritatis*. Aquila vim verborum Hebraicorum accuratius expreſſit, ſed idem procul dubio reſpexit. Itaque prorſus ridiculi ſunt, qui *primo* verſiones iſtas τῶν LXX. & Hieron. cum Vocum Hebraicarum originatione & ſignificatione conantur conciliare, אורים a verbo ירה, & תמים a verbo אמן derivando: in hac enim Verſione non Verba & literam, ſed ſenſum reſpexerunt, ut Interpretes etiam quidam alii: *ſecundo*, ex hac Interpretatione colligunt & concludunt; *Quia Pontifex V. T. in Pectorali habuit Doctrinam & Veritatem; Ergo Pontificem Novi Teſtamenti, cum totam Eccleſiam docet, in his quæ ad fidem pertinent nullo caſu errare poſſe*. At 1. quomodo probabunt, a Pontifice V. T. ad Pontificem N. T. procedere argumentationem? 2. quomodo probabunt, Pontificem V. T. per Urim & Thummim docuiſſe populum Iſraeliticum ea, quæ ad fidem pertinent? & illorum virtute in his errare non potuiſſe? quod Bellarminus contendit, lib. 4. de Pontif. Rom. cap. 3. Ad alium uſum ſpectavit hoc Oraculum, ut in progreſſu videbimus.

Sic ergo Nomina iſta URIM & THUMMIM, Δῆλος καὶ Ἀλήθεια, ſignificatione ſua docent, quid fuerint *effective*; incertum vero adhuc manet, quid fuerint materialiter.

Variæ ea de re ſunt Authorum & Interpretum ſententiæ, etiam apud Hebræos.

Primo ſunt, qui volunt fuiſſe Scripturam vel Sculpturam Nominis Tetragrammati יהוה cum certis quibuſdam ejus per alia itidem Nomina Divina expoſitionibus, quas Moſes vel a Deo ipſo ſcriptas, vel lapidibus inſculptas acceperit, vel ipſe, ex Divina revelatione, ſcripſerit, & duplicationi Pectoralis inſeruerit.

Antiquiſſimam hujus ſententiæ mentionem invenio in libro Zohar, & Targum Jonathanis in Legem.

In libro Zohar in Exod. fol. 105. col. 4. edit. Cremonenſis dicitur; fuiſſe Nomina Dei ſancta, Quadraginta duarum, & Septuaginta duarum literarum. Verba ſunt: את האורים רזא דאספקלריא דנהרא ודא איהו גליפו דאתוון דשמא קדישא ברזא דארבעין ותרין דבהו אתברו עלמין דהוו משקעין ביה ואת התומים רזא דאינון אתוון דכלילן באתר דאספקלריא דלא נהרא ואיהו אתנהגא בשבעין ותרין אתוון גליפן דאיהו רזא דשמא קדישא וכולהו אקרון אורים ותומים וכו׳: h. e. URIM *ſunt Secretum Specularis lucentis, & hoc eſt Sculptura literarum Nominis illius ſancti per myſterium Quadraginta duarum literarum, quibus creati ſunt mundi, quæque impreſſæ fuerunt in eo:* THUMMIM *ſunt ſecretum illarum literarum, quæ comprehenſæ fuerunt in loco Speculi non lucentis, & hoc conſtabat Septuaginta duabus literis, ſculpturis illius Nominis Dei ſancti myſtici. Et omnia hæc vocantur* URIM & THUMMIM.

In Jonathanis Paraphraſi Exod. 28. 30. בהון חקיק ומפרש שמא רבא וקדישא דביה אתברייין תלת מאה ועשרתי עלמיא וחקיק ומפרש באבן שתייה דביה חתם מארי עלמא פום תהומא רבא מן שרוייא יכל מאן דמדכר ההוא שמא קדישא בשעת אניקי אשתיזיב וטמירן מגליין *In eis inſculptum erat & expoſitum Nomen illud Dei magnum & ſanctum, quo creati ſunt trecenti & decem mundi vel ſæcula, quodque ſculptum & expoſitum quoque erat in Lapide fundationis, per* quem

quem Dominus Mundi obsignavit ostium Abyssi magnæ a principio: Quisquis profert illud Nomen sanctum tempore calamitatis, liberatur, & occulta per illud revelantur.

Hinc videntur recentiores desumpsisse, qui hanc sententiam sunt professi, & magna ex parte sequuti.

R. Salomon: הוא כתב שם המפורש שהיה נותנו בתוך כפלי החשן שעל ידו הוא מאיר דבריו ומתמים את דבריו ועל שם אותו הכתב הוא קרוי משפט שנאמר ושאל לו במשפט האורים h. e. *Urim & Thummim sunt Scriptura Nominis Tetragrammati, quam Moses indidit intra duplicationem Pectoralis: vi enim & virtute illius declarabat & perficiebat verba sua. Et propter illam Scripturam vocatur* משפט Judicium, *sicut dicitur*; Et interrogabit eum per Judicium Urim, Num. 27. 21.

Baal hatturim notat, has voces את האורים ואת התומים per Gematriam facere & idem valere, quod שם של שבעים ושתים *Nomen septuaginta duarum*; sc. literarum. Idem adducit Racanati sub nomine R. Eliesaris.

Sic R. Moses bar Nachman vult fuisse Nomina Dei sancta duplicia. Per priora, quæ אורים dicebantur, Sacerdotem, qui ea consulebat, illuminatum fuisse confusa aliqua notitia rei interrogatæ; per altera vero, quæ תומים dicebantur, certiori notitia imbutum, ut mentem & sensum simul perciperet.

Eandem sententiam amplexi sunt R. Bechai sect. פנחס fol. 183. col. 2. R. Isaac Aramah, Elias Misrachi, Abarbenel, & major pars Interpretum. Unde R. Abraham Seba, Hispanus, in Tzeror hammor scribit: ורוב החכמים המקובלים הסכימו שהם שמות קדושים *Major pars Sapientum Cabalisticorum consentiunt, quod fuerint Nomina Sancta.*

Neque ab ea alienus fuit R. Levi ben Gerson, ita scribens: *Quia Moses post insertos Pectorali lapides pretiosos, jubetur eidem indere Urim & Thummim, hoc facit nos credere*, כי האורים והתומים היה דבר נתן אותו משה אל חשן המשפט באופן שנתן העדות על הארון כמו שנאמר ונתת אל הארון את העדות וידמה שהאורים והתומים היה דבר שלא היה בעשייתו אומנות יצטרך שיעשה אותו איש אחר זולת משה וידמה שהיה ענינם ידוע מצד הוראת הגדר ולזה אמרו קצת הקודמים שהיו שם כתבי שם המפורש וזאת הכתיבה עשה אותה משה וזה דבר נאות מאד לפי מה שאחשוב ר״ל שיהיו האורי׳ והתומים דבר נכתב נתן בתוך החשן ולזה היה החשן כפול וכו׳ *quod Urim & Thummim fuerint quidpiam, quod Moses pectorali indidit, ad eum modum quo Tabulas indidit in arcam, quia utrinque eadem phrasis* ונתת אל *adhibetur. Videtur etiam fuisse aliquid ad cujus factionem nullo alio opus fuerit artifice, qui illa faciat, præter Mosen solum; quod item ex ratione circumstantiarum constiterit, quid fuerint. Hinc quidam priscorum dixerunt, fuisse Scripturam Nominis Tetragrammati, quam Moses fecerit. Et hæc sententia valde plausibilis est, ut mihi quidem videtur; volo dicere, quod Urim & Thummim fuerint res aliqua scripta, & indita pectorali; hanc enim ob causam duplicatum erat* &c.

Huc videtur referendum, quod R. Asarias in מאור עינים cap. 46. refert, se audisse nomine R. Obadiæ de Saphorno; *in Pectorali seu Rationali fuisse duo Nomina, quorum Unum si inspexerit Sacerdos summus, quod erat* אורים Urim, *luxisse literas, e quibus Responsum constiterit; quia vero conjunctio & combinatio illarum literarum varie fieri potuerit, ideo illum postea inspexisse Nomen alterum, quod erat* תומים Thummim, *& hoc literas perfecisse, intellectumque ejus plene illustrasse, ut sciret rationem literas illas conjungendi & disponendi prout requirebatur ad Responsum eliciendum.* Urim *hoc fuisse simile Oraculis illis Ethnicorum, e quibus res futuras cognoverunt, & Israelitis concessum,* להבדיל בין קדש לחול ובין טמא לטהור *ut discrimen esset inter Sanctum & prophanum, & inter mundum & immundum.*

De his Nominibus Sacris, eorumque virtute multa passim scribunt. Videantur de iis Petrus Galatinus in Arcanis Catholicæ veritatis, Raymundus Martini in Pugione fidei, Reuchlinus de Arte Cabalistica, Lexicon Hebr. Patris mei in Nomine יהוה.

Nachmanides; *Quod fuerint Scriptura Nominis Tetragrammati, ejus probatio inde petitur*, 1. *quia nulla omnino fit* τῶν *Urim & Thummim inter opera artificum, & quidem neque in mandato, neque in ejus exequutione mentio: ut; expresse dicitur de Vestimentis*; Et fecit Ephod: Et fecit Choschen; *sed non dicitur*; Et fecit Urim & Thummim. *Quod si opus artificis fuissent, sine dubio prolixius de illis, quam de ullo alio Ormamento, disseruisset, aut, si brevius de iis loqui voluisset, dixisset saltem*; Et facies Urim & Thummim, quemadmodum tibi ostensum est in monte: ex auro puro, vel, ex argento facies ea: 2. *Obsevandum & hoc, quod nullius Vestimenti vel Instrumenti meminerit*

rit cum He hajediah seu emphatico, cujus antea non aliqua fuit facta mentio, sed dicit simpliciter; ועשו ארון (Et facient Arcam:) ועשית שלחן (Et facies mensam:) ועשית מנורה (Et facies Candelabrum,) *& sic de reliquis. De Tabernaculo dicit* ואת המשכן תעשה *Et facies Tabernaculum illud;* (cum He emphatico;) *quia jam antea illius mentionem fecerat, quando dixit;* ועשו לי מקדש Et facient mihi Sanctuarium. *De Urim & Thummim autem statim dicit* ad Mosen; Et indes in pectorale judicii את האורים ואת התומים *Tà* Urim, & *Tà* Thummim, *cum He emphatico sine mandato de iis faciendis; neque cujusquam alius mentionem facit quam Mosis solius, tam in præcepto* quando dicit; Et indes in pectorale judicii; *quam in ejus exequutione;* Et indidit (*Moses*) in pectorale *Tà* Urim & *Tà* Thummim. *Quare? quia non fuerunt opus artificis, neque vel opifices ad illorum factionem, vel Ecclesia ad illa quicquam de suo* [ut ad reliqua] *contulit,* אבל הם סוד מסור למשה מפי הגבורה והוא כתבם בקרושה והיו מעשה שמים ולכן יזכירם סתם בידיעה *sed fuerunt Secretum quod traditum fuit Mosi ex ore ipsius Dei, & ille scripsit ea cum summa sanctitate, fueruntque opus cœlorum, h. e. Divinum. Et hanc ob causam mentionem illorum facit absolutam cum He emphatico, sicut illic,* וישכן מקדם לגן עדן את הכרובים Et collocavit ad orientem horti Edenis τὸς Cherubim, Genes. 3. 24.

3. *Præterea accepit Moses Scripturam τῶν Urim & Thummim, eaque indidit intra pectorale judicii, posteaquam amicivisset Aharonem Superhumerali & Pectorali, sicut dicitur;* Et posuit super eum Ephod, cinxitque eum cingulo τῷ Ephod, & posuit super ipsum Pectorale, & indidit Pectorali τὰ Urim & Thummim, Levit. 8. v. 7. 8. *postea demum enim indidit ea inter duplicationem pectoralis; quia fuerunt Nomina Sancta, quorum virtute lucebant lapides pectoralis* &c.

In eundem sensum scribit R. Bechaj fol. mihi 106. col. 2. Abarbenel f. 199. col. 4.

Huc referri potest Cabalistarum quorundam sententia, cujus mentionem facit Abarbenel fol. 200. col. 2. qui observant, Nomen Dei Tetragrammaton יהוה duodecim variationes admittere per literarum transpositiones, quæ omnes eandem significationem Essendi retineant, sine ulla mutatione, ad docendum de Essentiæ Divinæ unitate & Immutabilitate, juxta illud; אני יהוה לא שניתי *Ego* יהיה *non mutor*, Malach. 3. ac proinde quoque ejusdem sint sanctitatis. Hæc duodecim Nomina Divina ab interiore XII. pectoralis gemmarum parte fuisse iis insculpta; ita ut quemadmodum ab exteriori parte nomen Tribus, ita in parte aversa Nomen quodpiam Dei insculptum fuerit, cujusque Tribus quasi signaculum & sigillum: & horum virtute, quando Sacerdos summus per ea interrogabat, & Lapides insolitum fulgorem emisisse, & Animum Sacerdotis illuminatum fuisse. Duodecim ista Nomina hoc modo se habent:

יהוה יההו יוהה
הוהי הויה ההיו
והיה וההי ויהה
היהו היוה ההוי

Et hæc eadem volunt quidam esse Nomen 12. literarum, per quod Nomen יהוה exponatur. De his videri potest ex Hebræis liber שערי אורה mihi fol. 58. col. 1. שערי צדק R. Joseph Carnitolis; Reuchlinus item de Arte cabal. lib. 3.

Et sic est Prima sententia, eorum qui volunt Urim & Thummim fuisse Nomina certa Divina, seu scripta, seu sculpta, duplicationi pectoralis indita. Rationes illorum huc redeunt.

1. quod horum Urim & Thummim materia, forma, & fabrica, non describatur in Mandato Mosi de iis dato, ut cæterorum vestimentorum, & vasorum sacrorum ad Tabernaculum pertinentium; sed simpliciter jubeatur Moses *ea indere intra pectorale*; Hinc arguunt fuisse aliquid Divini & mystici.

2. quod Exod. 39. ubi omnium Vestimentorum sacrorum confectio describitur, mentio quidem fiat Superhumeralis & Pectoralis; nulla autem τῶν Urim & Thummim. Hinc concludunt, non fuisse aliquid manu & opera seu industria humana factum.

3. quod in Mandato Divino eorum mentio statim fiat cum præfixo articulo הא הידיעה He emphatico; cum tamen nullibi antea eorum meminisset, quod nuspiam in reliquis vestimentis vel vasis describendis factum sit. Id volunt factum propter divinam illorum excellentiam & præstantiam.

4. quod Mandatum de illis directum fuerit ad Mosen tantum, non simul ad Artifices, ut cætera.

5. quod Scriptura docere videatur, Urim & Thummim indita fuisse pecta-

ctorali a Mose, posteaquam accinxisset Aharonem Humerali & Pectorali.

6. quod ideo duplicatum fuerit Pectorale, ut ei aliquid mystici indi posset, & inseri. Unde fortassis & D. Hieronymus scripsit; Hoc autem Pectorale duplex est; Apertum & Absconditum, simplex & Mysticum.

Secundo sunt alii, qui existimant, Urim & Thummim nihil aliud fuisse, quam illas ipsas XII. Gemmas, cum inscriptis duodecim Phylarcharum nominibus; ut in illo versu, ubi Mandatum datur Mosi de indendis Urim & Thummim, non aliquid novi mandetur, sed duntaxat repetitio atque ulterior inculcatio præcedentium, contineatur.

Hinc scribit Abarbanel: וכבר חשבו מהחכמים שהאבנים ההלה שהיו כתובים בהם שמות בני ישראל הם עצמם היו נקראים אורים ותומים מפני שהיו מאירים את דבריהם ומתמימים תשובותיהם *Quidam ex Sapientibus existimarunt, Lapides illos ipsos, quibus inscripta fuerunt Nomina filiorum Israelis, vocari Urim & Thummim; eo quod illuminarint verba sua, & perfecerint responsa sua* (h. e. quod Luce ex illis radiante verba & responsa ederentur.)

Hanc sententiam ex Hebræis diserte tuetur R. Azarias in Meor enajim cap. 50. satis prolixe, cujus verba huc transferemus, Sic ergo ille: האמנה ברבר האורים ותומים על מנת שלא יהיו דברי נגד שום אמרת אלוה צרופה בכתב או על פה ואחרי הכנעי לכל דעת יתר צודק *Quod ad Urim & Thummim attinet, præfatus, me non cupere contradicere cuiquam eloquio Dei seu scripto seu oraliter tradito, & locum daturum omni meliori sententiæ, dico, cum non satis mihi liqueat & constet, quod fuerint Scripturæ Nominis Tetragrammati, sicut R. Salomon voluit; idque propter difficultatem seu scrupulum quem movi cap. 46.* (quia sc. Urim & Thummim non fuerunt in Templo secundo, sub quo probat illos novisse adhuc pronuntiationem Nominis Tetragrammati; unde ibi concludit; Cum hoc Nomen ipsis adhuc fuerit notum, quare non fecerunt etiam cum reliquis vestimentis Sacris Urim & Thummim? & cur non scripserunt & indiderunt illud intra duplicationem pectoralis?) ייטב מאד בעיני להאמין היותם אבני החושן עצמם נתונות בין כפליו *Valde credibile mihi videtur, fuisse Lapides Pectoralis ipsos, inditos intra duplicationes ejus. Movet me ad hanc sententiam: primo quod Lapides illi vocantur* אבני מלואים Lapides impletionum, *quia fuerunt:* ממלאות את החושן implentes *pectorale*.

R. Salomon vult eos dici sic, שהן ממלאות המשבצות *quod impleverint palas seu fundas*.

Atqui etiam Lapides Schoham (duo, qui fuerunt in אפוד seu superhumerali) *id faciebant: deinde, tam in præcepto quam ejus impletione de lapidibus bis duobus usurpatur præpositio* על, super humeralibus τȣ̃ Ephod; *ad docendum, quod exterius positi fuerint; at cum de Lapidibus Pectoralis sermo est, semper adhibetur præpositio* ב, vel אל; *ut*; Exod. 28. 17. ומלאת בו *Et implebis in eo*: cap. 39. 10. וימלאו בו *Et impleverunt in eo*: cap. 28. 30. ונתת אל החשן Levit. 8. 8. ויתן אל החשן; *quæ significant ut in hoc*, ואל הארן תתן את הערת Et in Arcam indes Testimonium, Exod. 25. 21. Sic ונשא אהרן את שמות וגו' בחושן *Et feret Aharon nomina filiorum Israel in pectorali*, v. 29. *Quod hic subjungitur*, על לבו super cor suum; *id dicitur ad significandum, quod debeant esse abscondita*.

Præterea Exod. cap. 39. ubi plura particularia recensentur, posteaquam dixisset Moses; Et impleverunt in eo quatuor ordines lapidum, v. 10. *nullam mentionem facit Urim & Thummim. Vice versa Levit. 8. ubi meminit τῶν Urim & Thummim, silentio præterit Lapides, quando v. 8.* Et superimposuit ei pectorale, posuitque in pectorali Urim & Thummim.

Repetitio seu iteratio, quæ occurrit Exodi 28. dum scilicet, posteaquam dixisset ab initio; Et implebis in eo impletione lapidum quatuor ordines, &c. *in fine iterum v. 30. ait & scribit*; Et pones in pectorale judicii Urim & Thummim; *facta ea est propter id quod sequitur & additur*; והיו על לב אהרן Et erunt super cor Aharonis. *Non ignoras, eodem modo repeti præceptum de annulis Arcæ, Exod. 25. & quid R. Salomon illic scribat. Ad hæc fieri potest, ut hæc repetitio inserviat ad docendum, quod præceptum versus 17. de inserendis pectorali lapidibus, impleri & perfici demum debuerit, posteaquam totus ille Ornatus esset factus & Aharoni applicatus. Et sic videtur quoque reipsa observatum fuisse, ex Levit. 8. 8. ubi primo dicitur*; Et imposuit ei pectorale; *deinde*; Et posuit in pectorale Urim & Thummim. ומזה שהוסיף לי חזוק ברעת הזה *Quod autem me omnium maxime in hac sententia confirmat; quod videlicet Urim & Thummim sint ipsi Lapides: est, quod videam verba Mosis Majemonidis, quæ sunt*

ſunt mihi inſtar multorum, in eam quoque inclinare. Nam in lib. de Vaſis Sanctuari cap. 9. ubi locus eſt agendi de omni opere Veſtimentorum Sacrorum, de Pectorali agens, ſcribit §. 6. וקובע בו ארבעה טורים של אבן Et inſerit ei quatuor ordines lapidum &c. *de Urim & Thummim ne gry quidem. Sic cap.* 10. *ubi non fuit locus agendi de forma Veſtimentorum, quia de illis jam docuit cap. præced. 9. ſcribit:* עשו בבית שני אורים ותומים Fecerunt in Templo ſecundo Urim & Thummim, ut perficerent octo veſtimenta Sacerdotalia etiamſi per ea non interrogarent. *Non enim poteſt dici, illum hic intelligere aliquid novi vel aliud, quam præcedente capite dixit; ſed iis addit hic, quod Viri Templi ſecundi fecerint Urim & Thummim ad complendum numerum Veſtimentorum, etiamſi per illa non interrogarent.*

Ad hæc, novimus, Reſponſum eſſe ex Lapidibus & Literis illorum; Lapides item illos pretioſos vocatos eſſe אורים URIM, *non ſolum propter multitudinem Ur ſeu Lucis naturalis quæ ex illorum omnium conjunctione emicabat; ſed etiam propter Lucem Divinam, quæ ex illis effulſit tempore beneplaciti;* THUMMIM *autem, quaſi* תומים THOMIM Gemelli, *quia & quantitate erant æquales, & æſtimatione ſeu pretio, & nomina tribuum æqualiter illic, ſuo quæque ordine, erant exarata coram Deo noſtro; inprimis autem quia, ut Rabbini noſtri ſcripſerunt, illuminabant & perficiebant verba illorum. Quamvis principale illorum Nomen videatur fuiſſe* URIM, *juxta illud;* Et interrogabit eum per judicium URIM.

Quid contra hæc objici vel excipi poſſit, ego non video. Quantumvis enim dicamus, Lapides iſtos abſconditos fuiſſe in Duplicationem Pectoralis; annon tempore Reſponſi dandi potuerunt eminere, lucere, & conjungi? כי אפילו מחיצה של ברזל אינה מפסקה *nam ne murus quidem ferreus hic intercedere potuiſſet aut impedimentum afferre; maxime ſi Reſponſum vocale datum fuit, uti traditur in Talmud Hieroſol. Joma cap. 7. Et quis ſcit, annon textura Pectoralis fuerit facta cum certis inter ſingula fila ſpatiis, ita ut Lux illorum penetrare potuerit?*

Et quicquid ſit, ſi maxime largiamur Lapides non fuiſſe intra duplicationes pectoralis, ſed ſuper eo (extrinſecus) *ut alii volunt, annon etiam hac ratione poteſt appellatio* URIM & THUMMIM *attribui ipſis Lapidibus, & illorum literis?* Hactenus ille.

Præter hunc hactenus ex Hebræorum Interpretibus nullum reperi, qui eam ſententiam diſerte ſit amplexus, quamvis ejus mentionem faciant: Rationum ejus momenta huc redeunt.

1. quod Lapides iſti fuerint inditi intra pectorale, & illius duplicationem repleverint, unde *Lapides impletionum* vocentur.

2. quod Moſes Exod. 39. accurate omnia veſtimenta deſcribens, Pectoralis quidem, ſed Urim & Thummim nullam mentionem faciat: iterum Lev. 8. ubi Urim & Thummim meminit, nihil de duodecim illis lapidibus dicat.

3. quod omnes fateantur, Reſponſum per Urim & Thummim datum è Lapidibus illis duodecim egreſſum eſſe, & quidem per Lucem ex illis promicantem, unde אורים Luces dicti ſint, q. אבני אורים *Lapides lucentes*.

4. Authoritas Moſis Majemonidis, qui in hac ſententiam inclinare videatur.

5. Addunt alii: Cum Moſes magna religione & accuratione in deſcribenda Veſtimentorum ſacrorum materia & forma verſatus fuerit, illum procul dubio pluribus etiam deſcripturum fuiſſe Urim & Thummim, ſi aliud, quam 12. pectoralis gemmas, per illa intellexiſſet.

6. quod ה hajediah doceat, agi hic de re nota, & cujus jam facta fuerit mentio.

Ita tamen proponit R. Aſarias ſuam ſententiam ut liberum cuique judicium relinquat: סוף דבר מעולם לא אמרתי אל הקוראים קבלו דעתי רק ברצון איש מן המשכילים באמרת ובפרט הנני מסכים לדבר הכוזר מאמר ג' שאם היינו מצווים עתה להקריב קרבנות לא ידענו הבגדים ומתכונתם וכו' *Summa*, inquit, *nunquam dixi Lectoribus meis, Acceptate ſententiam meam, ſed liberum relinquo judicium omnibus intelligentibus veritatem: & inprimis ſubſcribo authori libri Coſri par. 3. ſcribenti;* Si hodie juberemur offerre oblationes, ignoraremus formam & rationem veſtimentorum &c.

Tertio ſunt, quibus neutra harum duarum ſententiarum placet, ſed ſimpliciter volunt rem incertam & ignotam eſſe.

Sic ſcribit R. David Kimchi in libro Schoraſchim, לא נתברר אצלנו מה הם האורים ואת התומים *Non conſtat nobis, quid fuerint Urim & Thummim. Ex Scriptura videtur colligi, non fuiſſe Lapides pectoralis. Rabbi Salomon vult, fuiſſe Nomen Dei Tetragrammaton inditum duplicationi pectoralis;* ולא נודע האמת *non tamen ſcitur, an hoc verum ſit.*

R. Abra-

R. Abraham Seba in Tzeror hammor ſect. תצוה ſcribit: אנחנו לא ידענו מה הם *Neſcimus quid fuerint; an ſcriptura aliqua Divina* (a Deo ſc. ipſo ſcripta, & Moſi data,) *an Nomina Sancta, an quatuor illi ordines lapidum pectoralis.*

Aben Eſra dubitanter hac de re loquitur quoque, & multos nectit ſcrupulos, inter alia tamen ſcribit, לא ידענו מה הם *Neſcimus, quid fuerint!* Ejus verba de his Latine; in gratiam φιλοραββίνων hic reddam, quia locus ſatis eſt obſcurus: Ad verſum ergo 8. cap. 28. Exod. ita ſcribit: *Graves quæſtiones ſeu difficuldates incidunt de Ephod & Choſchen. Nam* primo, *Moſes non fecit niſi Ephod unum: Scriptura autem videtur docere, fuiſſe plura, veluti* I. *Sam.* 23. *v.* 6. Fuit autem cum fugeret Abijathar filius Achimelech, ad Davidem in Kehilah, אפוד ירד בידו Ephod deſcendit in manu ejus. (Hoc enim non videtur fuiſſe Ephod Moſis, quia non dicitur האפוד cum He hajediah:) *præterea quare dicitur* ירד Deſcendit, *non*, הוריד Detulit in manu ſua? (Videtur enim hoc innuere, quod accidentale quid fuerit.) *Sic.* I. *Sam.* 22. *v.* 18. ſcribitur; Et interfecit die illa octoaginta & quinque viros, נושא אפוד בד ferentes Ephod byſſinum; *Multi interpretum hoc ita exponunt;* quod fuerint digni ad ferendum Ephod; *ſed non adverterunt, quod de* Ephod bad h. e. lineo *hic ſit ſermo: Ephod vero Moſes fecerit ex auro, hyacinthino, purpura, coccineo dibapho, & byſſino. At qui non interrogabant, niſi cum Pectorali judicii ſimul, in quo fuerunt Urim & Thummim: præterea non interrogabant per ea, niſi coram Domino, nempe ante Arcam, ſicut dicitur;* Et interrogabit eum de judicio Urim coram Domino, Num. 27. 21. *Neque objici hic poteſt id quod* I. *Sam.* 23. *v.* 9. *dicitur*, הגישה האפד Aplica Ephod (*nulla ſc. mentione facta* τȣ *Choſchen & Urim:*) *nam Choſchen perpetuo cohærebat cum eo, & Urim cum Choſchen. Hinc dicitur;* Donec exſtiterit Sacerdos cum Urim & Thummim (nulla ſc. mentione facta τȣ Ephod & Choſchen, quia perpetuo hæc conjuncta fuerunt; *Item* Urim & Thummim tua, Deuter. 33. *Præterea videmus, Deum reſpondiſſe per Ephod Abjatharis.* Sic Saul egrediens in bellum, interrogavit per Urim, I. Sam. 28. *ubi intelliguntur ea, quæ fuerunt in Choſchen ſeu pectorali judicii cum Ephod, & Arca.* Et David interrogavit in Tziklag per Ephod Abijatharis, quod non fuit Ephod Moſis, I. Sam. 30. Secundo *alia gravior hic emergit quæſtio* (quid ſc. fuerint Urim & Thummim;) *Nam Urim non fuerunt Lapides ipſius pectoralis: de his enim ſcriptum eſt;* Et implebis in eo impletionem lapidum; *& hi fuerunt opus artificis, non Moſis; & poſtea demum dicitur Moſi;* Et pones in pectorali judicii Urim & Thummim. *Deinde de iiſdem lapidibus jubetur quatuor eorum Ordines facere; de his vero;* Et impoſuit ei Moſes pectorale, & in pectorali poſuit Urim & Thummim. *Ad hæc, juxta ſenſum literalem, non Lapides illuminabant & perficiebant* (reſponſa:) *Interrogatio enim fiebat per Urim & Thummim,* והנה לא ידענו מה הם *quæ quid fuerint, ignoramus. Inſuper, nihil hic prodeſſe potuerunt Nomina Tribuum, vel patriarcharum: quia Pectorale* judicii *vocatur propter Urim, quæ in eo fuerunt.* Tertio *alia reſtat quæſtio;* (Num ſc. Urim & Thummim una & eadem res fuerint? *Nam non poſſumus dicere, quod Urim fuerint ipſa Thummim diſtincte enim de iis ſcribitur,* לאורים ולתומים Eſræ 2. 63. *Et quia Urim & Thummim vocantur numero plurali, colligimus, rem non unam, ſed multiplicem fuiſſe. Rabbi Salomon ſcripſit, fuiſſe Nomen Dei Tetragrammaton cum ſuis expoſitionibus. Quod ſi vero Reſponſionem Rabbenu Hai, hoc non dixiſſet. Myſterium magnum eſt negotium Ephod & Choſchen, cujus partem duntaxat aliquam ſtrictim attingo; ſi forte illud intelligat, qui Scientiam habet excelſi, & inde portam inveniat, in ipſum myſterium penetrandi* &c. Et mox: *Choſchen ſeu Pectorale fuit duplicatum, quia ibi fuerunt Urim & Thummim cuſtodita, uſque dum iis opus eſſet: Tum enim illa extra pectorale ponebant. Lapides Schoam, ſeu Onyches duo in humeris Sacerdotis, ejuſdem erant generis & coloris: ſecus Lapides pectoralis: nam Onyches illi duntaxat inſerviebant* לזכרון *pro memoriali: propter judicium autem filiorum Iſrael, lapides Pectoralis. Porro vox* אורים *eſt a Nomine* אור, *quod ita in ſingulari numero legitur Eſa.* 44. 16. *&* תומים *ſic dicebantur, quia fuerunt* תמימים perfecta: *neque Urim erant ipſa Thummim: Ex auro & argento fuerunt. Numerus eorum* (quot numero res fuerit) ידוע בראיות גמורים מהעליון והשפל *ſciri poteſt per rationes certas a* [mundo] *ſuperiori & inferiori. Sapiens intelliget. Fuerunt autem Ephod multa penes Sacerdotes, & cingulum quoque habebant, ſed non Pectorale, nec Urim & Thummim. Et qui exercitatus erat in agendis circa*

rã

τὰ Urim & Thummim, quæ in pectorali judicii fuerunt, is poterat quoque respondere aliquo modo ex Ephod solo, sed non omni tempore. Quod si vero vellem patefacere totum hoc arcanum, in majorem molem excresceret, quam universus hic meus commentarius. Non enim potest ea intelligere, מי שלא למד ספר המדות וסוד מלאכת שמים *qui non didicit Geometriam vel Arithmethicam, & Astronomiam.* Hæc ille. Dicit quidem diserte satis, quid suo judicio non fuerint, quid vero fuerint, ego ex ejus verbis non possum eruere:

R. Asarias cap. 46. fol. 150. col. 1. scribit; ראע׳ נטה בבאורם לדברי אצטגנינות ככלי האסטרולביאו *Aben Esra inclinat circa explicationem illorum ad Astrologica, quasi tale aliquod instrumentum fuerint.* Et Rambam: סבר ר״א להתחכם בענין האורים והתומים ואמר כי הם מעשה אומן כסף וזהב והאריך בענינם כי חשב שהם על הצורות שיעשו בעלי הכוכבים לדעת מחשבת השואל ולא אמר כלום *Existimavit Aben Esra, se sapientiam magnam ostentaturum de Urim & Thummim, & dixit, fuisse opus aurifabri vel argentifabri, prolixusque est in explicatione illorum: nam existimavit fuisse simile quid illis figuris seu instrumentis quæ faciunt Astrologi, ad sciendum cogitationem ejus qui interrogat. Sed nihil quicquam dixit.* Item; *Quod dicit*; Si R. Salomon vidisset responsionem Rabbenu Haji, non ita scripsisset; *nos eam vidimus & expendimus*, וידענו כי דעת ר״א לא נתכון אליה *& scimus, sententiam Aben Esræ ei non esse ei comparandam.*

Et sic sunt Hebræorum Interpretum sententiæ.

Ex reliquis Scriptoribus magna pars secundam sententiam amplectitur: alii alia sequuntur vel excogitant. Videamus aliquos.

Flavius Josephus Antiquit. Judaicar. lib. 3. cap. 8. Pontificalem ornatum, & in specie *Ephod* & *Choschen* describens, tantum Gemmarum, nullam Urim & Thummim facit mentionem. Cap. 9. ubi de responsis e Pectorali datis agit, iterum Gemmarum tantum meminit. Lib. 8. cap. 2. ubi de Templi Salomonici apparatu agit; *Paratæ erant*, inquit, *& Sacerdotales vestes, in usum Pontificum, annumeratis talaribus & epomidibus, atque logio* (Rationali seu Pectorali) *cum suis gemmis in universum mille.* E quibus videtur colligi, nihil peculiare vel distinctum a gemmis pectoralis illi fuisse Urim & Thummim.

Philo Judæus quid senserit, non satis clarum est. Lib. 3. de Vita Mosis, ubi de Veste Pontificali agit, de Gemmis pectoralis scribit: *In pectore quoque aliæ gemmæ spectabantur fulgentes variis coloribus, similes signaculis, ternæ quadruplici ordine. Hæ fuerunt insertæ Rationali quod vocant: id erat quadrangulum duplicatum, pro basi destinatum ferendis duabus Virtutibus,* Revelationi & Veritati (quomodo LXX. Gr. Urim & Thummim reddunt.) Et lib. 2. de Monarchia: *In pectorali* [summi Pontificis) *sunt gemmæ 12. eximiis coloribus, ternæ serie quadruplici, ad exemplar signiferi circuli &c. Cæterum tota hæc pars, in qua sitæ sunt, Rationale vocatur vero nomine, quoniam quicquid cœlo continetur, fabrefactum ornatumque est certis rationibus inter se congruentibus. Nam ibi nihil non sua ratione nititur. Id Rationale geminus textus variat, quorum alter* Claritas *appellatur, alter* Veritas, &c. Quid per *Geminum Textum* hic intelligat, obscurum.

D. Hieronymus in descriptione Pectoralis præterit Urim & Thummim: in explicatione vero mystica Vestimentorum sacrorum scribit: *Porro quod dicitur in ipso Rationali δήλωσις esse & ἀλήθεια, id est, Manifestatio, atque Doctrina, vel Veritas, hoc ipsum significat, quod nunquam in Dei ratione mendacium sit; sed & ipsa Veritas multis signis & argumentis monstretur hominibus, & usque ad mortales veniat.* Mens ejus videtur esse hæc; Ipsi Rationali duodecim gemmis ornato attribui duas has Virtutes, propter effecta quæ edidit per multivariarum illic gemmarum lucem, & rei interrogatæ certam & veram manifestationem; non quod præter ea, quæ commemoravit, aliquid ulterius ei inditum fuerit, sed quod illa ipsa hanc vim & virtutem ediderint. Hinc ait; *Porro quod dicitur in ipso Rationali* (prout sc. ille id descripsit) *δήλωσις esse & ἀλήθεια.*

D. Augustinus lib. 2. Quæstionum super Exodum cap. 116. Et impones super rationale judicii Demonstrationem & Veritatem) *Quid sibi hoc velit, vel in quali re, vel metallo poneretur super rationale Demonstratio & Veritas; quoniam talia dicis fieri in veste Sacerdotis, quæ corporaliter fiunt; invenire difficile est. Fabulantur tamen quidam, Lapidem fuisse, cujus color, sive ad adversa, sive ad prospera, mutaretur quando Sacerdos intrabat in Sancta, & hoc esse quod ait;* Et afferat Aharon judicia filiorum Israel super pectus suum; *osten-*

ostendens videlicet in illa Demonstratione & Veritate, quid de illis judicaverit Dominus. Quanquam possit intelligi, Demonstrationem & Veritatem literis impositam super λόγιον. His postremis verbis videtur innuere Verba quædam scripta seu sculpta τῷ λογίῳ imposita, qualia sunt Nomina Divina, quæ dicunt Hebræi. Unde colligo, fieri posse ut de hac sententia aliquid ipsi innotuerit.

D. Chrysostomus Orat. 4. contra Judæos: Πάλιν ἐπὶ τῶν λίθων τῶν ἐπὶ τοῦ στήθους τοῦ ἀρχιερέως, ὅπερ ἐκάλουν Δήλωσιν, ἐγίνετό τις ἔλλαμψις, καὶ τὰ μέλλοντα ἐσήμαινε; *Rursus e lapidibus qui erant in pectore summi Sacerdotis, quod vocabant Declarationem, relucebat fulgor quidam futura significans.* Ille videtur sensisse Lapides ipsos pectoralis esse Declarationem seu Δήλωσιν, quam LXX. vocant. Et in eadem Oratione, ubi de Aharone agit vestibus Sacris a Mose induto; Ἐπέθηκε τὴν ἐπωμίδα, ἔζωσεν αὐτὸν καὶ συνέσφιγξεν, ἐπέθηκε τὸ λόγιον, καὶ ἐπὶ τὸ λόγιον τὴν Δήλωσιν καὶ Ἀλήθειαν. h. e. *Imposuit ei humerale, præcinxit illum ac substrinxit* (cingulo humeralis) *imposuit Rationale, imposuit Declarationem & Veritatem.* Hic omnino putarim illum *Declarationem & Veritatem* vocare ipsos Lapides pectoralis ab effectu, cujus antea mentionem fecit.

Recentiorum Interpretum *non pauci* secundam sententiam amplectuntur, quod nihil aliud intelligatur per Urim & Thummim, quam Lapides XII. pectoralis. Quam sententiam eleganter, & iisdem fere rationibus, quibus Rabbi Asarias, tuetur Joh. Brentius Comment. in Exodum, cujus verba adducit Paulus Fagius, Comment. in Paraphrasin Chaldaicam Exod. 28. authore quidem non expresso, sed hoc elogio notato; *Est præterea alius quidam hac nostra tempestate author non malus, qui in hunc locum ita scribit* &c. Franc. Vatablus item in suis Notis. *Alii* tanquam rem incertam, & in Scriptura non diserte explicatam, in medio relinquunt: vel in hoc acquiescunt, quod fuerit aliquid, quod Moses immediate a Deo, ut Tabulas Legis, acceperit, & pectorali indiderit. Et certe difficile est definire quod Scriptura, procul dubio non sine certo consilio, reticuit. Sufficiat scire, fuisse quædam Symbola extraordinaria, per quæ Deus Sacerdoti summo, ex singulari & præsentissima Spiritus S. revelatione, voluntatem suam de rebus rite quæsitis, patefaciebat.

CAPUT III.

Quo modo Interrogatio per Urim & Thummim facta fuerit?

Circa modum & rationem ea consulendi, quatuor veniunt consideranda; 1. *Qualitas Consulentis*, 2. *Qualitas Interrogationis*, 4. *Modus interrogandi*.

I. *Qualitas Consulentis.* De hoc tradunt, requiri ut sit vel Rex, vel Pater domus judicii, h. e. Præses consistorii vel ordinis Senatorii, aut Persona alia publica in eminenti dignitate constituta, & Populo necessaria, ne authoritas Divini oraculi evilesceret, & in abusum traheretur.

In Talmud Joma cap. 7. in Mischna: אין נשאלין אלא למלך ולאב בית דין ולמי שהצבור צריך בו *Non consulebantur Urim & Thummim, nisi pro Rege, vel Patre domus judicii, vel alio quo Ecclesia opus habet.* Rabbi Ashu in Gemara fol. 73. col. 2. illud elicuit ex Num. 27. 21. ubi legitur; *Qui* (Josua) *coram Eleazare Sacerdote stabit, & interrogabit eum de judicio Urim coram Domino, ad verbum ejus egredientur, & ad verbum ejus ingredientur,* הוא וכל בני ישראל אתו וכל העדה *Ipse, & omnes filii Israel cum eo, & totus cœtus*; הוא *Ipse*, inquit, זה מלך hic est Rex; *Et totus Israel cum eo*; hic est Unctus ad Bellum, quem totus Israel in bellum sequuntur; *Et totus cœtus*; זה סנהדרין Hoc est totum Synedrium.

II. *Qualitas Interrogati.* Non quivis homo idoneus erat ad interrogandum, non etiam quivis Sacerdos poterat vestimentum hoc induere, & interrogare, sed solus הכהן גדול *Sacerdos summus*, שרוח הקדש שורה עליו *super quo Spiritus Sanctus habitabat*, seu, Spiritus Sancti extraordinario dono instructus, legitimeque ad suum officium vocatus & inauguratus. Etenim, hoc in casu scribunt, Sacerdotem, frustra consulentem Urim & Thummim, ceu indignum & illegitimum, fuisse ab officio remotum.

R. Levi ben Gerson: לפי שזה כולו היה להעיר הנבואה לא היו נשאלים באורים ותומים אלא לכהן שרוח הקדש שורה עליו *Quia totum hoc inserviebat ad excitandam Prophetiam; idcirco non consulebantur Urim & Thummim, nisi per Sacerdotem, super quo Spiritus S. habitat.*

In Talmud Joma in fine cap. 7. כל כהן שאינו מדבר ברוח הקדש ושכינה שורה

שורה עליו אין שואלין בו *Per nullum Sacerdotem consulunt ea, qui non loquitur per Spiritum Sanctum, & super quo præsentia Divina non habitat. Nam ecce de Tzadoko legimus quod interrogaverit, & responsum acceperit, de Abijathare, quod non acceperit*; sicut dicitur; Et ascendit Abijathar, donec finiret universus populus transire de civitate &c. 2. Sam. 15. 24. Ad hunc locum legitur in Seder olam cap. 14. *Cum fugeret David a facie Absalomi filii sui, Abijathar fungebatur Sacerdotio, usque dum ascenderet in montem olearum, & interrogasset per Urim & Thummim*, ונסתלק אביתר מן הכהונה *& remotus fuit Abjathar de Sacerdotio summo, suffectusque est in locum ejus Tzadok*; quia scil. literæ non fulgebant, & conjungebantur, vide R. Salom. in Talmud, & ad hunc locum Commentatores Hebræos.

Quod Sacerdotis summi tantum hoc munus fuerit, patet ex supra adductis locis Scripturæ, ubi ejus tantum fit mentio; tum etiam ex praxi observata; tum insuper ex hac ratione, quod solus Sacerdos summus Sanctum Sanctorum ingredi, & coram Arca ministrare, & cultum Sacrum peragere potuerit.

Abarbenel in Deuteron. sect. ברכה fol. 414. col. 1. probat id quoque ex eo quod ibi cap. 33. v. 8. Moses dicit ad Levi: תמיך ואוריך לאיש חסידך quibus verbis vult comprehendi votum ad Deum pro tribu Levi, in hunc sensum; יהי רצון שיהיו תמיד לאיש חסידך *Sint quæso Thummim & Urim tua perpetua Viro Sancto tuo?* & subindicari, Dignitatem hanc τῶν Urim & Thummim non fuisse ex donis & immunitatibus Sacerdotii, vel ex natura Sacerdotum, sed eam datam fuisse tribui Levi מפני זכות אהרן שהיה חסידם *propter meritum Aharonis*, qui fuit Sanctus ipsorum, & primus, quem hoc privilegio ornatum Deus voluit: itaque ad neminem illam pertinere, nisi ad eos qui in officio & sanctitate ipsi succedant: longe enim aliam fuisse horum rationem, quam Sacrificiorum & Oblationum; quia Urim & Thummim fuit Species Prophetiæ eximia, ideoque aliquid singulare, non cuivis Sacerdoti permissum & datum. Neque Urim & Thummim fuisse ex numero octo vestimentorum Summi Sacerdotis, inter quæ & חשן seu Pectorale erat; atque inde etiam Exod. 39. inter ea non connumerari, neque de eorum factione quicquam legi, sed aliquid quod superaddendum fuerit a solo Mose, & a nemine alio; ad indicandum, non Choschen seu Pectorale virtutem habere futura prædicendi, sed Urim & Thummim.

Sic est constans Hebræorum sententia. Itaque non possum hic assensum præbere eruditissimo Cunæo lib. 1. de Repub. Hebr. cap. 14. ubi vult arguere, *ex* 1. *Sam.* 30. *v.* 7. *Davidem Regem Amiculum sacrum Ephod sibi applicasse, & eo indutum, consuluisse Deum, an auspicato copias in hostes educturus esset*; idque tanta confidentia, ut *Interpretes, secus hunc locum explicantes, eum pervertisse scribat, qui hic dormitasse, aut aliud egisse videantur*; ac *Judices appellet, qui vel leviter has literas attigerunt*. At ignoscant mihi optimi, & dum viveret amicissimi viri, manes, si hic ab eo dissentire cogar. Hunc sensum, quem ipse spectat, 1. verba ipsa non necessario inferunt, הגישה לי non est, *Applica mihi*, sed, *Applica pro vel propter me, in mei gratiam*: 2. res ipsa non patitur. Officium hoc erat proprium Summi Sacerdotis, in quod absit ut dicamus, Regem Davidem turbulenta & præcipiti hujusmodi actione involasse, vel Sacerdotem summum id ei indulsisse. Frustra ille fingit, per Majestatis Regiæ eminentiam & plenipotentiam illum facere hoc potuisse: repugnat locus Num. 27. 21. unde Hebræi arguunt, *ipsum Regem per Sacerdotem summum consulentem Urim & Thummim, coram eo stare debuisse*. Majemon. in הלכות מלכים cap. 2. 3. Reclamant Interpretes Hebræi in universum omnes, & Christiani quoque plerique, qui, quod ibi narratur, a Davide modo consueto & ordinario, per Sacerdotem summum, factum esse volunt.

III. *Qualitas interogationis*. De hac scribit Abarbenel Exod. 28. & Deut. 33. צריך שתהיה השאלה עצה בדבר כולל לכל העם ולא ישאל על דבר פרטי לאיש מן האנשים *Requiritur, ut interogatio sit consilium, quod spectet negotium publicum totius populi, non de re particulari & privata alicujus, uti exponitur in agendis diei septimi Expiationum*. Idem sibi voluerunt Talmudici verbis modo allegatis. Nimirum non licuit Sacrum hoc Oraculum consulere de negotio privato, vel levi aliqua de causa, sed de rebus publicis, spectantibus ad totius Reipublicæ & populi salutem, ut bello ingruente, vel alia calamitate, ut fame, peste &c. urgente, uti exempla in Sacris literis consignata docent. Hinc Tribuum nomina Pectorali erant inserta,

ta, ut ſcirent, harum duntaxat cauſa hoc beneficium ipſis indultum eſſe.

R. Levi ben Gerſon: ולפי שמחשבתו לא שוטטה אלא בבני ישראל בכללם ולא היו נשאלים באחד אחד מהם לא בדברים הכוללים *Quia cogitatio Sacerdotis ſummi non occupabatur, niſi circa Iſraelitas in genere, ideo non conſulebantur a quoquam niſi in rebus communibus & publicis.*

Addunt etiam, *Non quærendum fuiſſe de duabus rebus ſimul, ſed tantum de una: aut, ſi id factum fuiſſet, ad unam tantum quæſtionem reſponſum factum eſſe; niſi tamen extraordinaria cauſa urgeret.*

De hoc ſcribunt in Talmud Babylonico, Joma cap. 7. f. 73. אין שואלין שני דברים כאחד ואם שאל אין מחזירין אלא אחד ואין מחזירין אלא ראשון וכו׳ ואם הוצרך הדבר לשנים מחזירין לו שנים שנאמר וישאל דוד בה׳ לאמר הארדוף אחרי הגדוד הזה האשיגנו ויאמר יי׳ אליו רדוף כי השג תשיג והצל תציל *Non interrogant duas res conjunctim, aut ſi quærunt, non reſpondetur niſi ad unam, & quidem primam: Si tamen neceſſitas duo requirat, reſpondetur ad utranque ſicut David interrogavit, dicendo? 1. An perſequar turmam iſtam? 2. An aſſequar eam? Reſpondit ei Dominus, 1. Perſequere. 2. Aſſequendo aſſequeris, & liberando liberabis*, I. Sam. 30. 8.

In Talmud Hieroſol. Joma, eodem libro & capite, fol. 44. col. 3. in Gemara ita hac de re legitur: ואין נשאלין שתי שאלות כאחת אם נשאלו אית תניי תני משיבו על הראשונה ואין משיבו על השנייה ואית תניי תני משיבו על השנייה ואינו משיבו על הראשונה. ואית תניי תני אינו משיבו לא על הראשונה ולא על השנייה. מאן דאמר משיבו על הראשונה ואינו משיבו על השנייה מן הרא ויאמר דוד יי׳ אלהי ישראל וגו׳ היסגירוני בעלי קעילה בידו וגו׳ הירד שאול. דוד לא שאל כהונן לא צורכא אלא הירד שאול ואם ירד היסגירוני בעלי קעילה בידו. מאן דאמר משיבו על השנייה ואינו משיבו על הראשונה מן הרא ויאמר דוד היסגירוני בעלי קעילה אותי וגומר מאן דאמר אינו משיבו לא על הראשונה ולא על האחרונה וישאל דוד ביי׳ לאמר ארדוף אחרי הגדוד הזה האשיגנו. דוד בקש עליה רחמים ה׳ אלהי ישראל הגד נא לעבדך. תדע לך שהרי שתים שאל והשיבו שלש ויאמר רדוף כי השג תשיג ונצל תציל: h. e. *Non interrogabantur duæ queſtiones ſimul quod ſi vero id factum fuit, eſt qui dicat, reſponſum fuiſſe tantum ad priorem; non ad poſteriorem; alius dicit, reſponſum fuiſſe ad ſecundam, non ad primam: alius iterum dicit, neque ad priorem, neque ad poſteriorem reſponſum fuiſſe. Qui dicit*, reſponſum fuiſſe ad priorem, non ad poſteriorem; *colligit id ex eo quod de Davide legitur* I. *Sam.* 23. 10. 11. Dixitque David. Domine Deus Iſrael &c. An tradent me viri Kehilah in manum ejus? An deſcendet Saul, quemadmodum audivit ſervus tuus, Domine Deus Iſrael indica quæſo ſervo tuo. Reſpondit Dominus Deſcendet: *David hic non interrogavit ita ut oportebat*, (h. e. non eo ordine quo debebat) *debuiſſet dicere*, An deſcendet Saul, & ſi deſcendat, an tradent me viri Kehilah in manum ejus? (ideo hoc ordine ei reſponſum datum fuiſſe ad quæſtionem ſecundam, non ad primam; *probat id ex eo quod v.* 12. *habetur;* Dixit præterea David An tradent viri Kehila me & viros meos in manum Saulis? Reſpondit Deus, Tradent. *Qui dicit, neque ad primam neque ad ſecundam reſponſum fuiſſe*, ex eo quod legitur I. Sam. 30. 8. Et interrogavit David Dominum, dicendo, Num perſequar exercitum iſtum? Num apprehendam eum? *Hic David duo interrogavit, & reſponſum datum fuit ei triplex*: Perſequere: comprehendendo comprehendes: & eruendo erues.

IV. *Modus interrogandi*. Hunc ita deſcribit Majemon. in הלכות כלי המקדש cap. ult. his verbis: כיצד שואלין עומד הכהן ופניו לפני הארון והשואל מאחריו פניו לאחורי הכהן ואומר השואל אעלה או לא אעלה. ואינו שואל בקול רם ולא מהרהר בלבו לא בקול נמוך כמי שמתפלל בינו לבין עצמו *Quomodo conſulunt ea? Sacerdos ſtat facie ſua verſus Arcam converſa, & conſulens retro illum, facie ad tergum Sacerdotis obverſa, rogatque* (conſulens) *Aſcendam ne aut non aſcendam? Non quærit voce alta, neque cogitando duntaxat in mente; ſed voce ſubmiſſa, adinſtar ejus, qui ſolus orat*. Extant etiam in Talmud Joma, & alibi.

In libro Jalkut, fol. 248. col. 1. ex Siphre ita hæc referuntur, כיצד שואלים באורים ותומים השואל פניו כלפי הנשאל ופניו כלפי שכינה וכו׳ *Quomodo interrogant per Urim & Thummim? Conſulens faciem ſuam dirigit verſus interrogatum, & hic faciem ſuam verſus Majeſtatem Divinam* (ad Arcam:) *Quod dicitur Numer.* 27. 21. ושאל לו Et interrogabit eum; שומע אני בינו לבין עצמו ת״ל במשפט האורים *an intelligere debeo, illum debere ipſum privatim interrogare? Nequaquam: quia additur*, במשפט האורים per judicium Urim: שומע אני בקול גדול *An voce magna & alta?* ת״ל ושאל לו הא כיצד עומד ומדבר בשפתיו וכהן גדול משיבו על שאילותיו שואלין לו בקול שנ׳ ושאל לו ולא מהרהר בלבו שנ׳ לפני יי׳ אלא כדרך שאמרה חנה בתפלתה שנ׳ וחנה

היא

היא מדברת על לבה *Nequaquam: dicitur*, Et interrogabit eum: *Quomodo? Stando sc. & loquendo labiis suis, & Sacerdos respondebit ei ad petitiones ejus. Itaque interrogandus est Voce, sicut dicitur;* Et interrogabit eum; *sc. non meditando in corde suo, sicut dicitur;* Coram Domino; *sed eo modo quo olim Hanna loquuta est in Precatione sua, de qua dicitur;* Et Hanna loquebatur in corde suo, 1. Sam. I. v. 13.

Cæterum cum Mosi denuntiatio Mortis a Deo facta esset, Numer. 23. vers. 13. 14. Moses de populi salute sollicitus, petiit a Deo *Successorem*, qui illum ducat & regat, v. 15. 16. 17. Deus nominat illi *Josuam filium Nun*, &c. v. 18. 19. 20. & porro inter alia de ejus Inauguratione v. 21. dicit; *Et coram Eleazare Sacerdote stabit, & interrogabit eum de judicio Urim coram* DOMINO: *ad verbum Ejus egredientur, Ipse, & omnes Filii Israel cum eo, & tota congregatio.*

Hic movet Abarbenel hanc Quæstionem;

> *Quomodo Deus hic dicat, Josuam debere coram Eleazare stare, & eum interrogare per Urim & Thummim; cum tamen in tota ejus Historia nuspiam legamus, vel illum, vel Israelitas, Urim & Thummim consuluisse; nisi primum post ipsius mortem, Judicum cap. 1.?*

Inconveniens videtur, Deum aliquid in specie, & tam solenni in actione præcipere, quod postea nunquam in actum educatur.

Itaque ad hoc evitandum, hunc locum sic explicat, ut dicat; *Cum legamus, Deum sæpius ad Josuam prophetico more loquutum; nuspiam, quod Josua per Urim & Thummim interrogaverit, dicendum, verborum horum hanc esse expositionem;* שלפני אלעזר יעמוד יהושע לא אחרי מות משה כי אם עתה בחייו אחרי שסמך ידיו עליו ויהיה תכלית העמידה עתה לפני אלעזר כדי שידעו כל ישראל שיהושע היה מנהיג את העם ואב בית דין יעץ וביעץ כפי הדין אין שואלים באורים ותומים כי אם מלך או אב בית דין ולכן עתה לפני אלעזר הכהן יעמוד ושאל לו *quod nunc & in præsenti jubeatur Josua stare coram Eleasare, non demum post mortem Mosis; post impositas scilicet ei a Mose manus. Tunc autem stare debuit coram Eleasare in eum finem, ut totus Israel sciret, Josuam esse Ductorem populi, & Præsidem Synedrii constitutum; eo quod de jure nemo posset interrogare per Urim & Thummim, nisi Rex vel Præses Synedrii. Itaque ut Jus hoc adeat, & de facto Princeps populi agnoscatur & recipiatur, statim coram Eleasare Sacerdote stare debuit, & eum interrogare. Sic confirmatus, obligabantur postea, juxta os Josuæ & prophetiæ ejus exire & introire, Eleazar ipse, & totus Israel; eo quod obventuræ ei essent Divinitus prophetiæ, ut non opus haberet interrogare Urim & Thummim.*

Et Judic. cap. 1. ubi dicuntur Israelitæ *post mortem Josuæ interrogasse Deum*, sc. *per Urim & Thummim*, scribit, id ideo factum, *quod cum Josua cessaverit quoque donum Propheticum, quo instructus ille fuerit; ac propterea Israelitæ necesse habuerint interrogare per Urim & Thummim post ipsius mortem.*

R. Aharon Aben Chajim, Fessanus Arabs in lib. *Lef Aharon*, ad Judic. 1. v. 1. aliter: Vult ille, omnino Josuam consuluisse Dominum per Urim & Thummim in omnibus suis bellis, vi præcepti ipsi dati: sed non modo consueto & ordinario; scilicet illum privatim & solum hoc fecisse ac interrogasse, quod alias solebant consulentes proponere. Apponam ipsiusmet verba: *Quamvis*, inquit, *fateamur, Josuam bella sua omnia juxta præscriptum* תו׳ *Urim gessisse, quæ interrogavit, uti apparet ex Num. 27.* 21. Et coram Eleasare Sacerdote stabit, ושאל לו & interrogabit eum de Judicio Urim; *attamen magna est differentia inter modum interrogandi, quo ipse usus est, & quo Israelitæ post ipsius mortem, de quo Judic. c. 1. v. 1. Nam vivente Josua Israelitæ nunquam consuluerunt Urim; sed Josua ipse stabat coram Eleazare* ושואל הדבר לעצמו לידע הוא מה יעשה *& interrogabat rem quam volebat pro seipso, ut scilicet ipse sciret, quid faciendum esset:* ואליו לבדו היתה התשובה *ipsi quoque soli factum fuit responsum; & secundum responsum illud acceptum ipse ducebat & gubernabat populum; ita ut omnes ipsorum profectiones & castrametationes fuerint juxta præscriptum solius Josuæ. Hoc nempe sibi vult Scriptura, dum ait;* Et coram Eleasare stabit, & interrogabit eum de judicio Urim; *& statim subjungens;* Juxta præscriptum ejus egredientur, & juxta præscriptum ejus ingredientur, ipse, & omnes filii Israel; *quibus innuit, quod ipse debeat esse Interrogans* לעצמו לבד *solus; & postea rem oraculo acceptam referre ad Israelem, & ipsis indicare quid facere debeant. Unde vides, quod modus ejus Interrogandi* לא היה כפי חק ומשפט שאלת האורים *non fuerit secundum ordina-*

dinarium modum interrogandi. Hinc dicunt Rabbini noſtri in Siphra ad Num. 27. 21. ושאל לו *Et interrogabit* לו; an fortaſſis ſolus & ſeorſim interrogabit, quia dicitur ושאל לו *Et interrogabit ſibi?* vel quomodo? *Loquendo* labiis ſuis; & Sacerdos ſummus reſpondebit ipſi ad interrogata ejus. *Horum verborum hæc eſt explicatio: Viderunt, pronomen relativum* לו *non poſſe referri ad Eleaſarum duas ob cauſas;* primo, *quia ſi Eleaſar intelligeretur, dicendum fuiſſe,* ושאל ממנו Et quæret ex eo; ſecundo, quia verba *hæc*, Et ſtabit coram Eleaſare Sacerdote; *forent ſuperflua; ſuffeciſſet enim ſi dixiſſet;* Et Eleaſarem Sacerdotem interrogabit &c. *Hanc ob cauſam ſtatuerunt, pronomen hoc relativum non referri ad interrogatum, ſed ad Joſuam Interrogantem. Neque etiam poſſumus dicere, quod* לו *hic idem valeat, quod* לתועלתו propter utilitatem ſuam, in ſuum uſum; *interrogatio enim non fiebat niſi propter utilitatem totius Iſraelis. Itaque concluſerunt, cum hic non intelligatur Interrogans & Interrogatus, mentem horum verborum eſſe; Interrogationem debere eo modo fieri, ut ipſi* (Joſuæ interroganti) *ſoli nota ſit, non alii* &c. Et quibuſdam interjectis: *Expoſitio loci Numer. 27. 21. eſt;* Et coram Eleaſar Sacerdote ſtabit; *ſolus ſc. ad accipiendam reſponſionem; non tamen neceſſe habebit quærere ex ipſo, ſed* שאל לו לעצמו *quæret pro ſeipſo, ſeu apud ſemetipſum; hac tamen cum conditione, ut id fiat* בחתוך שפתיו *diſtincta motitatione labiorum, & ſermone in conſulendis Urim uſitato: & juxta os ſeu præſcriptum ejus deinde ipſi exibant & introibant, non ex præſcripto Urim* (ſc. immediate; quia ipſi ea non conſulebant, ſed Joſua, & Joſua deinde ipſis edixit, quid faciendum eſſet.) *Hinc dicitur hoc loco Judic.* I. I. Et fuit poſt mortem Joſuæ, *ſignificans, aliquid novi eſſe factum poſt mortem Joſuæ, quod non fuerit factum ante mortem ejus; hoc nempe, quod* Iſraelitæ ipſi *interrogarint & conſuluerint Dominum, quod ante mortem ejus non fecerunt. Vivente enim Joſua ipſi non interrogarunt, ſed Joſua ſolus.*

R. Levi ben Gerſon aliter, ſic ad Joſ. I. ſcribens; וראוי שנדע שאין הרצון בזה שלא היו נשאלין באורים ותומים בימי יהושע כי התורה העידה כי בימי יהושע נ״כ ישאלו במשפט האורים. ואולם הרצון בזה כי אחרי מות יהושע היצרכו לשאול מי יעלה בתחלה כו׳ *Sciendum eſt, horum verborum ſenſum non eſſe, quaſi nunquam interrogaſſent per Urim & Thummim vivente Joſua: teſtatur enim Scriptura, quod ejus tempore etiam interrogarint de Judicio Urim* [Num. 27.] *ſed indicatur hic tantum, quod poſt mortem ejus ipſis interrogandum fuerit, Quis aſcendere debeat in principio, primum agmen ducere, Dux illorum eſſe?* &c.

Sic pientiſſimus Rex David ſæpius, & cum fructu, hoc Oraculum conſuluiſſe legitur; veluti cum Kehilæis eſſet ſuccurrendum, I. Sam. 23. 2. 6. 9. quum eidem Hebronem eſſet concedendum, 2. Sam. 2. I. quum bellum cum Philiſtæis eſſet gerendum, 2. Chron. 5. 19. quum cauſa famis diuturnæ inquirenda, 2. Sam. 21. I. Sic cum David a Saulo fugiſſet ad Regem Moab in Mitzpa, Achimelech filius Achihu ſacerdos conſuluit pro eo Dominum, I. Sam. 22. 10. quod poſtmodum etiam graviter ei a Saule exprobratum fuit, v. 13. &c.

Non prætereundum hoc loco, quod Hebræi ſcribunt de Uſu hujus Oraculi in Sorte; quod videlicet in uno eodemque negotio, una cum Sortitione, majoris certitudinis cauſa, Urim & Thummim etiam conſulta fuerint: Ex. Gr.

Numeror. 26. ubi de dividenda inter XII. tribus terra Canaan agitur, dicitur v. 55. 56. אך בגורל יחלק את הארץ *Veruntamen ſorte dividetur terra,* per nomina tribuum patrum ſuorum hæreditatem accipient: על פי הגורל תחלק נחלתו בין רב למעט *Juxta os* h. e. *præſcriptum ſortis dividetur hæreditas ejus inter multum & paucum.*

Ad hunc locum ſcribit R. Salomon in ſuis Commentariis: *Fecerunt diſtributionem* על ידי גורל והגורל היה על פי רוח הקדש כמו שמפורש בבבא בתרא *per ſortem, & ſors fiebat per Spiritum Sanctum, ſicut explicatur in Talmud Bava bathra.* Locus ille extat cap. 8. fol. 122. col. I. לא נתחלקה אלא באורים ותומים שנ׳ על פי הגורל הא כיצד אלעזר מלובש באורים ותומים ויהושע וכל ישראל עומדים לפניו וקלפי של שבטים וקלפי של תחומין מונחים לפניו והיה מכוין ברוח הקדש ואומר זבולן עולה תחום עכו עולה עמו טרף בקלפי של שבטים ועלה בידו זבולן בקלפי של תחומין ועלה בידו תחום עכו וחוזר ומכוין ברוח הקדש ואומר נפתלי עולה תחום נינוסר עולה טרף בקלפי של שבטים ועלה בידו נפתלי טרף בקלפי של תחומין ועלה בידו תחום נינוסר וכן כל שבט ושבט: *Non diviſa fuit terra, niſi per Urim & Thummim, ſicut dicitur;* Juxta os Sortis. *Quomodo ergo id fiebat? Eleaſar induebat Urim & Thummim, & Joſua cum toto Iſraele ſtabant*

coram

coram eo, (illum ſc. de ſingulis interrogantes) *ante ipſum poſita erat Urna, in qua Schedis inſcripta erant* 12. *Nomina tribuum*, & *Urna alia*, *in qua erant Nomina duodecim Terminorum* (terræ Canaan dividendæ.) *Per Spiritum Sanctum ergo reſpiciens* (ad Urim & Thummim) *dicebat ex. gr.* Aſcendet Sebulon, & cum eo terminus Acho: *quo dicto miſcuit Urnam Tribuum* & *manu immiſſa Schedam eximens*, *aſcendit* Sebulon *ex Urna prima*; *ex altera Urna*, *Terminorum ſc.* Terminus Acho. *Iterum per Spiritum Sanctum inſpiciens Urim* & *Thummim*, *dicebat*; Aſcendet Naphtali, & cum eo Terminus Ginoſar ſeu Genneſareth; *Immittente ipſo manum in Urnam tribuum*, *aſcendit*, *prout dixerat*, *Naphtali*; *in urnam Terminorum*, Ginoſar. Et ſic de reliquis. Hac Traditione docent, quod Sortem præceſſerit prophetia quaſi & prædictio per Urim & Thummim, quo ſc. poſtea tanto certiores eſſent de Sorte cuique cadente. Hinc ſcribit R. Salomon in Gloſſa ſua; *Interrogabant per Urim* & *Thummim prius quam manum in Urnam ſortium immitteret*: ובכך מתקררת דעתן של ישראל שרואים שהגורל היה עולה כמו שנתנבא תחילה ויודעים שחלוקה ישרה היא ולא היו מרננים בדבר השבטים המרובים *hac enim ratione ſatisfiebat animo Iſraelitarum*, *quando videbant Sortem ita cadentem*, *prout prædictum erat*, & *ſcirent*, *diviſionem eſſe rectam*: *neque murmurandi occaſionem habuerunt contra illas tribus*, *quibus per Sortem amplior portio contigit*.

Idem habetur in Tanchumah mihi fol. 81. col. 4. his verbis: מעשה נסים היה בגורל אלעזר הכהן לובש אורים ותומים וקלפי הגורלות לפני יהושע שנ׳ ויריתי לכם גורל פה לפני יי׳ אלהינו ועד שלא יעלה גורל אלעזר אומר ברוח הקדש גורל שבט פלוני עלה שיטול במקום פלוני ומנין שהגורל מדבר שנ׳ על פי הגורל: *Eleaſar indutus erat Urim* & *Thummim*, & *Urna ſortium erat coram Joſua*, *ſicut dicitur*; Et projiciam vobis ſortem hic coram Domino Deo noſtro, Joſ. 18. 6. *Antequam vero aſcenderet Sors*, *Eleazar dicebat per ſpiritum Sanctum*; Hæc vel illa tribus N. N. aſcendet, & portionem ſuam accipiet in loco vel termino N. N. *Unde vero habemus*, *quod Sors loquuta fuerit? Ex eo quod dicitur*; Juxta os ſortis. Sic in Bdmidbar rabba, ſectione פנחס fol. 281. col. 2.

Josuæ VII. capite, in hiſtoria Achanis, qui de anathemate urbis Jericho nonnulla clam ſuſtulit & intervertit, cauſaque fuit cladis ſequentis, quam Iſraelitæ a viris Ai paſſi ſunt, de inquiſitione in Authorem illius furti ſic Deus præcipit Joſuæ, v. 13. 14. 15. *Surge*, *præpara populum*, & *dicas*, *Præparate vos in craſtinum*: *ſic enim dixit Dominus Deus Iſrael*, *Anathema eſt in medio tui Iſrael*: *non poteris ſtare coram inimicis tuis*, *donec abſtuleritis anathema e medio veſtri*: *Acceditque mane* לשבטיכם *ſecundum* (vel, Ad) *tribus veſtras*: & *tribus quam deprehendet* Dominus; *accedet per familias*: & *familia*, *quam deprehendet* Dominus, *accedet per domus*: & *quam deprehendet* Dominus *accedet per viros*: *Qui autem deprehenſus fuerit in anathemate*, *comburetur igni* &c.

Circa hæc quærunt Hebræi;

Quo modo iſta inquiſitio facta, & *Author deprehenſus fuerit?*

Cauſa quærendi, quia modus ille non exprimitur in textu. Communiter volunt, Sorte rem fuiſſe tranſactam. Aharon Aben Chajim, in *Leſ. Aharon* vult, *Signo in vultu proditum fuiſſe authorem ſceleris*; *Cum enim ſe ad Arcam coram Deo ſiſterent*, *Eorum qui innocentes erant*, *faciem ex præſentia Dei ſingulari nitore* & *ſplendore illuſtratam*; *Rei autem faciem ſqualidam* & *triſtem*; *ſicque miraculoſe Reum proditum fuiſſe*. Kimchius ſcribit, quoſdam dicere, כי העבירום לפני הארון והנלכד הוא שהיה הארון קולטו שלא היה יכול לזוז משם *quod tranſire fecerint eos ante Arcam*, & *reum Arca detinuerit*, *ut non poſſet inde movere pedem*. Cui ſimile vide ſup. pag. 226.

Idem ſcribit, alios dicere; כי העמיד כל השבטים לפני האורים והתומים ואבני החשן היו כתובים בו שמות השבטים ומי שאבנו כהה הוא הנלכד וכהה אבנו של יהודה. ולדעת המשפחות והגברים עשו בקלפי על פי הגורל: *quod ſtiterit omnes tribus coram Urim* & *Thummim*, & *Pectorali*, *in quo ſcripta erant Nomina tribuum*: *Cujus tribus Lapis obſcurabatur*, *illam fuiſſe captam ſeu deprehenſam*. *Itaque obſcuratum fuiſſe lapidem tribus Juda*, & *ſic eam ream deprehenſam*. *Ad dignoſcendas autem familias* & *viros*, *adhibitam fuiſſe Sortem* Idem ſcribit R. Salomon. Deſumta hæc videntur ex libro antiquiore Pirke R. Elieſer, in quo cap. 38. hæc leguntur: ראה יהושע בשנים עשר אבנים של כהן גדול שהן כנגדי ׳ב שבטים וכל שבט שהיה מצוה בידו היתה מניחה רואה וכל שבט שהיה בידו דבר עבירה לא היתה מניחה אורה וידע ששבט יהודה מעל בחרם והפיל גורלות ונלכד עכן שנאמר וילכד עכן בן כרמי וגו׳:

In-

Inspexit Josua duodecim lapides Sacerdotis summi [in pectorali] *qui respondebant duodecim tribubus* (posteaquam sc. coram Arca Domini in faciem procidisset) *Tribus, in cujus manu praeceptum erat* (h. e. quæ erat innocens, extra culpam,) *ejus lapis lucem suam emittebat; in cujus vero manu erat transgressio, illius lapis nullum emittebat fulgorem. Et sic cognovit, quod tribus Juda prævaricata fuerit in anathemate: Postmodum jecit sortes, & deprehensus fuit Achan, sicut dicitur*; Et deprehensus est Achan filius Carmi, v. 18.

R. Samuel Laniado addit, duos hos modos, per Urim sc. & Sortem, indicari phrasi hac ילפדנו יי׳ *Quam deprehenderit* DOMINUS quæ primo adhibetur in inquisitione Tribus, deinde de Familia, v. 14. Contra autem objicit; ומאי קאמר חד לישנא בכולהו דמשמע דהכל חד . ותיבת יי׳ דקאמר לא דייק שפיר . אמנם למ״ד שע״י הארון נלכדו כולם ניחה שפיר למון יי׳ והלכידה ע״ל ידו ית׳ *Quod eadem phrasi utitur de omnibus* (seu, de utroque medio) *hoc videtur docere, omnia uno & eodem modo facta esse. Sed adhibitum utrobique, Nomen Tetragrammaton utique huc non quadrat, vel differentiam hanc admittit. Quadrat autem eleganter juxta eorum sententiam, qui docent, Deprehensionem fuisse factam per Arcam*; Unde sic concludit; הן אמת דקרא דויקרב את ישראל לשבטיו דייק שפיר למ״ד שנלכדו ע״י אורים ותומים דתיבת לשבטיכם ר״ל לאבנים המיוחדים לשבטיכם כדי שמתוכם יתברר הענין *Quod deprehensi fuerint per Urim & Thummim, id nos docet eleganter quod dicitur*; ויקרב את ישראל לשבטיו Et accedere fecit Israelem ad tribus suas; *quod item cum Josua diceret*, ונקרבתם לבקר כשבטיכם *voluerit dicere*; Appropinquate, vel, Accedite ad Lapides tribubus vestris consecratas (in pectorali,) ut per illos elucescat veritas. Idem postea ex iisdem his verbis; *Et accedere fecit Israelem ad tribus suas* [ut ipse quidem intelligit, & explicat,) colligi scribit hoc ulterius; *quod Lapis non obscuratus fuerit, nisi Reus anathematis præsens ibi adstiterit, vel saltem Tribus illa, e qua prævaricator fuit. Quod si enim, inquit, aliter fuisset, ad quid citandi fuissent Israelitæ ad pectoralis lapides inspiciendos, & videndum, cujus lapis obscuretur? Itaque præsentia prævaricatoris causabatur obscurationem lapidis.*

Hæc illi, quæ suo loco relinquimus. Occasione Urim & Thummim non omittenda videbantur.

Aliud exemplum hujus rei videtur præbere I. Sam. X. historia Electionis Regis Saulis. Cum enim in Mizpa electio illa publicanda & confirmanda esset, sic legimus v. 17. & seqq. *Et convocavit Samuel populum ad* DOMINUM *in Mizpa, & dixit ad filios Israelis; Ego eduxi Israelem ex Ægypto, & liberavi vos de manu Ægyptiorum, imo de manu omnium regnorum opprimentium vos. Vos autem abjecistis hodie Deum vestrum, qui servat vos ab omnibus malis vestris, & angustiis vestris, dixistisque ei; Regem pones super nos. Nunc ergo state coram* DOMINO *per tribus vestras, & per millia vestra. Et quum applicasset Samuel omnes tribus Israel, capta est tribus Binjamin. Applicuit præterea tribum Binjamin per familias suas, & capta est familia Matri, & captus est Saul filius Kis: requisieruntque eum, & non inventus fuit. Consuluerunt itaque* עוד *iterum* DOMINUM, *an rursus veniet* (vel, *an rursus veniat*) *huc ille vir? & respondit* DOMINUS; *Ecce abscondit se inter vasa.*

Hic iterum quærunt, *Quomodo hæc inquisitio facta fuerit?*

R. D. Kimchi vult per Urim & Thummim : State coram DOMINO) *Nam si Samuel eis dixisset*; Saul regnabit super vos; *reliquæ tribus ipsi invidissent*, אם לא היה נלכד באורים ותומים *nisi deprehensus fuisset per Urim & Thummim. Hoc scilicet sibi vult quod dicitur* לפני יי׳ Coram Domino; שהיה שם כהן ואורים ותומים והיו שואלים בהם *adfuit enim ibi Sacerdos, cum Urim & Thummim, quæ consulebant.*

R. Levi ben Gerson simpliciter *Sortis* meminit: הנה על פי הגורל נפלה המלוכה לגורל לשאול *Juxta Sortem cecidit Regnum in sortem Sauli*. Sic R. Salomon. *Etiamsi non adesset Saul, sors tamen in ipsum cecidit: Nomina enim illorum scripta habebantur in Schedulis, quas arculæ seu urnæ indebant, e qua Sacerdos, manu immissa, Schedulas extrahebat.*

Abarbenel vult *utraque conjuncta fuisse*, eodem modo ut supra in divisione terræ.

In Medrasch Tanchuma; *Quisquis fugit Dominatum, eum Dominatus sequitur. Saul fugit eum, cum regnare deberet, sicut dicitur*; Et consuluerunt iterum Dominum, an rursus venturus esset ille vir? Et respondit DOMINUS En absconditus est אל הכלים apud vasa. *Nempe, quando venerunt, & ei annuntiarunt electionem Regiam, dixit ipsis; Non sum idoneus ad Regnum; sed* quæ-

quærite ex Urim & Thummim: si aptus inveniar, en adsum; si non, quamprimum dimittite me. Dum illi עוד rursus interrogarent DOMINUM, ille se e vestigio abdidit, usque dum *interrogationem fecissent per Urim & Thummim.* DOMINUS *respondit?* הנה הוא נחבא אל הכלים Ecce abscondit sese ad vasa *h. e. ad Urim & Thummim*: (h. e. donec ex illis veritatem rei, & quid sibi faciendum cognoscat, abscondit se) *fugit honorem, & honor sequitur eum* &c.

Utrum prius, quod de *Applicatione tribuum singularum, & captione tribus Beniamin* dicitur, de Urim & Thummim, vel de Sorte intelligendum, non ita certo liquet: at posterius, quod dicitur; *Et consuluerunt, vel interrogarunt* DOMINUM, existimarim ego de Urim & Thummim recte accipi; Hæc enim ratio loquendi de illis, est familiaris.

CAPUT IV.

Quo modo, & qua Virtute, Responsa per Urim & Thummim data fuerint?

DE modo quo Sacerdos per Urim & Thummim consultus, Responsum Divinum acceperit, sequentia ex Hebræis eruuntur.

Primo volunt nonnulli, factum id esse per vocem editam, & ab ipso auditam. Hujus sententiæ mentio fit in Talmud Hierosol. Joma cap. 7. אית תניי תני הקול היה שומע *Sunt quidam Doctores qui tradunt, illum audivisse vocem*, sicut nempe de Mose dicitur Numer. 7. 89. *Et audivit vocem.*

Verum ista sententia non est recepta, quod ego sciam, ab authoribus.

Secundo ergo communis sententia est Responsa data fuisse in lapidibus pectoralis, & literis illic insculptis, idque mediantibus Urim & Thummim, ita ut per illud vel ea, quæ vocabantur Urim, literæ responsum continentes certa ratione eluxerint in oculos Sacerdotis; attamen confuse; per ea, quæ vocabantur Thummim, literæ vel confluxerint in ordinem quo legi debebant, vel exterius prominuerint, vel, occulte Sacerdotis menti & animo inspiratum fuerit, quomodo conjungi debeant & legi. Non quod ista Urim & Thummim per se hanc virtutem & efficaciam habuerint; sed quod, accedente Spiritus Sancti miraculosa operatione, per hoc medium a se præscriptum & ordinatum, Deus voluntatem suam pro suo beneplacito, manifestaverit: Non ipsa Urim & Thummim consulebantur, sed Deus per illa: & hic etiam erat, qui respondebat. Vide 1. Sam. 28. v. 6. Jos. 1. v. 1. 1. Sam. 23. v. 2. 2. Sam. 2. 1. & cap. 5. 19. &c. Hinc etiam gratiam hanc per Urim & Thummim prædicendi futura, & oracula edendi, referunt Hebræi ad Prophetiæ gradum, quem SPIRITUM SANCTUM vocant, & inferiorem faciunt Prophetia vera: superiorem *Filia vocis*, quam vocant, cujus usum successisse volunt sub Templo secundo, deficiente Prophetia, & Urim ac Thummim. Hanc volunt fuisse vocem e Cœlo quasi vel Nubibus prorumpentem, & oracula edentem, de qua Lector consulere potest Lexicon nostrum Talmudicum.

Sed de his audiamus Authores quosdam ipsos.

Antiquiores parcius hac de re loquuntur.

In Jalkut ex libro Siphre: כיצד עושות רבי יוחנן אמר בולטות ריש לקיש אמר מצטרפות. הא לא כתיב צדי׳. אמר רבי שמואל בר רבי יצחק אברהם יצחק ויעקב כתיב שם. והא לא כתיב טית. אמר רב אחא בר יעקב שבטי ישורון כתיב שם *Quomodo faciebant* (sc. Urim & Thummim? quomodo responsum patefaciebant?] *Rabbi Jochanan dixit, Prominebant literæ* (ut quæ lapidibus in profundum insculptæ erant, exterius prominerent, & sic dignoscerentur,) *Resch Lakisch dixit; Conjungebantur & confluebant. Atqui* Tzade *non aderat* (in literis sc. nominum duodecim Tribuum, atque ita non omnes & singulæ voces exprimi potuerunt;) *Propterea Rabbi Schemuel, filius R. Isaac dixit; Ascripta etiam erant Nomina*, אברהם יצחק יעקב) & sic in nomine יצחק aderat Tzade.) *Atqui sic nondum aderat Teth! Raf Acha filius Jacob dixit; Scriptum etiam illic erat insuper*; שבטי ישורון (& sic in voce שבטי etiam habebatur Teth) Idem habetur in Talmud Babyl. Joma fol 73. col. 2.

In Zoar in Exod. f. 105. col. 4. edit. Crem. ת״ח כד אינון אתוון משקען תמן בההוא חילא נהרין אתוון אהרנין דגליפו באינון שמהן דשבטים ונהרין או אתחשכאן וכלא בההוא רזא דאינון אתוון דשמהן קדישין כדקאמרן. ואינון אתוון דשמהן קדישין אינון אתיין על רזא דאורייתא וכלהו עלמין אתיין ברזא דאילין אתוון. אילין שמהן הוו נניזין משקען תמן ושמהן דשבטים הוו בלטין אתוון דלהון לעילא ועל דא כלא ברזא דאינון אתוון וכלא אוקימנא

אוקימנא Tradunt Sapientes: Quando literæ illæ, quæ ibi sunt occultatæ, (Nominum sc. Divinorum) lucent: tum literæ aliæ, in quibus sculpta sunt Nomina tribuum, lucent vel obscurantur; omnia enim fiunt per mysterium literarum Nominum illorum sanctorum, de quibus diximus. Istæ vero literæ Nominum Sanctorum, docent de Secreto Legis; quin & omnia secula veniunt per mysterium illarum literarum. Nomina ista abscondita erant illic profunde; sed literæ nominum tribuum in altum eminebant, idque virtute literarum illarum secreta.

Paulo plenius & planius ista exponunt Recentiores.

Majemonides in הלכות כלי המקדש cap. 10. §. 11. כיצד שואלין Quomodo interrogant? Sacerdos stat facie sua versus Arcam, consulens retro eum, vultu versus Sacerdotem, & dicit Ex gr. Ascendam? vel, Non ascendam? &c. ומיד רוח הקודש לובש את הכהן ומביט בחשן ורואה בו במראה הנבואה עלה או לא עלה באותיות שבולטות מן החושן כנגד פניו והכהן משיבו ואומר לו עלה או לא תעלה &, posteaquam interrogavit, Spiritus Sanctus e vestigio induit Sacerdotem, qui intuens Pectorale, videt in eo per Visionem Propheticam עלה Ascende, vel, לא תעלה Non ascende, in literis e pectorali extus prominentibus e regione faciei ejus. Unde Sacerdos respondens dicit consulenti, Ascende, vel, Non ascende. Sic in libro More par. 3. c. 45. refert, Sacerdotes per Urim & Thummim interrogantes, inter eos qui loquuntur per Spiritum Sanctum. Item Cosri par. 4. §. 15.

R. Bechai ad Deuteron. 33. 8. אורים ותומים היתה מדרגה ממדרגות רוח הקדש והכהן המלובש בחשן אשר בו אורים ותומים נתונין בין כפליו היה מתלבש באלו ברוח הקדש Urim & Thummim fuit e gradibus Spiritus Sancti: etenim Sacerdos indutus pectorali, in quo erant Urim & Thummim, induebatur simul Spiritu S.

R. Moses Nachmanides in Leg. mihi fol. 70. col. 3. Urim & Thummim fuerunt Nomina Sancta, מכחם יאירו האותיות מאבני החשן אל עיני הכהן השואל במשפטם quorum virtute literæ lucem emittebant e lapidibus pectoralis in oculos Sacerdotis interrogantis de judicio illorum. Exempli gratia; Cum interrogabant, מי יעלה לנו אל הכנעני בתחלה להלחם Quis ascendet nobis primus contra Cananæum ad pugnandum? tum Sacerdos היה מכוין animo suo intendebat ad Nomina quæ vocabantur URIM, & luxerunt in oculis ejus literæ Nominis יהודה Jehudah; deinde eluxit porro, Jod ex לוי; Ajin ex שמעון; Lamed iterum ex לוי; He ex אברהם, cujus nomen ibi etiam scriptum erat ex sententia Rabbinorum nostrorum, vel ex nomine יהודה. Literis vero istius sic elucentibus, nondum scivit ordinem & collocationem illarum: nam ex literis istis יהודה יעלה aliæ quoque confici possent voces, veluti, הוי הר עליה; vel, הי על יהודה, & aliæ plures. Ideo fuerunt illic alia Nomina Sancta, quæ vocabantur THUMMIM, מכחם יהיה לב הכהן תמים בידיעת ענין האותיות שהאירו לעינוו quorum virtute animus Sacerdotis perficiebatur, ut sciret sensum literarum illarum, quæ emicuerunt in oculos ejus. Cum enim mente sua intentus fuit in Nomina URIM, & per illa lux ei affulsit; statim animo suo se convertebat ad Nomina THUMMIM, dum adhuc literæ illæ lucerent; & in mentem illi venit (per Spiritus S. scilicet illuminationem) illas ita conjungendas יהודה יעלה JEHUDAH ASCENDET. Et hic fuit Gradus aliquis Spiritus Sancti, inferior Prophetia, superior autem Filia vocis, qua utebantur sub Templo secundo, posteaquam & Prophetia, & Urim ac Thummim destitissent.

Hanc Nachmanidis sententiam calculo suo approbat R. Bechaj in Legem fol. 106. col. 2. Et fol. 183. col. ad; Et consulet eum de judicio Urim; scribit; Non meminit hic τῶν Thummim; unde arguitur, כי האורים עיקר השמות quod Urim fuerint Nomina principalia, quorum virtute literæ lucem præbebant in oculos Sacerdotis, ad prænoscenda ex illis futura; Thummim autem inservierunt tantum ad combinandas rite illas literas &c. Ideo mentionem hic facit tantum ejus quod principale erat, & reticet Thummim. Nunquam tamen illa sine his fuerunt; כי שניהם דבר אחד Nam utraque erant res eadem, & conjunctæ eam perfectam exhibebant &c.

R. Levi ben Gerson: Quidam priscorum dicunt, quod in pectorali fuerint Scripturæ Nominis Tetragrammati, & eam scriptionem Moses fecerit. Et sane hoc conveniens & verisimile admodum mihi videtur; volo dicere, quod Urim & Thummim fuerint res quæpiam Scripta, & Pectorali indita: והנה האורים והתומים היו מעירים הנבואה כשהיה הכהן ראוי לה כשהוא מסתכל בהם ולזה אמר עליו ונשא אהרן משפט בני ישראל על לבו וזה כי השמות הכתובים בחשן היו סבה אל שתשוטט מחשבת הכהן בישראל והאורים והתומים היו סבה להגיע הנבואה לו מצד התבוננותו בעצם הסבה הראשונה ויתבודד מפני זה שכלו מבין

מבין שאר כחות הנפש אשר הוא סבה להגעת הנבואה במה ששוטטה המחשבה בו ולזה ישא אהרן באמצעות האורים והתומים משפט בני ישראל על לבו וכו׳ *Ecce autem Urim & Thummim excitabant Prophetiam, siquidem Sacerdos idoneus ad eam fuerit, dum ea contemplatus est. Ideo dicitur;* Et feret Aharon judicium filiorum Israel super cor suum; *quia videlicet Nomina in pectorali scripta causabantur, ut Sacerdos cogitationibus suis totus occuparetur de Israelitis* (quorum nomina ibi conspiciebat;) *Urim & Thummim causa fuerunt, ut pertingeret ad eum Prophetia de eo quod cogitatione sua versabat. Hinc portabat Aharon,* באמצעות אורים ותומים *mediantibus Urim & Thummim, judicium filiorum Israel super cor suum, ut Scriptura loquitur.* Et quia Urim & Thummim fuerunt principale, ad quod respiciebatur ideo vestimenta ista (Choschen & Ephod) vocantur Urim & Thummim, ut Esræ 2. 63. & Deuteron. 33. 8. Numer. 27. 21. Postea ulterius de his philosophatur, & ex URIM facit ההתחלות ההיולאניות *Principia Materialia, & ex* THUMMIM התחלות הצריות *Principia formalia*; &c. quæ huc referre nihil attinet.

R. Abraham Seba in Tzeror hammor: לפי דעת ז״ל במקומות רבים מהנגלה אמרו כי שאלת הכהן היתה נודעת באותיות שמות בני ישראל שהיו בולטות וכן באבנים שהיו מאירות או היו חשובות ועל זה נקראו אורים שמאירים ותומים שמשלימים האותיות h. e. *Juxta sententiam Rabbinorum nostrorum pluribus in locis, evidenter habetur, quod statuerint, Interrogationem Sacerdotis notam factam esse per literas Nominum filiorum Israelis, quæ prominebant tum, & quidem per lapides, qui vel lucebant, vel obscuri erant. Et hac de causa etiam vocabantur* אורים, *quia illuminabant, &* תומים, *quia perficiebant literas* (per combinationem illarum, ut supra dictum.)

Don Isaac Abarbenel paulo aliter, quam superiores, rem explicat, post recitatam illorum sententiam ita scribens: ויותר נכון בעיני בדבר הזה לומר שלא היו האותיות מאירות כולן יחד לשיספק הכהן בסדורם אבל בהיות השאלה על המשל שזכרתי מי יעלה לנו בתחלה היה הכהן מביט בשמות השבטים המפותחים באבני החשן ורוא׳ ראשונה שהיה מאיר שם יהודה ויקח בלבו ויאמר יהודה הוא אחר כך יחזור להביט ובכר אינו מאיר שם יהודה כי כבר עשה הוראתו אבל יראה שמאיר לעיניו מחדש יו״ד מלוי או מאחד משאר השבטים ואין מאירה אות אחרת ויאמר בלבו הרי יש לנו יהודה ויש לנו יו״ד ותפסק האור מהאורת ההיא עוד ישוב להביט ויראה עי״ן של שמעון שמאירה לעיניו ויחברה הכהן בלבו אל היוד ויפסק אור האות ההוא עוד ישוב הכהן להביט באותיות ויראה למ״ד זבולון שהאירה ויחברה בלבו עם היו״ד והעי״ן שכבר האירו מקודם ויפסק גם אור הלמד עו״ד ישוב הכהן ויביט והנה האיר לפניו הה״א של יהודה לבדה ויחברה בלבו לשאר האותיות שכבר היו בידו ותושלם לו התשובה ובראותו שאין אות אחרת מאירה ישיב שואלו דבר יהודה יעלה ובזה האופן יתחייב תשצא התשובה מסודרת והענין כולו הוא בהארת האותיות לעיניו ולכן נקראו אורים אמנם תומים נקראו בבחינת אמותם והצדקם h. e. *Rectius autem est in oculis meis, ut dicatur, Literas omnes non simul confuse luxisse, ita ut dubius manserit Sacerdos de dispotione & combinatione illarum, sed rem ita gestam fuisse; Cum, exempli gratia, Interrogatio fuit;* Quis e nobis ascendet primo? *Sacerdos intuebatur Nomina tribuum sculpta in lapidibus pectoralis, & videbat lucere Nomen* יהודה JEHUDAH: *hoc ergo animo suo concepit, & dixit,* Jehuda: *deinde cum rursum intueretur, non amplius lucebat nomen Jehuda, quia illud jam perfecerat significationem suam, sed de novo lucere vidit literam* JOD *ex Levi, vel ex alio aliquo Nomine, nec ullam aliam cum ea;* unde dixit apud se; *Ecce habemus,* Jehudah, *& literam* JOD; *& simul cessavit lucere Jod. Itaque iterum intuitus, vidit lucere literam* AJIN, *ex nomine* שמעון *Simeonis in oculos suos, quam in mente sua conjunxit cum Jod, & cessavit ejus lux; mox denuo intuitus literas, conspexit lucere* LAMED *ex nomine Zebulon, quam conjunxit apud sese cum Jod & Ajin, quæ jam ante luxerant, & hoc facto etiam cessavit lucere Lamed: Ulterius inspiciens, ecce vidit lucere* HE *ante se, ex nomine* יהודה *Jehudah, & quidem solum, conjunxitque illud cum reliquis literis, quas jam collegerat, & sic perfectum fuit responsum. Videns itaque Sacerdos, nullam aliam literam lucere, reddidit Consulenti responsum,* יהודה יעלה, JEHUDAH ASCENDET. *Et hoc modo necesse fuit ordinatum & intelligibile prodire responsum. Totum autem negotium perficiebatur per Lucem literarum in oculos Sacerdotis effulgentem. Atque hinc etiam vocabantur* URIM, h. e. Luces: THUMMIM *autem dicebantur respectu Veritatis & Certitudinis responsi illorum.* Sic ille.

R. D. Kimchi Judic. 20. היו משיבות הצורך עם סיוע רוח הקדש שהיה בכהן ששואלין

ששואלין בו *Edebant responsum necessarium auxilio Spiritus Sancti, qui fuit in Sacerdote, per quem interrogabant.*

Porro scribunt Hebræi, Responsa per Urim & Thummim data fuisse categorica, absoluta, & immutabilia. In Talmud Joma cap. 7. ואף על פי מגזרת נביא חוזרת גזירת אורים ותומים אינה חוזרת שנא' במשפט אורים *Licet decretum Prophetæ quandoque revocetur, decretum vel sententia Urim & Thummim non revocatur, sicut dicitur;* Et interrogabit eum per *Judicium* Urim. Quemadmodum nimirum sententia judicialis non revocatur vel mutatur: sic nec sententia per Urim & Thummim lata; quia inde vocatur משפט *Judicium*, ut R. Bechaj scribit, fol. 183. cap. 1. Hinc Ecclesiastici cap. 33. v. 3. Πιςὸς ὁ νόμος ὡς ἐρώτημα δήλων *Fidelis, certa est Lex sicut Interrogatio Urim* (h. e. sicut responsum Urim ad interrogationem datum.)

R. Levi ben Gerson fol. 107. col. 1. *Videntur Urim & Thummim non consulta fuisse, nisi in rebus subitaneis & inopinato incidentibus, sicuti patet ex exemplis in Scriptura commemoratis;* ולזה היתה ההודעה בזה יותר שלמה כי המקבל לא יתכן שישתנה בזה הזמן המועט כדרך שישתנה מה שיתכן מה שיקרה לו *atque hinc fuit responsum seu declaratio eorum magis perfecta; nam accipiens illam intra tam breve tempus non mutari potest, sicut id quod ei per accidens evenire solet. Et hinc dicunt Rabbini nostri: Etiamsi promissio Prophetæ quandoque retractetur, promissionem tamen* באמצעות *mediantibus Urim & Thummim factam nunquam retractari.*

Talmudici movent hic Objectionem contra certitudinem harum declarationum; ex eo quod Judic. cap. 20. legitur, *Ascendite, quia cras dabo eum in manum tuam*, Israelitas contra Binjaminitas in Gibea pugnaturos, ivisse Bethelem, & interrogasse Deum, sc. per Urim & Thummim; *Quis ascendet nobis in principio ad bellum contra filios Binjamin?* & responsum illis fuisse; *Jehuda in principio*; & tamen postea cæsi fuerunt a Binjaminitis; Dicunt ergo Talmudici; *Si* Thummim *vocantur ab eo quod perficiant verba sua*, בגבעת בנימין מפני מה לא השלימו הם *Quare ea non perfecerunt in Gibeath Binjamin?* Respondent, שלא ביחנו אם לנצח אם להנצח ובאחרונה שביחנו הסכימו שנא' ופנחס בן אלעזר בן אהרן עומד לפניו בימים ההם לאמר האוסיף עוד לצאת למלחמה עם בני בנימין אחי אם אחדל ויאמר ה' עלו כי מחר אתננו בידך *Non diserte explicarunt suam quæstionem, an vincere, an vinci debeant: postrema autem vice planius quæsiverunt, ac propterea etiam planum & perfectum responsum acceperunt, sicut dicitur;* Et Phineas filius Eleasar, filii Aharonis, stabat ante eam (arcam) in diebus illis, dicendo; Num addam ultra egredi ad bellum contra filios Binjamin fratris mei, an desistam? Respondit Dominus; Ascendite, quia cras dabo eum in manum tuam, v. 28.

In Talmud Hierosol. Joma fol. 44. hæc ita leguntur: *Quare vocatur nomen eorum* אורים*? Quia illuminabant Israelem,* תומים, *quia perficiebant coram eis viam: nam dum Israelitæ erant* תמימים *integri, perfecti, dirigebant eorum viam,* שכן מצאנו שבידו להם בגבע בנימין *quia invenimus quod mentita sint eis in Binjamin* (quia tum non fuerunt integri) אר' יהודה חס ושלום לא בידו להם בגבע בנימין שבראשונה אמר עלה ולא אמר נתתיו ובשנייה אמר עלה ואמר נתתיו *R. Jehuda dixit, Absit ut dicamus, quod mentita fuerint! Ad primam quæstionem responderunt tantum,* Ascende, *nec addiderunt,* Et dedi eum, &c. *Ad secundam vero responderunt,* Ascende, &c. Dedi eum.

R. David Kimchi scribit ad hunc locum; *Quia in prioribus suis duabus interrogationibus, v. 18. & v. 23. non clare & distincte interrogarunt, ideo responsio quoque tum non fuit clara. Quod Deus ideo fecit, ut ascenderent & cæderentur. Interrogare enim debebant,* An ascendere debeant, & felicem successum essent habituri? *Itaque tertia vice clarius rem suam proposuerunt, dicendo;* Num addam &c. an desistam? *q. d.* Si non prospere sim rem gesturus, desistam. *Unde & clarum acceperunt jam responsum;* Cras dabo eum in manum tuam.

Abarbenel existimat, illos in eo peccasse, quod prima vice nec debito loco, nec per personam debitam interrogassent: per alium enim tum ipsos consuluisse, quam per Pinchasum, summo Sacerdotio tum fungentem; quippe cujus tertia demum vice fiat mentio, v. 28.

R. Aharon Aben Chajim, Fessanus Arabs, in לב אהרן fol. 123. col. 3. ex eo quod Talmudici hac de re scribunt, quærit ulterius; *Quomodo Israelitæ, populus adeo sapiens & intelligens, ignorare potuerint debitum interrogandi modum?* Respondet שזה היה מהשגחתו יתב' וממדת דינו עליהם כי לזה סכל האל' ית' עצתם ושאלו שאלתם באופן שיושב אליהם

תשובה

תשובה אשר לא תמנע אותם מהעלייה וכו׳ *Totum hoc profluxit a Providentia Divina, & judicio Dei. Ideo enim infatuavit consilium ipsorum, ut ea ratione quærerent, ut responsum acciperent, per quod non impedirentur, quo minus in bellum contra Benjaminitas ascenderent. Ut sic non victi & cæsi fuerint, quod non rite interrogassent, neque responsum ipsis insufficiens vel impertinens ideo datum fuerit, quod errassent, sed ideo errarint in interrogando, ut non daretur ipsis responsum verum & sufficiens, sed ut in proposito suo pergerent & vincerentur. Ad errorem autem hunc eo inducti sunt, quod non dubitarint, quin expeditio ipsorum prospera sit futura, quum sit instituta ad gloriam Dei, ad abolendum & exstirpandum malum e medio Israelis; hinc non necessarium judicarunt interrogare, an prosperaturi essent necne! de hoc enim putarunt nullum esse dubium; sed circa hoc tantum ambigui erant, quis ipsorum Dux belli esse debeat qui ipsos præcedat, & ducat. Non viderunt, suam intentionem & actionem quidem esse bonam, sed facientes seu personas ad hoc esse ineptas, eo quod gravissima iniquitate contaminati sint. Idcirco dixit;* Jehudah in principio, *q. d. Quid quæritis de ordine profectionis, cum constet, Jehudæ in omnibus rebus primatum deberi: hic enim a principio ei a Deo collatus fuit?* &c. *Rabbi Moses bar Nachman existimat, illos ideo in modo interrogandi peccasse, quod suæ potentiæ & copiis confiderent. Sed absit ut hoc dicamus de populo Dei: Etenim si ita res fuisset, prorsus non consuluissent Deum, sed confisi sunt bonitati causæ, quam suscipiebant, ac propterea securiores erant* &c. Hæc ille.

Qui plura vult, hos & alios consulat Interpretes.

Abarbenel sequentes etiam hic movet quæstiones;

1. Cum Talmudici scribant; Licet promissiones Propheticæ sint revocabiles, promissiones vero Urim & Thummim irrevocabiles; & Gradus Prophetiæ superior sit gradu Urim; quare horum Promissiones sint certæ & immutabiles, Promissiones autem Prophetiæ non item?

Respondet: *Quia usus hujus Actionis erat, impetrare consilium ad quæstionem propositam, spectantem ad necessitatem universi Israelis; idcirco, si promissio per Urim facta fuisset revocabilis; usus illorum cessasset. Inutilis enim fuisset interrogatio, si post responsum datum consulens adhuc incertus & dubius de eventu mansisset. Idcirco providentia Dei ita hoc direxit, ut Promissio vel prædictio per Urim & Thummim facta esset irrevocabilis. Et quia sententia Urim & Thummim rogabatur tantum in rebus subitaneis, & de præsenti, vel brevi temporis spatio perficiendis; veluti;* An persequar turmam istam? An assequar eam? *& similibus; idcirco fuerunt earum promissiones irrevocabiles, quia non tantum intercessit intervallum, quo accipiens responsum mutari, & ex bono malus fieri potuisset, vel ex malo bonus, ut propterea mutandum esset promissum, vel decretum, sicut scripsit R. Levi ben Gerson.*

2. Cur Josua, qui Propheta fuit, & in cujus gratiam Sol in cœlo substitit, necesse habuerit etiam consulere Urim & Thummim, quorum gradus gradu Prophetico erat inferior?

Respondet: *Josua hoc debuit facere, non quod gradus Spiritus Sancti excellentior esset gradu Prophetiæ, sed quod Prophetiæ donum quocunque tempore prophetandi, nullus Propheta habuerit præter Mosen; Itaque ne populus, tempore necessitatis, destitutus esset medio sciendi futura sibi eventura, si forte Josua aliquando non paratus & instructus esset ad prophetandum; suppeditavit Providentia Divina hoc medium per Urim & Thummim, ut per illud quovis tempore scire possent, quid Deus facturus esset.* Et hac de causa dicitur de Josua; Et coram Eleasare Sacerdote stabit &c. Numer. 27. 21. *Præterea possumus etiam dicere, Josuam tempore Mosis nondum pertigisse ad gradum Propheticum, atque idcirco tunc hoc de eo dictum esse.*

3. Cum Moses ideo Prophetis reliquis omnibus superiorem habuerit gradum, quod prophetarit quandocunque voluit, annon Sacerdos magnus, dum Urim & Thummim etiam consulere potuit quando voluit, hac in parte ei æquetur, cum tamen hic gradus longe inferior fuerit?

Respondet: *Quod Sacerdos magnus quolibet tempore Urim & Thummim consulere potuit, duabus de causis factum est; primo propter providentiam Dei singularem erga populum Israeliticum, ne unquam deesset, qui ipsis indicaret futura, nec necesse haberent consulere ariolos, divinos, & aruspices:* secundo, *quod gradus Spiritus Sancti longe facilior fuerit, quam gradus Propheticus. Unde ad Prophetiæ gradum acquirendum requirebatur certum temporis spatium, & debita præ-*

præparatio ad eam: ad Urim autem & Thummim Sacerdoti sufficit, si attenderit, & se compararit ad apprehendendum & accipiendum responsum illorum. Quod non ita erat in Prophetia,

Hæc Abarbenel. Huc vero etiam referri potest.

4. *Quare Deus Sauli, per Urim & Thummim etiam interroganti, non responderit?*

Historia extat 1. Sam. 28. ubi v. 6. de Saule dicitur; *Consuluit itaque Saul* DOMINUM, *& non respondit ei* DOMINUS, *nec per Somnia, neque per Urim neque per Prophetas.*

R. Salomon paucis rem expedit: לפי שהרג נוב עיר הכהנים לא נענה *Quia civitatem Nob percussit acie gladii, ideo non exauditus est.*

R. Levi ben Gerson paulo plenius: ויותר נפלא מזה שלא ענהו באורים אשר מדרך הנשאל בהם שיבא לו מענה אם לא יהיה זה בסבת חטא כמו שמצאנו בשאול כששאל באלהים שלא ענהו מצד מה שעבר בנו על השבועה במה שטעם מדבש וידמה שלא היה שם כהן ראוי שתשרה עליו רוח הקדש להיות נשאל באורים ובתומים כי כבר הרג שאול נוב עיר הכהנים שהיו בה הכהנים החשובים והנמלט מהם היה עם דוד והיתה הסבה על שלא באהו מענה חטא שאול או יתקבצו שתי הסבות יחד: h. e. *Magis autem mirum est, quod non respondit ei Deus per Urim, quæ solebant interroganti responsum dare, nisi singulare aliquod peccatum obstiterit, sicut invenimus de Saule, quando interrogavit Dominum, quod ei non responderit propter peccatum, quo filius ipsius, superhabita adjuratione paterna,* (1. Sam. 14. v. 24.) *de melle gustavit,* (v. 27.) *Præterea non videtur ibi fuisse Sacerdos aliquis Spiritus Sancti capax, qui interrogaretur seu consuleretur per Urim, eo quod Saul internecioni dedisset Nobem, urbem Sacerdotum, in qua fuerunt Sacerdotes præstantissimi, & quicunque erepti fuerunt, essent cum Davide; atque hac de causa nullum illi responsum datum: vel utraque causa concurrit.*

R. David Kimchi ad hoc nihil dicit, sed quærit primo; *Quomodo quod hic dicitur 1. Sam. 28.* Consuluit Saul DOMINUM, *convenit cum eo quod dicitur* 1. Paralip. 10. 14. Et non consuluit DOMINUM? Respondet; כיון שדרש באוב אחר כן כאילו לא דרש בי״ *Quia postea consuluit Pythonissam, perinde fuit, ac si non consuluisset Dominum,* secundo, *quomodo dicatur Deum consuluisse per Urim, cum non penes ipsum fuerint, sed penes Abjatharem, qui erat cum Davide?* Respondet; אפשר ששלח שם אנשים לשאול בהם על המלחמה הזאת *Fieri potest, ut eo miserit quosdam ad interrogandum de eventu belli istius.*

R. Samuel Laniado in Keli jakar fol. 251. col. 4. ita hac de re scribit: *Cujus cor perfectum est cum Deo suo, oculos elevat ad illum, & sperat in Deo, is, licet eum Deus non exaudiat, obsirmat cor suum, & in spe sua perseverat, neque vel ad dextram, vel ad sinistram declinat, sed unice ad Deum.* לא כן שאול *Ita vero non fecit Saul, sed interrogavit Deum* רפה ידים *remisse & negligenter, dicendo; Si Deus ipsum non exaudiat, se Pythonem consulturum. Hoc est quod dicitur;* וישאל שאול ביהוה; non vero וידרש שאול מיהוה; *quod significasset, illum a Deo solo & unice consilium requirere. Dum vero dicitur,* וישאל, *docet, quod interrogaverit Deum claudicando in utrumque latus. Et hinc dicitur in libro Chronicorum;* Et mortuus est Saul in prævaricatione sua &c. & non consuluit DOMINUM; *perinde scilicet ac si quis peteret a socio suo Rubene mutuo florenum, eo denegante abiret ad Simeonem, ab hoc detrectante ad Levi &c. Qui autem in Deo confidit solo, non recedit ab eo, ad consulendum alium, sicut dicitur;* Tunc invenies, si requisiveris eum toto corde tuo, & tota anima tua, Deuter. 4. 29. *Item;* Bonus est Dominus exspectantibus eum, animæ quæ quæsierit, (*ita sc. ut dictum*) Thren. 3. 25. *Et hoc est quod de Saule dicitur;* ולא דרש בה׳ Et non requisivit Dominum, & occidit eum. *Nam etsi eum interrogabat,* היה בשאלה בעלמא עראי ודרך העברה לא דרך דרישה בכל לב *fuit illud factum petitione vulgari, fortuita, & perfunctoria, non ex toto corde &c.*

Cæterum, ut ad modum Respondendi Sacri hujus Oraculi redeamus, post Hebræos plerique etiam cæteri Scriptores in hoc fere consentiunt, non voce, sed signo, & Luce quidem Lapidum, Pectorali insertorum, Responsa hæc Dei patefacta fuisse.

Hac mente LXX. Græci, ut supra diximus, Urim & Thummim vocarunt Δήλους καὶ Ἀλήθειαν, Latinus Interpres *Doctrinam & Veritatem*, quod præcipuus illorum usus fuerit, per hujusmodi signa voluntatem Divinam, & rerum quæsitarum Veritatem certam & immotam docere & patefacere.

Hoc sensit Josephus: *Sed mirabilius est*, inquit, *quod nunc dicturus sum: per duodecim Lapides, quos supra pectus Pontifex in Rationali portat, victoriam pugnaturis Deus prænuntiabat. Tantus enim*

enim splendor fulgebat in eis, cum nondum exercitus moveretur, ut omni fieret multitudini manifestum, eorum auxiliis adesse Deum, opemque & auxilium invocantibus esse allaturum. Quapropter Græci, quotquot a religione nostra non abhorrent, cum hoc miraculum pro compertissimo habeant, ita ut negari non possit, Essena vocant λόγιον, *h. e.* Oraculum.

Huc puto respexit Philo, dum scribit, Gemmas 12. pectoralis, ternas sc. in quatuor ordines distributas, indicare Signiferum cœli circulum, qui itidem in quatuor partes e ternis signis constantes dividitur, atque ita horas anni, ver, æstatem, autumnum, hyemem, conficit &c. lib. 3. de vita Mosis, & lib. 2. de Legis allegoriis. Sic D. Hieron. Epist. ad Fabiolam de Veste Sacerdotali.

D. Chrysost. Orat. 4. contra Judæos: *Ponamus enim, juxta vestram sententiam, mœnia* (Hierosolymæ) *ab hominibus esse subversa, civitatem dirutam, altare dejectum; num & illud ab hominibus factum, quod Prophetæ cessarunt? num & Spiritus gratiam sustulerunt? num alia quæ apud vos fuere magnifica destruxerunt? veluti Vocem de propitiatorio reddi, vim Unctionis,* Τὴν Δήλωσιν τὴν ἐπὶ τῶν λίθων τοῦ ἱερέως *Declarationem* [*quæ fiebat*] *in lapidibus Sacerdotis?* Et mox: *Rursus e lapidibus, qui erant in pectore summi Sacerdotis, id vocabant Declarationem,* ἐγίνετο τις ἔλλαμψις, καὶ τὰ μέλλοντα ἐσήμαινε *relucebat fulgor quidam, futura significans.* Iterum: *Itaque ne Judæi perfricta fronte hominibus imputarent suarum rerum vastationem, non solum civitatem passus est dirui, ac templum vastari, verum etiam illa, quæ cœlitus habebant originem, e medio sustulit, videlicet Ignem, vocem, e lapidibus reddi solitum fulgorem, & hujus generis alia universa.*

Sic isti & alii, quamvis modum in specie non explicent.

Hebræorum quorundam sententia, si commode accipiatur & explicetur, non omnino fortassis, uti nonnulli existimant, absurda & rejicienda, quatenus illi tradunt, per id quod Moses pectorali indidit, & Urim ac Thummim vocatur, partim oculos visibili signo fuisse illuminatos, partim mentem; non quidem naturali & insita aliqua ejus rei virtute, sed SPIRITUS SANCTI operatione, quo Sacerdos summus ex ordinatione & promissione Divina indutus fuit. Quoad reliqua particularia, ea ipsis, & cujusvis judicio & arbitrio relinquimus. Non procul hæc abludunt ab eis quæ Clariss. Rivetus Comment. in Exod. scribit: *Certe nihil temere definiendum est, adeo res nobis est incognita & incerta. Si quid tamen etiam post alios audeamus proloqui, non absurdum nobis videtur, si dicamus, ex pacto & promissione Institutoris, Deum invocatum a Sacerdote certo ritu, gemmas illas gestante, respondisse non articulata aliqua voce, sed per illuminationem intellectus illius, & certam persuasionem inditam menti ipsius de veritate responsi: Itaque nullam vim fuisse in lapidibus, nisi tanquam in morali causa; a Deo fuisse effectum, qui ad illius præsentiam operabatur occulto quodam modo, ut diximus. Quæ responsio nullis subjacet incommodis, & non male convenit cum aliis modis, quibus Deus extra ordinem occulta revelavit.*

CAPUT V.

Quamdiu Urim & Thummim inter Israelitas, & an etiam sub Templo secundo fuerint?

QUod in superioribus de ARCA & IGNE SACRO quæsitum fuit, idem hic de URIM & THUMMIM recurrit; *Utrum videlicet eorum Usus etiam sub Templo secundo fuerit, & quando exspirarit?*

Communis sane veterum Hebræorum est sententia, in Templo secundo Urim & Thummim, saltem secundum formale suum, & edita per ea Oracula, non fuisse. Hinc ea inter illa quinque etiam recensent, quæ ex Prophetia occulta Haggæi in Templo secundo defuerunt, quam Traditionem in præcedd. produximus ex Joma cap. 1.

Sic legitur in Talm. codice Sota fol. 48. col. 2. משחרבירת המקרש ראשון בטלו ערי מגרש ופסקו אורים ותומים ופסק מלך מבית דוד *Ex quo vastata est Domus Sanctuarii prioris, cessarunt civitates refugii, Urim & Thummim, & Rex de domo Davidis.*

In Medrasch Schir hasschirim, ad Cantic. 8. fol. 38. col. 2. *Rabbini nostri exponunt hunc versum de abductis in captivitatem;* Parva; *sic dicuntur quia fuerunt debiles inter populos;* Et ubera non sunt ei; אלו חמשא רברים שהירה בירת אחרון חסר מן הראשון *hæ sunt quinque res quæ in Templo secundo defuerunt, nempe, Ignis cœlestis, Oleum unctionis, Arca, Spiritus S. Urim & Thummim.*

Dru-

Drusius in Observat. lib. 15. cap. 13. huc refert historiam Jaddi, Pontificis maximi Hebræorum, *qui Alexandrum Macedonem excepit, & rogatus ab eo, ut Lumen istud consuleret, cogniturus de eventu belli Persici, responderit ei in hæc verba*; A quo domus ista deportata est in Babyloniam, abscondita fuerunt ab ea Urim & Thummim. Historiam istam referunt præter Fl. Josephum, etiam Hebræi, in Talm. Joma cap. 7. ab initio, Vajikra rabba שמיני in fine & alii; Pontificem autem illum dicunt fuisse Simeonem Justum. Josephus item Gorionides edit. Munsteri, lib. 2. cap. 6. & 7. sed hæc verba in eo non extant, unde tamen Drusius ea desumsisse videtur. Nescio an in Veneta fortassis reperiantur, quæ a Basileensi Munsteri in multis discrepat, mihi vero hactenus non est visa. Neque etiam memoratur nomen Pontificis; sed simpliciter dicitur Alexander rogasse Pontificem, ut Deum pro se consuleret, & aliud ibi responsum habetur.

Rationem afferunt nonnulli hanc, quod sub Templo secundo perierit quoque Nominis Tetragrammati, cum suis expositionibus pectorali inditis, usus & notitia: Unde licet illic habuerint Ephod & Choschen, seu Superhumerale & Pectorale, cum lapidibus, ne scilicet imperfectus esset summi Pontificis ornatus, quæ ad imitationem Mosaicorum fecerunt, non habuisse tamen principale, quod ad responsa elicienda requirebatur; Nomina sc. hæc Divina, & Spiritum Sanctum.

Aliam rationem deducit Abarbenel ex eo, quod non omnes Tribus Israelis reversæ fuerint Hierosolymam, sed tantum tribus Juda & Binjamin, reliquis in Assyria detentis. Unde hæc gratia cessarit, quæ concessa fuerit pro omnibus tribubus. Sic enim ille: *Summus Sacerdos toto tempore Templi secundi non respondit per Urim & Thummim; idque duas ob causas*; primo, *quia ibi non fuerunt omnes tribus Israelis, sed tantum tribus Juda & Benjamin. Reliquas enim tribus captivas abduxerat Rex Assyriæ. Hinc non occupavit Sacerdotem magnum Spiritus Sanctus, qui super ipso residere solebat propter XII. tribus, quando sc. illæ essent in terra sua*: secundo, *quia Scripturæ Sanctæ Nominis Tetragrammati expositi, quas Moses duplicationi pectoralis indidit, non amplius penes ipsos fuerunt: occultatæ enim fuerunt cum Pectorali primo, quod Moses fecerat. Hæc vero erant* עצם האורים והתומים *ipsa substantia* τῶν *Urim & Thummim, unde iis deficientibus*, היה העיקר חסר *principale defecit e pectorali, ac proinde non respondebat. Fortassis ad hoc respexit Deus cum Mosi diceret*; Et indes in pectorale judicii Urim & Thummim; *significans, illum, & neminem alium, ea debere indere.*

Objiciunt hic nonnulli locum Esræ 2. v. 63. & Nehem. 7. v. 65. *Dixitque Thirsata illis, ne comederent de Sanctitate Sanctitatum*, עד עמוד הכהן לאורים ולתומים *donec exstaret Sacerdos ad vel cum Urim & Thummim*; quasi scil. his verbis subinnueretur, exstiturum in Templo secundo Sacerdotem prophetantem per Urim & Thummim.

Mentio hujus objectionis fit in Talmud Sota, loco ante allegato his verbis, ואם לחשך אדם לומר *Quod si quis tibi hic ogganniat & opponat locum* Esr. 2. 63. Responsio est, *hoc quod dicitur*, עד עמוד הכהן לאורים *perinde valere, ac si quis socio suo diceret*, עד שיחיו מתים ויבוא משיח בן דויד *Usquedum resuscitabuntur mortui, vel veniet Messias*. Adducit hunc locum R. Salomon, & addit; ואיני יכול לפתור עד עמוד וגו' בבית שני *Non possum verba hæc explicare de Templo secundo, quia in cap. 1. tractatus Joma diserte reperimus, quod domus secunda caruerit Urim & Thummim.*

Aben Esra sic explicat; *Donec existat Sacerdos* ראוי *dignus, vel idoneus ad Urim & Thummim. Nam*, inquit, *Urim, quæ Moses fecerat, fuerunt abscondita, nec dum alia in illorum locum facta fuerunt*. Existimavit nempe Aben Esra, Urim & Thummim, una cum Arca & Igne, de quibus supra, abscondita fuisse.

Don Joseph Aben Jechija sic: עד שיעמוד כהן שיהיו לו אורים ותומים שהיה לעתיד לבוא כי בבית שני חסרו אורים ותומים h. e. *Donec exsurgat Sacerdos qui habeat Urim & Thummim, quod erit tempore futuro* (*Messiæ*:) *nam sub Templo secundo non fuerunt Urim & Thummim*. Sic Psal. 74. v. 9. verba hæc *Signa nostra non videmus*; ita explicat: ועתה בבנין הבית הלז אותותינו הקדומים מאורים ותומים ואש מן השמים לא ראינו *Et nunc in exstructione Domus istius secundæ signa nostra pristina, Urim & Thummim, Ignem item de cœlo descendentem, non videmus: neque amplius habemus Prophetam, quia in Malachia cessavit Prophetia.*

Alii sunt, qui existimant, sub Templo secundo adhuc fuisse, si non in totum, saltem ad aliquod Tempus, sicut supra vidimus de Arca & Igne Sacro.

Sic

Sic quidam intelligunt Majemonidem, quando ſcribit cap. 10. in הלכות בירה בחירה cap. 10. עשו בבירת שני אורים ותומים *Fecerunt ſub domo ſecunda Urim & Thummim, etiamſi ea non reſponderent*; quaſi mens ejus hæc fuiſſet; *Non omnino defuiſſe Urim & Thummim ſub Templo ſecundo, nempe quoad materiale; defuiſſe autem quoad formale, quod neque per ea interrogarint, neque illa reſponſa dederint. Et ſic perinde fuiſſe, ac ſi non fuiſſent.*

Hinc ſcribunt etiam in Additionibus Talmudicis in fine cap. 1. Joma; ad id quod in Textu Talmudico Urim & Thummim referuntur inter ea, quæ ſub Templo ſecundo defuerunt; אורים ותומים היו שאם לא כן היה כהן גדול מחוסר בגדים אלא לא היו משיבין לנשאלין בהן *Urim & Thummim habuerunt: nam alioqui Sacerdos magnus non omnes veſtes Sacras habuiſſet; ſed non reſpondebant iis qui ea conſulebant.*

Sunt tamen qui negant, illum ideo veſtimento Sacro deſtitutum fuiſſe; eo quod Urim & Thummim non fuerit inter veſtimenta Sacra ipſa, utpote quæ ab Artificibus facta fuerunt: ſed res aliqua Divina, non ab artificibus, ſed a Moſe ſolo ſuperaddita, & addenda. Poſſit etiam dici, autorem additionum Talmudicarum intellexiſſe per Urim & Thummim *Pectorale*, cui illa incluſa erant.

Quod nonnulli ajunt, ideo non fuiſſe, *quod ſub Templo ſecundo jam ceſſarit Nominis Tetragrammati notitia & vera pronuntiandi ratio*; hoc iſti negant. Contrarium probant ſequentibus autoritatibus.

In Talmud Babylonico Joma cap. 7. & Talmud Hieroſ. Megilla legitur: *Quis eſt ſenſus ejus quod ſcriptum eſt*; Et benedixit Eſras DOMINO Deo magno? שגדלו בשם המפורש *quod magnificarit eum Nomine Tetragrammato*. Ergo illud ſciviſſe eum oportuit.

In Medraſch Tillim Pſalm. 36. 11. אמר ר׳ בר כהנא שני דורות נשתמשו בשם המפורש אנשי כנסת הגדולה ודורו של שמד וכו׳ ויש אומרים אף בדורו של חזקיה היו יודעין בשם המפורש שנא׳ כה אמר יי׳ הנני מיסב את כלי המלחמה אשר בידכם וזהו שם המפורש וכו׳ *R. bar Kahana dixit; Duæ generationes uſæ ſunt Nomine Tetragrammato, Viri Synagogæ magnæ, & ſæculum Schemed, vel perſecutionis* (tempore R. Simeonis ben Jochaj, circa tempora Adriani) &c. *Quidam dicunt, etiam tempore Chiskiæ notum fuiſſe Nomen Tetragrammaton; ſicut dicitur;* Ecce ego converto inſtrumenta bellica, quæ ſunt in manu veſtra Jer. 21. 4. *Hæc ſc. inſtrumenta ſunt Nomen Dei Tetragrammaton.*

Iterum in Talmud Joma cap. 4. משמת שמעון הצדיק נמנעו הכהנים מלברך בשם *Ex quo mortuus eſt Simeon juſtus, non potuerunt Sacerdotes amplius benedicere Nomine Tetragrammato*. Hic Simeon juſtus vixit ſub Templo ſecundo, & ab Hebræis dicitur fuiſſe משירי כנסת הגדולה *e reliquiis Synagogæ magnæ*, in Talm. Hieroſ. Taanith fol. 68. col. 1. circa finem, & alibi. Id plerique ſic intelligunt, quod unus fuerit ex Viris Concilii illius magni cujus Eſra fuit præſes, & quidem ultimus, qui reliquos omnes ſupervixerit, uti diſerte ſcribit Majemonides præf. in lib. Jad. Aliter paulo videtur ſenſiſſe autor lib. Coſri, qui par. 3. §. 65. ſcribit, *Prophetiam cum viris Templi ſecundi duraſſe adhuc 40. annis: poſt 40. annos fuiſſe Viros Synagogæ magnæ: poſt hos fuiſſe Simeonem Juſtum*. R. Jehuda autem eum cum reliquis ſic conciliat; *mentem ejus fuiſſe, quod poſt ſublatos Prophetas Concilium illud cæptum adhuc continuatum fuerit, & poſt hos omnes ſublatos Simeonis juſti generatio ſuperfuerit; eo quod ille junior fuerit, cum Concilium illud initio congregaretur, & diutius vitam prorogarit*. Quicquid ſit, ſub Templo ſecundo vixit, & una cum eo deſiiſſe pronuntiationem nominis Tetragrammati in benedictione ſacerdotali, ſcribunt Talmudici.

Sic poſt Templi ſecundi vaſtationem leguntur quædam exempla eorum, quibus illud fuit notum.

In Medraſch Koheleth cap. 3. v. 11. legitur *de Rabbi* חיננה *Chinnana, & alio quodam* אסיא *ſeu Medico Tzipporienſi, & dicitur de illis*, שהיה בידם שם המפורש *quod in illorum manu fuerit Nomen Tetragrammaton.*

In Talmud Kidduſchin cap. 4. fol. 71. prolixe docent, quod Sapientes ſciverint Nomen Divinum quatuor, duodecim, & quadraginta duarum literarum; ita ut Rabba exiſtimarit, ſe publice illud pro concione expoſiturum: ſed dixit ipſi Senex quidam; *Scriptum eſt* לעלם, h. e. Abſcondendum, occultandum eſſe. Vide hunc locum in Lexico Hebraico Patris mei in Rad. הוה, in יהוה.

Iterum in Talmud Joma cap. 3. in fine, mentio fit cujuſdam Bar Kamzar, de quo refertur, quod unico ductu, ſingulari arte, potuerit ſcribere Nomen Tetragrammaton.

Præterea ajunt, apud omnes in confeſſo eſſe, quod poſt exſtructum Templum

plum ſecundum Prophetia adhuc per 40. annos durarit; neque etiam dubium eſſe poſſe, quin illi Nominis Tetragrammati ſcriptionem, lectionem, & expoſitionem noverint. Quare ergo illi non id intra pectoralis duplicationem indidiſſent, donec forte idoneus aliquis ad ea interroganda Sacerdos exſurgeret.

Ad hæc ergo concilianda dicunt aliqui, quod ſub Templo ſecundo per aliquod tempus adhuc Urim & Thummim in uſu fuerint, poſtmodum autem paulatim injuria temporum, calamitatum, & perſequutionum defecerint, una cum aliis. Vide ſupra in Hiſtoria Arcæ, & in Igne Sacro.

Sic ſtatuit R. Aſarias, & ex his omnibus concludit; דגם בבירת שני הייני בקצת זמנו מראשיתו היו האורים ותומים משיבים את שואלם דבר כימי קדם *quod Tempore templi ſecundi*, h. e. aliquo tempore a principio ejus Urim & Thummim reſponderint *conſulentibus ea*, ſicut prius; *prout etiam Ignis ſacer aliquandiu ſub eo durarit*, עד שגרם החטא והיו דברי הקדושה בו הולכים ומתמעטים *donec paulatim propter peccata ipſorum res iſtæ Sanctæ diminuerentur, & evaneſcerent*, in Meor enajim cap. 50. fol. 157. col. 2.

Cum quo convenire videtur, quod Joſephus ſcribit Antiquit. Judaic. lib. 3. cap. 9. *Deſiit autem tam Oſen* (pectorale) *quam Sardonyx* (ſuperhumeralis) *fulgorem emittere annis ducentis antequam hæc commentaremur, irato Deo propter Legum ſuarum violationem, de quo alias opportunius dicetur*. Circa illa enim tempora, inquit iterum R. Aſarias cap. 51. fol. 164. col. 1. *effloruit hæreſis Sadducæorum, ſicuti tradunt Rabbini noſtri. Et huc quoque pertinent ea quæ de miraculis quibuſdam ſcribunt ceſſantibus ſub domo ſecunda poſt mortem Simeonis juſti, in Joma cap. 4.* vide ſup. locum pag. 258.) *Ut proinde poſſimus dicere, quod etiam Rabbini noſtri, quando de illorum defectu ſub Templo ſecundo loquuntur, non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, illud intellexerint. Et niſi obſtaret, quod in Talmud Hieroſolymitano Tract.* קרושין *ſcribunt ad*; Donec exſurgat Sacerdos cum Urim & Thummim, Eſræ 2. v. 63. וכי היו אורים ותומים בבירת שני Num ergo fuerunt Urim & Thummim ſub Templo ſecundo? *dicerem, quod ab initio ejus exſtructi, dum adhuc Spiritus Dei miraculoſe ſe exeruit in populo noſtro, ut exemplis Haggæi, Zachariæ, & Malachiæ, Prophetarum liquet*, עשו בלי ספק האורים והתומים ככל חקותם והיו משיבים אם נשאלו בהם כימי עולם *fecerint ſine omni dubio Urim & Thummim, ſecundum omnia requiſita eorum, quod item illa conſulta, ediderint, ſicut temporibus prioribus. Hic eſt enim ſenſus ejus quod dicitur*; Donec exſurgat Sacerdos cum Urim & Thummim; *& quod Rabbinorum noſtrorum, de defectu illorum loquentium, mens non fuerit, niſi de certo tempore*. Hæc ille.

Ex his colligitur, ex Hebræorum plerorumque ſententia, Urim & Thummim ſub Templo ſecundo *vel* prorſus non fuiſſe, ſaltem quoad Uſum, & Reſponſa Divina ex illis elicita, quæ Anima & Vita eorum fuerunt, ſine quibus reliqua nihil aliud fuerunt, quam inania ſchemata, & inania ſimulachra; vel certe ad aliquod duntaxat tempus, quamdiu ſcil. Viri Prophetici, & extraordinario Spiritus Sancti motu & ductu acti fuere: poſtmodum deſiiſſe, & evanuiſſe. Fuerit inter ipſos Superhumerale una cum Pectorali, inſertæ fuerint ei Gemmæ, adfuerint Sacerdotes & Pontifex; at abfuit δήλωσις Declaratio voluntatis & conſilii Divini, abfuit ἀλήθεια: quæ mere Divina & a ſolo Deo immiſſa fuerunt, & immitti potuerunt. Illa potuerunt ab hominibus ad imitationem Moſaicarum figurarum confici & effingi, vel etiam ab hoſtibus deſtrui & aboleri; hæc, ab hominibus nec conferri, nec auferri potuerunt; qui de cœlo ſuam habebant originem.

Itaque ut non ſine ſingulari Dei gratia illis ſub priori Templo fuerunt conceſſa & indulta: ita Divinum fuit opus, quod eadem illis ſub Templo ſecundo, vigente adhuc reliquo cultu, fuerunt ablata. Civitatem & Templum diruere & incendio abſumere potuerunt homines, Arcam, Vaſa, & ſupellectilem omnem ſacram ſeu diripere, ſeu in totum perdere: at Vocem e propitiatorio Arcæ reddi ſolitum, Ignem e cœlo deſcendentem, Reſponſa per Urim & Thummim facta, nemo, niſi Deus ipſe ſubmovere potuit, & ſubmovit. Neque ſine certo conſilio id fecit.

Præludia hæc, ut cæterorum quoque Symbolorum Divinorum privatio, fuerunt, ut ſupra dictum, inſtare tempus, quo hæc omnia, ceu aliarum rerum imagines & umbræ, ſint abolenda, quo alia perfectior cultus Dei forma ſit inſtituenda. Quo altius ſc. Sol horizontem conſcendit, eo breviores ſpargit umbras, donec in meridie vertici noſtro oppoſitus, illæ ad ejus lucem undiquaque ſparſam evaneſcunt: Ita appro-

propinquante propius Sole illo justitiæ, Messia, Umbræ Veteris Testamenti sensim fuerunt contractæ, donec illo plene apparente & lucente, prorsus sunt sublatæ, & jam sub mundi vesperam post tergum nostrum rejectæ.

Non negamus, respectu Judæorum posse dici, irati ipsis Dei hæc fuisse signa, qui peccatorum ipsorum causa his præsentiæ suæ signis justo judicio eos spoliavit; sed simul fidelibus & credentibus majoris gratiæ paulo post exhibendæ, & nunc reipsa exhibitæ, fuerunt documenta. Imo, ut his præsentibus, de Dei præsentia & cohabitatione quasi certi esse poterant, ita eorum privatio prodromus erat majoris ipsorum rejectionis, quando non solum hæc typica gratiæ suæ signa, non ea qua decebat gratitudine, exceperunt, & turpiter iis sunt abusi; sed in posterum etiam Α'ρχέτυπον ipsum, Messiam, erant rejecturi.

Merito ad hæc oculos aperire, & maturius hæc omnia considerare deberent Judæi, quare illustria hæc circa cultum suum signa eo tempore ipsis ablata fuerint, nec in hodiernum diem sint restituta, imo nec restituenda. Quamvis enim suavia sibi fingant somnia, de his quoque, ut de aliis, aliquando per Messiam restituendis, ex loco Esræ cap. 2. 63. tamen certo credo, si intimum animi sui sensum sine fuco expromere & exprimere velint, illos fassuros, se ut de Messia ipso, ita & de his, revera desperare, neque, quod verbis præ se ferunt, reipsa credere.

CAPUT VI.

Quare Deus populo suo extraordinarium & singulare hoc, in rebus dubiis se consulendi Medium, concedere & indulgere voluerit?

Constat ex Sacris literis, Populum Israeliticum, fuisse in rebus secundis tumidum & elatum, qui *impinguatus, recalcitravit & dereliquit Deum suum, qui fecit eum*, Deuter. 32. 15. in adversis dejectum, impatientem, qui subinde patiebatur se a Deo & ejus cultu, ad superstitiones & Idololatrias Gentilium abduci. Unde Deum in Lege sua, & præcipue in Cultu Divino Vet. Test. inter alios fines hunc quoque sibi propositum habuisse legimus, ut Populum suum ab omni Gentium alienarum quas inter vel vivebant, vel vicinas habebant superstitione revocaret, & ad se unice retraheret.

Jam vero inter Gentes illas maxime superstitiosas, præcipui erant Chaldæi, a quibus primam originem ducebant, Ægiptii, inter quos diu habitabant, & Cananæi, ad quorum terram ex promissione & munificentia Dei occupandam in procinctu erant. Hi omnes varias habebant Divinandi, Vaticinandi & futura cognoscendi & prædicendi artes, per Astrologos, Augures, Aruspices, Conjectores, Sortilegos, & alios, quos in rebus dubiis & perplexis consulebant: habebant a prima antiquitate sua Oracula, quorum vetustissima erant Hammonis in Libya, & Dodoneum in Græcia, quorum illud ab Ham, Noe filio, hoc a Dodanim (de quibus Genes. 10. v. 1. & 4.) nomen & originem traxisse quidam existimant. Attribuit eis Scriptura Ephod & Theraphim, Hos. 3. v. 4. Sic Michas dicitur fecisse Ephod & Theraphim, Judic. 17. 5.

Ne itaque populus suus, ut Saul improbe fecisse legitur, 1. Sam. 28. occasionem haberent ad Diabolicas istas artes declinandi, & a Deo suo se avertendi; extraordinaria hujusmodi Oracula ipsis quoque suppeditavit & indulsit per hæc Urim & Thummim, quibus solis in rebus dubiis ex præscripto suo uterentur; aut, si, aliter agerent, derelinquendo Deum suum, Venam illam aquarum vivarum, & cisternas sibi effodiendo, quæ aquas non continerent, ut omnis ipsis excusationis materia præcisa esset.

Tum etiam, ut & Suam, & Populi sui gloriam, inter exteros quoque & alienos populos tanto illustriorem redderet, palam sic toti Mundo facere voluit Dei Israelis manum hic non esse abbreviatam, & longe certiora a Deo suo Israelitas obtinere Oracula, quam ullorum aliorum populorum Dii fictitii & ementitii præstarent, vel præstare possent, magnumque esse inter hos & illum, inter Sacrum & Prophanum, Mundum & Immundum discrimen.

Magna utique erat Dei gratia & indulgentia, quod tam præsens remedium ipsis concesserit, in subitaneis & gravibus incidentibus causis, iisque dubiis & incertis, quid faciendum vel omittendum ex ipsiusque ore intelligere, de qua revera dici potest, quod David celebrat Psalm. 147. v. 19. 20. *Annunciavit verbum suum ipsi Jacob, statuta judicia suo Israeli; Non fecit sic ulli genti.* Separare & segregare hac ratione

ne populum suum voluit ab omnibus aliis gentibus, earumque Superstitionibus, quæ semper cum insigni Idololatria & aliorum Deorum cultu, erant conjunctæ, ut ipsi vicissim Deum suum ab aliis Diis segregarent, Eumque solum & unicum colerent, & consulerent. Quanta igitur fuit ipsorum ingratitudo, si quando his Divinis mediis spretis ad alia deflecterent?

Denique etiam, quia tum nondum plene apparuerat Verus ille Pontifex maximus, & magni Consilii Angelus cujus Spiritu loquuti sunt omnes Prophetæ, Fons ille omnis lucis & revelationis; Ejus Typum hac ratione proponere voluit in Summo Sacerdote Legali, ut ille Dei apud homines Internuncius, & Interpres voluntatis ejus ad tempus esset. Unde ante Ipsius adventum hæc quoque per Urim & Thummim revelatio a Deo subducta fuit & disparuit. Nam ut totus cultus Leviticus, & in eo præcipue summum Sacerdotium, typus erat Messiæ, ut fuse id docet Apostolus in Epistola ad Hebræos: ita hanc quoque partem eo respexisse, non est dubitandum.

Quemadmodum enim Summus Pontifex in V. T. ex hominibus & fratribus suis assumebatur; sed Divino hoc axiomate ab eis segregabatur, quod Nomine Dei in Pectorali, & Spiritu Sancto in Corde, infructus esset: ita Christus quoque secundum Carnem fuit ex hominibus, fratribus per omnia similis, excepto tamen peccato; Nomen autem Dei fuit in medio ejus, ut loquitur Exod. 23. 21. h. e. simul fuit verus Deus. Nam שמו הוא והוא שמו Nomen Dei est ipse Deus, & Deus est Nomen suum, ut Hebræi ajunt.

Quemadmodum Sacerdos summus multis privilegiis, & Spiritus S. donis supra fratres suos dotatus erat: ita Christum quoque Deus unxit oleo exultationis supra consortes suos. Neque admetitus est ei Deus Spiritum, Joh. 3. 33.

Quemadmodum Sacerdos per Urim & Thummim negotium populi ad Deum & responsum Dei vicissim ad populum referens, Medius inter utrumque erat: ita Christus quoque Mediator est Dei & hominum, qui pro nobis apud Patrem intercedit, & omnem Dei voluntatem exponit.

Quemadmodum per Sacerdotem summum solum per Urim & Thummim Deus consuli poterat: ita per solum Christum Deum invocare & ad Eum accedere possumus & debemus, ad Heb. 4. 15. 16. & 7. 25. & 10. 21. 22. &c. Ad neminem alium eundum, quia Ille solus est qui habet verba vitæ æternæ, Joh. 6. 68.

Quemadmodum Sacerdos Summus Auri & Gemmarum splendore totus radiabat & fulgebat, quæ admirandos a se spargebant radios, consilii & voluntatis Dei characteres claros & certos: ita Christus est Splendor Gloriæ, & Character Personæ Patris: Lux illa vera, illuminans omnem hominem venientem in mundum.

Quemadmodum responsa & oracula Divina eliciebat & proferebat ex pectorali, quo cor ejus munitum erat: ita Christus e sinu Patris protulit & revelavit Evangelium suum de Remissione peccatorum, & Vita æterna, omnemque voluntatem Patris nobis exposuit, quæ est, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.

Quemadmodum oracula per Urim & Thummim certissima erant & verissima: ita sermo Christi Veritas est: qui illum sequitur, ambulat in Luce, non in tenebris &c.

Sed & eleganter per Urim & Thummim repræsentantur Veteris & Novi Testamenti libri, quos in rebus dubiis consulere, quorum ductum & judicium sequi debemus.

Per Urim dicunt Hebræi, ut supra audivimus, Responsi Divini summam in literis gemmarum Pectoralis fuisse patefactam, sed confuse, obscure & ænigmatice. Pari modo in Veteris Testamenti libris, in Lege & Prophetis Christus quidem fuit patefactus, sed obscure in Figuris, Typis, Prophetis, & aliis similibus Umbris.

Per Thummim scribunt plene patefactum fuisse sensum Divini oraculi, & literas illas in voces conjungendi ratione, quibus Deus suam voluntatem illis manifestavit: ita per Evangelium in N. T. Christus plene & perfecte est patefactus & exhibitus, una cum omnibus reliquis ad salutem per Ipsum consequendam mysteriis.

Quemadmodum autem Urim non fuerunt sine Thummim, nec Thummim sine Urim; ita hæc duo non sunt nobis separanda; sed conjungenda, conferenda, & consulenda, ad plenam Dei voluntatem cognoscendam; nec quia Evangelium habemus, ideo Mosis & Prophetarum libri deserendi vel abjiciendi, juxta illud D. Petri 2. Epist. 1. 19. huic instituto accommodum dictum; *Habemus firmissimum sermonem Propheticum, cui recte facitis quod attendatis, velut*

velut lucernæ lucenti in obſcuro loco (ſicut Urim olim intra pectoralis duplicationem erant abſcondita, & primo indiſtincte in Sacerdotis oculis lucebant) *uſque dum lucifer exoriatur in cordibus veſtris* (ſicut olim per Thummim cor & animus Sacerdotis pleno reſponſi Divini ſenſu fuit illuminatus); Quemadmodum vero requirebatur ſingulare Spiritus Sancti donum in Sacerdote, ad accipienda τῶν Urim & Thummim oracula: ita, eodem teſte, *Scriptura non eſt propriæ explicationis*, ſed, ut *acti a Spiritu Sancto loquuti ſunt Sancti Dei homines*, ita & ejuſdem ductu eſt intelligenda & explicanda.

Si cui hic ſapientia deſit, *petat eam a Deo, Patre* τῶν φώτων URIM ſeu *Luminum*, *a quo omne donum* תמים *perfectum ſuperne deſcendit* &c. Jacobi I.

Sed induſtrio & ſagaci Lectori ipſimet plura in hanc rem ſcrutanda & adinvenienda reliquimus, atque hic præſentem Diſſertationem bono cum Deo finimus.

Reliquum hujus Columnæ impleat mirabilis narratio, quam Suidas, ex incerto quodam Authore de Ephod, & modo conſulendi per Urim & Thummim refert: *Ephod*, inquit, *nomen eſt Hebraicum, quod ſi interpreteris, Manifeſtationem, aut Redemptionem ſignificat. Erat autem forma ejus textura palmaris, vario artificio, inſtar Pectoralis, ex aureis filis confecta. Ac in medio habebat quaſi ſtellam omnino auream: ex utraque autem parte duos Smaragdos, in quorum unoquoque ſculpta erant ſex nomina, videlicet duodecim Nomina tribuum Iſrael. Porro inter Smaragdos continebat Lapidem Adamantem. Cum ergo Sacerdos ſciſcitaturus erat de re quadam Oraculum a Deo, ligabat Ephod in ſuperhumerali ad medium pectoris, & ſubjiciebat manus ſuas ſub ipſum, quas cum retraheret, deprehendebat eas quaſi colore quodam infectas. Petebat autem a Deo reſponſum, defixis in Ephod oculis. Itaque ſi Deus annuebat ad id quod petebatur, confeſtim micabat lapis Adamas: ſi autem negabat, nihil ad priſtinum & proprium lapidis fulgorem accedebat. Quod ſi Deus populum voluit objicere gladio, lapis reddebatur cruentus; ſi autem imminebat mors, lapis fiebat niger.* Hæc ille. Sed præterquam quod veſtimenta & reliqua omnia imperite hic confunduntur, de hac tota hiſtoria, nec in Sacris Literis, nec in Hebræorum monumentis, vel vola vel veſtigium apparet. Aliquid ſimile habet, quod Auguſtinus ſcribit, *quoſdam fabulari, lapidem fuiſſe in Rationali judicii, cujus color, ſive ad adverſa, ſive ad proſpera, mutaretur, quando Sacerdos intrabat in Sancta.*





NICOLAI POLEMANNI DISSERTATIO DE URIM ET THUMMIM.

I. N. J. C.

הקדמה

NUM est gens ulla alia ita magna, cui Dii ita sint propinqui, sicut Dominus Deus noster est nobis, in omnibus in quibus invocaverimus eum? *admirabundus quærit Moses Deut.* 4. *v.* 7. *Comprobant hoc effatum abunde tum alia in SS. commemorata testimonia, tum imprimis etiam variæ istæ revelationum species, quibus* πολυμερῶς κὶ πολυτρόπως *in V. T. Deus Prophetis locutus commemoratur. Singularis illa fuit & Mosi propria, qua* פה אל פה *familiarissime Deus ad Mosen verba e Propitiatorio fecit. Communiores vero & Prophetis competentes revelationes Num.* 12. 6. *aliæ per visionem, aliæ per somnium fieri dicuntur. Visionum aliæ externæ, ut rubus ardens, aliæ internæ & intellectuales fuere, cum mens ipsa vidit objectum propheticum cœlesti lumine repræsentatum. Somnia autem divina vel diserte rem proponebant, quale Salomonis* 1. Reg. 3. *vel ambagibus implicata figurate rem sistebant, quale Jacobi* Gen. 28. *Alia denique revelationis species Rabbinis est* רוח הקדש *quam a* נבואה *ita distinguunt, quod hæc cum quadam* ἀναισθησία *Prophetis obtigerit, ille vero in homine deprehendatur nulla infirmitate correpto, & ubi adfuerit, excitet virum ad loquendum vel psallendum. Videatur Dn. D. Calovius* tom. 1. Syst. Theol. p. 487. & Isagoge p. 93. f. *Ad illam, quam Spiritum S. vocant, referunt Ebræi gratiam per* URIM & THUMMIM *prædicendi futura & oracula edendi;*

di; qua, & prophetia vera in templo ſecundo deficientibus, aliam revelationem, quam בת קול *filiam vocis vocant, ſucceſſiſſe docent. Nos relictis cæteris, pro ingenii modulo de* URIM *&* THUMMIM *quædam in præſentia in medium afferre conabimur. Quamvis enim nec ingenii noſtri tenuitatem, nec rei difficultatem ignoremus, quia tamen anxie a doctis omnibus ſeculis de eorum natura quæſitum fuit & adhuc quæritur, atque pia eruditorum inveſtigatione res digna videtur, in celeberrimorum Philologorum de hoc oraculo ſententias inquiremus, & quænam maximo probabilitatis gaudeat teſtimonio ad Scripturæ S. lancem expendemus.* Clementiſſimus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti benigniſſimam Spiritus ſui Sancti nobis in hoc labore largiatur παράστασιν, ut veritatem, quam καθδύναμιν ſequemur, feliciter aſſequamur.

THESIS I.

Aronitici pectoralis inſigne URIM & THUMMIM explicaturi, a vocis evolutione merito initium facimus. Ὀνόματα enim quaſi *νοήματα* dicta putantur, cum *ex nominis interpretatione facilius rei ratio nota fiat* teſte Scaligero *l.* 1. *de L. L. c.* 4. Atque imprimis in lingua ſancta cæteriſque orientalibus notatio nominum rerum cognitioni inſervit, cum eorum genuina ſignificatio ex radicibus ſoleat inveſtigari. Primum ergo inquirenda originatio & inveſtiganda radix, a qua utrumque vocabulum deſcendat: quæ tamen ſe facile prodit. A qua enim radice alia derivaretur nomen אורים quam a verbo אור & תמים quam ex תמם *perfectus fuit?* Et qui hoc negare velit, *non verbis ſed fuſte refellendum eſſe*, dicit Chriſt. Helvicus in *Vindic. loc. potiſs. V. T. p.* 148. Ridiculus ergo eſt Card. Rob. Bellarminus, dum *l.* 4. *de Rom. Pontif. c.* 3. *p.* 211. *B. tom.* 1. *oper. dicendum eſt*, inquit, אורים *deduci a* ירה *quod eſt* (in Hiphil. הורה) *docuit, & alterum ab* אמן *quod eſt* (in Hiphil. האמין) credidit. *Si enim* אורים *ab* הורה, *unde* א *in illud irrepſit? Et ſi* תמים *ab* אמן *cur* א *abjectum* מ *vero dagiſſatum eſt?* recte ſcribit Hackſpanius *in notis. ad Ex.* 28. Prolixius Bellarminum refellit Sixt. Amama *Antib. Bibl. l* 2. *p.* 360. & *in cenſura vulg. Verſ. ad l. c.* Ratio quam addit ad ſtabiliendam ſuam derivationem: *magis credendum eſt Hieronymo, qui vertit doctrinam & veritatem, & LXX. qui ſimiliter verterunt* δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, *quam omnibus Rabbinis*: belle ab Amama l. c. in ipſum Bellarminum retorquetur, *Vocem Thummim Deut.* 33. *v.* 8. *Hieronymus vertit perfectionem. Ergo derivanda a themate, quod perfectionem ſignificat: at illud eſt* תמם *LXX. autem & Hieronymum voces dictas expoſuiſſe non proprie, ſed* μεταληπτικῶς, *& ad finem potius reſpexiſſe, quam ad nativam ſignificationem* recte reſpondet B. Meiſnerus *Phil. S. P. II. Sect.* 1. *p.* 395. Agnoſcit id Corn. a Lapide *comm. in Ex.* 28. noſtræque ſententiæ calculum ſuum adjiciunt ex ipſis Romano-Catholicis, *Cajetanus*, *Oleaſtrius*, *Ribera*, *Pererius*, *Martinus Delrio*, *Arias Montanus* & alii.

TH. II. Vi ergo originis ſuæ *Urim & Thummim* ſignificant ſplendores ſive illuminationes, & perfectiones. Dubium tamen manet, utrum nomina hæc acceperint, vel a natura ſua, quod lucida fuerint ac perfecta, nihil ad ſui perfectam conſtitutionem deſiderantia, vel ab effectu quod conſulentes ſe illuminarint in rebus dubiis, perfectaque vera & certa reſponſa Sacerdoti ſummo ſuggeſſerint & dederint; vel denique ab utroque ſimul. Secundum plurimi amplectuntur. Talmudici *in Maſſechet Joma c.* 7. *fol.* 73. *col.* 2. אורים, inquiunt, *vocatur nomen eorum, quia* מאירים *illuminabant verba ipſorum*: תומים *quia perficiebant verba ipſorum ſc. Iſraelitarum interrogantium in rebus dubiis, clarum & certum reſponſum dando*, ut explicat Buxtorfius *Exerc.* 3. *c.* 277. Idem habetur *in Talmud Hieroſolymitano* eodem cap. paulo aliis tamen verbis, ſecutuſque eſt Jonathan ſuppoſititius (v. *Diſſ.* Cl. Dn. M. Pfeifferi *de Targumim. th.* 6. *J.*) Paraphraſtes Chaldæus in legem, ad Ex. 28. & R. Bechai, qui expreſſe, *vocantur*, inquit, *Urim & Thummim ab operatione ſua.* Nec incongrua eſt ſententia eorum, qui utrumque conjungunt, atque *Urim & Thummim* ipſas gemmas pectorali inſertas fuiſſe exiſtimantes ideo ſic dictas volunt, tum quod in ſe lucidæ & perfectæ fuerint omni vitio & defectu carentes, tum quod reſponſa

sa perfecta per insolitum & extraordinarium splendorem manifestarent.

TH. III. Utrumque vero vocabulum, de subjecta materia, semper ponitur in plurali numero: vel per enallagen, ad denotandam auxesin sive perfectionem; ut Corn. a Lapide *comm.* & Hackspanius *in notis ad l. c.* existimant: vel adhibetur pluralis ideo, quod per ista intelligantur plures gemmæ, duodecim nim. istæ, quæ pectorali Pontificis insertæ erant. Interdum utrumque vocabulum conjungitur, ut *Ex.* 28. *v.* 30. *Lev.* 8. *v.* 8. *Deut.* 33. *v.* 8. atque ita, ut vel nomen *Urim* præcedat, vel sequatur, ut posteriori loco, interdum autem solitarie nomen *Urim* ponitur, nec minus tamen *Thummim* subintelligitur. Plerique enim agnoscunt *Urim* & *Thummim* eandem rem designare: quemadmodum R. Bechai expresse scribit; *nunquam Urim erant sine Thummim, utraque enim unam & eandem rem conficiebant*. Quaquam idem existimet *Urim* fuisse nomen principale.

TH. IV. Circa *Synonymiam* expendendæ variæ interpretum explicationes. Equidem Onkelos, & Tavvusius Metaphrastes Persicus, ut solet, voces Ebræas retinuit, quos secutus est Arias, fortasse ne Vulgatæ interpretationi contradiceret, Piscator & alii. De Chaldæo Paraphraste Cl. Becman in l. de origg. *Chaldæus*, inquit, *ut mos Ebræorum fuit mysteria condere, servavit* ἀνερμήνευτα. Quod ipsum prius verum quidem est de hodiernis Judæis, quorum invidiam erga Christianos adducit Cl. Schickardus *in Bechin. Happer. p.* 14. *s.* ipsum vero Paraphrasten etiam ideo voces Ebræas retinuisse, minus probabile videtur. Arabs autem interpres reddidit אל אנואר ואל צהאיה dilucidationes & certitudines. Syrus נהירא ישלמא lucidum & perfectum. LXX. δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, quos secutus Vulgatus & Hieronymus, reddentes doctrinam & veritatem. Aquila φωτισμοὺς καὶ τελειώσεις. Lut. Liecht und Recht. Piscator die Liechter und Vollkommenheit. Cæteri omnes propius literæ verborum Ebræorum adhæsere: LXX. autem & Hiernymus sensum magis respexerunt, quia nim. res ipsa ex Dei ordinatione virtutem δηλώσεως & docendæ ἀληθείας habuit, earum sc. rerum de quibus instituebatur interrogatio. Rectius quoque hi ista nomina interpretati videntur: neque enim ignota nomina sunt, aut inexplicabilia, neque etiam peregrina vel propria, cum ה demonstrativum & affixa admittant v. Ex. 28. v. 30. Deut. 30. v. 8. Sunt qui existimant Hos. 3. v. 4. per *Teraphim*, *Urim* & *Thummim* intelligi, adeoque quodammodo synonyma esse. Sed respondit iis Cl. D. M. Pfeifferus *diss. de Teraphim th.* 13. quod *ex versu præcedente satis evidenter appareat, Idololatris prædici, quod & publico cultus veri Dei exercitio & idolis suis privandi sint, nec meretrices nec maritæ futuri*. Conf. Rivetus *ad h. l.*

TH. V. Sed misso nomine ad rem ipsam accedendum, atque inquirendum, quidnam ipsa *Urim* & *Thummim* fuerint. Enim vero nomina ipsa per se sunt satis nota, sed circa subjectam materiam valde ambigua, unde Interpretes vel Ebræa retinuerunt, vel illa aliter atque aliter reddidere: res autem per ea significata in sacro codice non explicata, nisi quantum ad ipsorum officium atque usum spectat. Istud enim satis constat, fuisse quædam symbola ordinaria, per quæ Deus Sacerdoti summo voluntatem suam de rebus rite quæsitis patefaciebat. Omnium reliquorum vestimentorum sacrorum materia, forma & fabrica describuntur: de his solis autem nihil commemoratur apertis saltem & disertis verbis. Cætera omnia expresse jubentur a Deo per artifices fieri: de his vero tantum dicitur ad Mosen: & indes pectorali *Urim* & *Thummim*, neque ad eorum explicationem quiquam ulterius additur. Hinc est quod inter ipsos Ebræos nonnulli rem incertam & ignotam esse fateantur. R. David Kimchi *in libro Schoraschim*: Non constat nobis, inquit, quid fuerint. Eandem querelam occinit R. Abraham Seba *in Tseror Hammor s. comm. in Leg.* scribens אנחנו לא ידענו מה הם *nescimus quid fuerint*: idemque multis de iis disputans repetit Aben Esra. Subscribit huic sententiæ Rivetus *comm. in Exodum* his verbis: *Certe nihil temere definiendum est, adeo res nobis incognita & incerta*: itemque Cl. Buxtorf *Exercit.* 3. Huic Cl. virorum ἐποχῇ merito lubentesque nostrum adjicimus calculum: neque Archimedæum εὕρηκα quenquam hic facile usurpare posse existimamus. Interim quænam celeberrimorum Philologorum sententia sacris literis maxime consentanea deprehendatur, non abs re conabimur investigare.

TH. VI. In antecessum vero pectorale ipsum, cui indita legimus Urim & Thummim, explicandum. Dicitur illud Mosi חשן vex ex חשה siluit, tacuit, quod B. Forstero *in Diction. pag.* 216. placet, ut significatum fuerit hoc nomine, pectorale istud mysteria Dei ab-

abscondita & tacitam Dei voluntatem comprehensam habuisse, vel per transpositionem literarum ex נחש divinavit, auguratus est. LXX. istud περιστήθιον reddiderunt, Piscator Brust-Tuch. Luth. autem noster ab externa forma, ein Schildlin. Josephus paululum immutata voce *Essen* appellat. A Græcis Interpretibus etiam λόγιον nuncupatur, quod Josephus *Antiq. Jud. lib.* 3. *cap.* 9. oraculum interpretatur: paulo aliter tamen Gallasius *ad Exod.* 28. *v.* 30. & Meisnerus Phil. Sobr. *P. II. sect.* 1. *c.* 3. Erant autem Choschen una ex octo vestibus Pontificis a Deo ipsi peculiariter præscriptis: quarum quatuor ipsi cum aliis Sacerdotibus communes, quatuor autem propriæ erant. Communes כתונא *indusium*, *tunica* מכנסים *femoralia* מגבעת *tiara* & המצנפת *baltheus*: propriæ autem ipsi מעיל *palliolum* אפור *amiculum*, *humerale*, ציץ *cidaris sive corona vel bractea*, & denique חשן *pectorale*. Textura harum describitur Ex. 28. & c. 39. quam latius explicant Maimonides in *Hilcoth cele Mikdasch* vel de Vasis Sanctuarii *cap.* 9. & Fl. Josephus *A. J. l.* 3. *cap.* 8. cujus autoritatem in hac re vel ideo majori loco habendam ex Hebræis R. Asarias censet, quod vixerit stante adhuc templo secundo, atque ita hæc non ex auditu & rumore hauserit, sed coram potuerit videre, secta Pharisæus, professione Sacerdos. Repetit ex Josepho S. Hieronymus *epist.* 128. *ad Fabiolam*, cujus verba adducit Car. Sigonius *de rep. Hebr. l.* 5. *cap.* 2. Verba Josephi de Choschen inter alia hæc sunt: *In Ephod circa medium pectus lacuna quædam relinquitur, cui inseritur frustum amplitudine palmi* (spithamæ) *iisdem* (variis) *coloribus quibus Ephod variegatum. Id vocatur Essen, ut si dicas rationale. Istud duodecim gemmæ distinguunt, eximia vel magnitudine vel pulchritudine, ornatus, propter enorme pretium, incomparabilis, cui ternæ, per ordines quatuor, inerant, consertæ coronulis aureis ita ut excidere non possent. His omnibus erant insculpta filiorum Jacobi nomina, quos tribuum autores habemus, ordine quo singuli nati fuerant.*

Th. VII. Huic ergo Choschen sive pectorali ex mandato Dei *Urim* & *Thummim* indita fuere. Ex Hebræis plerique putant fuisse Scripturam vel sculpturam nominis tetragrammati (κατ' ἐξοχὴν ita dicti) יהוה, cum certis quibusdam ejus per alia itidem nomina divina expositionibus, quas Moses vel a Deo ipso scriptas, vel lapidibus insculptas acceperit, vel ipse ex divina revelatione scripserit, & duplicationi pectoralis inseruerit. Antiquissima hujus sententiæ mentio fit in libro Zohar in Exodum. Verba in Latinum translata sermonem hæc sunt: *Urim sunt secretum speculi lucentis, & hoc est sculptura literarum nominis illius sancti per mysterium* 42. *literarum, quibus creati sunt mundi, quæque impressæ fuerunt in eo. Thummim sunt secretum literarum illarum, quæ comprehensæ fuerunt in loco speculi non lucentis, & hoc constabat* 72. *literis, sculpturis illius nominis Dei sancti mystici*. Eadem fere habet Targum Jonathanis in legem *ad Exod.* 28. 30. Secuta major pars Hebræorum: unde R. Abraham Seba Hispanus scribit: *major pars sapientum Cabbalisticorum consentiunt, quod fuerint nomina sancta*, quamvis diversimode se explicent. Huc referri potest illorum Cabbalistarum sententa, qui nomen Dei tetragrammaton duobus modis transpositum ab interiore parte, XII. gemmis pectoralis inscripta fuisse existimant, & hujus virtute, quando Sacerdos summus per Urim & Thummim Deum interrogabat, & lapides insolitum fulgorem emisisse & animum Sacerdotis illuminatum fuisse. Duodecim ista nomina vide apud Buxtorfium ex Abarbenele citantem *Exercit.* 3. *pag.* 284. & Bangium ex quadam moneta, ubi alia quædam nomina addita, *in cœlo Orientis exerc.* 2. *pag.* 195. Sed hæc sententia minus probabilis videtur, cum redoleat fabulas Judæorum de mira virtute nominis יהוה seu שם המפורש de quo conf. Luth. *pec. libr.* P. Galatinus *in Arch. Cathol. Verit.* Raymundus Martini *in pugione fidei*, Reuchlinus *de arte Cabbalistica* &c. Et cur nomen Jehovæ pectorali inscribendum fuisset, quod aureæ insculptum laminæ in fronte jam gestabat Sacerdos?

Th. VIII. Augustinus *tom.* 4. *l.* 2. *quæst. in V. T. qu.* 117. hæc ipsa nomina *Urim* atque *Thummim* aureis Hebraicisque characteribus pectorali inscripta fuisse censet. Subscribit Bellarminus *l. supra cit.* & Cornelius a Lap. *comm. ad Ex.* 28. Hoc, *mihi verisimilius*, inquit, *videtur, hæc duo nomina Urim & Thummim inscripta fuisse rationali; ita ut, cum dicit Scriptura Sacra: Pones in rationali doctrinam & veritatem, sensus sit; inscribes in rationale hæc duo nomina, sicut tiaræ Pontificis inscripta fuerunt hæc duo verba*: Sanctitas Jehovæ: existimans sic sensum maxime planum ex verbis Mosaicis emergere. Sed & ista expositio videtur inconveniens, nec immerito eam Pererius & Martinus Delrio

rio rejiciunt. Non enim dicitur: scribes *Urim* & *Thummim*, sed, pones. Quam rationem etiam urget Rivetus *comm. in Exod.* 28. *Ubi agitur*, inquit, *de nominibus in ornamentis Pontificalibus, Sp. S. semper jubet ut insculpantur. Sic, ubi de* 2. *lapidibus superhumeralis, &* 12. *pectoralis, in quibus insculpta fuerunt Israelitarum nomina. At hic nulla mentio sculpturæ, nec lapidum, in quibus verba illa sculpta fuerunt, quod a Mose omissum fuisse mirum esset in tanta & tali ἀκριβείᾳ*. Arias Montanus *in Apparatu*, citante Bellarmino, docet esse duos lapides lucidissimos, a Deo ipso immediate productos atque Mosi datos. Suidas in dictione Ephod scribit, *fuisse duos smaragdos & inter eos positum adamantem*. Vide locum integrum apud Buxtorf. *Exerc.* 3. *sub finem*. At de iis in sacris literis nec vola nec vestigium apparet. R. Asarias *in Meor enajim* citat Aben Esram, quod putarit, fuisse opus aurifabri, instrumentum Astrologicum, simile quid illis figuris sive instrumentis, quæ faciunt Astrologi ad sciendum cogitationem ejus qui interrogat. Sed absque fundamento: unde recte subjicit R. Asarias: *nihil quicquam dixit Aben Esra*.

Th. IX. Alii denique ipsas XII. gemmas in pectorali collocatas *Urim* & *Thummim* nuncupatas est volunt. Hanc sententiam expresse & prolixe tuetur ex Hebræis idem R. Asarias *l. cit. cap.* 50. citatque pro sua sententia R. Mos. Maimonidem *l. de Vasis Sanctuarii cap.* 9. Flavius etiam Josephus, cujus in hac controversia testimonium merito magni faciendum est, proculdubio in eadem fuit sententia. Nam *l.* 3. *cap.* 8. *Ant. Jud.* Pontificalem ornatum, & in specie Ephod & Choschen describens, tantum gemmarum, nullam autem *Urim* & *Thummim* facit mentionem. Similiter *cap.* 9. ubi de responsis e pectorali datis agit, iterum gemmarum tantum meminit: nec minus *l.* 8. *c.* 2. ubi de templi Salomonæi apparatu agit. E quibus videtur colligi posse; nihil peculiare vel distinctum a gemmis pectoralis illi *Urim* & *Thummim* fuisse. Eandem sententiam eleganter, & iisdem fere rationibus, quibus R. Asarias, tuetur Joh. Brentius *Comm. in Exodum* cujus verba suppresso nomine Paulus Fagius *comm. in Paraphrasin Chaldaicam Ex.* 28. citat. Approbat eandem Meisnerus *l. c.* eandemque etiam Luth. verisimilem visam addit. Consentit etiam Bened. Bererius *comm. in cap.* 25. *Gen.* Baronius *ad A. M.* 2544. *S.* 86. *s.* Constant. L' Empereur *ad ὁδοιπορίαν Kimchii l.* 2. *cap.* 7. *pag.* 206.

Th. X. Rationes hujus sententiæ palmariæ ex collatione locorum desumuntur. Cum enim *Exod.* 28. Moses religiose atque accurate vestimentorum sacrorum materiam & formam describat, verisimile maxime videtur, ipsum etiam pluribus *Urim* atque *Thummim* explicaturum fuisse, si aliud quid quam XII. pectoralis gemmas per illa intellexisset. *Cap. a.* 39. ubi descriptio vestimentorum repetitur, nullam *Urim* & *Thummim* Moses facit mentionem. Contra *Lev.* 8. *v.* 8. horum meminit, nihil autem de duodecim illis lapidibus dicit. Præterea non dicitur *Ex.* 28. scrites aut sculpes *Urim* & *Thummim*, sed pones, ut corpora subsistentia denotentur: quænam autem alia quam gemmæ istæ, quandoquidem artificibus seorsim non commissa fuere facienda. Accedit, quod omnes fere fateantur, responsum per *Urim* & *Thummim* datum e lapidibus illis duodecim egressum esse, & quidem per lucem ex illis promicantem, unde ita dicti sint, quasi אבני אורים lapides lucentes ותמים & perfecti: & præterea illud: quod ה Hajediah, utrique nomini *Ex.* 28. præfixum, docere videatur, agi hic de re nota & cujus jam ante mentio facta sit. Conf. *Deut.* 3. *v.* 5. Addit L' Empereur *l. c.* ex Æliano *var. lect. l.* 14. *c.* 24. *quemadmodum summus Ægyptiorum Sacerdos gestabat ornamentum ex Sapphiro, quod dicebatur ἀλήθεια, ita etiam Sapphirus aliæque gemmæ in pectorali Aaronis ἀλήθεια* (*ut reddidere LXX.*) *dici commode potuerunt*.

Th. XI. In hac posteriori sententia, si qua omnino ex istis est eligenda, nescimus quid obstet, quo minus acquiescamus. Hæc enim simplicissima & textui quam maxime congrua videtur esse interpretatio. Neque inde oritur ταυτολογία quemadmodum Corn. a Lap. objicit: *Cum fuse descripsisset*, inquit, *Moses XII. gemmas, & immediate ante hoc præceptum de ponendo Urim & Thummim in rationali rursus XII. gemmarum clare meminisset, quorsum quæso paulo post easdem tam obscure nominibus Urim & Thummim inculcaret?* Nam in superioribus tantum numerum dispositionem & sculpturam gemmarum Deus Mosi præscripserat, postea autem usum & officium illarum duabus hisce vocibus ostendit. Particula enim ו in ונתתה exponenda, ut sæpe alias, per *sic* vel *ita*: ut sensus sit: positis in pectorali gemmis, posuisti Urim & Thummum, gemmas sc. *Urim* & *Thummim* futuras.

Quo

Quo observato corruit etiam argumentum primum Cl. Honttingeri contra hanc sententiam, quando *Exerc. Anti-Morin. p.* 88. urget verba *versus* 30. *Pones autem in pectorali, [his nempe lapidibus jam recensitis instructo] Urim & Thummim*. Neque ita tribuitur Mosi, quod ipse posuerit oraculum in hisce lapidibus: *Mosis*, instat Cornelius, *non erat ponere oraculum in hisce lapidibus, sed Dei. Ergo non bene dicitur: Pones oraculum; sed dicendum erat: ego ponam; ego dabo per lapides oraculum*. Illud enim tantum tribuitur Mosi, quod gemmas istas, futuras ex Dei ordinatione oraculum, s. *Urim* & *Thummim*, in pectorali collocaverit. Alterum argumentum quod idem Hottingerus contra hanc sententiam urget, non est contra nos; *Voluit Deus*, inquit, *ut pectorale fieret* כפול *duplicatum, ut utrique parti quasi excavatæ aliquid inseri posset, quod, quid aliud est quam Urim & Thummim?* Recte: & illa nihil aliud sunt, quam ipsæ gemme pectoralis, quæ propterea dicuntur lapides impletionum *Ex.* 25. 7.

Th. XII. *Fuerunt igitur*, (ut aliquam eorum descriptionem exhibeamus) Urim & Thummim *gemmæ pectorali Pontificis jussu Dei a Bezaleele insertæ, ut essent symbola quædam, per quæ Deus Sacerdoti summo, ex singulari & præsentissima Spiritus Sancti operatione, suam de rebus rite quæsitis patefaceret voluntatem*. *Conceptus contrahibilis* est, quod fuerint gemmæ: *conceptum* antem *contrahentem* reliqua sistunt verba. Ubi *differentia* petitur tum ab eo quod pectorali insertæ, tum ab artifice, tum ab officio & fine.

Th. XIII. *Causa efficiens* sive *artifex* τῶν Urim & Thummim fuit Bezaleel, quem Deus gloriosus ipse delegerat, scientia fabrili singulari instruxerat, & teste Mose *Ex.* 35. *v.* 30. *impleverat Spiritu Dei & omni doctrina, ad excogitandum & faciendum opus in auro & argento, ære, sculpendisque lapidibus*. Hoc acriter impugnat Cl. Hottingerus *l. c. p.* 85. *s. Videmus*, inquit, *utut auctores in descriptione formæ varient consentire tamen in eo quod opus illud ab homine non profectum sit*. Adstipulatur ei Junius *in margin. glossa Ex.* 28. & Piscator *in h. l.* Arias Montanus *in Aarone p.* 4. Amesius *Or. de Urim & Thummim*. Verum enim vero largitur nobis Cl. Hottingerus testimonium Aben-Esræ *in cap.* 2. *Esdræ v.* 63. additque quod *non aliunde hoc quam ex eorum sententia, qui per Urim & Thummim duodecim gemmas in pectorali positas intelligunt, promanaverit*; ut adeo ipse agnoscere cogatur, si fuerint gemmæ, (quod supra est ostensum) non posse non artificis opus esse. Et sane istis gemmis nomina Patriarcharum insculpta non sine artificio fuerunt, quod a Deo, utique factum non est. Objicit Arias Montanus hoc, *quod non dicatur aut facies, aut scribes, sed, & pones s. dabis*. Sed eadem vox in præcedente *v.* 23. etiam de annulis adhibetur: quis autem diceret nec illos χειροποιητόν τι fuisse? Junius urget hoc, quod *jusserit Deus pectorale fieri duplicatum, ut Urim & Thummim intus reponerentur, & ab utraque parte laterent*. Sed ipse addit *fortasse*. Et cum hoc tantum dicat, non probet, eadem facilitate qua affertur, rejicitur.

Th. XIV. *Finis* ex intentione Dei collocatorum in pectorali Urim & Thummim, atque adeo eorum *officium* fuit, quod symbola quædam fuerint, per quæ Deus Sacerdoti summo ex singulari & præsentissima Spiritus Sancti operatione suam de rebus rite quæsitis patefaceret voluntatem. Illud satis patet tum ex dictis tum ex exemplis SSæ *v. Num.* 27. *v.* 21. 1. *Sam.* 28. 6. *Deut.* 33. 8. in quibus non modo docetur consuli Deum per Urim & Thummim, sed & ipsa revelandi ratio satis distinguitur a somniis, visionibus & prophetiis, distinctis manifestationis divinæ voluntatis generibus. Concessit autem Deus Optimus Maximus hoc illustre oraculum populo suo propterea maxime, ut illum a Diabolicis divinandi & futura prædicendi modis retraheret, ne, ut erat ad superstitiones & idololatrias proclivis, quemadmodum Saul improbe fecisse legitur 1. *Sam.* 28. ad Diabolicas artes declinaret & a Deo se averteret. Præterea, ut suam & Populi sui gloriam inter exteros quoque & alienos populos tanto illustriorem redderet. Denique etiam ut typum proponeret in summo Sacerdote legali veri illius Pontificis maximi: unde ante ipsius adventum quoque hæc per Urim & Thummim revelatio a Deo subducta fuit & disparuit. Sed hæc latius diducere nostrum non est: diduxit autem Buxt. *Exerc. p.* 331. & nostratium Theologorum plurimi, qui videantur.

Th. XV. Qualis autem fuerit illa revelandi ratio, de qua tacet SSra, investigare ad nostrum non pertinet forum. Licet tamen nobis, ne plane nostra hic deficiat tractatio, in lectoris gratiam, varias Autorum opiniones afferre, & nostram hac vice suspendere ἐπι-

ἐπιχείρων. Christ. a Castro *l.* 3. *de futur. vera cognitione c.* 3. parum probabilem affert opinionem: *Substituisse*, ait, *Deum pro imaginibus, quibus ope Dæmonum gentiles futura prædicebant, apud Judæos Urim atque Thummim, & per illa idolula vel Deum vel angelum, quid agendum vel fugiendum fuerit, respondisse*. Explodit & refellit pluribus hanc sententiam Rivetus *comm. in Ex.* 28. Et Corn. a Lap. Dn. D. Calovius *in Syst. p.* 290. Et quis credat Deum hostem idolorum, idola inseruisse pectorali apud populum in idola tam proclivem? Neque autorum calculum meruit illa sententia, cujus mentio fit *in Talmude Hierosolymitano, Joma c.* 7. quod responsum datum fuerit per vocem editam & a Sacerdote auditam; sicut de Mose dicitur *Num.* 7. *v.* 89. nam is modus בת קול peculiaris fuit. Communis autem sententia est, responsa data fuisse per lapides pectoralis, mediantibus literis insculptis. Diversimode tamen se explicant Autores. R. Moses Nachmanides & R. Bechai *in legem* docent, quod virtute τῶν *Urim* literæ lucem præbuerint in oculis Sacerdotis ad prænoscenda ex illis futura: *Thummim* autem tantum inservierint ad literas illas conjungendas. Don Isaac autem Abarbenel probabilius censet: literas omnes non simul luxisse, ita ut dubius manserit Sacerdos de dispositione & conjunctione illarum: sed literas ex Patriarcharum nominibus ea serie, qua conjungendæ erant, prominuisse & eluxisse. Hac enim ratione & ordine, (ut putat) pedetentim literas, quæ subsequentibus aliis splendorem amittebant, memoriæ mandabat Sacerdos, ut de ordine eas conjungendi dubitare non posset, sed necesse fuerit ordinatum & intelligibile prodire responsum. Et quia literis nominum duodecim tribuum omnes & singulæ voces exprimi non potuerunt, ob absentiam Tsade & Theth, docet Maimonides *l. de Vasis Sanctuarii cap.* 9. supra ראובן scriptum fuisse אברהם יצחק ויעקב infra Benjamin autem שבטי יה R. Abrah. Seba *in Tseror hammor* & cum eo Cl. Schickardus *in Mischpat Hammelech p.* 13. statuunt ipsam configurationem gemmarum illuminatarum inter opacas speciem literarum exhibuisse, additque *non temere jussisse Mosen illas* 12. *gemmas in quatuor ternarios disponere: sed ut vario lucidorum punctorum situ literas omnes etiam finales repræsentare possent*: subnectitque schema, quomodo XII. gemmæ sic dispositæ omnes referre literas potuerint.

Th. XVI. Fl. Josephus *l.* 3. *A. J. cap.* 9. in eo quidem cum istis convenit, quod per fulgorem quendam Deus voluntatem suam Judæis patefecerit, de literatum autem quarundam coruscatione nihil addit. *Per XII. gemmas*, inquit, *quas in pectore Pontifex insutas Esseni gestabat, in bello victoriam prænunciare Deus solebat. Nam priusquam se exercitus moveret, tantus fulgor ex iis emicabat, ut toti populo facile innotesceret adesse Deum*, Rivetus autem nullum concursum in oraculo hoc lapidibus concedit. Sic autem scribit *comm. in Exod.* 28. *Si quid etiam post alios audeamus proloqui, non absurdum nobis videtur, si dicamus, ex pacto & promissione Institutoris, Deum invocatum a Sacerdote certo ritu, gemmas illas gestante, respondisse non articulata aliqua voce, sed per illuminationem intellectus illius, & certam persuasionem inditam menti ipsius de veritate responsi. Itaque nullam vim fuisse in lapidibus, nisi tanquam in morali causa, a Deo fuisse effectum, qui ad illius præsentiam operabatur occulto quodam modo. Quæ responsio nullis subjacet incommodis & non male convenit cum aliis modis, quibus Deus extra ordinem occulta revelavit*. Adstipulatur Amesius *l. c. Si ullus sit conjecturæ locus per Spiritus revelationem non per lapideum splendorem Deum crederem respondisse*. Sed hoc pacto non satis distinguitur hoc oraculum ab aliis revelationis divinæ speciebus; quod tamen peculiare fuisse, e collatione locorum *Ex.* 28. *v.* 30. *Lev.* 8. *v.* 8. *Numer.* 27. *v.* 21. 1. *Sam.* 28. *v.* 6. *Deut.* 30. *v.* 8. apparere docet Dn. D. Calovius *tom.* 1. *Loc. Theol. p.* 90.

Th. XVII. Quænam harum sententiarum relictis cæteris amplectenda sit, nec nostri instituti nec ingenii est definire: Istud autem ex collatione harum sententiarum colligitur, probabilius videri, & gemmas ipsas pectoralis & Spiritus S. operationem in hoc oraculo concurrisse: quonam autem modo illæ concurrerint non liquet. Non tamen confundendum hoc, cum oraculis e propitiatorio redditis, quæ soli Mosi propria vi promissionis *Ex.* 25. *v.* 21. ut a Petro Molinæo *in Vatis l.* 1. *cap.* 22. fit, quem latius refutat Dn. D. Calovius *l. c.* Sed hæc diducent fusius Theologi, nobis breviores ducendæ sunt lineæ.

Th. XVIII. Cæterum modum interrogandi ita describit Maimonides *l. de Vasis Sanctuarii*: *Sacerdos stat facie sua versus arcam conversa, & consulens retro illum facie ad tergum Sacerdotis ob-*

ver-

versa, rogatque (consulens) *ascendamne aut non ascendam? non quærit voce alta, neque cogitando duntaxat in mente, sed voce submissa ad instar ejus qui solus orat*. *Objectum quod* interrogandum, *principale sc.* erat Deus Opt. Maxim. conf. 1. *Sam.* 23. *v.* 2. & *cap.* 28. *v.* 6. 2. *Sam.* 2. *v.* 1. *Minus* autem *principale*, solus Sacerdos summus, quod patet tum ex locis illis Scripturæ, ubi ejus tantum fit mentio, tum ex praxi observata, tum insuper ex hac ratione, quod solus Sacerdos Sanctum Sanctorum ingredi, & coram arca ministrare potuerit; cum tamen *Num.* 27. *vers.* 14. expresse dicatur: *interrogabit Sacerdotem de judicio Urim coram Domino*, i. e. quemadmodum phrasis hæc usurpatur, *coram arca*. Cunæus quidem *l.* 1. *de rep. Hebr. cap.* 14. magna confidentia & asseveratione scribit: Davidem regem 1. *Sam.* 30. *v.* 7. amiculum sacrum Ephod sibi applicasse, & eo indutum consuluisse Deum an auspicato copias in hostes educturus esset. Sed sensum istum verba non postulant: nam הנישה לי non est applica mihi, sed applica pro vel propter me, in mei gratiam. Conf. *Num.* 27. *vers.* 21. ex quo Hebræi arguunt ipsum regem per Sacerdotem Summum consulentem *Urim* & *Thummim*, coram eo stare debuisse, vid. Maimonides *l.* 2. *c.* 2.

TH. XIX. *Persona* autem *consulens* Sacerdotem in eminenti reip. Judaicæ loco constituta fuerit oportet, ut exempla docent. Sic Rex David sæpius & cum fructu hoc oraculum consuluisse legitur, veluti cum Kehilæis esset succurrendum 1. *Sam.* 23. *vers.* 2. *sc.* cum Hebronem ei concedendum 2. *Sam.* 2. *v.* 1. cum bellum cum Philistæis esset gerendum 2. *Chron.* 5. *v.* 19. cum causæ famæ diuturnæ inquirenda 2. *Sam.* 21. *v.* 1. &c. Josuæ etiam in ipsius inauguratione præcipitur, ut interroget Sacerdotem Eleazarem de judicio Urim coram Domino. Et de Israelitis *Jud.* 1. commemoratur quod interrogaverint Dominum.

TH. XX. *Objectum de Quo* interrogatio instituebatur, non erat negotium alicujus privati aut levis momenti aliqua causa: sed res publicæ spectantes ad totius reip. & populi salutem, ut bello ingruente vel alia calamitate. Unde tribuum nomina pectorali inserta esse volunt, ut scirent Israelitæ, harum duntaxat causa hoc beneficium ipsis indultum esse. Recte etiam observat R. Levi ben Gerson: *Urim & Thummim* non consulta fuisse, nisi in rebus subitaneis & inopinato incidentibus, sicut patet ex exemplis in Script. Sac. commemoratis. Addunt Hebræi non quærendum fuisse de duabus rebus simul, sed tantum de una: tradunt etiam in uno eodemque negotio una cum sorte, majoris certitudinis causa *Urim* & *Thummim* conjuncta fuisse, ut *Num.* 26. *v.* 55. *Jos.* 7. Sic & 1. *Sam.* 10. in electione Saulis inquisitionem simul per hoc oraculum factam esse vult R. D. Kimchi; quod nos in medio relinquimus.

TH. XXI. Denique dispiciendum, quamdiu oraculum hoc apud Israelitas manserit. Talmudici *in Talmud Babylonico Mass. Joma c.* 1. *in fine*. & *in Talmud Hieros. Taanyot c.* 2. *in princip.* docent, quod defuerint in templo secundo quinque 1. *Arca cum propitiatorio*. 2. *Ignis sacer* (consumens sacrificia) 3. *habitatio* s. præsentia divina. 3. *Spiritus S.* 5. *Urim* & *Thummim*. Adducunt in hanc rem Rabbini scriptionem defectam vocis ואכבר *Hagg.* 1. *v.* 8. quod scribitur in textu sine ה in fine: *non ut istud inde probent, sed ut rei notissimæ & alibi probatæ suo more* סימן *symbolum memoriale in recordationis facilioris subsidium pararent*, ut loquitur Schick *in Mischpath Hammelech theor.* 2. In additionibus Talmudicis in fine c. 1. *Joma* dicitur, quod quidem *adfuerint in templo secundo, sed non responderint iis qui ea consulebant*: idemque habet Maimonid. *l.* 1. *c.* 10. Cum his consentit Cunæus *de R. J. l.* 1. *c.* 14. *p.* 131. *Facti alii lapides & inditi in amiculum Choschen sunt: non quod jam amplius ope eorum Pontifex oracula ederet; sed ut consummatus earum rerum numerus esset, quas Moses ad Pontificem ornandum præscripserat*. R. autem Asarias statuit, quod *ab initio quidem templi secundi Urim & Thummim adfuerint & responsa etiam dederint, tandem vero propter multa Græcorum bella omnia vasa & vestimenta sacra ab hostibus in captivitatem abducta fuerint*. Josephus *l.* 3. *A J.* addit tempus, inquiens: *Desiit tam Essen quam Sardonyx fulgorem emittere annis ducentis antequam hæc commentaremur: irato Deo propter legum suarum violationem*: quod tempus teste Car. Sigon. *l. c.* in Regis Johannis Hircani ætatem incidit. Huic sententiæ stabiliendæ adduci solet locus *Esdr.* 2. *v.* 62. & *Neh.* 7. *v.* 65. Conf. tamen Cl. Haklp. *not. ad Esdr. l. c.* Quicquid autem hac de re sit, cum universo tamen sacerdotio Levitico etiam hoc oraculum ante Messiæ adventum abolitum est atque evanvit: frustraque sibi Judæi de his & aliis per Messiam restituendis suavia fingunt somnia. *Tantum*.



JOHANNIS * SPENCERI DISSERTATIO DE URIM ET THUMMIM.

PRÆFATIO.

SI prima nascentis Ecclesiæ tempora cum annis ejus vergentibus conferantur, majestatem divinam res suas ratione & modo plane dissimili procurantem proclive erit observare. MANU quasi tacita facilique, & modis naturæ rationalis conditioni suaviter attemperatis, Ecclesiam jam adultam administrat DEUS. Nulli etenim hodie consilii secretioris nuncii de cœlo missi: miracula ad fidem doctrinæ alicui divinæ faciendam nulla: nullum in rebus impeditis Oraculum, præter λόγιον ἔμψυχον, [nempe virum bonum longo rerum usu tritum & subactum] consulendum superest: *Spiritus gloriæ*, in templis DEI vivis habitans, unica illa *Schechinach* est quæ Oeconomiæ Christianæ testimonium præbet; nulli nobis Prophetæ divino subinde afflati oraculo: dira illa exempla in flagitii alicujus manifestos edita, quæ temerata olim justitiæ jura continuo vindicarunt, seculis hisce novissimis tam raro dedit divina *Nemesis*, quod *Timon* apud [1] *Lucianum* deridendum propinet Jovem, quasi juventutis suæ (*qua nullæ sibi cum maleficis induciæ, sed* ἀεὶ ἐνεργὸς πάντως ὁ κεραυνὸς, *fulmen semper in negotio erat*) impetus & fervores annis ejus senilibus refrigescerent; & tituli illi, *grandistrepus*, *fulgurator*, & hisce similes, quibus illum poetæ decorare solent, sint tantum καπνὸς ποιητικὸς, & ab iis μάλιστα ὅταν ἀπορῶσι πρὸς τὰ μέτρα, *præcipue cum in versu hærent*, *ad carminis ruinam fulciendam*, Jovi tribuerentur.

At

* Doctissimus *Spencerus* in hac dissertatione multa profert lectu digna, & quæ ab Eruditis viris summopere commendantur; quoniam vero inter ea aliqua extant, quæ prorsus aliena videntur a Summi Numinis sapientissima providentia in stabiliendis sacrificiorum aliorumque sacrorum rituum legibus; Ideoque nos de industria in hoc eodem volumine mox post *Spencerianam* dissertationem subjecimus opusculum Eruditissimi *Philippi Ribondealdi* in quo discussa ac penitus protrita inveniet lector *Spenceri* inania figmenta. Quamplurimas etiam adnotationes in primo hujus nostri Thesauri volumine dedimus; quibus hujusmodi parodoxa satis superque refutata videntur.

At vero sub primos Ecclesiæ Judaicæ natales, Angeli humanam personam præferentes, opera rerum creatarum vires longe superantia, Prophetarum pectora motu divino calefacta, oracula e Tabernaculo aut *Gloria magnifica* prodeuntia, ignis cœlitus in aram delapsus, tremenda justitiæ divinæ monumenta, tam frequentes mortalibus mirandi causas attulere; quod spectaculis hujusmodi cœlestibus & miraculi plenis, priora mundi secula sæpius frui, quam posteriora fingere videantur. Nam animo tam crasso & cœlestium inani fuit Hebræorum natio, quod nullo nisi quod oculos pene feriret argumento, ad præsentiæ divinæ fidem & frugem bonam perduci potuerunt: perditissimi quibus assueverant *Ægypti* mores, & conditio ibi vivendi dura & infelix, pene omnem numinis sensum populo excussere; Oracula viva, publici voluntatis divinæ indices, nondum literis tradita fuerunt: homines, ob lubricos rerum humanarum casus & timida præsagia, anxii & soliciti, a Dæmonis Oraculis & mystis responsa de futuro sæpe petiere, quæ eorum pallidis curis turbata levarent pectora.

Præ cæteris vero quibus Ecclesia vetus gaudebat, luculentis providentiæ & præsentiæ divinæ argumentis, Oraculum in Pectorali positum dignum videtur, in cujus contemplatione religiosius hæreamus, & quod nunquam nisi summa admiratione suspensi recolamus. Quid enim in omni memoria oculis auribusve haustum mirabilius, quam quod numen, e cœli nubibus, sacris adytis, aut monte flammante, loqui solitum, e duplicato palmaris latitudinis panniculo responsa sua tradere dignaretur? & quod sacerdos, non in templo somnians, aut antris quibusdam spiritum fatidicum exhalantibus, ethnicorum ritu astans, propheticus prodiret; sed ex ipso sinu, Dei oracula & regnorum fata promeret? Certe quod [a] *Josephus* de splendore lætiore lapilli in Pontificis maximi humero, cum sacrum *Deo* probatum esset; de hoc Oraculo jure asseramus: *Θαυμαστὸν μὲν τοῦτο τοῖς μὴ τὴν σοφίαν ἐκφαυλισμῷ τῶν θείων ἠσκηκόσιν*, *pia admiratione digna res hæc apud omnes habita est, nisi qui ex divinorum contemtu sapientiæ opinionem aucupantur.*

Mihi itaque non raro mirari subiit, quod Argumento tam augusto, & quod animo tam gratam contemplandi voluptatem creare possit, pauci ex instituto, nulli ex illius dignitate meritoque, hactenus disseruerint. Nam Scriptores plerique omnes, de eo verba facturi, se de Lectore & argumento suo egregie meruisse sentiunt, si suas aut aliorum conjecturas (blanda illa vigilantium somnia) vix ullo firmatas Scripturæ vel Antiquitatis testimonio, in medium dederint: alii vero, Oraculum hoc inter Scripturæ ἄπορα & ingenii humani cruces numerantes, illud vix summis tactum digitis prætereunt; vel, uti Geographi circa terram incognitam versati, monstra solummodo chartis suis inserunt; fabulas Judaicas dico, ficta Poetarum miracula & fidem omnem consultam superantes. Unde factum quod *Urim* & *Thummim* sono tantum barbaro & otioso hominum aures diu impleverint, & crassa quorundam commenta sapientiam divinam in rebus & nominibus illis instituendis elucescentem penitus obscuraverint.

Ut itaque probrosam illam scientiæ divinæ lacunam explerem, eorum naturis & primariis circumstantiis investigandis, quantum in antiquitatis remotissimæ penetralibus videre concessum, sedulam, nec forsan inanem, impendi operam. Eam autem huic saltem seculo non prorsus ingratam futuram facile speravi, quo in abditos atque invios hactenus scientiæ divinæ & humanæ recessus penetrare, tanto cum conatu & sudore contenditur; & plerisque, *nihil dicere nisi quod dictum prius*, animi abjecti & inertis argumentum existimatur.

Haud paucos futuros auguror, qui chartas meas vix limis inspectas oculis, quasi conjecturas tantum precarias (quarum eos satietas jamdudum tenuit) afferentes, post terga rejicient: quod spes nulla affulgeat, ut mea tenuitas mysterium retegat, quod anxiam tot perspicacium virorum hactenus elusit indaginem; & quod ipse veri quicquam iis in rebus percipere possim, quibus tot jam transacta secula cæcam caliginem obduxerunt. Nec sane falleret eos spei suæ frigidæ de opere meo conceptæ ratio, si ingenii solius supra communem mortalitatis sortem felicis viribus, aut singularis cujusdam scientiæ clave (quæ mihi profecto non sumo) Oraculi hujusce arcana daretur reserare. Mihi Dei ænigmata non ingenii sagacioris dexteritate, sed illius vitulo arando, concessum solvere: nempe animum attentum & nullius addictum verbis ad Scripturam consulendam appuli, in qua lucem eam effulgere credidi, quæ pedes nostros in hæc atque alia abdita dirigere possit, modo mentis oculos nullis phantasiis & idolis vitiatos ad legendum afferamus.

Sed quicquid sit, sive veritate mihi semper favente scripsisse, sive tantis tene-

nebris posito umbris & imaginibus mentientibus sæpe deludi, contigerit; id in spe læta pono, me nempe opus hoc sine cujusdam mala gratia in lucem emissurum. Nullius enim famam hic lædo: *farinam*, quod dicitur, *molitam* non molo: non conjecturas tantum & hypotheses ad placitum fictas affero, sed argumenta: non sacra *Veneris*, *Bacchi* orgia, vel *Jovis* alicujus ethnici solennia, sed Summi Numinis instituta, in lucem & memoriam revocare studeo: remigium meum in adversas undas non dirigo, nihil enim Patrum & Conciliorum scriptis, aut receptæ Ecclesiæ fidei, adversum trado: & quamvis nonnulli forsan me ξενίζοντά τινα auribus eorum afferre sentiant, non ea sunt in quibus salus legentis vertitur, vel quibus ullius fidem dandam postulo, nisi rationum mearum momenta, animo sicco & libero æstimata, calculum ejus mereri videantur.

Ne vero Lectorem diutius in limine detineam, ad præsens Argumentum me strictius accingam, & hoc ordine jam dicenda digeram: (1) Quis usus τοῦ Urim (præcipue) fuerit, breviter expediam. (2) Locum in Pectorali quem Urim & Thummim occuparunt, investigabo. (3) Utriusque Naturam & Originem luculentius explicabo. (4) Rationes nominum eorum in lucem proferam. Agendum est (5) de persona cui Urim & Thummim gestandi provincia demandata est. (6) De Oraculi per Urim duratione & defectu. (7) Ob συγγένειαν Argumenti, *Deuter.* 33. 8. fuse declarabitur.

[1] In *Tim.* pag. 31. 32. [2] *Antiquit.* l. 3. cap. 8. p. 120.

CAPUT I.

De Usu Urim & Thummim.

CIRCA horum instrumentorum usum, id unum in genere monere necesse habeo, quod *Thummim* non prorsus eidem usui cui *Urim* inservierit. Mea nempe sic stat sententia, sicque animum induco meum, oracula quidem per *Urim* edita fuisse, *Thummim* vero rem plane diversam ab *Urim*, & in usum dissimilem ([1] alibi declarandum) a Deo designatam. De opinionis autem hujusce veritate, Lector a sententia ferenda tantisper abstineat velim, quoad rationes meas in loco tradendas, ad sobrii judicii Lydium lapidem exploraverit. In præsenti, de *Usu* τοῦ Urim solummodo, cum generali tum speciali, disquisitionem breviusculam inituri sumus.

[1] Vid. Cap. 4.

S E C T. I.

De Usu generali.

CIRCA usum τοῦ Urim generalem, non est quod multum hæreamus: quicquid enim uspiam est eruditi nominis facile largitur, Deum responsa per Urim, Israelitis voluntatem Ejus explorantibus, edere consuevisse.

Huic autem sententiæ, nomina Pectorali & Ephodi data testimonium haud obscurum præbent: nam Pectorale, τοῦ Urim repositorium, [1] *Avenarius* nomen חשן (per metathesin literarum) a נחש *divinavit*, *auguratus est*, accepisse sentit; eo quod e Pectorali Deus oracula funderet, Sacerdote responsa de futuris & incertis expetente. Hæc conjectura nonnihil fidei petat a [2] *Josepho*, qui vocem illam, λόγιον, i. e. μάντευμα, *Oraculum* vel *Fatidicum* quiddam, notare dicit. Ex eo Pectoralis usu factum est, quod apud Græcos etiam ([3] LXX, [4] *Josephum*, [5] *Philonem*, alios) nomen λόγιον & λογεῖον invenerit. Significat autem vox ea (si [6] *Riberæ* fidimus) non tantum responsa Dei tradita, sed locum unde responsa petuntur, vel ubi conveniunt responsa petituri. Neque nomen tantum Hebraicum & Græcum, sed etiam Latinum, Pectorali datum, Deum inde per *Urim* responsa dedisse probat: illud enim ea de causa *Rationale* dictum arbitror, quod, cum fatidicum esset & sacerdoti sciscitanti de futuro responderet, res intelligentia & ratione prædita videretur. Ex hoc frequente τοῦ Urim in oraculis eliciendis usu, factum est, quod Arabicæ versionis Auctor, *Ephodem*, cui Urim semper adhæsit, verbis exprimat quæ significant, *instrumentum Oraculi*, ut 1. Sam. 30. 7. aut *vas Oraculi*, ut 1. Sam. 23. 6. & 9. aut *vas fœderis Dei per quod petebant oracula*, 1. Sam. 14. 3.

Sed Urim in hunc usum divinitus institutum fuisse, diserta Scripturæ verba fidem certiorem faciunt. Cum enim Deus Mosi, jam ad plures abituro præcepisset, ut manus ejus Joshuæ imponeret; continuo [7] addit, *& ille*, puta Joshua, *stabit coram Eleazare sacerdote*,

te, *& interrogabit pro eo secundum judicium Urim*; ut scilicet, in regni arduis, inde responsum & consilium petat. Numinis etiam consulti per Ephod (quo nomine & Urim, ab eo nunquam separatum, intelligitur) historia Davidis profugi duo nobis exempla præbet. Horum primum extat 1. *Sam.* 23. ubi David, certior factus Saulum mali aliquid in illius caput clam cudere, [8] *dixit ad Abiathar sacerdotem, applica* mihi *Ephod. Et ait David, Domine Deus Israel, audivit servus tuus, quod Saul statuat secum venire in* Ceilam *ut urbem evertat propter me. An tradituri sint me viri* Ceilæ *in manus ejus? an descensurus est Saul, prout audiverit servus tuus? Domine Deus Israel indica servo tuo. Et ait Dominus, descendet. Dixitque David, an tradent me viri* Ceilæ, *& homines qui mecum agunt, in manus Sauli? & dixit Dominus, tradent*. Exemplum alterum occurrit 1. *Sam.* 30. 6. &c. *Et confortatus est David in Domino Deo suo & ait ad Abiathar, applica ad me Ephod, & applicavit Abiathar Ephod ad David. Et David consuluit Dominum, dicens, persequar latrunculos hos & comprehendam eos, an non? dixitque ei Dominus, persequere, absque dubio enim comprehendes eos & excuties prædam*. Legimus etiam *Ezræ* 2. quod cum sacerdotum nonnulli, recens e captivitate reduces nomina sua in genealogiis reperire non potuerint, *Ezræ* mandato cautum sit, ne illis sacra participandi jus esset, quoad staret sacerdos cum Urim & Thummim; hoc est, donec Deus, an e familia sacerdotali natales traxerint, Oraculo determinaret. Atque inde venit quod circumcisæ Gentis Magistris solenne sit, omnes revelationis divinæ modos ad hæc quatuor capita revocare: רוח הקודש lenem quandam Spiritus sancti & excelsi auram mentes expiatas afflantem, unde persona summis par negotiis & officiis derepente prodiit, apta ad loquendum vel agendum ultra humanæ tantum activitatis sphæram & modulum. נבואה prophetiam, somnium & visionem ambitu suo complectentem; quæ juxta *Judæos* in *Malachia* cecidit. בת קול Filiam vocis, verbum quoddam de cœlo, Angelo mediante, factum: sic dictum, quod vox illa sui ipsius [9] indicem & comitem tonitru (קול sæpius in sacris appellatum) primum habuerit, & ex eo, tanquam ex utero matris suæ, prodierit. Et אורים ותומים *Urim & Thummim*, quibus Deo visum circa Regni graviora, sub prima populi Israelitici tempora, majestatis suæ placita exponere, & de futuris admonere.

Cnnsilio vero optimo Deus Oraculum hoc, & tam uberem aliarum revelationum divinarum copiam concessit *Israelitis*: nempe.

Primo: ne ab illius sacris ad ethnicorum ritus & idola redirent, & ad Oracula Ariolosque gentium in vicinia habitantium, insita quadam futura cognoscendi libidine impulsi, fugerent. Gentibus antiquitate maxime celebribus (Chaldæis, Ægyptiis, Cananæis) sua non defuerunt auguria, prophetiæ, vocales imagines, Oracula, atque alia vaticinandi & arcana cognoscendi media: quibus omnibus seculi hujusce Deus divinitatis suæ fidem, apud facile vulgus firmare studuit, & innatum illum futura cognoscendi pruritum scalpsit, ut insulsam plebeculam eo facilius duceret & sibi devinciret. Si itaque Israelitis, haud minore futurorum studio & cura ductis, nec minus inter spem & metum subinde fluctuantibus, sua defuissent Oracula, prophetiæ, & fatidicum Urim, quæ casus futuros aperire, & anxios eorum animos aliquando liberare, possent; res suas, ut nil divini in se habentes, contemtui habere, & ethnicorum sortem sua potiorem credere voluissent.

Secundo: Deus *Urim* tam miranda vaticinandi & occulta revelandi facultate donari voluit, forsan ut præsentiæ suæ luculentum & ipsis oculis usurpandum exhiberet testimonium. E luto nempe tam crasso ficta erant Hebræorum natio, & a brutorum indole tam exiguo remota intervallo, quod præsentiæ divinæ argumenta [10] peterent, non mente sola, sed ipso sensu percipienda.

Tertio: Deus *Urim* fatidicum esse voluit, forsan ut providentiæ suæ specialis, fidem alias apud populi facem non habituræ, signum extaret & argumentum. In hanc sententiam propendet animus, quod & aliæ Dei manifestationes extra ordinem factæ, hunc sibi scopum præfixum habuerint; ut oscitantes & in terram perpetuo nutantes Hebræorum animi, earum excellentia perculsi, ad majestatis & providentiæ divinæ fidem & sensum vividum evigilarent. Ideoque [11] *Philonis Judæi* conjecturam, de igne qui de cœlo in altare cecidit, satis auspicatam arbitror, qui eum prodiisse sentit, *πρὸς σαφεστάτην δήλωσιν ὅτι οὐδὲν ἄνευ θείας ἐπιφροσύνης ἐπετελεῖτο*, *in argumentum manifestissimum*

simum præsentis divinæ providentiæ. Deinde: cum Hebræorum sensus tardior esset, læsa per idololatriam principia, & eorum animi malis innumeris frangerentur; illi, non natura magistra, sed signis naturæ morem & ordinem excedentibus, ad providentiæ divinæ sensum & fidem duci potuerunt. Præ aliis autem signis Pectoralis Oraculum, ad scrupulum omnem hac de re eorum animis eximendum, aptum & idoneum videri possit. Cum enim ventura prædiceret, consilium in loco daret, dubia graviora de præsenti vel futuro solveret; inde liquido constaret, Oraculi auctorem non cœlo suo inclusum fuisse, vel omnia fortuito causarum concursui tradidisse, sed rebus vel minimis adesse, & omnia scientiæ potentiæque suæ ambitu continere.

Hæc ea sunt quæ de usu τȣ̃ Urim generali dicenda censui. In his autem omnibus, probe novi mysteria me minime tradidisse, nec *arcanis condita cistis orgia* in vulgus protulisse; ideoque palatis acutis & delicatis hæc ingrata futura præsentit animus. Utcunque factum haud muto, nec operam prorsus inutilem me in hoc Argumento posuisse existimo; quia præcipue curandum est, ne ipsum ædificii mei fundamentum quid vitii faciat; & quia nonnulli, Urim & Thummim voces tantum inertes lamina quadam aurea exaratas, & in pectoralis arcano reconditas, alii ea duas tantum virtutes, Sacerdoti præcipue necessarias, fuisse contendunt.

[1] In *Lexic.* ad voc. חשן [2] Εσσήνης σημαίνει κατὰ τὴν Ελλήνων γλῶτταν, λόγιον· Lib. 3. cap. 7. pag. 113. 35. [3] In *Exod.* 28. 15. 22. [4] *Antiq.* lib. 3. pag. 120. [5] Lib. 3. de Vit. *Mos.* [6] De *Templo* lib. 3. cap. 12. [7] *Num.* 27. 21. [8] Vers. 9. *&c.* [9] *V. Heins. Aristarc. Sac.* cap. 14. [10] *Exod.* 32. 1. [11] Lib. 3. de *vit. Mos.*

SECTIO II.

De eorum Usu speciali.

CUM Deus consilia sua, πολυτρόπως, per Oraculum in Tabernaculo, per afflatum divinum, per Legatos de cœlo missos, per sortes & somnia, *Israelitis* olim revelarit; abunde satis revelationis divinæ habuisse, & illius mannæ cœlestis fastidio pene laborasse, videantur. Ideoque mirabitur forsan nonnemo, cur sapientissimum Numen actum ageret, & supra cæteros occulta revelandi modos, quibus populi necessitatibus abunde consultum videtur, *Urim* adderet, tanquam novam scientiæ clavem, qua cœli consilia & hominum [1] arcana, cum opus esset, facile reserarent. Absit autem ut quispiam Sapientiam ipsam, hoc novum occulta cognoscendi medium instituentem, vanitatis arguat: Deus enim non eo tantum consilio URIM concessit Israelitis, ut eidem prorsus fini & usui, cui Prophetæ, somnia, Tabernaculi Oraculum, & ejusmodi, ministraret; nempe ut inde lumen, (juxta tacita nominis istius promissa) peterent, cum rebus obscuris & ancipiti cura torquerentur. In finem & usum (uti mea fert conjectura) magis peculiarem, & cum ipso Gentis *Israeliticæ* statu & conditione magis conjunctum, Oraculum illud a Deo institutum est.

Usus autem ille specialis quis fuit, sic paucis effero: cum Deus, sub Ecclesiæ Israeliticæ primordia, Regis politici partes titulumque sibi sumere dignatus fuerit; necessitas inde facta est, ut medium aliquod esset quo de voluntate & consilio suo Regio, in omnibus regni arduis subinde nascentibus, certo & perpetuo constaret; & ut publicum aliquod *Sacri* hujus *Imperii* pignus extaret & testimonium. In hunc itaque usum *Urim* seposuisse videtur Rex Opt. Maximus, nempe ut per illud placita sua populo annunciaret, & judicium ferret in casibus Rempublicam spectantibus, militaribus inprimis, Judicis, Pontificis, aut Seniorum judicio non facile determinandis; & ut Θεοκρατείας hujusce signum & symbolum maneret, quo durante, populus in regiminis illius duraturi spem lætam erigeretur.

Quo minus temere hæc atque animi solius causa dixisse videar, quatuor hisce *Thesibus*, quæ integrum assertionis hujusce sensum exhauriunt, fidem conciliare conabor.

Prima sit hæc: *sub prima gentis Israeliticæ tempora, Deo ipsi visum est Regis politici titulum & officium sumere*. Hinc [2] *Josephus*, auctor gravis & probatæ fidei, *Mosem* inducit *Judæis* suis in hæc verba præcipientem. Μὴ λάβοι πόθος ὑμᾶς ἄλλης πολιτείας, ἀλλὰ ταύτην στέργοιτε, τοὺς νόμους ἔχοντες δεσπότας καὶ κατ' αὐτοὺς ἕκαστα πράττοντες. ἀρχεῖ γὰρ ὁ Θεὸς ἡγεμὼν εἶναι. *Non est cur alterius politiæ formæ desiderium vos accipiat; sed præstat, ut hac contenti in Legum & vestra ipsorum sitis potestate, satis enim est Deum habere præsidem*. Et paulo post, στρατὸν ἐπ' αὐτοὺς ἀγάγετε, στρατηγῷ μὲν αὐτοκράτορι χρώμενοι τῷ Θεῷ, ὑπο-

στρά-

στρατηγὸν δὲ χειροτονήσαντες ἕνα τὸν ἀρετῇ προὔχοντα. *Exercitum contra eos* [hostes] *educite, imperium Deo committentes, creato uno aliquo forti viro, qui Vicarius sit illi & quasi Proimperator. Josepho* succinit [3] *Theodoretus*, ubi publicæ administrationis formam apud *Judæos* olim obtinentis ita depingit: ὁ δεσπότης Θεὸς καὶ Θεοῦ καὶ βασιλέως ἐπλήρου τὴν χρείαν, &c. *Dominus Deus & Dei & Regis implebat munus. Propheta vero* Samuel *erat administer & veluti quidam Præfectus, aut Magister militum, aut Tribunus plebis*. Neque hæc omnia sacris monumentis dissona sunt, in quibus Deus המלך *Rex ille* frequenter appellatur. Cum autem huic Argumento Dissertationem singularem dederim, eo Lectorem, plura forsan expetentem, amandare liceat.

Secundo: Urim *Oraculum politicum erat, de negotiis hominum conditionis privatæ minime consulendum: sed ad res populi totius aut personæ alicujus loci publici moderandas & dirigendas, primario saltem, a Deo institutum*. Hæc sententia Doctorum pene omnium, cum Hebræorum tum Christianorum, puncta tulit. Ita sentiunt *Talmudici*, in *Cod. Jom.* c. 7. §. 5. אין נשאלין בהן להדיוט אלא למלך ולבית דין ולמי שהצבור צריך בו i. e. *Non inquirebant in iis* (Urim & Thummim) *de privato, sed de Rege, & de Synedrio magno, vel alio quo Ecclesia opus habet*. Hoc, inquit, [4] *Buxtorfius*, eliciunt e *Num.* 27. 21. ubi legitur, *qui* (Josua) *coram Eleazare Sacerdote stabit, & interrogabit eum de judicio Urim coram Domino, ad verbum ejus egredientur & ad verbum ejus ingredientur, ipsi & omnes filii Israel cum eo, & tota congregatio*. Ubi הוא *ipse*, inquiunt, זה מלך hic est Rex; *& totus Israel cum eo;* זה משוח מלחמה *hic est Unctus ad bellum, quem totus Israel in bellum sequitur; & totus cœtus* הוא סנהדרין Hoc est totum Synedrium. Cum iis juxta sentit *Abarbanel* in *Exod.* 28. & *Deut.* 33. *Requiritur*, inquit, *ut interrogatio per Urim sit consilium, quod spectet negotium totius populi; & non quæritur* על דבר פרטי לאיש מן האנשים *de re particulari & privata alicujus hominis*. Eadem etiam *Buxtorfio*, haud ultimo Hebræorum filio, placuere, uti patet e verbis [5] ejus, *usus* Urim & Thummim *erat, ut veluti certissimum Oraculum divinum essent, per quod Deus in rebus gravibus, dubiis & inopinatis, ad Ecclesiæ vel Reipublicæ salutem spectantibus, consultus, populo-quæ facere oporteret, per Sacerdotem summum revelabat*. Hisce pondus addunt magni illius in Rep. literaria Dictatoris [6] verba, *consulebatur Urim & Thummim a Rege aut Principe in rebus ad statum publicum maxime pertinentibus, aut a Synedrio in difficillimis de jure controversiis*.

Testibus illis ὁμοψήφοις fidem eo faciliorem habeo, non tantum quod studio & affectu cætera divisis, sed quod iis hac in re Scriptura testimonium perhibere videatur. Nam verba illa Achimelechi Pontificis, 1. *Sam.* 22. 14. 15. quibus proditionis crimine, quod ei Saulus inferebat, se purgare studuit; plusquam innuunt, Deum hoc Oraculum Sacerdotale personis tantum quas rerum publicarum cura exercuit, consulendum tradidisse: *quis in omnibus servis tuis sicut David, fidelis, & Regis gener, pergens ad imperium tuum, & gloriosus in domo tua? Num hodie cœpi pro eo consulere Deum? Absit hoc a me. Ne suspicetur Rex adversus servum tuum rem hujuscemodi in universa domo patris mei. Non enim scivit servus tuus super hoc negotio vel modicum vel grande*. Quasi hujusmodi defensione usus fuisset: " probe noram, Davidem fidem
" in Dominum Regem semper integerrimam coluisse, & illius nomen summa in gratia & honore in Regis domo positum: ideoque mihi facile persuasi, Te illum belli negotiis (quod sæpe facis) præfecisse, eumque copias tuas aliquo deducturum. Cum itaque *David* incertus hæreret quid consilii caperet, adeoque auxilium & consilium cœleste supplex pro more suo peteret; ne muneri meo deessem, illius dubia omnia Dei Oracula solvenda proponere non dubitavi. Neque jam primum hoc officio functus sum: sæpius enim antea, nullius tamen noxæ compertus, Dei consilium, *Davidis* gratia regni hostibus bellum inferentis, impetravi. Absit a me ut sciens prudensque quicquam in Domini mei damnum & dedecus ipse meditarer. Servus tuus te *Davidem*, tantis olim a Rege donatum honoribus, in hostium numero jam habere ne somniavit quidem. Nam Oraculi lumen, veluti candelabrum, gesto, quod non mihi, sed tibi, tuis, & *Israelis* domui, splendere solet. Et si animum attendamus, vix unquam Oraculum hoc nisi a *Josua*, *Saulo*, *Davide* (loci primarii viris) consultum reperiemus, aut a toto cœtu cum bellum vel fames urgeret, aut res & salus publica aliquo modo ageretur. Idem etiam

etiam ipsa pectoralis fabrica non obscure docet, cui Tribuum nomina ideo inserta fuisse asserit *Buxtorfius*, nempe *ut scirent Judæi, harum duntaxat causa hujus Oraculi beneficium ipsis indultum fuisse*. Idem titulus Pectoralis indicat: ob eandem enim rationem, Λόγιον, quod Urim & Thummim gestandis inserviit, *pectorale judicii* dictum videtur, ob quam *thronus judicii* Prov. 20. 8. *aula judicii* Jo. 18. 28. *sedes judicii* Eccles. 3. 16. dicebatur, quod scilicet summi Regis judicium circa regni graviora inde subditis ejus tradendum esset & expectandum. Quæ quidem tituli pectoralis ratio & *Jonathani* videtur arrisisse: sic enim παραφράζει, *com.* 15. *Exod.* 28. *Et facies pectorale judicii, in quo cognoscitur* דיניהון דישראל *judicium ipsorum Israelitarum, quod tectum est a judicibus;* וסדרי נצחן *& series victoriarum & præliorum eorum.*

Tertio: *præ aliis negotiis publicum spectantibus*, Urim *ad res belli, consilium sine mora postulantes, dirigendas, & jacentes Israelitarum animos spe victoriæ erigendos, designatum existimetur*. Deus enim (*Num.* 27. 21. ubi usum τῶ Urim primo descriptum legimus) hoc Josuæ, quem rebus belli præposuit, in mandatis dedit; ut dubiorum omnium circa res suas orientium, solutionem non a Tabernaculi Oraculo, sed Pontificis *Urim* expectaret. Et si sacra monumenta haud oscitanter evolvamus, observemus *Israelitas* ab hoc Oraculo, circa periculosa & incerta belli negotia, responsa frequentius accepisse. Cum enim bellum cum *Cananæis* gerendum esset, nec satis constaret iis quænam e Tribubus principia duceret; *interrogarunt Dominum*, inquit [7] Textus; hoc est, exponente *Drusio* aliisque, *consuluerunt Urim & Thummim, quo de voluntate Dei certiores fieri possent*. Cum etiam prælium cum *Benjamitis* ineundum esset, & dubium haud multum dissimile subortum esset; Deum interrogarunt, dicentes, [8] *quis in exercitu nostro erit princeps certaminis contra filios Benjamin?* Eos autem, cum Dei Oraculum scitatum irent, Pontificis ministerio usos fuisse, patet e Capitis illius *com.* 27. & 28. Ideoque docte, ut solet, in locum annotavit Grotius, *prius consulere Deum debuerant an bellum suscipiendum esset in Benjaminem; ejus enim rei causa præcipue datum erat Urim & Thummim*. Saulus, cum instarent Philistæi, videns res suas in discrimine versari, consilium a Deo per *Urim* petiisse [9] dicitur. Davidem etiam militantem, quid sibi in re dubia & trepida agendum esset, sæpe Deum per *Ephod* interrogasse legimus. 1. *Sam.* 23. 2. 2. *Sam.* 5. 19. 1. *Chron.* 14. 14. 1. *Sam.* 30. 8.

Quo vero populi Duces Oraculum hoc, juxta legis divinæ præscriptum consulerent; ipsos Pontifices, aut eorum vices gerentes, indivisos castrorum comites [10] inveniamus. Nam *Abjathar* ad *Davidem*, in armis jam agentem, cum Ephode in manu sua descendisse [11] dicitur. Et cum Saulus signa infesta in *Philistæos* moveret, postquam Historicus sacer qualem militum manum habuit, enarrasset, addit, [12] *& Achijah, sacerdos Domini* [quasi de more seculi] *portabat Ephod*; quo nomine intelligendum venit & Urim, ab Ephode nunquam separatum. Huic affine exemplum occurrit, *Numer.* 31. 6. *Misitque eos Moses, mille ex singulis tribubus, eos & Phinees filium Eleazar sacerdotis, ad prælium, -- & vasa sanctitatis erant in manu ejus.* Ubi per *vasa sanctitatis* instrumenta illa mole perexigua, (*Ephod, Urim & Pectorale.*) ad Dei responsa petendum comparata, intelligenda esse, [13] cum se dabit occasio, probaturi sumus.

Quo minus autem tam eximiæ sanctitatis & pretii vasa, damni quicquam a cœli injuria paterentur, & ne quis e militum fæce sanctitatem eorum manibus illotis læderet; verisimile est, sacerdotem curasse, ut in capsula vel arca, quoad Oraculo opus esset, reconderentur. Cum enim Saulus ad pugnam cum Philisthæis conserendam in procinctu jam staret, 1. *Sam.* 14. dicit ad Achijah sacerdotem *com.* 18. הגישה ארון האלהים *admove Arcam Dei*, nempe ut in eo rerum suarum articulo consilium a Deo peteret. Ea vero Sauli verba non possumus de Arca illa in qua legis tabulæ reponabantur, interpretari cujus rei inde certa fides est, quod non appelletur ארון ברית אלהים *arca fœderis Domini*, & quod *Arca* illa non in manibus *Achjiæ* tunc temporis esset, sed in [14] domo *Abinadab*; nec eam, sine speciali Dei mandato, de loco suo transferre liceret. Probabile est itaque, *arcam* illam de qua *Sauli* sermo intelligendus est, aliam fuisse; quam scilicet *Israelitæ*, militiæ vacantes, secum ferre soliti erant, ad asservandum in ea *Ephod*, h. e. Pectorale cum Urim, ut Dei Oraculum ad incertos rerum bellicarum eventus paratum haberent, & facile consulendum. In hac sententia LXX. fuisse videntur, qui Sauli verba verterunt προσάγαγε τὸ ἐφοὺδ, *Affer Ephod*.

Eam

Eam etiam ambabus ulnis amplectuntur, [15] *Abarbanel*, R. *Salomon* & *R. D. Kimchi*, quem consulat cui a rebus majoris momenti vacat.

ATQUE hæc, modo vero consona, rationem unam suggerent, cur *David* quidem pectoralis Oraculum sæpiuscule consultum iverit, nunquam autem, quod scimus, *Salomon*, quamvis imperii amplioris habenas moderatus fuerit. Nempe *Davidem* arduæ & incertæ belli res occupatum & anxium sæpe tenuerunt: unde [16] Oraculum illud, utpote ad belli præcipue consilia dirigendum & casus ancipites revelandum institutum, Ille plurimi fecit & impense desideravit. *Salomon* vero, nomine, ore, & factis pacem præ se ferebat; ideoque credibile est, Eum Oraculum illud bellicum minoris habuisse, & illud sub Regis hujusce tempora, qui pacem totus spiravit, primo conticuisse.

HIC a me forte non nemo quæret, unde factum sit quod Deus Pontificis *Urim* ad dubia circa res publicas, inprimis vero bellicas, solvenda dederit; cum Oraculum in Tabernaculo positum esset, unde Deus *Mosi* [siquando dubius hæreret) responsa divina efflagitanti, consiliis suis adesse solebat? Sed in facili responsio est: nam Tabernaculum uni plerumque loco, eique sæpius a militum castris longe dissito, affixum fuit: ideoque cum *Israelitæ*, inter medios hostes positi, summo in discrimine laborarent, & consilium aut solatium divinum absque mora desiderarent; Tabernaculi Oraculum haud adeo commode eorum desideriis inservire potuit, ac Pontificis *Urim*, quod huc illuc, prout belli ratio postulavit, dimoveri poterat. Deinde soli *Mosi* is honos contigisse videtur, ut Deum e Tabernaculo (majestatis suæ solio) & quasi facie ad faciem, alloquentem audiret: nam præter *Mosen*, nullum ab Oraculo illo responsa expectasse aut accepisse legimus. Præterea, Deus eam rerum legem atque ordinem statuisse videtur, ut e Tabernaculi Oraculo perpetuæ cultus & justitiæ regulæ, & placita sua in casibus Lege omissis, traderentur; ut Pectoralis Oraculum ad Dei consilia, circa res publicum spectantes, enuncianda inserviret; & ut homines privati de suis minoris loci rebus (quales sunt, morbi eventus, asini deperditi, & consimiles aliæ,) responsa divina a Prophetis Oraculis illis ambulantibus, expectarent. Ideo vero tam varii generis & muneris Oracula prophetiasque suis indulsit Deus, (modo rem hanc conjecturæ committere liceat) ne scilicet Ecclesia Dei apud *Israelitas*, Oraculorum & Prophetiarum minus fœcunda quam Synagoga Satanæ apud *Ægyptios*, haberetur. Nam *in omnibus fere Ægypti Nomis*, inquit [17] Kircherus, *Oraculum fuisse reperio, in quo responsa de variis eventibus acciperent consulentes: neque tamen singula Oracula de singulis sibi propositis respondebant, sed de rebus solummodo eorum naturæ consentaneis*. *Hoc pacto* Serapidis *Oraculum circa ea quæ terræ cultum concernebant*; Anubidis *circa ea quæ scientias*; Hori *circa ea quæ bona corporis & animæ*; Isidis *circa ea quæ* Nilum *aut fœcunditatem concernebant, consulebatur*. Neque ratio dubitandi subest, quin circuitus hic Oraculorum usus, a primis usque idololatriæ incunabulis apud Ægyptios, ingeniose semper delirare solitos, obtinuerit.

QUARTO: *Pontificis* Urim *in* Θεοκρατίας *hujusce pignus, symbolum & testimonium, a Deo datum fuisse videatur*. Oraculum in Tabernaculo posuit, ut se DEUM *Israelis*, Oraculum vero in Pectorali, ut se REGEM etiam, & rerum publicarum curam gerere, iisque perpetuo invigilare, populo suo clare testaretur.

NEQUE est quod de assertionis illius veritate quispiam ambigat, cum Deus (durante divina illa politia (de rerum summa, de belli casibus & regni gravioribus, responsa per *Urim* pene semper dederit; & primus tantum regni sui ministris, si quando consilii inopes essent, Oraculum illud consulendi potestatem fecerit.

EANDEM etiam sententiam perpetuum Oraculi hujus, a primo illius defectu, silentium firmat. Nam sub nova *Christi* Oeconomia, singuli alii revelationum divinarum modi, quorum ante paucas paginas memini, postliminio redierunt: *Prophetia* in Apostolis, aliisque revixit denuo: Πνεῦμα ἅγιον, quo afflante hymnos e vestigio Deo canere, Scripturas mente non errante interpretari, poterant, non paucis [18] concedebatur; & *Bath Col*, vox de cœlo, sæpius *Christo*, *S. Johanni*, & *S. Paulo* facta est: hæc enim revelationum cœlestium genera, Oeconomiæ *Mosaicæ* & *Christianæ* pariter inservire potuerunt. Solæ revelationes olim per Urim datæ, multis ante Christum seculis abolitæ, Christo in terris agente minime restitutæ sunt; quid autem, nisi quod *Theocratiæ* testimonia essent, cujus ne vestigium vel umbra tunc temporis appareant?

Præterea: Oraculum *Urim* in usum jam dictum a Deo datum fuisse constet, quod cum ipsa hac Theocratia initium acceperit, & ea expirante prorsus evanuerit. Ut hæc assertio veritati consona videatur, alibi probabiliter ostendam, Oraculum hoc vix ultra Salomonis tempora durationis suæ terminos extendisse.

[1] 1. *Sam.* 23. 11. [2] *Antiq. Jud.* lib. 4. cap. 8. pag. 164. & 172. [3] Εβρωτ. ιδ' in 1. *Reg.* [4] *Hist. Urim & Thummim.* cap. 3. [5] Lib. sup. laud. c. 1. [6] *Grot.* not. in *Exod.* 28. 30. [7] *Judic.* 1. 1. [8] *Judic.* 20. 18. [9] 1. *Sam.* 28. 6. & *Sam.* 14. 18. [10] *Josh.* 22. 12. 13. [11] 1. *Sam.* 23. 8. [12] 1. *Sam.* 14. 2. 3. [13] *V.* Cap. 6. Sect. 2. [14] 1. *Sam.* 7. 1. 2. [15] Ap. *Buxtorf. Hist. Arc. Fœder.* cap. 3. [16] *Sortilegis egeant dubii, semperque futuris Casibus ancipites* -- Cato apud Lucan. l. 9. v. 581. [17] *Oedip. Ægypt.* T. 2. P. 2. p. 444. [18] *Jo.* 7. 39. *Mar.* 13. 11.

CAPUT II.

De loco in Pectorali quem Urim & Thummim occuparunt.

Locus in pectorali τοῖς *Urim* & *Thummim* assignatus, proximo succedit expediendus. Hanc provinciam quo felicius ornem, nonnulla de Pectoralis ipsius fabrica in antecessum sunt prælibanda.

Nil hic attinet de illius annullis, vittis, nominis origine, catenulis & uncinis quibus *Ephodi* affabre conjungebatur, fuse disserere. Satis in præsens est dicere, quod pannus fuerit duplicatus e cordis regione suspensus, palmi amplitudine quadrangulus, & gemmis, duodecim Tribuum nomina inscriptis, distinctus. Hanc formam disertum Legis præscriptum postulavit, *Exod.* 28. 16. *Quadratum facies illud* (Pectorale) & *duplex*: זרת *palmus illius erit longitudo, & palmus illius latitudo.* Ubi palmus intelligi debet de majore palmo, qui cum spithama idem est: nam זרת suffragantibus *Hebræorum* filiis, est mensura quæ tribus constat טפחים palmis, & digitis expansis ab extremo pollicis usque ad minimi extremum notari solet. Huic sententiæ fidem addunt τῶν LXX. & *Josephi* verba: illi nempe σπιθαμῆς τὸ μῆκος αὐτῆ, in locum habent: asserit etiam [1] *Josephus*, lacunam in Ephode, circa medium pectus relictam cui frustum, σπιθαμῆς τὸ μέγεθος, *palmi amplitudine inserebatur.*

Aliam insuper, e Judæorum fide, circumstantiam addit [2] *Arias Montanus*, insignem profecto, nec a nobis oscitanter prætereundam. Eam autem verbis propriis ipse referat: *erat* Pectorale *ejusdem operis & artificii cum Ephod, nec tamen simplex sed duplex*, i. e. *geminum, ut ex tribus lateribus altera pars alteri commissa esset; ex uno autem laterum, dextro videlicet, apertum, quo aliquid in illo ornamento inferri posset.*

Jam vero minime cunctanter assero, *Urim* & *Thummim*, per apertum duplicati Pectoralis latus immissa, concavum illius medium occupasse. Cum enim Λόγιον duplex factum esset, ut pene crumenæ formam exprimeret, latera habens omnia ad majoris palmi mensuram ampla; sacra illa instrumenta intra concavam illam duplicitatem, capacem adeo, facile recondi poterant. Nec profecto vel divinando assequi quis valeat, ubinam nisi intra amplas illas Pectoralis plicaturas disponerentur; aut cui usui inane illud palmaris undique latitudinis inserviret, nisi ut receptaculi loco esset ad *Urim* & *Thummim* custodienda. Non enim credere par est, quod nonnullis placuit, ea tantum ratione duplex factum fuisse Pectorale, ut inde oneri duodecim lapillorum sustentando par esse posset: e materia enim firma & fida adeo (auro nempe, purpura, bysso retorta, & similibus) conflatum erat, quod nulla metuendi ratio subesset, ne Pectorali nisi duplicato fissuras crearent gemmæ; cum præsertim istiusmodi lapides pretiosi vix uncis parvulæ molem superare soleant.

Neque est quod hoc inter placita mea & pro arbitrio ficta reponat quispiam, cum ipse Textus hoc extra omnem dubitationis aleam ponere videatur. Postquam enim leges tulisset Deus, *Exod.* 28. de Pectoralis materia, mensura, & lapillis duodecim in parte ejus anteriore disponendis; addit insuper com. 30. *Et dabis* אל הארון IN *Arcam*, *Testimonium*: Deinde, Chaldæus Paraphrastes exponit אל חשן per בחושן *in Pectorale*. Nec novum est ut particula אל vices expleat ב deservientis, & *in* aut *inter* significet. Nam hunc sensum præbet, *Genes.* 49. 29. *Sepelite me cum patribus meis*, אל *in spelunca*: Psal. 104. 22. *Cubabunt* אל *in habitaculo suo*. 1. Sam. 10. 22. *Ecce absconditus est* אל *in vasis*, seu, *intra vasa*. Hujus rei exempla, non e manu, sed e sinu, [3] *Mercerus* effudisse videatur.

Ne vero sententia hæc, e tenui tantum auctoritatis meæ filo, vel ambiguo Scripturæ sensu, suspensa credatur; addo insuper, quod docti pene omnes, nisi qui Talmudistarum opinioni de natura τῆ Urim favent, quamvis

vis cætera diversi, mecum de loco in Pectorali τῷ Urim dato cogitent. Rabbini, [4] *Schindlero* teste, sentiunt Urim fuisse *quandam scripturam, vel nominis* יהוה *vel rei alterius, Pectoralis duplo insertam*. Certe ab ea sententia alienus non erat [5] *R. Levi Ben Gerson*, ita scribens; *quia Moses post insertos Pectorali lapides pretiosos, jubetur eidem indere Urim & Thummim, hoc facit nos credere* כי האורים והתומים היו דבר נתן משה אל חשן ונו׳ *quod Urim & Thummim fuerint quidpiam, quod Moses Pectorali indidit, ad eum modum quo tabulas indidit in Arcam, quia utrinque eadem phrasis* ונתן אל *adhibetur*, &c. Asserit etiam *Arias Montanus*, loco jam laudato, *Urim & Thummim rem quandam fuisse multiplici figura distinctam, quæ inter utramque Rationalis partem inserebatur, ibidemque servata sacerdotis hærebat pectori*. Et (ut alios taceam) doctissimus noster [6] *Prideauxius*, sic sensum nostrum effert, verbis magis disertis & dictatoriis: *sufficit observasse, Urim & Thummim a Deo tradita, a Mose recepta, & inter Rationalis duplicitatem, veluti in theca quadam fuisse inclusa*. Atque hoc unum de Oraculo nostro certum fixumque habuit, reliqua de eo omnia nocte media obscuriora: addit enim, *ultra qui temere quid asseruerit; videat ne venditando scientiam, tam imperitis quam sagacioribus ludibrium debeat*. Pace tamen hujusce inter literatos *Herculis*, ultra columnas ab Eo nobis positas, non tam de fama soliciti quam veritate, pedem proferre non dubitabimus.

Urim & *Thummim* Pectoralis interiora tenuisse, rationes allatæ animum inducunt ut credam; quibus etiam vires addunt alia plurima de quibus aptior se dabit in sequentibus dicendi locus. Cur autem Deus hunc locum iis sacrum esse voluit, quantum conjectura assequi datur, alibi dicturi sumus.

[1] *Antiq.* lib. 3. l. 3. cap. 7. p. 113. 35. [2] *Antiq. Judaic.* lib. 6. [3] In *Lexic.* pag. 104. [4] In voc. אור [5] Ap. *Buxtorf.* in *Exercit.* pag. 281. [6] *Orat.* de *vest. Aaron.* p. 16.

CAPUT III.

De Natura & Origine Urim & Thummim.

In hoc dubio & tenebris densioribus involuto quo jam versamur Argumento, minus nobis negotii facesset forsan Naturam rerum quam Originem nominum investigare. Logicorum itaque legibus me minime teneri velim ad nominis rationem reddendam prius, in cujus scientiam (nisi me fallam) per rei naturam antea cognitam, tanquam cynosuram maxime fidam, dirigamur.

SECTIO I.

Generalia quædam de illorum natura præmittuntur.

Ut ad Oraculi hujusce naturam contemplandam velut initiati accedamus, & viam expeditam sequentibus præstruamus, e re nostra fuerit a generalibus quibusdam auspicari.

Assero itaque primo, *Urim, si minus & Thummim, res quasdam fuisse apprime cognitas*, saltem quoad substantiam & usum, *diu antequam ea in ornamentorum sacerdotalium locum & sanctitatem vocasset Deus*; e longo videlicet usu, inter quamplurimos *Noæ* filios invalescente. Neque est quod quispiam me somnia vigilantibus jam narrare censeat: constat enim legem *Mosis*, (quæ de minimis circa sacra curare solet, nec vel minutias & apiculas cultus ceremonialis in sacerdotis aut populi arbitrio ponere) nihil de illorum forma, materia, vel numero, monuisse. Prout itaque quum Deus *Mosi* præcepit, ut aureos quosdam *Cherubos* in Tabernaculi usum fingeret, de quorum tamen mensuris aut formis nihil in Lege curatum legimus, non temere viri docti colligunt, eorum figuras *Mosi* & populo diu antea innotuisse, ex antiquo forsan usu non dissimilium figurarum in theologia symbolica vel cultu mystico Ægyptiorum aut Patriarcharum obtinente; ipse pari lege colligam, consuetudinem inveteratam Urim & Thummim familiaria reddidisse, quod de iis legem suam [1] curtam ferat Deus, & de instrumentis illis nihil extra titulos & locum referat. Quid enim Deus eo loquendi compendio uteretur, *facies Cherubim, pones Urim*, & rerum earum formas aut figuras nulla verborum luce donatas præteriret; nisi quod ætatis illius homines res eas, non minus quam generalem *altaris, sacerdotis, & sacrificii*, notionem, intelligerent? cum presertim summus Legislator, in aliis plærisque cultus ceremonialis instrumentis & apicibus describendis & de-

definiendis diligentius immoretur? Hæc autem sententia, & ratio qua suffulta est, eo majorem apud me gratiam & auctoritatem obtinent, quod utraque (*a*) *Medi* nostri suffragio cohonestata veniant. Nam usus, ait ille, τȣ *Urim & Thummim, inter Patriarchas ante Legem datam obtinuisse videtur; quia de eo faciendo inter cætera ad Ephod spectantia mentio nulla in Scripturis occurrat, & quia de illo*, ceu de re probe nota, *loquatur Deus more demonstrativo*, האורים & התומים Hujus eruditi capitis opinionem de antiquitate τȣ Urim, his & aliis inductus argumentis, animitus amplectandam arbitror: sed an Urim apud Patriarchas *solos* locum invenerit, vel eo nomine ante Mosis ætatem innotuerit, mihi plurimum (ut rem molliter exprimam) dubitare subit.

Secundo: *Urim* (si minus & Thummim) *res erat, per quam, ceu organum verum & proximum, Oracula divina, non minus vere quam revelationes per Prophetas, edebantur*. Assertionis hujusce fides disertis nititur Scripturæ verbis. Nam in ea Deus [2] Per Urim *respondere* dicitur: hæc autem loquendi formula clare docet, Urim minime fuisse ipsum responsum editum & eo nomine insignitum, quod aliquibus placet; nec instrumentum quoddam sacramentale ad cujus nudam præsentiam (uti visum est aliis) sacerdos fatidicus evasit, & Dei spiritu correptus, illius voluntatem consulenti patefecit; sed verum & proximum oraculi tradendi medium, quo nempe mediante Dei responsa sacerdoti sciscitanti tradebantur. Nam si Deus responsa sua per Spiritus afflatum aut sermonem intellectualem sacerdoti Urim gestanti reddidisset, rectius Cum Urim quam Per Urim respondere diceretur. Hujus argumenti momenta *Corn. a Lapide* minime percepisse videatur: nam *Urim*, ait [3] ille, *non Oraculum, sed index erat Oraculi: & cum Scriptura dicit, Deum* per *Urim consultum esse aut respondisse; id metonymice explicandum est, ut significetur, Deum respondisse per sacerdotem rationali in quo erat Urim indutum*. At parcatur mihi, si duriorem illam *Cornelii* metonymiam concoquere non valeam. Profecto, si Oraculum dici posset per Urim tradi, quia per sacerdotem, *Rationali in quo erat Urim indutum*, tradebatur; pari ratione dici posset per Ephod tradi, per lapides etiam, qui Pontificis humeros ornarunt, dum sententiam divinam expectavit. Huic Thesi firmitatis aliquod addit etiam *Num.* 27. 21. & Eleazar *consilium petet pro eo* במשפט *juxta judicium* vel *in judicio* Urim: non est enim intellectu facile, quomodo Eleazar consilium *juxta* vel *per judicium* τȣ *Urim* peteret, nisi Urim consultum vere responderet, & de re proposita quasi judicaret.

Tertio: *Urim & Thummim diversum quid a lapidibus pectoralis fuisse, pro certo habeatur*. Hoc eo fidentius assevero, quod, ad hanc assertionem statuminandam Scriptura simul & ratio conspirare videantur. Nam,

(1) Patet ex *Exodi* 28. Urim & Thummim Pectorali jam perfecto & absoluto inseri debuisse: at lapides jam dicti, cum adhuc Pectorale sub artificum manu versaretur, inserebantur. Postquam enim Moses de Pectoralis fabrica sermonem [4] copiosum habuisset, tandem subjungit, *pones autem in pectorali* (lapidibus nempe jam recensitis instructo) *Urim & Thummim*.

(2) Tituli tam augusti, האורים & התומים *illa κατ' ἐξοχὴν lumina & perfectiones*, lapidibus illis non bene convenire videantur. Eorum enim nonnulli non adeo multum lucis projicere solent, nec de eorum (præter cætera Pontificis ornamenta). perfectione tam eximia quicquam in lege curatum legimus. Nec opinionis adversæ patroni quid lucri facient, modo lapides eos luce & perfectione tam singulari donatos fuisse concedamus: cum enim lex & perfectio ea tam insignis esset, & in omnium oculos incurreret, non magis opus erat ut titulis tam augustis & emphaticis innotescerent, quam ut lucerna Soli accenderetur.

(3) Ubicunque de lapidibus illis occurrit mentio, eos in aureis loculis ab [5] artificibus dispositos fuisse perpetuo legimus: at Urim & Thummim in Pectorali (prout tabulæ Fœderis in Arca) a Mose solummodo collocari [6] dicuntur, adeo ut Pectoralis appendices potius, quam partes constituentes, fuisse videantur.

(4) Qui lapides eos & Urim, res easdem, diversis tantum nominibus, ob fines & usus diversos, appellatas afferunt; circa rationem qua Dei responsum consulentibus innotuit, non minus quam horologia dissidere solent.

(5) Textus ipse, quod argumentorum instar omnium est, plane contrarium indicat. Postquam enim Deus voluntatem ejus, de lapidibus in Pectoralis palis includendis, fuse declarasset; [7] tandem addit, *& pones Urim & Thummim in Pectorali*. Nisi vero a

gem-

gemmis diversum quid essent Urim & Thummim, ad quid novo mandato caveret Legislator ut hæc in Pectorali disponerentur, cum jam antea præcepisset, ut gemmæ in illius parte anteriore, nunquam separandæ, figerentur? Huic telo *Rivetus* hunc sibi clypeum fabricavit: [8] est in mandato de Urim in pectorali collocando, *ἀνακεφαλαίωσις sive* repetitio & inculcatio *eorum quæ prius mandata fuerant, ut quod minime prætereundum aut negligendum erat, bis aut ter inculcaretur. Sed & illud etiam addendum est, fuisse operæ pretium, ut in illa repetitione usus ille indicaretur & speciale nomen inderetur huic gemmarum ita dispositarum ordini; nempe quod futuræ essent Urim & Thummim, quoties Deus pro* Israele *convenienter a Pontifice interrogaretur*. At hæc viri docti verba ne tenuem veri speciem præ se ferunt: haud enim oscitantem & tardum adeo Dei auditorem *Mosem* supponere fas est, ut inculcatione indigeret mandati ante pauca tantum commata suse traditi. Sed neque res eas quarum memoriam intimis audientium medullis infixam volumus, verbis mysticis (qualia sunt *Urim* & *Thummim*) sed magis apertis & captu facilioribus, inculcare solemus. Nec minus languet & friget repetitionis hujusce, quam fingit, ratio altera: ad quid enim hæc solum nomina, eaque tali cum emphasi semper proposita, gemmis hoc ordine dispositis, & in divinandi usum ordinatis, a Deo inderentur? causam sane nullam docet vel Scriptura vel Ratio: quamvis ingenioso forsitan (quali nunquam deerunt pulchra figmenta) promptum erit speciosam aliquam excogitare, si cum *Riveto* sentiat.

(6) Non desunt magna quædam nomina quæ huic sententiæ gratiam, si minus & fidem, conciliare possint. Inprimis [9] *R. D. Kimchi*, qui in lib. *Radic.* hæc habet: לא נתברר אצלנו מה הם האורים והתומים כי ידמה לפי הפסוקים שהם דבר אחר זולתי אבני החשן id est, *non satis explicatum est apud nos quid sint Urim & Thummim, quoniam ex versibus biblicis videtur fuisse aliud quid præter lapides Pectoralis*. Cum hisce paria faciunt [a] *Munsteri* verba: *habuit Pectorale illud ornamentum; præter duodecim lapides & nomina filiorum* Israel *iis inscripta*, Urim & Thummim, *quæ lucem & perfectionem significant; ex quibus Sacerdoti summo responsa dabantur: verum quales fuerint nemini mortalium constat*. Huc facit etiam, quod codex *Samaritanus*, antiquitate venerabilis, (pleonastice recedens a veritate Hebraica) tanquam rem diversam a lapidibus Pectoralis, ei fabricam τῶν Urim & Thummim assuat. Nam textu [10] Hebraico ita legimus, ויעש את מעיל האפוד & *fecit pallium ipsius Ephod*: in Samaritano vero, ועשו את האורים ואת תומים & *fecerunt Urim & Thummim quemadmodum præcepit Jehovah Mosi, & fecerunt pallium ipsius Ephod*. His insuper addo *Sirachidis* testimonium, *Cap.* 45. 10. 11. ubi de Pontificis ornamentis ex instituto agens, de Pectorali judicii, de Urim & Thummim, de lapidibus insculpta tribuum nomina gerentibus, & aliis ad pontificis ornatum spectantibus, speciatim & distincte loquitur. Quibus innuit, Urim & gemmas, æque ac cætera dignitatis pontificalis insignia, res fuisse non nomine tantum sed & numero distinctas & separatas. Gemmas itaque minime fuisse Urim & Thummim pro comperto habeamus.

Quarto: *hæc Pectoralis complementa duæ tantum res erant, quarum una* τὸ Urim *altera* τὸ Thummim, *titulo distinguebatur*. Huic opinioni me firmiter adhærere fateor, quod angustiæ Pectoralis ad plura instrumenta, nisi admodum parvula, continenda minime sufficerent; & quod res illæ duæ finibus & officiis omnibus, quibus plures, satis commode defungi possent. Neque sententiam nostram falsi arguit, quod res illæ nominibus multitudinis semper efferantur: est enim ex consuetudine linguæ Hebrææ, ut pluralis usurpetur pro singulari, ut אלהים *Gen.* 18. 3. ארנים *Is.* 19. 4. Alia exempla occurrunt, *Exod.* 32. 4. *Is.* 53. 10. *Ezech.* 16. 35. & plura curioso suppeditabit *Merceri* [11] Lexicon. Hujusce tam frequentis Hebraismi instantias, אורים & תומים statuit *Theodor.* [12] *Heckspan*, *Vatablus* etiam in *Exod.* 28. 30. ubi, pluralem earum vocum formam nil pensi habens, eas singulariter, per *illuminationem* & *perfectionem*, interpretatur; & *LXX.* qui voces eas per singularia, Δήλωσιν & Ἀλήθειαν, non semel reddunt. Alias hujus rei rationes satis graves suis in locis reddituri sumus. In præsenti sufficiat addidisse *S. Hieronymi* & *Augustini* testimonia: est ex more *Scripturæ ut unum idolum appellet pluraliter, ut est illud in Exodo de vitulo, isti* sunt Dii -- qui eduxerunt te. -- *Et in Regum volumine: Jeroboam ponens aureum vitulum in Bethel, idola fecisse* [13] *narratur*. Hisce paria sunt illa *S.* [14] *Augustini: non sane locutiones istæ reperiuntur*

tur ubi pluralis pro singulari ponitur, nisi in eo rerum genere in quo etiam de pluribus fieri vel intelligi potest. Ita Elohim de uno idolo, quandoque de Dagone, *Jud.* 16. 23. & Chemosh, 1. *Reg.* 11. 33. & uno vitulo dicitur.

QUINTO: *probabile est Urim & Thummim res fuisse, non minus numero & usu, quam nomine, ab invicem distinctas*. Huic autem sententiæ, non novitatis, sed veritatis studio, me animum adjecisse, sequentia satis evincunt argumenta.

(1) IN Scriptura sacra, de Urim & Thummim loquente, notæ quædam, realis distinctionis indices, usitate præmittuntur. Brevitati studens, unum illum Exodi locum in exemplum dabo,[15] *& pones in pectorali judicii* את האורים ואת התומים Ubi porticulæ, ו, את, & ה, in una præsertim periodo sociatæ, fidelissimi sunt rerum ab aliis & a se invicem, ratione aliqua peculiari secretarum testes. Non enim opus erat, ut eædem distinctionis notæ utrique (cum Urim tum Thummim) affigerentur, si nihil aliud essent nisi rei unius & ejusdem nomina.

(2) SCRIPTURA sacra, cum de rebus hisce mentio incidit, verbum solummodo plurale usurpare solet. Hic etiam exemplo fit locus ille quem citavi modo, *& dabis ad pectorale judicii Urim & Thummim*, והיו *& erunt*, &c. Minime vero credibile est, Spiritum S. a receptis apud humanum genus loquendi legibus tam longe recedere voluisse, ut verbum numeri pluralis cum Urim & Thummim sociaret, si una tantum res esset nominibus duobus insignita.

(4) CUM de Dei consilio in re dubia, Ephode mediante cognoscendo, in Scripturis agitur, mentio de Urim solummodo fieri solet. Varia Scripturæ loca, veritatis hujusce testimonia, occasione data in medium allaturi sumus. Hoc autem non obscure docet, Urim & Thummim in Pectorali quidem & mysterii significatione conjuncta fuisse, munere vero & usu dissimilia prorsus & separata.

(4) EX infra dicendis abunde constet, Deum Urim & Thummim rerum diversarum typos & symbola constituisse: est itaque fidei consentaneum, ea etiam natura discreta & numero distincta fuisse, ut res significatas concinnius exprimerent & indicarent.

(5) MAGISTRI Judaici famæ clarioris huic opinioni se patronos præbuere. Nam[16] Philo Judæus, *Rationale* memorans, ita loquitus; ἐπὶ δὲ τοῦ λογέιου διττὰ ὑφάσματα καταποικίλλει, &c. *Id Rationale geminus textus variat, quorum alter* claritas *appellatur, alter* veritas. A *Philone* stetit[17] *Aben Ezra*, qui sic a *Buxtorfio* docetur latine loqui; *Alia restat quæstio* (cum scilicet Urim & Thummim una & eadem res fuerit?) *nam non possumus dicere, quod Urim fuerint ipsa Thummim; quia de iis distincte scribitur* לאורים ולתומים Ezr. 2. 63.: *& quia Urim & Thummim vocantur numero plurali, colligimus non rem unam sed mulicplicem fuisse*.

HÆC ea sunt quæ prælibanda duxi, ut Lectoris animus, prima veluti sententiæ meæ tinctura imbutus, illius scientiam & fidem eo facilius imbibat & altius retineat.

[1] *Et in Pectorali pones Urim & Thummim* Exod. 28. 30. [2] 1. *Sam.* 28. 6. [3] *Comment. in Exod.* 28. 30. [4] *Exod.* 28. a com. 15. ad 30. [5] *Exod.* 39. 10. [6] *Exod.* 28. 30. *Lev.* 8. 8. [7] *Exod.* 28. 30. [8] *Comment.* in *Exod.* 28. 30. [9] In voc. אור [10] *Exod.* 39. 22. [11] In voc. בעל [12] *Miscel. sacr.* lib. 1. c. 2. [13] *Comment.* in *Dan.* 3. T. 3. col. 1083. [41] *Locution.* in *Exod.* T. 3. P. 3. col. 349. [15] *Exod.* 28. 30 [16] L. 2. de *Monarch.* p. 824. A [17] *Comment.* in *Exod.* 28. 8,

(a) Lib. 1. Serm. 35. p. 183.
(b) *Annot.* ad *Exod.* 28. 15.

SECT. II.

Ostenditur, Urim *ejusdem naturæ generice cum* Theraphim *fuisse, & in locum eorum successisse*.

SPIRANTE tam secunda rationis aura, mens nostra plenis quasi velis in hanc sententiam fertur, quod insignis discrepantia inter Urim & Thummim, non tantum quoad nominum sonum & sensum, sed rerum ipsarum naturam & usum, intercesserit. Est itaque Argumenti nostri conditioni consentaneum, ut de URIM ejusque natura primo, postea de THUMMIM, seorsim disseramus.

URIM autem, ut inde ordiamur, instrumentum concavum decore fabricatum ([1] simulacrum forte parvulum effigiem humanam referens) *Theraphim* antiquitus appellatum fuisse videtur. Hoc autem reconditum gestavit Sacerdos intra concavas Rationalis plicaturas, & eo mediante, Deus, aut Angelus illius vicem & nomen gerens, ad Pontificis interrogata respondit, eique quid agendum quid non agendum, quid præsens quid futurum esset, voce formata revelavit.

SENTENTIAM inopinatam adeo, & ad

ab ætatis hujuſce moribus & notionibus alienam, nonnullos animo ſuſpenſo, alios averſo & iniquo, accepturos, facile præſentit animus. Proclive enim eſt, exiguo præſertim rerum uſu præditis, exigere præterita ad normam præſentium, nihilque, niſi quod apud ſuos hodie receptum eſt & uſitatum, verum aut rectum putare. Exoratum itaque Lectorem velim, ut, miſſo vulgari illo mentis humanæ præjudicio, judicium ſuum tantiſper in æquilibrio retineat, donec rationes ad opinionis hujuſce veritatem aſſerendam allatas æqua lance trutinaverit: & mihi facile perſuadeo, Lectorem ad conditionem tam æquam libenter acceſſurum.

SED jam preſſius agam: & ſenſum meum de natura & origine τȣ Urim, ejuſque cum Theraphim cognatione, ſermonis exordio altiuſcule petito, paulo luculentius exprimam.

CUM mos iſte ſimulacra illa fatidica, *Theraphim*, in dubiis conſulendi, longe lateque per gentes invaluiſſet, iiſque conſuetudo, ſeculorum aliquot uſu confirmata, vulgi affectus arcte devinxiſſet; facile in eam ſententiam venio, Deum nempe veterem a Theraphim oracula petendi ritum, in Pectoralis Urim pene invariatum Iſraelitis reſervaſſe; adeoque *Urim* ejuſdem cum *Theraphim* muneris & (forte) figuræ fuiſſe, ſub nominis diverſi larva, ſimulacrum. Cum enim Deo jam res eſſet cum difficilis & pervicacis ingenii populo, ex uſu longo morum ubique receptorum impenſe ſtudioſo; niſi genio proprio & moribus antiquis uti licuiſſet, a Dei legibus & inſtitutis, tanquam novis & exoticis, penitus abhorrere voluiſſent. Multa itaque antiquitus uſitata (paululum autem in melius mutata) populo duro & præfacto conceſſit indulgens Numen; ne ſi ſtudiis eorum prorſus obſtitiſſet, in gentium ſemitas moris antiqui deſiderio effræni præcipites agerentur. Simili exemplo, quamvis jure diſſimili, tot pii Judæorum reges morem iſtum ethnicum in locis editis immolandi toleraſſe creduntur; ne populus, a gentium moribus nulla arte movendus, in ſeditionem abiret & pacem publicam violaret, ſi ſtudiis eorum hac in parte non fuiſſent obſecuti.

NE vero *ægroti veteris ſomnia*, hæc dicens, *meditari* videar; ſententiæ meæ veritatem, teſtimoniis Divinis & Humanis, Argumentis inſuper aliis, oſtendere & confirmare conabor.

[1] *In eam ſententiam propendeo ipſe: ſi quem tamen ſi*mulacri *nomen male babeat, illius loco* inſtrumentum concavum *ubique (per me licet) ſcriptum putet.*

S E C T. III.

Dicta natura & origo τȣ Urim[1] *Hoſeæ teſtimonio confirmatur.*

ARGUMENTORUM pro cauſa mea militantium principia ducat Scripturæ ſacræ teſtimonium. In ea vero, virium & fiduciæ non parum hic [1] *Hoſeæ* textus illi conciliare videatur: *quia dies multos ſedebunt filii Iſrael*, אין מלך ואין שר ואין זבח ואין מצבה ואין אפוד ותרפים *abſque rege, & abſque principe, & abſque ſacrificio, & abſque ara, & abſque Ephod & Theraphim.* Ut autem quantum hic locus cauſam meam adjuvet, apertius intelligatur; ex uſu erit, *Ephodis* naturam, & ſenſum vocabuli *Theraphim*, quorum hic mentio facta eſt, paucis explicare.

Quid per Ephod intelligendum.

UT primam penſi mei partem expediam, monendum eſt, duplex Ephodis genus in Scriptura memorari, *Vulgare* unum & *Pontificium* alterum. *Vulgare*, veſtis erat e lino ſolo conflata, ordinarie [2] ſacerdotibus ſolis templo miniſtrantibus induenda. Inde venit, quod LXX. *ſine Ephode* hoc in loco per [ἄνευ] ἱερατείας abſque *ſacerdotio* reddant. [3] *Joſephus* autem, Agrippam Levitis etiam, munia ſacra obeuntibus, hujuſce veſtis uſum conceſſiſſe refert. *Ephod Pontificium* indumentum erat artis & pretii non vulgaris, utpote gemmis, auro, variis etiam coloribus, diſtinctum & variegatum, quod ſoli pontifici geſtare concedebatur. Hujus autem Ephodis partes erant duæ: Superhumerale, quod ab humeris ad zonam uſque, totum pectus complectens, contingebat; & Pectorale, ſuperhumerali tam firmo vinculo conjunctum, quod vix potuit, nec ſane [4] debuit, ab eo ſeparari. Ex ea neceſſitudine quæ Pectorali cum Ephode interceſſit, profectum eſt, quod Ephodis nomine [5] nonnunquam Pectorale [comes illius individuus] intelligendum veniat. Jam vero textus Hoſeæ quem præ manibus habemus, de Ephode *vulgari* minime videtur interpretandus; illud enim, obſervante [6] Moncæio, *nihil prohibuit Judæos, omni tempore quantumcunque malo, ac vel in captivitate etiam media, habere & circumferre*: ſed de poſtremi generis Ephode, quod *Pontificium* appellavimus.

Et quid per Theraphim.

PER Theraphim, hoc in loco, non gentium idola (quod pleriſque viſum eſt) ad conſulendum aut colendum comparata, ſunt intelligenda: ſed Urim, vel icuncula ſacra, conſiliorum

divi-

divinorum nuncia, in Ephode vel adjuncto pectorali ex præscripto divino reponenda. Ita me pesuasum habeo, quod rationes non leves habeam, quæ animum meum (principio reluctantem & aversum) in hanc sententiam petraxerunt.

Nam Primo: rationi minime consentaneum est, Prophetam, flebilem gentis Israeliticæ sortem prædicturum, inter mala futura *idolis destitui* ponere voluisse. Rem bonam & licitam oportet esse quam Deus minatur se ablaturum Israelitis, ut de peccatis eorum vindictam sumeret; alioquin eam auferre, non pœnæ sed beneficii loco habendum esset. De quanam autem re bona & licita, ulla cum veri specie, Theraphim hoc in loco possimus interpretari, nisi de Urim Dei, Ephodi nexu tam sacro cohærente? Probe novi, nonnullos hic respondere, quod *minime necesse sit, id omne natura sua bonum & licitum esse, quod in criminis pœnam a Deo aufertur: sufficit quod ei bonum videatur & cordi sit, qui eo privatur, & ejus ablatione damno se affici sentit.* Hoc autem pluma levius: non solet enim Deus ob malum reale pœnam solummodo phantasticam irrogare, nec ulla constat ratio, cur Propheta Theraphim solorum jacturam, misso quovis alio superstitionis instrumento plebi non minus in deliciis, inter mala illa opinata numeraret. His addo 7 *Sanctii* rationem, me judice non facile refellendam: *Theraphim hic aliquid significare sacrum*, -- *satis docet locus ipse, ubi in suppliciis numeratur eorum ablatio, & cum illis rebus conjunguntur, quæ magno habentur in pretio; sive propter religionem, qualia sunt, altare, sacrificium Ephod; sive propter dignitatem & splendorem, quales principes censentur, & reges.*

Secundo: probabilitate omni destitutum est, Prophetam cœlum gehennæ uno adeo spiritu miscere voluisse, ut de ara, sacrificio, & Ephod, sanctis, una cum idolis, nullo non dignis odio, juxta loqueretur. Quasi Israelitæ si calculos rite ponerent, eorum omnium amissione, damno æquali mulctarentur; & Propheta rem Judæorum deploratam hisce verbis incongruis prænunciaret, "Judæorum res in tam tri„stem redibunt locum, quod man„suri sint, non solum omni cultus di„vini sed & superstitiosi specie, non „sacrificiis tantum & Ephode, sed sta„tuis etiam & idolis, diu spoliati.

Tertio: scopus & cohærentia textus non ferunt ut de re aliqua malæ famæ Theraphim interpretemur. Nam jussus est Propheta sibi connubio jungere mulierem *ab amico dilectam*, fidem tamen ei datam adulterio violantem, ideoque singulis amoris sui tesseris orbatam. Nempe ut symbolum & typus propheticus evaderet gentis Judaicæ, quæ fœderis conjugalis cum Domino suo initi fidem adulterio spirituali violaverat, ideoque maritalis amoris insignibus (qua civilibus, *Rege & Principe*, qua sacris, *ara, sacrificio, & Ephode*) merito exuta fuit, quamvis haud plane repudiata. Adeoque necesse est, ut vocem *Theraphim* de singulari aliquo gratiæ & favoris divini pignore intelligendam esse censeamus. Id autem quid aliud esse potuit nisi Urim, quod cum Ephode jungebatur, & cujus vaticinandi facultatem Theraphim proxima similitudine referebat?

Quarto: Spiritus S. de Ephod & Theraphim hoc in loco, tanquam de rebus ejusdem familiæ, loquitur; de aliis autem omnibus, quasi nullo cognationis vinculo conjunctis, sed ab invicem naturæ diversitate longe separatis. Nam hæc omnia, vocabulo illo disjunctivo אין *absque*, sic a se mutuo separantur: *sedebunt filii Israel* absque *rege*, & absque *principe*, & absque *sacrificio*, & absque *ara* vel *statua*, & absque *Ephode*. Sed Ephod & Theraphim conjunctim, & quasi continuo spiritu legenda, in hunc modum proponuntur. *absque Ephod & Theraphim*; missa illa disjunctionis nota, rebus & personis aliis hoc in loco memoratis interposita. Interpretes itaque nostri turbarunt aliquantulum fontis Hebraici puritatem, cum ita verterint, *for the children of Israel shall abide——without an Ephod and without Teraphim*. Sed culpam illam *without*, de penu suo depromtam, literis minusculis exarandam curarint; ne quis eos textum Hebræum hic ad verbum transtulisse incautus existimaret. Quid autem Propheta (ut ad argumentum redeam) usitatam loquendi formulam sic ex inopinato desereret & immutaret, nisi quod vox *Theraphim* hic intelligi debeat de re aliqua (Urim nempe) cum Ephode tam indivulse cohærente, & ad ejus integritatem tam necessario requisita, quod ab eo, ne voce quidem disjunctiva, sit devellenda?

Quinto: Theraphim, hoc in loco non cum זבח *sacrificio*, vel מצבה *statua* vel *altari*, sed immediate cum *Ephode* sacro, copulatur. Hoc & eo dignius est observatu, quod Ephod & The-

Theraphim nusquam in eodem commate vel capite memorentur; quin ea conjuncta & immediato nexu cohærentia reperiamus. Hoc autem indicio est, Theraphim hic (& alibi sæpe) pro Urim, Ephodi conjunctissime cohærente, capiedum esse. Nam si vox *Theraphim* (quod plerisque placet) hic idola turpissima denotaret, quid cum Ephode, sacratissimo Pontificis ornamento, conjuncta venit, & non potius cum זבח aut מצבה vocibus victimam & statuam profanam & idololatricam quandoque significantibus.

Sexto: Judæi plerique, S. Patres (*Hieronymus*, *Cyrillus*, *Augustinus*) alique Christo devoti, hæc *Hoseæ* verba de duabus tribubus interpretantur: voluntque, per *Gomeram* (quam in uxorem Propheta duxisse [8] dicitur) Tribus decem repræsentatas fuisse; per [9] *adulteram amatam viro*, duas alias, quas Deus favore præcipuo prosequebatur. Hæc autem interpretatio rationi videtur apprime consentanea: nam Tribus decem Ephode cum Theraphim privari non nisi improprie admodum dici poterant: iis enim nunquam forsan adfuit Ephod pontificium, & vix unquam defuit cultus Theraphim, cum non minus in mores quam familias ethnicorum, post aliquot annorum circulos, immigrarint: & illæ vix unquam fuerint sine rege & principe suo, cum in sanguinem & censum Gentium, infinitis commixtæ matrimoniis, transierint. Hæc itaque Prophetæ verba in solis duabus Tribubus complementum habere potuerunt: nam in Captivitate Babylonica *sedebant* illæ *sine rege & principe*, e sanguine scilicet Israelis oriundo: manebant etiam olim, prout & hodie, sacrificio, altari, Ephode, Theraphim etiam aut Urim, destitutæ. Deinde, mulier illa, de qua Prophetæ sermo, ad frugem & uxoris pudicæ morem se tandem recepit, & *Davidem regem*, i. e. [10] Messiam, temporibus novissimis *quæsiisse* dicitur: At spes omnis de reditu decem Tribuum ad bonos mores, ante multa secula decollavit. Si itaque Prophetam hic duarum Tribuum statum futurum depinxisse statuamus, nullus supererit dubio locus, quin Theraphim de re licita, Urim nempe, interpretari debeamus. Dum enim Babylonia Judæos captivos detinebat, certum est, eos, non sine statuis & idolis, sed *sine rege & principe* suo *sine sacrificio*, *altari*, *Ephod* & *Urim* vel *Theraphim*, permansisse.

Septimo: Interpretes plerique veteres, & e modernis haud pauci, mecum faciunt, & Theraphin hoc in loco de Urim, aut simulacris aliquibus ad Dei cultum spectantibus interpretantur.

Græci interpretes (ut ab Antiquis ordiar) *Theraphim* hoc in loco per δήλων, vel (ut aliqua legunt exemplaria) per δηλώσεως, reddere consultius habuerunt. Eo vero vocabulo, uti & per vocem δήλωσις, [11] aliis in locis *Urim* solent interpretari. Hæc observatio verbis hisce *Bonfrerii* causam non levem præbuit: [12] *LXX. Theraphim per* δήλων *apud Oseam interpretantur*, quo & eos *sæpe Urim vertere diximus* Exod. 28. *Ut proinde certum videatur*, *Septuaginta apud Oseam nihil aliud intellexisse per* δῆλα *nisi Oraculum istud sacerdotum*, *quod & adjuncta*, *sacrificium*, *altare*, *Ephod indicant*. *Neque aliud ibidem intellexisse puto Chaldæum Paraphrasten*, qui Theraphim ומחוי responsum edens *reddit*. Aquila etiam *Theraphim* hic loci per [13] φωτισμὸς explicat, quo nomine & Urim transtulit, *Levit*. 8. 8. *Vulgatus* interpres pro Theraphim hic *manifestationes* habet, quo nomine sacerdotis *Urim* notare solet. *S. Hieronymus* etiam tam prope accedit ad partes nostras, ut Theraphim, in hac *Hoseæ* prophetia, non de prophanis Gentium simulacris, sed de [14] *Cherubim & Seraphim*, *vel aliis quæ in templi ornamentum fieri jussa sunt*, intelligenda doceat. At secundis cogitationibus in consilium vocatis, propius a nobis absuit: nam post paucas periodos, voces eas, *sine Ephod & Theraphim*, de *instrumentis* quibusdam *habitus sacerdotalis* interpretatur. Eum autem, priusquam textui valedixerat, plane nostrum fuisse, clare testantur illa Patris verba: *quia LXX. Theraphim* δήλους *interpretati sunt*, *pro quibus Aquila* φωτισμοὺς *transtulit*, *& hæc ipsa sunt in Rationali; hoc intelligemus*, *quia in pectore & corde Pontificis* ἀλήθεια καὶ φωτισμός, *veritas esse debeat atque doctrina*. His autem verbis, observante [15] Drusio, *S. Hieronymus perspicue nomine* δήλων *intelligit Urim & Thummim*. Theodoretum & Cyrillum Alexand. eodem cum interpretibus jam laudatis animo fuisse, sat liquet e suis in hunc locum Commentariis.

Interpretibus hisce quibus tot secula reverentiam conciliarunt, aliquos addere liceat ævi recentioris Auctores, qui interpretationi nostræ se amicos præbuerunt. Inter eos sic [16] *Bonfrerius* inprimis eam ambabus manibus ædificat: *Quid Theraphim sit* Oseæ 3. 4. *acris in-*

ter auctores est disputatio , & quidem nonnulli vocem ad idola referunt . At ego nihil hic idololatricum censeo: cum in his omnibus quæ propheta nominat , si adsint, videatur constitui felix & florens status Reipub. Judaicæ; si desint , infelix & luctuosus status . Dico igitur nihil aliud videri significari illic per Theraphim , quam oracula & responsa , quæ captabantur a sacerdotibus per Urim & *Thummim* . Hæc & alia , jam citata , *Bonfrerii* verba probavit [17] *Menochius* , & in sua transtulit . Ab iis *Genebrardum* non multum abiisse constat , [18] qui *Hoseæ* Theraphim de *imaginibus* quibusdam *sacris* intelligenda censuit. *Grotium* etiam cum illo cogitasse probant illius verba in *Explicat. Decalogi* , *vox* תרפים *videatur esse media, & interdum pro Cherubinis sumi, ut Judic.* 17. 5. & *Ose.* 3. 4.

Object. 5. Satisfactum est.

ARGUMENTIS haud inertibus ostendisse videar, Urim sub obscuriori Teraphim titulo hoc in textu latitare . Ne vero jam dicta fidem dubiam & timidam inveniant, Objectionibus hisce quinque necessario occurrendum est.

Object. 1

PRIMA hujusmodi est: vox מצבה in hac scriptura prophetica, non de *ara* (contra Lexicorum omnium fidem) sed de *statua*, lege Dei proscripta, capienda est . Ideoque textus analogia postulat, ut eum, non de Judæis, sed Israelitis apostatis (apud quos statuarum superstitioni servientium usus increbuit) intelligamus; & Theraphim, non de re aliqua ad veri Numinis cultum spectante, sed de quibusdam pessimi nominis imaginibus apud Israelitas, qui ad ethnicismum desciverant, interpretemur.

Triplici responso solvitur.

HISCE speciose magis quam solide dictis, hæc tria regerenda censeo:

(1) NULLA nobis (qui Magistrorum ferulæ manum subduximus) incumbit necessitas, מצבה de *statua* solummodo interpretari, cum proxime a מזבח *altari* , non minus natura & usu quam sono, distet. Nam inter hæc duo hoc tantum discriminis intercedere tratunt in literis Hebraicis exercitati*: statua* uno constabat lapide , *altare* pluribus: *statua* erigebatur ad libationem & olei fusionem, *altare* ad oblationem aut sacrificium : *statua* ad ingentis alicujus beneficii memoriam posteritati consecrandam , *altare* ut plurimum ad sacrum faciendum . Cum itaque *Statuæ* & *Altaria* cognatione tam propinqua jungerentur, huic voci מצבה facile patebat transitus a sensu nativo ad *altare* significandum . Ideoque LXX. non tantum cum venia sed laude vocem illam per θυσιαστήριον reddidisse censeantur . Nec audiendi sunt qui eos ita transtulisse dicunt , quoniam מזבח θυσιαστήριον loco מצבה *statua* vel *columella* legerint; eo quod Seniores illi quandoque dormitarint , vel usi fuerint exemplari cujus literæ vetustate victæ sæpe diffugerunt . Nam liquido constat , eos non casu sed certo consilio vocem illam ita transtulisse, cum omnes alias , hoc in loco, per vocabula res licitas & veri Dei cultum denotantia reddere non dubitarint.

[2] MODO sensum vocis מצבה limitibus arctis adeo coerceamus, ut *statuam* solummodo denotaret; male tamen inde sequetur , eam de re quam Lex in æternum damnavit & interdixit , necessario interpretandam . Non me præterit , Deum legem de [19] *non erigenda* מצבה *statua* populo suo tradidisse . Eam autem Rabbini nonnulli latam tantum pro tempore sentiunt , ut Israelitas cohiberet , alias ad ethnicorum idololatriam omnem effuse ruituros. Sed Maimonides & contribules ejus secula omnia lege illa teneri , eam vero de statuis solummodo Deo alicui fictitio dicatis interpretandam arbitrantur . Hoc e *Dionys.* [20] *Vossii* fide refero, cujus hæc sunt verba: *scriptoris nostri* [Maimonidis] *hæc sententia est , non statuas quasvis , sed superstitiosas duntaxat, esse interdictas : non illas itidem quæ in rei alicujus testimonium ponerentur , qualis illa* [21] *Jacobi* (& fortasse [22] Sichemensium) *Ideoque verba hæc*, ne erigas tibi statuam , *exponunt Hebræi de statua ad superstitionem constituenda; non illa quæ ad memoriam* beneficii *ponitur*. Neque sententiam illam omni fundamento destitutam arbitror : nam ipsa vocis origo doceat , מצבה [quæ *statua* vertitur] non id quod vulgo *statua* notat, humanam nempe figuram significare ; sed opus aut monumentum qualecunque , constitutum & erectum , ut ibi sacra fierent , vel ut ingentis alicujus beneficii memoriam conservaret . Sensu priori sumitur jam citato *Deuteronomii* loco, & significatus posterioris exemplum præbere videntur illa Prophetæ verba : [23] *in die illa erit* מזבח *altare in medio terræ Ægypti* , ומצבה & *statua* vel *memoriale* , *juxta terminum ejus*, *Domino*. Hoc itaque vocabulum nil nobis adversi continet.

(3) RES nostræ non multum detrimenti caperent, modo מצבה de statua aliqua superstitiosa , inter decem Tribus usurpata, exponendam esse concedatur. Tunc enim sequens *Theraphim* pla-

plane redundans erit & otiosum, nisi de imagine fatidica ad Ephodis cui jungitur complementum requisita, vocem illam intelligamus. Sin autem Israelitarum *Teraphim* imagines vaticinæ fuerint, inde Judæorum *Urim* naturam & usum consimilem habuisse non temere colligatur. Nam Israelitæ proculdubio non minus curarunt, ut eorum *Theraphim* Urim Judaici formam exprimeret; quam ut eorum Ephod, Ephodis Judaici figuram ad amussim redderet.

Obj. 2. SECUNDO: non-nemo forsan objiciet, me frustra futurum, modo Judæorum Urim nomine τῶ Theraphim hoc in textu notari concessum fuerit. Nam *Hoseas* Urim, nomine Theraphim denotasse creditur, non quod eadem natura communi & formæ similitudine sibi mutuo jungerentur; sed quod Theraphim sanctitatem Urim & Thummim, & eorum prædicendi facultatem mentirentur. Hanc sententiam sic probat haud infimi ordinis apud nos Theologus: *ob usum τῶν Theraphim similem sanctorum Urim & Thummim, legamus Ephod & Theraphim conjuncta, tanquam res naturæ consimilis*, *Hos.* 3. 4. *Judic.* 17. 5. Huic sententiæ proxime accessit [24] Sanctius: *existimo*, inquit, *quæ Hebraice dicuntur* Urim, -- *appellari hoc loco* Theraphim, *quia per illa præcognoscebat populus rerum eventus*; -- & *id vere præstabant a Deo, quod falso simulacra illa a malis spiritibus animata*. Patet itaque me nominum communionem, opinionis meæ fundamentum minus consulto posuisse.

Tollitur. RESPONDEO: ob hæc omnia manum non verterim, utpote nec probata profecto nec probabilia.

NAM (1) Minime probabile est, Spiritum S. infamem (plerumque) *Theraphim* titulum sacro Pectoralis *Urim* tribuere voluisse, nisi natura quadam communi, prout homines boni & mali convenirent. Sæpe quidem in Scriptura titulum rerum & personarum bonæ famæ, rebus & personis earum perfectiones tantum simulantibus concessum legimus: nusquam autem nomen rerum aut personarum male plurimum audientium, rebus aut personis vera aliqua perfectione præditis, ob similitudinem tantum formalem & commentitiam, inditum reperiamus. Idola ver. g. & hypocritæ titulis *Elohim* & *Sanctorum*, quorum naturas fingunt & personas induunt, aliquando cohonestantur: at infamia illa idolorum & Hypocritarum nomina Deo & Sanctis ejus nunquam affiguntur. Pari ratione, Theraphim honesto Urim nomine quandoque decorata fuisse, nobis facile persuadeamus; at rationi dissonum est, Prophetiam *Urim* sanctum probroso (plerunque) *Theraphim* nomine designare voluisse, tantum quod Theraphim eadem qua Urim futura prædicendi facultate pollere crederentur.

(2) NEMINI non constat, LXX. titulum τῶ Urim, δῆλα nempe, τῶ Theraphim concessisse; & fatentur Adversarii, Prophetam nomen Theraphim τῶ Urim imposuisse. Hæc autem amica nominum commutatio, documentum haud obscurum est, Urim & Thummim summum inter se, quoad usum & naturam, consensum coluisse.

Obj. 3. TERTIO: ad interpretationis nostræ fidem infirmandam dici potest, Hoseæ verba, non de duabus Tribubus intelligenda esse, sed Israelitis imperio Jeroboami subditis. Ille nempe, Religionem post rem habens, omnia in cultu divino miscuit, oblationem & ephod a sacris Judæorum, statuam & Theraphim a Gentilium ritibus mutuatus. Cum enim mixto populo præesset Jeroboam, id impense curavit histrio ille multarum partium, populo ut placeret religionis, quam fecit, fabula.

Sol. RESPONDEO: mihi prorsus impossibile videtur hæc verba de decem tribubus vel probabiliter interpretari. Cum enim in gentium familias immigrarint, apertum est, eas *Davidem regem suum* (i. e. Messiam) nec [25] quærere potuisse, nec adhuc quæsiisse. Quoniam autem interpretationi huic auctores haud obscuri favent, pacis ergo libens in præsenti supponam, *Hoseam* sermonem de tribubus apostatis instituisse, cum taxilli mei non minus feliciter casuri sint. Id enim certum manebit & immotum vocem Theraphim, vel de Urim, vel de simulachro munus & figuram ejus æmulante, necessario interpretandam. Non operis difficillimi fuerit, Theraphim de re ulla, in sacris Israelitarum numerata, nisi de instrumento aliquo vices & formam τῶ Urim gerente, cum specie minima veritatis interpretari; præsertim si מצבה (cum *Riveto* aliisque) de Jeroboami vitulis exponendum esse censeamus. Satis hoc *Medo* nostro acutissimi nasi viro subolevit: quamvis enim *Hoseæ* verba de Israelitis dicta senserit, Theraphim tamen de rebus quibusdam, locum Urim apud eos habentibus, exponenda docuit. Illius verba, Latine reddita, sic sonant: *colligere licet, Israelitas post Jeroboami schis-*

ſchiſma, cum non habuerint Urim & Thummim, uſos fuiſſe eorum loco Theraphim in Ephode: hinc enim factum eſt, quod Hoſea minetur, eos futuros ſine Ephode & Theraphim. Si itaque Jeroboamus Ephod & Theraphim ideo fabricavit, ut locum Ephodis & Urim, tunc aut olim apud Judæos, occuparent; a veri ſimilitudine longe remotum eſt, eum uſque adeo prudentiam omnem decoxiſſe, quod veras eorum formas, quantum fingere datum, exprimere non curarit. Satis enim novit Veterator ille, ſua plurimum intereſſe, ut illius ſacra omnia cultus Hieroſolymitani formam & exemplar exprimerent; ut ſibi populi novi (cui cultus veri memoria nondum prorſus exciderat) animos conciliaret, & facinora ſua religionis ſpecioſæ pigmento dealbaret. Nam eo conſilio, ſacerdotes, ſacrificia, ephod, vitulos etiam non minus figuram quam numerum (uti ſentiunt aliqui) Cherubinorum imitantes, eoſque in [26] templis a ſe conſtructis repoſitos, inſtituiſſe, creditur; ne ſi cultus a ſeipſo inſtitutus a Judæorum exemplari diverſus abiret, populus tandem religione tactus ad antiqua ſacra reditum meditari poſſet.

Obj. 4. QUARTO: ad Interpretationis noſtræ fidem deſtruendam objiciet forſan aliquis, quod nulla patet ratio cur Propheta nomen illud honeſtum & genuinum, *Urim*, miſſum faceret, & Oraculum ſanctum voce illa profana & ſuperſtitionem olente, *Theraphim*, dehoneſtaret; cum præſertim ſanctum Ephodis nomen retinuerit.

Sol. IMO vero, ratio in ſummo jacet, nec *Delio* notatore indiget. Nam primo, Theraphim nomen illud erat, cui religio & longa dies honorem apud populum conciliaverat: Deus autem non magis [27] nomine quam mores antiquos, niſi ratione aliqua cogente, prorſus antiquare voluit. Deinde: Theraphim & Urim vocabula fuere pene ſynonyma & ταυτοδυναμοῦντα, quod alibi probaturi ſumus. Præterea: *Theraphim* nomen erat intime cum ipſa Oraculi natura conjunctum, & illius tantum gratia icunculæ fatidicæ pectoralis inditum: *Urim* autem gratia myſterii (de quo occaſione data dicemus) per eam vocem quam per Theraphim felicius adumbrandi.

Obj. 5. ſatisfit. QUINTO: nonnullos hic dicturos auguror, auctores a me citatos cauſam meam non multum adjuvare, cum eorum nonnulli *Hoſeæ* Theraphim, non de Pectoralis Urim, ſed de Templi Cherubim interpretentur. Hoc autem me modice tangit: nam ideo ſolummodo Theraphim de Cherubinis expoſuiſſe videantur, quod nullum aliud legis inſtitutum animos eorum parum vigilantes ſubiit, cui nomen illud conveniре cenſebatur. Niſi enim fatidica Pectoralis imago, obſcuritatis alicujus velo in Scripturis obducta, animos eorum minus attentos effugiſſet; fieri non potuit, quin per ipſas textus hujuſce circumſtantias, ad ſententiam priorem deponendam, & Theraphim de Urim [non minus honeſti nominis imagine] exponendum adducerentur. Hic autem teſtium meorum defectus inclyto Græcorum interpretum teſtimonio abunde compenſatur: nam illi Theraphim de Urim, & res alias [28] omnes hoc in loco memoratas, per voces honeſti vel ſacri ſignificatus interpretantur. Et certe verſionis tam antiquæ teſtimonium plus ponderis apud nos habere debet, quam Recentiorum nobis adverſantium dicteria, vel Talmudiſtarum omnium de gemmis miraculoſe ſplendentibus nugamenta.

SED hoc ferculum ne Lectori nauſeam creet, de menſa tandem auferendum eſt. Nec opus eſt ut in hunc locum *Hoſeæ* fuſius diſſeram, cum e jam dictis conſtet, argumenti mei inde ducti aciem minime hebeſcere, ſi quis eum de duabus, vel de decem Tribubus interpretandum cenſeat. Addo tamen, fidei certioris cauſa, quod incredibile videatur, Prophetam, per תרפים & מצבה vocabula boni quandoque ſenſus & ominis, cultum & inſtrumenta idololatrica exprimere voluiſſe: cum præſertim voces ſint aliæ quamplurimæ, quæ numinis fictitii cultum certo & ſemper indicant, & nullum relinquunt de Scriptoris mente ſenſuque dubitandi locum.

[1] Cap. 3. 4. [2] 1. *Sam.* 22. 18. [3] *Antiquit.* l. 20. c. 8. p. 899. [4] *Exod.* 28. 28. [5] 1. *Sam.* 30. 7. [6] L. 1. de *Aur. Vit.* c. 19. [7] *Comment.* in *Oſe.* 3. 4. §. 34. [8] Cap. 1. [9] Cap. 2. 1. [10] V. *Chald. Paraph.* in loc. [11] V. LXX. in *Levit.* 8. 8. *Num.* 27. 21. *Exod.* 28. 26. [12] *Comment.* in *Judic.* 17. 5. [13] *S. Hieron.* in *Oſe.* 3. 4. [14] *Comment.* in loc. [15] *Not.* in loc. [16] *Comment.* in *Judic.* 17. p. 382. [17] L. 4. de *Rep. Hebr.* cap. I. num. 5. [18] In *Chronol. Ætat.* 6. [19] *Deuter.* 16. 22. [20] In *Maimonid.* de *Idololat.* Cap. 6. §. 8. [21] *Gen.* 28. 2. & 31. 52. [22] *Judic.* 9. 6. [23] *Jeſ.* 19. 19. [24] *Comment.* in *Oſe.* 3. §. 44. 45. [25] *Quod tamen propheta futurum prædicit.* Hoſ. 3. 5. [26] Δύο ποιήσας δαμάλεις χρυσᾶς, καὶ οἰκοδομήσας ναΐσκους ποσίνους. *Joſephus de Jeroboamo*, *Antiq.* lib. 8. c. 8. p. 364. 40. [27] *Quis enim nominum reatus?* Tertulian. [28] Ημέρας πολλὰς καθήσονται οἱ υἱοὶ Ισραὴλ, ὐκ ὄντος βασιλέως, ὐδὲ ὄντος ἄρχοντος, ὐδὲ ὄσης θυσίας, ὐδὲ ὄντος θυσιαστηρίυ, ὐδὲ ἱερατείας, ὐδὲ δήλων. *LXX.* in *Hoſ.* 3. 4.

SECTIO IV.

Alius Scripturæ locus, Judic. 17. 4. & 5. *ad ſententiam meam firmandam affertur, & explicatur.*

PER ea quæ dixi omnia, me non ὑποθέτει δουλεύων, ſed veritati, magis pro certo habiturus eſt Lector, ſi textus ſequentis, loco jam laudato cognatione proxima devincti, momenta mecum perpendere dignatus fuerit. Occurrit autem,

Judic. cap. 17. com. 4. & 5.

Cepitque mater Michæ ducentos argenteos, & dedit eos argentario, ut faceret ex iis ſculptile & conflatile.

Viro autem Michæ בירת אלהים *Domus Deorum, fecitque Ephod & Theraphim.*

Qui quidem textus, utut parum forſan in fronte, plurimum in receſſu, ad ſententiæ meæ veritatem aſſerendam, geſtare videbitur, ſi prius duplici quæſito ſatisfecero: nempe *quid hic fecit Micha, & quo conſilio fecit?*

Quid hic fecit Micha?

Ut horum primo ſatiſfiat, aſſero me in hoc Textu tria minimum naturæ diſſimilis inſtrumenta videre (ni parum proſpiciant oculi) in munus aliquod religioſum comparata.

Primo: ſimulacra duo, *ſculptile* & *conflatile* hic dicta, Cherubinorum forte menſuras haud multum ſuperantia. Horum unum e ligno elaborato (prout Templi Cherubim) & laminis argenteis circumducto; alterum ex argento ſolido factum arbitror. Rem hanc ita ſe habere, firmius credo; quia Micha, mater ejus, & Hiſtoricus ſacer, de ſculptili & conflatili ſæpe loquuntur tanquam de rebus numero diſtinctis; ideoque verbis aliis interpoſitis, ab invicem [1] quandoque ſeparatis: deinde Micham ædiculam privatam, ſecundum formam Tabernaculi & cultus Moſaici adornatam, meditatum fuiſſe, in ſequentibus probaturus ſum: ideoque veriſimile eſt, Michæ ſimulacra Cherubinorum formas atque numerum ſimilitudine perfecta reddidiſſe. Utcunque, pro opinione adverſa pugnant alii, qui *Sculptile & Conflatile* unum fuiſſe idolum contendunt, duobus nominibus inſignitum. Horum agmen ducunt *Toſtatus* & *Moncæius*, quorum poſterior ſententiam ſuam his verbis [2] exprimit, *unicum fuiſſe hoc* Michæ *opus*, *quamvis nomina duo ſortitum*, *adducor* credere, *quod utroque* illo ſculptilis & conflatilis *nomine præmiſſo*, cap. 17. *ſubjungatur non ſolum pronomen relativum, verum etiam verbum numeri ſingularis: hoc modo*, quod fuit in domo Michæ; *quod niſi de opere unico intelligi dictum non poſſit. Sed & inde unicum hoc opus fuiſſe magis etiam intelligi datur, quod ſolo* ſculptilis *vocabulo*, *nulla* conflatilis *adjuncta mentione*, *idem in eadem hiſtoria poſtea deſignetur*; & tulit Ephod & Theraphim & Sculptile, & profectus eſt cum eis, *Judic.* 18. 20. *Porro vocabulo hoc utroque ſimul hoc modo combinato, opus ejuſmodi aliquod ſignificari arbitror, quod a fabro primum ex ligno dedolatum ſculptumque, Argentarius deinde argento ductili in laminas attenuato texerit. Quod genus ſimulacri Eſaias inſinuat*, cap. 40. 19. & *Baruch*, c. 6. 36. Quibus omnibus *Moncæium* plurimum a veritate deſciviſſe manifeſtum cenſeo: cum enim aſſerit, *utroque illo ſculptilis & conflatilis nomine præmiſſo, ſubjungi non ſolum pronomen relativum, verum etiam verbum numeri ſingularis;* fefellit ſummum virum (qui vix ad primum ruborem ſe in Hebraicis exercuiſſe videtur) fides ſecure nimis Interpreti vulgato habita. Ita enim ſe habet Verſionum norma: ויהי בבירת מיכיהו & *fuit in domo Michæ*. Ibi vero pronomen relativum ne ſuſurro quidem expreſſum audio: verbum autem ויהי numeri ſingularis, non ad *ſculptile* & *conflatile* reſpectum gerit, ſed ad vocabulum כסף *argentum*, quod, vocibus nonnullis interpoſitis, in eodem commate præcedit, ibique juxta uſum linguæ Hebrææ *argenteos* denotat. Neque cauſæ ſuæ cadenti manum auxiliarem porrigit textus [3] ille, ubi Levita non niſi *ſculptile* tuliſſe dicitur: nam vocis illius ambitu & *conflatile* includi conſtet, quod [4] bis legamus Danitas, quibus Levita ſe itineris ſocium adjunxerat, *Sculptile, Ephod & Theraphim, & conflatile*, manu violenta ſurripuiſſe.

Secundo: *Ephod* etiam ſibi fabricandum curavit *Micha*: id eſt (ſi me faveat veritas) veſtem ſplendidam & ambitioſam, qua Sacerdos ejus indutus rebus divinis operam decore daret. Nam veſtem illam nihil ab *Ephodis* Pontificii forma declinaſſe crediderim, niſi lapides forte Tribuum nomina inſcripti defuerint; cum Levita ille non publice & quaſi totius Iſraelis nomine ſacerdotio fungeretur.

Tertio: *Theraphim* inſuper, i. e. inſtrumenta quædam, munere & fortaſſe forma a *ſculptili* & *conflatili* diverſa,

sa, cum sacra domus Michæ supellectile numerantur. Satis mihi compertum est, *Cajetanum* aliosque contendere *idem in historia Michæ quod ratione artis vocetur sculptile & conflatile, etiam ratione officii, quod in divinando positum erat, Theraphim nuncupari*. At S. *Hieronymi* auctoritas & argumenta sententiam meam satis in tuto ponunt, & contra communis illius opinionis præjudicium muniunt asseruntque. [5] Ille scilicet, in literis suis ad *Marcellam* datis (quæ, ut animi sensum de Ephode & Theraphim Michæ exprimeret, petiisset) inter alia hæc habet; *ad volumen Judicum in literis tuis transcendisti in quo Micha de monte Ephraim scribitur mille centum argenti siclos matri, quos illa voverat, reddidisse;* atque *sculptile inde fecisse & conflatile. Et addis hæc post modicum vocari Ephod & Theraphim; quum utique, si Zona sit, aut vestimenti genus, sculptile atque conflatile esse non possit. Agnosco errorem pene omnium Latinorum, putantium Ephod & Theraphim quæ postea nominantur, de hoc argento quod Micha matri dederat fuisse conflata; quum Scriptura sic referat*: & accepit mater ejus, *haud dubium quin Michæ*, argentum & dedit illud conflatori, & fecit illud sculptile atque conflatile; & fuit in domo Michæ, -- & fecit Ephod & Theraphim, &c. *Si autem putas ea quæ superius appellata sunt sculptile* & *conflatile, Ephod & Theraphim deinceps nominari; disce esse non eadem: siquidem post matris idolum, quod dicitur sculptile atque conflatile, fecit Micha Ephod & Theraphim: sicut ex sequentibus approbatur*, Et responderunt quinque viri qui abierunt considerare terram, & dixerunt ad fratres suos: ecce nostis quia est in domibus istis Ephod & Theraphim & sculptile atque conflatile. *Et post multa quæ in medio prætermisisti*: & ascenderunt quinque viri, & illuc irruerunt, & sumserunt sculptile atque conflatile, Ephod & Theraphim. Et sexcenti viri qui cincti erant vasis bellicis, ingressi sunt domum Michæ, & sumserunt sculptile atque conflatile, Ephod & Theraphim. Hucusque *D. Hieronymus*; cujus verba repetita dedisse operæ pretium duxi, non tantum ut conflatile Michæ & ejus Theraphim rationis plane dissimilis imagines fuisse probem, sed ut una mecum observet Lector, *Ephod & Theraphim* non solum *Hos.* 3. 4. sed & omnibus per integram Michæ historiam locis, nulla unquam interposita, quodam quasi fœdere consociari: cum tamen *sculptile* & *conflatile* nunc conjuncta veniant, nunc divisa. E quibus manifestum est, Ephod & Theraphim affinitatis proximæ vinculo conjuncta fuisse, quod & argumento est, Michæ Theraphim locum τȣ Urim, quod Ephodi fœdere & lege perpetua devinctum fuit, in sacris ejus obtinuisse. Sed in via, modo hæc extra viam, jam redeat oratio.

Cur hæc fecit Micha.

EXPEDIENDUM incumbit proximo, *quo consilio hæc omnia fecit Micha?* Cui respondeo: non eo animo ædiculam suam instrumentis illis usui sacro destinatis, instruxit Micha, quasi a veri Numinis fide cultuque secessum meditans, cujus illum criminis reum tot Scriptores injuria peragunt. Eo enim egregium studii sui in Deum & Legem divinam documentum edidit, quod quamvis primogenitum suum, more majorum, in Sacerdotem religiose consecrasset; Sacerdotem tamen e gente Levitica oriundum (qui se forte obtulit) quantivis conducere satius habuerit, quam morem illum, lege divina jam antiquatum revocare. Nisi enim Legis & cultus divini studium singulare Micham tenuisset, perinde fuisset an Sacerdos sanguine Levitico, an imo populo genitus sibi contigisset. At ille nullo non gaudio perfusus videtur, quod ei generis Levitici sacerdote frui liceret, & sibi, tanquam eo nomine favoris divini securo, verbis illis impense gratulatur, *nunc scio quod benefaciet mihi Jehova, habenti Levitam in Sacerdotem*. Sed & Michæ mater, quæ in facti sui societatem venit, argenteos suos *Jehovæ*, in ejus nempe cultum & honorem (quantum zelo & simplicitate muliebri sibi persuaserat) se vovisse & consecrasse [6] dicit. Deinde, ab omni veritatis umbra plurimum abest, Deum Michæ Theraphim Oraculis inde datis decorare voluisse (ita enim fecisse Numen statim constabit) modo ea ad cultum effinxisset, vel si a Dæmonis responsis impuritatem hausissent nullo oceano eluendam. Opinioni itaque communi, quæ Micham, animo idololatriæ studioso, hæc omnia fecisse perhibet, non possum non obluctari; & cum iis me sentire fateor, qui dicunt Micham cultus Mosaici zelo, minus forsan oculato ductum, religionis suæ ritus ad illius exemplar adornare studuisse. Cedo enim, qua mente Ephod, ædiculam rei divine sacratam, Levitam Sacerdotem, instrumenta in spem oraculi divini facta, & duos (ni conjectura aberrem) Cherubinos, sibi compararit; nisi ut Jehovam (cujus benedictionem

nem tanti fecit) juxta cultus Tabernaculo præstiti formam coleret? Sed melius est ut clavum hunc *Moncæio*, cui dextra fortior, figendum tradam: ille nempe, post rationem redditam cur *Jeroboami vitulos ad Cherubinorum similitudinem conflatos senserit*, sic causæ nostræ patrocinium suscipit: *rationem haud levem habere videor de Micha & ejus matre haud secius statuendi. Ipsos scilicet suum sculptile & conflatile, suamque Ephodem & Theraphos, ad Mosaicorum ejusdem generis totidem operum similitudinem effinxisse: quia neque ipsis religionem patriam relinquere aut mutare in animo fuerit, sed quomodo publice tunc temporis in Silo servabatur, in domum suam, privato suo & vicinorum usui & commodo, servandam transferre? tantoque id magis quod major quædam etiam fuisse cum in Micha tum ejus matre religionis cura & studium videatur. Quibus utique haudquaquam, uti Jeroboamo, ab ambitione & asserendi regni terreni studio, --verum ab excessu pietatis & devotionis [sive illa magis pietatis simulatio & hypocrisis fuit: neque enim si cui sic potius videbitur, admodum repugno) tametsi anormis, & antiquam supevstitionem, aut potius abrogatum pridem cultum renovantis, simulacra hæc instrumentaque alia sacra per imitationem effingendi cupido incesserit. Uterque siquidem* 7 *Jehovæ Dei majorum suorum, cultum & timorem nominatim professus observatur*. His omnibus aures eo molliores accommodo, quod & Gideonem (idololatriæ flagellum) Ephod & alia instrumenta, quæ tabernaculi vasa imitabantur, in ædibus sacris posuisse constet. Nam per illius Ephod (uti egregie S. 8 August.) *propter excellentiam vestis sacerdotalis, significata sunt omnia quæ pertinerent ad ornamenta vel instrumenta Sacrarii; quæ constituit in civitate sua Gideon, veluti ad colendum Deum similia Tabernaculo Dei*. Sed ut ad Michæ factum redeat, unde paululum deflexit, sermo, sic illud & *D. Hieronymus* in partem mitiorem 9 interpretatur, *Micha, cum veste sacerdotali, cætera quoque quæ ad sacerdotalia pertinent ornamenta, per Theraphim fecisse monstratur*. Quæ sane eo magis placeant, quod & *Grotio* eadem pene placuisse, constet e comment. in *Judic.* 17.

Obj. 5. occurritur.

De candidis itaque *Michæ* Manibus male meruerunt hactenus qui nigrum idololatriæ crimen in eum impingere non dubitarunt. E quorum numero quam plurimi sunt, qui hisce potissimum nituntur argumentis.

Primo: inquiunt, Micham בית אלהים *domum Deorum* (fidem nimis idololatriæ suæ testimonim) habuisse e disertis 10 historiæ verbis innotescit.

Respondeo: vocem quidem Hebræam, *Elohim*, pluraliter sæpe sumi, atque ita Interpretes plerosque hoc in loco transferre, agnosco & lubens. Eos autem perperam fecisse, & hic a genuino vocis sensu plurimum aberrasse, non multum dubito. Nam si Micha *Domum Deorum*, id est, *idolorum*, habuisset; operam imprudens posuit, dum sculptile & conflatile sibi fabricanda curavit, quasi antea Deorum inopia laborasset. Neque Micha, modo criminis tam tetri conscius, animo tam erecto benedictionem Jehovæ expectare poterat. Ideoque LXX. Textus Hebr. sensum felicius assecutos existimo, qui eum in hunc modum reddidere, Μιχαία, αὐτῷ οἶκος Θεῦ. Eorum vestigiis insistens, Vulgatus Interpres verba sensu consimili sumenda docet, sic locum interpretatus, --- *quod fuit in domo Michæ, qui ædiculam quoque in ea Deo separavit*. Horum interpretationibus, adeoque textui ipsi, lucernam optimam accendit versio illa Arabica, Latine reddita, *& vero Micha destinaverat in domicilio suo ædem Deo*. Neque insolens & a verisimili remota videri debeat versio illa: Primo, quia loci Numini vero dicati sæpius in sacro codice titulo illo celebrantur. Jacobus de loco visione Angelica consecrato, ita loquitur, *Non est hic locus nisi* בית אלהים *Genes.* 28. 17. & 22. Legimus etiam de בית אלהים in Shilo Jud. 18. 31. Occurrit eadem loquendi formula, 1. *Paral.* 9. 13. alisque locis haud paucis, quos, utpote extra præsentis argumenti lineas prætermitto. Deinde, probabile est hujusmodi ædiculas, quas pii aliqui Deo sanctas voverunt, & quibus eum religione privata coluerunt, a prima rerum Judaicarum memoria extitisse: quanquam forsan iisdem cultus instrumentis, quibus domus Michæ, viri [uti videtur] notæ celebrioris, minime instruerentur. In harum numerum venire censeo, Domum illam *Dei* in monte Ephraim positam, *Jud.* 19. 18. & illa נאות אלהים *habitacula Dei*, *Psalm.* 83. 12. & forte מועדי אל *conventicula Dei*, Psal. 74. 8.

Secundo objicitur, quod Scriptura Michæ factum in crimen, verbis proxime sequentibus, aperte vocet: *in diebus illis non erat Rex in Israel: sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat*. Quæ verba Michæ cultui ali-

aliquam infamiæ notam inurunt, eumque aliquid ſuo quidem in conſpectu rectum, non autem Dei, feciſſe innuunt.

Huic Objectioni duo reponenda ſunt.

(1) Modo Michæ cultum iis in verbis notam cenſoriam ſubiiſſe conceſſerim, inde male ſequetur, eum peccaſſe in materia vel objecto cultus, ſed loci forte circumſtantia: quod nempe Dei [11] legem de ſacris omnibus ad oſtium Tabernaculi peragendis, quamvis animo non malo violaverat. Micha vero legis hujuſce religionem minus obſervaſſe videtur, quod ædes ſacras & aras, ubique locorum poſitas, gentium pene omnium in vicinia habitantium exempla commendarent. Iis enim frequentes admodum fuere, non tantum domus Deorum publicæ, ſed ædiculæ & quaſi capellæ in quibus Deos ritibus privatis propitiarunt. Veritatis hujuſce teſtem *Tibullum* advoco:

> [12] *Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu*
> *Stabat in exigua ligneus æde Deus.*

Sic itaque legibus apud Romanos aliquando cautum fuit, *Sacella nemo in privatis ædibus habeto: quum alicujus animum ſacrificandi ſtudium inceſſerit, ad publica ſacrificaturus accedito.* Neque [13] Grecis defuere ἱερά τε καὶ βωμοὺς ἐν ἰδίαις οἰκίαις ἱδρυόμενοι, λάθρᾳ τοὺς Θεοὺς ἵλεως οἰόμενοι ποιεῖν θυσίαις τε καὶ εὐχαῖς· i. e. Exponente Serrano, *ſacella araſque in privatis ædibus collocantes, putent clam votis & ſacrificiis Deos placare.* Ob mores hiſce conſimiles, *Plato* legem illam affinem apud ſuos rogari voluit, μὴ κεκτῆσθαι Θεῶν ἐν ἰδίαις οἰκίαις ἱερά· τὸν δὲ φανέντα κεκτημένον ἕτερα καὶ ὀργιάζοντα πλὴν τὰ δημόσια, &c. *Separatim nemo habeſſit in privatis ædibus delubra, neve Deos, niſi publice aſcitos. Qui vero aliter feciſſe deprehendatur, ſeu vir ſeu mulier, qui id ſenſit, ad legum cuſtodes deferto. Illi vero eos privata ſua ſacra in publicum proferre jubento.* Sacra hæc privata apud antiquiſſimos etiam ex Oriente populos in conſuetudinem veniſſe, patet e *Deut.* 27. 25. *Maledictus ſit ille qui facit ſculptile, & ponit* בסתר *in abſcondito*, i. e. Interpretante [14] *Maimonide*, *Et in occulto ſervierit, recepto colendi modo.* Deus itaque, ut malis innumeris ex hac privata & ſine teſte religione oriundis occurreret; præcepto cavit, ne Iſraelitæ aram ſtruerent, conventus agerent, vel victimas mactarent, niſi eo in loco quem ipſe præſentiæ ſuæ ſedem renunciaverat. Atque id *forte* Michæ criminis loco imputandum eſt, quod ad legis hujuſce normam mores & cultum ſuum non compoſuerit. *Forte* dixi: nam.

(2) Non adeo conſtat, Michæ cultum, in eo rerum Iſraeliticarum articulo, a legis illius intentione multum aberraſſe. Eo enim tempore, Rex, id eſt, Judex nullus populo præfuit; ideoque fortaſſe (ut fit) latronum & ſicariorum plena erant omnia, ſuis forte partibus deerant Sacerdotes, publica non niſi ſummo capitis diſcrimine adeunda, ſuſque deque verſa erant omnia. Cum itaque tam deformis eſſet Eccleſiæ facies, Micha exemplum ſuum ſeculo illi in mala omnia ruenti oppoſuit, religionis quaſi *ſtator* fuit, Deumque, ſi minus ut voluit, ut potuit ſaltem, colere decrevit. Ideoque tenuem quandam cultus Moſaici imaginem, in ædicula illa quam Jehovæ propriam dicaſſet, imitando expreſſit. Hoc modo Cl. *Grotius* Micham omni culpa liberat: *quia*, inquit, *Sacerdotes officio non fungebantur, per culpam aut loca infeſta latrociniis, exiſtimavit Michas vel privata religione Deum ſibi colendum: ideoque cum primum filium ſuum voluiſſet ſibi eſſe Sacerdotem, mox repertum Levitam ei prætulit, ut quam proxime ad Legis conſtituta accederet.* Profecto, ſi res Eccleſiæ Iſraeliticæ, Michæ temporibus, loco tam triſti ſitæ fuerint, eum lege dicta ſolutum facile pronunciemus: nam præcepta moralia quidem neceſſitati nunquam cedunt, ceremonialia vero ſemper. Hoc & Micham probe tenuiſſe liquet: nam filium ſuum primo, deinde Levitam, quamvis non eſſet e filiis Aaronis, neceſſitate ita ſuadente, ad Sacerdotii munus admiſit; quod & [15] alibi factum videatur.

Tertio: in idololatriæ ſuæ argumentum trahitur, quod Micha idola ſurrepta *Deos* ſuos [16] appellaverit.

At illam criminis ſpeciem facile diluamus, cum ea loquendi formula ex uſu ſeculi hauſta fuerit; quo imagines, præſentiæ divinæ ſymbola, *Elohim* appellare conſueverunt. Eo enim titulo viſibilia quædam Dei præſentis pignora in deſerto donabant Iſraelitæ, dicentes, [17] *fac nobis Elohim.* Cum tamen "credibile non ſit (uti *Calvinus* in locum) eos tam craſſos fuiſſe, ut vellent Deum ſibi creari: ſed per metonymiam *Deos* vocant externas imagines, ex quarum aſpectu colligant Deum ſibi eſſe propinquum." Atque huic forte loquendi legi ſe confor-

mem

mem præbuit Micha, cum sculptile & conflatile suum augusto Deorum titulo insignivit. Non enim tam obtusum gestavit pectus, ut simulacra sua *Deos* esse revera crederet; quod satis ipse probavit, cum argenteos suos se *Jehovæ* dedicasse dixerit. Neque tacendum est, quod Micha, cum de Diis sibi ereptis conquestus sit, non tam sculptile & conflatile suum, quam Theraphim, ante oculos habuisse videatur: nam *Laban*, Theraphim ejus orbatus, Jacobum iisdem pene verbis, quibus Micha Danitas, injuriæ postulavit; dicens, [18] *cur Deos meos eripuisti?* Deinde: Theraphim Angelorum symbola fuisse, qui *Elohim* sæpe vocantur, alibi probaturi sumus. Et hanc opinionem Lectoris fidei commendant ea [19] *Grotii* verba, *hæc Michæ Theraphim dicimus-vocari* אלהים *id est* Angelos, *quia Angelos significabant*.

Quarto: hoc etiam telo Michæ innocentiam vulnerare student Adversarii: hujus saltem criminis incusandus est merito, quod sculptile fecerit & conflatile: quibus tamen, tanquam pestis idololatricæ signis & causis, Deus Israelitis suis interdixit.

Micham equidem simulacra illa fabricasse, quovis Sibyllæ folio certius existimo: ea vero fecisse Micham animo in Deos alienos vergente, ut sentiam, ab animo meo impetrare nequeo. Cum vero Deus, jure suo usus, Cherubinos duos, sculptiles præsentiæ suæ tesseras, in Tabernaculo suo poni jusserit; imaginum suarum numerus, aliæque historiæ circumstantiæ, animum inducunt ut credam, id egisse Micham, ut ejus ædicula religioque privata, & Tabernaculum cultusque publicus (tanquam facies in aquis faciei) apta similitudine responderent & convenirent. Si mihi opinione falsa jam duci contigerit, satis honestum habeo erroris comitem, *Grotium* nempe, cui sententiam haud prorsus diversam placuisse patet. Nam *sculptilia*, [20] inquit ille, *Michæ, & fictilia, erant altaria, candelabrum, aliaque ejusmodi minuta, vice magnorum quæ erant in Sanctuario Dei*.

Quinto: at vero (dixerit hic aliquis) e totius historiæ circumstantiis ipsa luce clarius est, Micham Deos alienos coluisse, Dei legem insuper habuisse, & illius facta pleraque crassam idololatriam aut anilem superstitionem sapere. Eum enim sculptile & fusile fecisse constat, quod præcepto divino e diametro [21] adversatur: has imagines etiam *Deorum* titulo decoravit: & superstitionis totius auctorem, ut fit, fœminam impotentem habuit. Mater enim Michæ, mille & centum siclis argenteis furto spoliata, diris & maledictis omnibus furem ignotum impotenter oneravit; tandem autem, nummis a filio restitutis, nova religio repente vetulam incessit, & (qua erat inconstantia muliebri) siclos eos, ad sculptile & fusile faciendum, Domino consecravit.

Ad infrigendum hujus argumenti robur, hæc duo regerenda videantur:

(1) Hæc omnia aperte nimis indicant, Micham nonnulla Legis instituta violasse, & cultum (si speciem externam spectes) ethnico similem, imagine nempe mediante, præstitisse. Cuivis autem, historiam attentius intuenti, rationi consentaneum videbitur, ut Micha, non inter Apostatas & idololatras, sed veri Dei cultores habeatur. Constat enim ex historia, Micham [22] Jehovam coluisse, eique consulenti Deum [23] vera respondisse; ne jam repetam modo dicta animi Jehovæ devoti testimonia. Michæ fusile & sculptile probant tantum, eum Tabernaculi Cherubinos imitari studuisse; vel Jehovam, simulacro vel symbolo visibili mediante, more tunc temporis ubique gentium obtinente, colere statuisse. Michæ matrem quod attinet, omnia aliorsum accipiunt Interpretes, atque illa fecit. Non enim in siclorum suorum furem, ex impotentia muliebri, diras evomuit primo; postea vero, mutata sententia, nummos Jehovæ consecravit, uti plerique sentiunt: sed argenteos ejus, pro simplicitate sua, Domino vovit & separavit; donationem insuper suam, juramento & anathemate solenniter interposito, [24] voventium & consecrantium ritu, confirmavit. Interpres itaque Vulgatus hic rem acu tetigit, Historici sacri verba sic [25] interpretatus: *dixit Micha matri suæ, mille & centum argenteos, quos separaveras tibi, & super quibus me audiente juraveras, ecce ego habeo, & apud me sunt. Cui illa respondit: Benedictus filius meus Domino. Reddidit ergo eos matri suæ quæ dixerat ei; consecravi & vovi hoc argentum Domino, ut de manu mea suscipiat filius meus*, &c.

(2) Causa nostra non multum detrimenti capiet, modo Micham hic male fecisse, & insigniter legem Dei violasse concedamus. Cum enim Micham Jehovam coluisse, & aliquali cultus Mosaici studio ductum fuisse, vel morosus adversarius inficiari nequeat; pronum est inde colligere, Micham aliquid τῶ

Urim simillimum cum Ephode suo copulare voluisse, adeoque Theraphim ejus fatidicum Urim similitudine proxima reddidisse. Nisi enim Theraphim ejus quam proxime ad formam τ8 Urim accessisset. Ephod Mosaicum non tam imitari quam sugillare videretur. Deinde: licet Micha, more forte seculi persuasus, sculptile fecisse, & Deum mediante symbolo visibili coluisse, censeatur; nulla ratio ab usu seculi petita reddi potest, cur *Theraphim* Ephodi sancto jungeret, nisi quod *Urim* repræsentaret, & cum ea, natura & forma generali conveniret.

Argumentum e sermone præcedente deducitur.

SATIS quæ jam dixi probant, Micham fidem integram in Deum & legem coluisse, nec gentium ritus aut idola revocare, sed tenuem solummodo patrii cultus imaginem in sacris ejus effingere studuisse. Hinc itaque conjectura non levi aut vana colligendum est, illius Theraphim, Mosis Urim, cujus locum & munus habuit, similitudine propinqua reddidisse. Nam rationi vel Michæ pietati minime consentaneum est, ut existimemus eum, tot sacra ritu *Mosaico* in sacello suo procurantem, instrumenta, in augustum illud oracula tradendi munus seposita, nisi *Mosaicis* simillima, ferre voluisse: vel quod sacerdotem, cultus sui ministrum, tanto labore & impendio sibi comparare voluerit, tam gratis interea malus, ut, loco τ8 URIM, instrumenta quædam imaginum tantum ethnicarum formas referentia, Ephodi suo conjungi pateretur.

Et confirmatur.

IN sententiam de Micha ejusque Theraphim candidam adeo, animo eo magis propenso me venire fateor; quod Sanctus Deus utriusque testimonium tam illustre, [26] oraculo e Theraphim dato, perhibuisse videatur. Nam Danitæ (quos dubius itineris sui eventus anxios habuit) Michæ Levitam, Theraphim suis instructum, adiere; rogantes ut Deum loco suo consultaret. *Judic.* 18. 5. Ab eo vero hoc responsi tulere, *ite in pace, coram Domino via quam inituri estis*. De hujus autem responsi origine cœlesti, nullum dubitandi locum relictum video: nam Danitas, animum a tam læto omine sumentes, ei fidem certam dedisse constat: neque Levitæ religio patitur, ut eum, nullo pretio conductum, oraculum divinum simulasse crederemus; sed & ipse rerum eventus, oraculi illius cœlitus emissi fidem abunde comprobavit. At quis corde adeo omni vacuus est, ut sentiat Danitas a Michæ Theraphim responsa divina expectare, vel Deum inde reddere, voluisse; modo Micha ea, ethnicismi studio, vel a sancto Dei Urim plane diversa fabricasset?

HARUM aut similium rationum evidentia victi, LXX. Cedrenus, Versionis Arabicæ & Syriacæ auctores, aliique, Theraphim, hoc in loco, non de imagine profana, sed de re aliqua bonæ famæ, interpretandum esse crediderunt. LXX. quamvis alibi vocem per εἴδωλα quando per γλυπτὰ, nonnunquam & κενοτάφια, verterint; hic *Theraphim* invariatum scite retinuerunt, ne forsan hic ab auctoris intentione sensuque vocis aberrarent. Cedrenus, historiam Michæ recolens, ubique pro *Theraphim* habet *Seraphim*; eoque significat, Micham Theraphim, ut Angelorum symbola vel Oracula, cum Ephode sociasse. Versionis Arabicæ & Syriacæ auctores Theraphim de re aliqua ad Pontificis ornatum spectante intellexerunt. Sic enim sonat Arabica versio, Latine tradita, *fecitque Micha tunicam & thoracem quibus induuntur sacerdotes:* sic autem Syriaca, *vir enim Micha —— fecit Ephod & ejus pallium*. Cur autem auctores illi Theraphim de Ephodis pallio, vel pectorali, non de Urim potius, intelligenda senserint; cogitatio attentissima mihi rationem hanc unam suggeret: nempe plusquam probabile est, sacram illam *Ephodis* icunculam, cui *Theraphim* proxima naturæ & muneris affinitate jungebatur, animos eorum minus attentos plane latuisse.

UTCUNQUE *Cl. Seldenum* hæc omnia vel minime considerasse, vel minime habuisse, nimis firmo sunt argumento [27] verba illa quibus insaniæ post natos homines maximæ notam Michæ & Danitis imprimit. *Male cultum Dei veri & idolorum seu dæmoniorum miscuit Micha: Ephod enim & Levitam Deo vero proculdubio, -- Theraphim conflatile & sculptile Dæmoniis sacravit. A quibus tanquam a* DEO *O. M. etiam Oraculum impetrarunt Danitæ, ut capite sequenti patet. Nec fidem τῷ Ephod quod ad Deum retulere, nec τοῖς Theraphim Dæmoniorum seorsim habuere idololatræ; ideo utraque consulenda, divino cultu utraque suscipienda perperam duxere*. Sed ignoscant mihi viri tam docti *Manes*, si in hac discursus sui fabrica me non rimam sed ostium videre dixerim: nam fidem omnem excedit, Micham, qui benedictionis divinæ cupiditate & legis zelo flagravit, Deum & Dæmones in ejusdem cultus societatem vocare voluisse; vel Danitas omnes impietatis & stulti-

riæ

tiæ lineas adeo ſupergreſſos, quod Dei Oraculum conſulere vellent, nec tamen illi fidem adhibere, niſi novam a ſuffragio Dæmonis ipſius, auctoritatem accepiſſet. Si tam perditis ingeniis moribuſque fuiſſent Micha & Danitæ, quod a Dei Ephod & Diaboli Theraphim pari cultus & fidei gradu accedere voluerint; incredibile eſt, Deum iſtiuſmodi ſcenarum omnium hominibus per reſponſa ſua adeſſe & pene adblandiri voluiſſe. Miror itaque *Theodoretum* in ſententia vero tam diſſimili ſtare potuiſſe. Nam ille, de hoc textu (*Et fecit Ephod & Theraphim*) obiter verba [28] faciens, eum in hunc modum explicandum cenſuit: Τὸ μὲν Ἐφὼδ, κατὰ μίμησιν τῆ ἱερατικῆ ἐνδύματος, τὸ δὲ Θεραφὶμ ταῖς μαντικαῖς ἦν ἁρμόττον προῤῥήσεσιν· i. e. Interprete G. *Herveto*, *Ephod quidem ad imitationem veſtis ſacerdotalis, Theraphim vero magicis prædictionibus conveniebat*. At forſan minus aberrat a ſenſu vocis μαντικαῖς, & *Theodoreti* mente, qui eam non de magicis ſed propheticis, i. e. divinis prædictionibus interpretatur.

Hunc Textum partibus noſtris impenſe favere, ſatis (ni me fallat animus) jam dicta probant. Nequeo tamen temperare mihi, quin & hoc unum coronidis vice, ſuperaddam: quod Theologus e noſtris celeberrimus, hujus & ſupra laudatæ Scripturæ luce victus, tam prope a nobis abſuit, quod Theraphim apud Gentiles, ex adverſo reſpondiſſe τῷ Urim apud Hebræos, illius etiam loco a Micha Jeroboamo poſita, ejuſque munere nonnunquam functa fuiſſe, ultro dederit. Urim autem & Theraphim ejuſdem generalis naturæ & uſus ſimulachra, quandoque duo rei ejuſdem ſacræ nomina, ei religio fuit appellare; forte ne ſanctus Deus per ea idola, per quæ coli noluit, ordinarie loqui crederetur. Ille vero aura levior ſcrupulus eſt, neque enim per ſimulacra Dæmoni inſcripta & e medio ſumta, ſed per pura quædam & illibata, huic ſacro muneri ex inſtituto divino ſepoſita, & Angelica forte vel Divina manu fabrefacta, Dei oracula tradita contendimus.

[1] *Judic.* 17. 3. 4. & 18. 17. 18. [2] Lib. 1. de *aur. vit.* c. 17. [3] Cap. 18. 20. [4] *Judic.* 18. 17. 18. [5] *Epiſt.* ad *Marcel.* T. 2. col. 612. [6] *Judic.* 17. 3. [7] *Judic.* 17. 3. 13. [8] *Quæſt.* in *Judic.* T. 3. P. 1. col. 607. [9] *Epiſt.* ub. ſupr. [10] *Judic.* 17. 5. [11] *Deut.* 12. 5. [12] Lib. 1. *Eleg.* 10. [13] *Plat.* lib. 10. de *legib.* p. 910. [14] De *Idololat.* c. 71. §. 4. [15] 2. *Chron.* 35. 14. [16] *Judic.* 18. 24. [17] *Exod.* 32. 23. [18] *Gen.* 31 30. [19] Ad *Judic.* 17. 5. [20] *Comment.* ad *Judic.* 17 5. [21] *Exod.* 20. 4. *Deut.* 4. 15. 16. *Deut.* 27. 15. [22] *Judic.* 17. 3. & 17. [23] *Judic.* 18. 5. 6. [24] *Lev.* 27. 28. [25] *Judic.* 17. 2. 3. [26] *Colebat* Micha *verum Deum, & Deus conſulenti vera reſpondit.* Grot. ad Jud. 17. 6. [27] *Syntag.* 1. de *Diis Syr.* c. 2. [28] Ερωτ. μϑ' in *Reg.* 4.

SECT. V.

Firmatur ſententia argumento e Gideonis hiſtoria ducto, Judic. 8.

Argumenta e Scriptura deprompta quæ viribus præſtare, & ſpem victoriæ lætiorem mihi facere videbantur, veluti milites fortiores, in prima quaſi acie diſponenda cenſui. Hiſce ſuccedat aliud paulo debilius, e Scripturæ verbis obſcurioribus elicitum, quod palam & ingenue profiteor me tantum *probabilis argumenti* titulo dignum exiſtimare. Petitur autem e

Judic. cap. 8. com. 27.
Et fecit illud Gideon לאפוד *in Ephod. & ſtatuit illud in civitate ſuo Hophrah*,

In primo Textus hujuſce limine, duo priores nodi ſe ſolvendos ingerunt, nempe, *quid hic fecit Gideon*, & *quali animo fecit*. Hiſce remotis, ad argumentum e Textu deducendum, orationis noſtræ pedes eo minus offenſi & impediti progrediantur.

Fecit itaque Gideon (ut primo quæſito ſatisfiat) inſtrumenta ea omnia, cultui divino inſervientia, quæ & Micham antea feciſſe diximus. Nempe *Ephod*, id eſt (ni fallat conjectura) veſtem ea arte contextam & elaboratam, ut, ſi ſplendorem ſpectes, cum primo ſuo exemplari, veſte Pontificia, certare videretur: *Theraphim* inſuper, cum ſimulacris aliis *Cherubinorum* figuram & pompam æmulantibus. Hujus conjecturæ fundamenta haud infida me habere cenſeo: Nam,

(1) Vestis illa Pontificia (quod lippis notum) e lino præcipue conflata fuit: adeoque certum eſt נזמי הזהב *inaures* illas (quæ *Gideoni*, re bene geſta contra *Midianitas*, præmii loco ceſſerant) in ea conſtituenda partem nullam vel nulli proximam habere potuiſſe.

(2) Simulacra in uſum religioſum ficta, ex inauribus iſtiuſmodi, recepta ſeculi conſuetudine, antiquitus componebantur. Huic aſſertioni fidem aſtruit Textus [1] ille. *Et dederunt Jacobo, omnes qui ſecum, Deos alienos qui erant in manibus ipſorum &* הנזמים *inaures quæ erant in auribus ipſorum*. Cui obſcuriori loco [2] *Schindlerus* lucernam accendit optimam: *tempore*, inquit, *illo monilia erant parata, ut inde idola fierent, & peculii loco haberentur: ſicut ex monilibus* (quæ Ægyptiorum ritu ge-

ſta-

ſtarunt Iſraelitæ) *Vitulum fecit* [3] *Aharon, Ephod Gideon. Ideo Jacob ſimul cum idolis monilia abſcondit.* Plura de inauribus iſtis habeant curioſi apud *D. Auguſt. Epiſt.* 245. *Maimonid.* de *Idololat.* c. 7. ſect. 10. & *Grotium* ad *Geneſ.* 35. 4.

(3) Singulos qui, religionis cura ducti, ſymbola vel ſimulacra ſacra formaſſe dicuntur, auri aut argenti plurimum ad opus ſuum ornandum corraſiſſe legimus. Nam Aaron, vituli ſui conflandi gratia, omnes populi inaures Micha ducentos argenteos, & David ad Cherubinos ſuos componendos, [4] auri puriſſimi non parum ſibi comparavit. Nec certe mihi vel fingere datum, alium in religione uſum, præter jam dictum, cui Gideon ingentem illam auri vim dedicare poterat: *fuit enim* [5] hiſtorico ſacro referente, *pondus inaurium auri quas poſtulavit, mille & ſeptingentorum aureorum.* At abſonum eſt fidei, Sacerdotem ullum, tanti ponderis Ephode onuſtum potius quam veſtitum, religionis opera peragere potuiſſe.

(4) Sat liquet, Iſraelitas Aaronis vitulum, Michæ conflatile, & Gideonis Ephod (quanquam præter Auctorum conſilium) cultu tandem idololatrico proſecutos fuiſſe. Probabile eſt itaque, ea uſu conſimili conſpirantia, naturæ conſimilis communione & affinitate cohæſiſſe.

(5) Versionis Arabicæ Auctor, Textum, qui nos occupatos tenet, ſic vertit; *& conflavit illud Gideon in ſimulacrum.* Hoc autem eum non ſine conſilio feciſſe, probant hiſtoriæ ſacræ verba, *dictum eſt enim*, obſervante [6] S. Auguſtino, *ſtatuit illud* Gideon *in civitate ſua, ut hinc intelligeretur aureum factum fuiſſe: non enim dictum eſt*, poſuit, *ſed* ſtatuit, *quoniam ita erat ſolidum & validum ut ſtatui poſſet, hoc eſt, poſitum ſtare.* Hoc autem de ſimulacro, non de veſte, dici poteſt.

His omnibus opponet fortaſſe non nemo, quod Hiſtoria ſacra ſatis verborum meorum vanitatem arguat, quæ *Gideonem* aureos ejus in *Ephod* (non in Cherubinos aut Theraphim) feciſſe aſſerit; Ideoque imagines ullas ab *Ephode* diverſas, ipſe fingam, non Gideon.

Respondeo: ita quidem textum ab Interpretibus pleriſque reddi, non ſum neſcius: nec ab iis diverſa abit verſio noſtra *Anglicana*, quæ ſic habet, *And Gideon made an Ephod thereof*, ex inauribus nempe, quarum commate præcedente mentio facta eſt. At forſan viri illi docti verſiones ſuas eo in loco non adeo ſevere ad veritatem Hebraicam exegerunt. Ita enim in fonte legimus, ויעש אתו הגרעון לאפר & *Gideon fecit illud* (puta זהב aurum) *propter Ephod* (nam ita Hebræorum ל, quando præfixi locum habet, frequenter ſignificat) i. e. formavit aurum in Theraphim & Cherubim, *Ephodis* gratia: nam ut Sacerdos, non niſi *Ephode* ornatus, figuras priores conſuleret & ad poſteriores accederet, in legem & morem tranſiit. Si hic ſenſus obtineat, locum huic ἀδιλφὸν habemus, 1. *Reg.* 6. 16. *Et ſtruxit illi*, (ſcil. templo) *viginti cubitos*, לרבר לקרש הקרשים: ubi nos & alii, τῷ ל tribuimus poteſtatem vocis *propter*, ita transferentes, *Even for the Oracle, even for the moſt holy place.* Simile exemplum dabit *Judic.* 6. 31. *num* לבעל *pro Baale litigabitis?* & *Job.* 13. 7. הלאל [7] *num pro Deo loquemini vanitatem?* Sed ſi hæc duri aliquid & coacti habeant, dici poſſit cum [8] *S. Auguſtino, Ephod*, propter eminentiam & dignitatem ejus, pro omnibus aliis notæ minoris ornamentis, ad Sacrarium aut Sacerdotem ſpectantibus, hoc in loco ſumendum eſſe. Nam occurrunt nonnunquam in Scriptis divinis Urim & Thummim, nulla mentione facta τῦ Ephod & *Coſchen;* [9] Ephod aliquando ſine mentione τῦ *Urim*: quoniam hæc omnia connubio & fœdere fideli jungebantur. Quidni itaque *Ephod* hic ſenſu complexo accipiamus, & eadem fiducia, Theraphim vocis illius ambitu hoc in textu, qua Urim in alio, contineri aſſeramus?

Si Lector de Gideonis, *Ephod* fabricantis, animo dubium moveat; id eximiæ ſuæ pietati & in Deum gratitudini, cujus auſpiciis tam lætam de Midianitis victoriam reportavit, deberi credo, ut eum candido ſimplicique animo, quamvis eventu nigro triſtique, hæc omnia feciſſe ſentiamus. Nam eo forſan boni viri conſilia collinearunt, ut victoriæ ſuæ memoriam, per monimenta quædam ex hoſtium manubiis & ſpoliis facta, & rerum ſacrarum ſimilitudinem præferentia, poſteritati conſecraret: vel (quod propius eſt fidem) ut, zeli & gaudii exceſſu jam motus, figuras Cherubinorum, Ephodis, ejuſque Urim vel Theraphim, in ſimulacris ejus effingeret; quo Dominum Exercituum, cui palmas ſuas debuit, non publice tantum ſed & privatim, ſecundum uſum Tabernaculi conſuleret & adoraret. Eandem ſententiam ratam habuit [10] *S. Auguſtinus*: in eo, inquit, fuit *peccatum Gideon, quod extra Dei*

Taber-

Tabernaculum fecerit aliquid ſimile, ubi Deus coleretur: non quod ſolido auro, velut ad adorandum conſtituerit Ephod. Sed veriſimile eſt, Gideonem (qui imperii ſummam jam tenuit) Ephod & annexa ſimulachra præcipue conſilii divini, rebus ita poſtulantibus, capiendi gratia fabricaſſe. Huic ſententiæ roboris haud parum addunt *Theodoreti* [11] verba, ὁ μέντοι τȣ̃ Γεδεὼν σκοπὸς οὐκ εἰς ἀσέβειαν ἀπέκλινεν· ἀλλ' ὡς ἄρχων καὶ στρατηγὸς ἐβȣ́λετο διὰ τȣ̃ Ἐφȣ̀δ τὸ πρακτέον μανθάνειν· i. e. *Gideonis intentio minime vergebat ad impietatem; ſed, cum eſſet princeps & dux Exercitus, volebat cognoſcere per Ephod quid facto opus eſſet.* Eidem ſententiæ doctiſſimum [12] *Schindlerum* manum dediſſe liquet: nam textu noſtro (*& fecit illud Gideon in Ephod*) obiter laudato, addit, *eſt ſpecies divinationis ſimilis ſacro Ephod.* Nempe, probe novit Gideon, Deum Ephodis Oraculum regni ducibus proprium feciſſe; & illud, non ad frivola vulgi, ſed graviora regni, dubia ſolvendum inſtituiſſe. Juxta id quod legimus in *Maſſec.* (*a*) *Sotah*, אין נשאלין אלא מלך (או) צבור *nulli fas eſt conſulere illud*, (Oraculum Urim) *niſi Congregationi* aut *Regi*. Cum itaque Gideon ad regni clavum ſederet, ut publicum Ephodis Oraculum (tanquam cynoſuram, turbidis præſertim temporibus, apprime neceſſariam) ad curſum ſuum dirigendum, præſens haberet; forte non minus populi ſalutem quam loci ſui dignitatem poſtulare judicavit. In hanc mitem de Gideone ſententiam inclinat animus, quod, ratione & charitate omni reclamante, ſentire non poſſim, Gideonem cœli Majeſtatem ita in os lædere voluiſſe, ut ſimulacrum, Ephodis ſancti titulo decoratum, ad cultum idololatricum, & ſpolia Deo auſpice hoſtibus erepta Diabolo dedicaret: quaſi in animo haberet, de Deo & hoſtibus Ejus una opera triumphare.

CUM itaque vero tam ſimile ſit, Gideonis & Michæ factum atque animum non multum ab invicem abiiſſe, & utroſque ſimulacra quædam aurea & argentea, Moſis Urim & Cherubim imitandi ſtudio, fabricaſſe; inde conjecturæ locus eſt, Pontificis Ephod (exemplar ad cujus ſimilitudinem ſua omnia formavit Gideon) imaginem unam & alteram intus habuiſſe. Quod enim Gideon a rerum Moſaicarum forma in inſtitutis ejus religioſis vel latum unguem recedere voluerit, illius tam teſtata fides & pietas, ut credam, minime patiuntur.

CUM autem hoc argumentum in probabilium ſolummodo claſſe collocaverim, ſatis ſit illud levi manu tetigiſſe.

[1] *Geneſ.* 35. 4. [2] In voc. נום. [3] *Exod.* 32. 2. 3. [4] 1. *Chron.* 28. 18. [5] *Iudic.* 8 26. [6] *Quæſt.* in *Judic.* 41. T. 3. P. I. [7] X. etiam *Job.* 19. 17. & 37. 1. [8] Ub. ſupr. [9] 1. *Sam.* 23. 9. [10] Ub. ſup. [11] In *Judic. Qu.* 17. [12] In voc. אפר (*a*) Hæc non legibus in *Sotah.* ſed *Jom.* cap. 7. §. 5.

SECT. VI.

Sententia de natura τȣ̃ *Urim tradita, quadruplici teſtimonio humano confirmatur.*

QUAMVIS tam luculenta Scripturæ teſtimonia me perſuaſum faciant, ſententiam meam veram eſſe, vel ſaltem quavis alia veritati propiorem; ne tamen Scripturas in partes meas trahere potius quam ducere, & nubem e craſſioribus rerum ſacrarum conceptibus ortam amplecti, videar; eam veterum & Recentiorum teſtimoniis communitam dabo. Hic autem inter libros & literatos me hoſpitem adeo, dolens fateor; quod ſi quatuor, eoſque paucis admodum de hoc Oraculo diſſerentes, eximam, me nullos in hoc Argumento mecum ſentientes vidiſſe contigerit.

Philonis Judæi.

HORUM autem primus eſt *Philo Judæus*, qui, de Rationali loquens, hæc [1] habet: τὸ δὲ Λόγιον τετράγωνον διπλȣ̃ν κατεσκευάζετο, ὡσανεὶ βάσις, ἵνα δύο ἀρετὰς ἀγαλματοφορῇ, δήλωσίν τε καὶ ἀλήθειαν· Quod quidem teſtimonium (ne quid de meo *Philoni* aſſuere videar) malim verbis * *Rob. Heggi* noſtratis, quam propriis Latine reddere. Sic autem ille *Philonem* interpretatur: *Rationale factum erat quadrangulum & duplum tanquam baſis, & imagines duarum virtutum ferens*, δηλώσεως καὶ ἀληθείας. Ut lucem paulo pleniorem auctoris mei verbis afferam, hoc [ni me fallam] ſibi voluit *Philo*: "Λόγιον eo fine duplex factum „ eſt, ut illius fundum aut medium „ duabus imaginibus ferendis eo feli„ cius inſerviret. Imagines autem illæ „ *manifeſtatio* & *veritas* dictæ ſunt, vel „ quod harum qualitatum ſymbola eſ„ ſent & typi, vel quod ea virtute di„ vina quandoque præditæ, qua verita„ tem manifeſtam facere potuerunt. Certe ni hic fuerit *Philonis* ſenſus, juxta cum ignaris maxime me ſcire fateor, cur Λόγιον ſimulacra ferre, multo minus cur illud ἀρετὰς ἀγαλματοφορεῖν

vir

virtutes in imaginibus ferre, dixerit.

Hic forte Lector hunc nobis injiciet scrupulum, quod *Philo*, ne tortus quidem a nobis, se nostrum fateri velit. Nam literis Græcorum vel elementariis imbuti probe norunt, eos ἀγάλματα, non simulacra tantum, verum etiam pocula, vasa rariora, vestes, & res alias cujuscunque nominis, appellare. Sed nihil est cur scrupulus ille nos multum vexet: norunt enim *pueri*, Græcos ἀγαλμάτων nomine *simulacra* frequentius indicare solitos; nec sciunt *viri*, cur hoc *Philonis* verbum, hic sensu maxime trito non liceat interpretari, cum præsertim ipse [2] *Philo* vocem eam hoc sensu alibi usurpaverit.

Si quis ingenii plus æquo curiosi hic a me quærat, cur *Philo* verbis tam obscuris, & vix dimidiatam veritatem referentibus, de Pectoralis Oraculo, primo licet Oeconomiæ Mosaicæ decore & gloria, locutus fuerit? In promtu responsum est: Judæus erat *Philo*, qui forsan, e communi gentis indole, & immani illo quo flagravit cultus ethnici odio, ab ipsa pene umbra & imagine simulacri, præsertim in sacris, adeo totus abhorruit, quod [veritate licet ipsa confessionem pene exprimente] religionem suam ullum cum simulacro commercium habere, palam & ingenue confiteri noluit. Hæc autem ratio eo faciliorem apud me locum obtinet, quod [3] alibi *Philo*, de Urim & Thummim dicturus, vocibus usus sit nocte & mysterio plenis, eaque διττὰ ὑφάσματα tantum appellaverit. Ideo vero tam obscure loqui consultum habuit, ne [si nudam & simplicem veritatem enunciaret] religionis suæ honori, apud suos, quos imaginem odio omni prosequi norat, minus prospexisse crederetur. Et a veritate forte non longe abiturus est, qui *Josephum* eadem pene in animo habuisse dixerit, cum de Cherubinis, sanctis illis imaginibus, ei sermo incidisset. In iis enim describendis tam vafre se gessit, ut satis pateat, eum [si libitum fuisset] eos expressius apertiusque describere potuisse. [4] Dicit enim, eos fuisse *animalia volucria*, *nova specie*, *nec cuiquam mortalium visa*. Et, quasi nimia loquendi licentia hic peccasset incautus, de iis tanquam mysteriis agit, *Antiq.* lib. 8. cap. 3. ubi ait, hæ Cherubinorum *species quanam specie fuerint, nemo conjicere potest vel eloqui*. Noluit forte Cherubinos verbis apertis descriptos dare, ne religio patria, gratia imaginum, apud populares suos evilesceret, aut eam Gentiles æmuli conviciis & dicteriis eo nomine dehonestarent. Sed in viam me jam refero, unde paululum aberravi.

Aben-Ezræ.

Alium e Judæorum gente, notæ non vulgaris auctorem, *Aben-Ezram*, mihi reperire contigit, qui Urim & Thummim, imagines, forsan & Theraphim, quamvis [*Philonis* more] verbis obscuris asserit. Nam referente [5] Buxtorfio, *existimavit ea fuisse* מעשה אומן כסף וזהב *opus argentifabri vel aurifabri*, *& simile quid illis figuris* שיעשו בעלי הכוכבים לדעת מחשבת השואל *quas faciunt Astrologi, ad sciendum cogitationem ejus qui interrogat*. Ubi per figuras quas Astrologi faciunt, Theraphim intellexisse videatur. Nam ea voce, *Kirchero* teste, *Aben-Ezra* imagines arte tantum astrologica, id est, *cœli astrorumque certa observatione*, confectas, *ritu Ægyptiaco sacratas*, *significari arbitratus est*. Neque *Kircherum* spurios solummodo capitis sui fœtus in *Aben-Ezræ* sinu fovendos posuisse, satis e Rabbini verbis in Gen. 31. & a [6] *Kirchero* citatis elucescit.

R. Azariæ.

Locum inter testes hosce tertium *R. Azarias* occupet, qui, de Urim & Thummim [7] agens, hæc habet: בשם ר׳ עובדיה ספורני שמעתי דברים אלה האורים היו דומים בנושא ובענין לאותם העתידות שהיו מגידים הכומרים לעבודה זרה הנקראים אורקולי בשנים קדמוניות i. e. *Nomine R. Obadiæ Sporni audivi hæc: Urim similia erant materia & aspectu futuris illis*, i. e. annunciantibus futura, *per quæ sacrificuli Idolorum vaticinabantur, & annis antiquioribus Oracula vocabantur*. Hujus autem sermonis auctorem, hic ad Ethnicorum præcipue Theraphim digitum intendisse, non facile dubitandum est.

Fiduciæ nonnihil mihi hæc meditanti addiderunt etiam verba *Christophori Castri*, qui ante annos septuaginta, se causæ nostræ patronum præbuit. Ille vero, postquam varias auctorum sententias de modo respondendi per Urim enumerasset, sic sensum suum [8] exprimit, nostro plerunque consonum & parallelum: *cum nihil quod satisfaceret, invenirem, incidi in locum* [9] Hoseæ, *qui fortasse veritatem aperiet: nam ibi Theraphim, cum Ephode conjunctum*, Urim & Thummim, *significare videtur. Hoc aperte nos docent Septuaginta, qui, cum alibi duo illa nomina* δήλωσιν *&* ἀλήθειαν *transferant, hoc loco pro* Theraphim δήλους *transtulere*, Urim & Thummim *volentes intelligere, per quæ futura manifestabantur. Erant ergo* Urim *&* Thummim, *iidem qui* Theraphim, *per*

per quæ interrogabatur de futuris. Theraphim *autem imagunculæ erant seu idola, quæ interrogata responsa dabant voce manifesta. Quia ergo Deus voluit populum illum ablactare, & a ritibus gentium & dæmonum cultu suaviter avocare; sicut reliquit eis tam varia sacrificiorum genera, quæ dæmoni prius exhibebantur, posterius Deo præstabantur; ita modos illos admirandos, quibus dæmones se hominibus admirabiles ostendebant, prædicendi futura & occulta revelandi, conservavit Israelitis; sed per Deum ipsum in illius honorem hujusmodi erant Oracula, sortes, omina, ostenta, & visa prophetica: in his numerantur* Theraphim, *pro quibus dedit illis* Urim *&* Thummim, *sed medio summosacerdote, ut occasio plebi ignoranti removeretur, uti idola, ea colendi. Erant igitur duo parvula simulacra affabre facta, vel Dei manu, vel artificum ornamentorum, quæ ferebat sacerdos inter plicas Rationalis, & quoties aliquid erat interrogandum efferebat: per illa vero Deus vel Angelus nomine Dei, clare & perspicue, quid agendum quidve non agendum respondebat: & propter sermonis perspicuitatem quo manifestabantur responsa, & propter veritatem dicti aut promissi certo complendi, unum dicebatur* Urim, illuminationes, perspicuitates; *alterum* Thummim, consummationes, completiones, & veritates; *quo de responso complendo certiores redirent interrogantes. Dum autem sacerdos ea idolula ostendebat, verisimile est, ea emicare aut coruscare solita, ad captandam populo attentionem, & ad ingenerandam admirationem, quæ Deo vero eos conjungeret, quasi tantorum miraculorum auctori.*

Auctoris hujusce literis instructissimi testimonium mihi impense gratulor, ejusque verba tanti sunt apud me, quod ea digna judicaverim quibus paulisper immorarer, & quorum momenta, priusquam progrediar, æquis ponderibus examinarem.

Inprimis itaque me in Auctoris illius, de natura τοῦ Urim, & ejus origine sententiam, pedibus haud cunctabundis insero; quam nempe firmam & solidam argumentis bene multis me probare posse confido. Quamvis autem certitudinem æqualem in iis quæ de horum idolulorum, divina formatione, eorum inter consulendum in apricum prolatione, splendore insolito, certo numero & usu, sermonis etiam sui perspicuitate, tam fidenter asseruit, ipse desiderem; ea tamen summo cum acumine excogitata, a Sacris etiam literis & Oraculi conditione non prorsus aliena, censeo.

Quum enim formationem τῶν Urim & Thummim Oraculi tantum auctori dandam dixit, tantum abest ut a veri similitudine recederet, quod *Prideauxius* noster hoc unum e Scriptura constare [10] dicat; *non facta hæc fuisse ab artificibus, sed a Deo immediate tradita. Ita enim de cæteris*, inquit, ad Pontificis & Tabernaculi ornatum spectantibus *legimus, facies* hoc vel illud: *at de Urim & Thummim sic habet* [11] vers. 30. *Pones* (non facies) *illa*. Alia itaque omnia inter dubia referens, hoc unum manere & fixum esse voluit, *Urim & Thummim a Deo tradita, & a Mose recepta fuisse*. Idem hac in re sensus fuit [12] *Ar. Montano*, qui de Urim & Thummim loquens hæc habet: *hanc autem rem, cujuscunque naturæ illa fuerit, hominum artificio factam aut comparatam non fuisse, sed divinitus Mosi datam, vel eo tempore quo Lex & Tabulæ, vel eo quo perfectum opus fuit, arbitramur*. Atque hanc sententiam, non χθὲς demum aut πρόχθες natam, sed antiquis Græcorum & Hebræorum testimoniis suffultam esse, patebit consulenti *Hottingeri Exercit. Antimorin.* Sect. 66. ubi utramque pene implent libri sui paginam. Eundem hanc in re sensum habuere citerioris ævi Theologi: [13] *Junius*, [14] *Calvinus*, [15] *Henr. Altingus*, [16] *Schickardus*, [17] *Perkinsus*, aliique. Huic sententiæ veri colorem inducit, quod cum antiqua Urim & Thummim in captivitate periissent, viri Synagogæ magnæ, reduces, eorum ne figuras quidem denuo fabricare sint ausi, quamvis alia omnia sacerdotis summi ornamenta in integrum restituerint. Nam Urim & Thummim Artificis tantum Supremi, ea vero communi Artificum inferiorum manu, fabrefacta credidisse videantur.

Sed, (ut libere quod sentiam eloquar) quamvis suadeant hæc omnia, non cogunt. Nam vulgi quidem fide receptum est, figuras τῶν Urim & Thummim sub Templo secundo defuisse; sententiam autem illam affinitate nulla veritati conjunctam esse, *Maimonidis* testimonio probari potest, qui diserte [18] dicit, Judæos, a Captivitate reduces, ut ornamentorum pontificiorum numerum Lege præscriptum complerent, figuram τῶν Urim & Thummim, inter alia ad Pontificis ornatum spectantia, restituisse; *quamvis*, inquit, *eam non consulerent, deficiente Spiritu Sanct. sub Templo secundo*. Nec minus elum-

elumbis & cassa viribus est ratio illa altera, cui hæc sententia niti solet: nam de faciendis Urim & Thummim, prout etiam de eorum materia & forma, nihil disertis verbis in Lege mandatum extat; forte quod utraque, ex usu quotidiano apud plebem obtinente, vel typo aliquo in monte monstrato, *Mosi* satis innotescerent, vel quod Pectorale ea non minus nomine quam medio suo comprehenderet. Neque tacito pede prætereundum, quod codex Samaritanus, a nonnullis non minus integritatis quam antiquitatis nomine celebratus Mosi & artificibus fabricam τῶν Urim & Thummim expresse astruat, *Ex.* 28. 30. Ubi Textus quidem Hebraicus sic se habet, ונתת אל חשן המשפט *Pones autem in Pectorali judicii Urim & Thummim*, &c. Samaritanus autem longe aliter, ועשיתה את האורים *& facies Urim & Thummim, & pones in Pectorali*, &c. Idem etiam discrimen occurrit, *Exod.* 39. com. 22. ubi in Hebræo sic scriptum extat, ויעש את המעיל האפוד *fecit insuper pallium ipsius Ephod*; in Samaritano vero, ויעשו את האורים *& fecerunt Urim & Thummim, quemadmodum præcepit Jehova Mosi, & fecerunt pallium ipsius* Ephod. Codicem Samaritanum hoc referentem a Textus equidem Hebræi, non autem rei ipsius veritate declinasse, me persuasum habeo: nulla enim ratio est, cur Urim & Thummim tot parasangis, Cherubim, Arcam, Ephod, aliave potioris notæ Tabernaculi instrumenta, religione, & sanctitate antecedere crederemus, ut horum quidem origini artificis humani dextram, τοῖς *Urim* & *Thummim* vero Dei solius digitum inscriberemus.

Auctorem itaque nostrum genio minus irato conjecturam fecisse crediderim, cum Pontificem responsa expectantem, Urim de concavo Pectoralis medio in apricum protulisse dixerit.

(1) Nam cum Sacerdos Saulis jussu coram Arca jam staret, Oracula per Urim edenda petiturus; [19] Philisthæorum rebus ex insperato turbatis, אסף ידך inquit Rex, συνάγαγε τὰς χεῖράς σου· uti LXX. *recollige manum tuam*; quid autem, nisi quod Sacerdos quasi in procinctu jam staret, instrumentum divinationi inserviens in manu coram Deo protensa gestans? Hoc itaque Saulus, cum jam oraculo opus non esset, religiose retrahi, & in locum suum reponi, voluit.

(2) Pectoralis latus dextrum (quod supra monui) ita factum fuit, ut cum usus postularet, aperiri posset. Hoc autem eo tantum consilio sic formatum videtur, ut Sacerdos Urim in apertum proferre posset, cum Pectoralis sui Oraculum consultum iret.

(3) Si hoc Oraculum, cum responsa darentur, alios præter Pontificem, eorum testes auritos & oculatos admitteret, tum equidem οὐδαμόθεν προφητῶν κακουργίαις καταλέλοιπεν ἀφορμήν (quod [20] *Josephus* de eo memoriæ tradit) *omnem sub prophetiæ prætextu imposturarum accasionem ademit his qui illud consulebant*.

(4) Oraculi responsum, modo voce paulo submissiore traditum, non tam distincte & sine erroris alicujus metu capi poterat, si Urim respondens in Pectoralis tantum secreto jacuisset.

(5) Nomen illud חשן pro Pectorali sumptum, nonnulli docti viri a חשה *silere* originem habuisse sentiunt. Quæ nominis ratio (si quid sani contineat) cum Pectoralis usu & conditione maxime conveniret, modo *Urim* inde prolatum loqui, in eo vero positum perpetuo silere, soleret.

(6) Sententiam hanc suffragiis suis ornarunt nota satis inter doctos capita: viz. [21] *Aben Ezra*, cujus verba (*a*) *Buxtorfius* in hunc modum Latina fecit: *Choschen seu Pectorale fuit duplicatum, quia ibi fuerunt Urim & Thummim custodita, usque dum iis opus esset: tum enim illa extra Pectorale ponebant*. Sic etiam [22] *Arias Montanus* huic opinioni patrocinatur: *Rationale duplex fuit, tribus lateribus commissum, ex uno autem latere apertum inter utramque autem partem Urim & Thummim inferebantur, ibidemque servata sacerdotis hærebant pectori: inde vero proferebantur quoties responsum divinum petendum erat*.

Conjecturam non minus felicem & ingeniosam auctorem nostrum fecisse censeo, cum dixerit Urim, jam oracula redditurum, non vulgaribus lucis stricturis Pontificis & astantium oculos perstringere solitum. Nam splendore tam insolente, magis fidum Numinis præsentis argumentum vix edi potuit: deinde, spectaculum tam illustre religioni non minus inservire poterat, quam alia plurima sub lege, quæ hebetioris populi oculos pascere & lacessere solebant, Dei præsentis argumenta. Splendidissimus enim Tabernaculi apparatus, ignis οὐρανοπετής, *Aaronis* virga germinans, vestes sacerdotis summi principum secularium pompam superantes, Templum auro & cedro collucens, & hujusce census alia, pene in id unum com-

comparata videntur, ut iſtam puerilis animi gentem ſummæ numinis & cultus tantum proprii admiratione [23] defixam detinerent. Præterea, veriſimile eſt, delubra & ſimulacra gentium antiquiora, cum jam divina (uti videbantur) præſentia decorata, ſplendore ſubito numinis adventum teſtari ſolita. Conjecturæ noſtræ pondus afferunt illa (*b*) *Claudiani* verba, lib. I. de *raptu Proſerpinæ*.

> *Jam mihi cernuntur trepidis delubra moveri*
> *Sedibus, & claram diſpergere culmina lucem,*
> *Adventum teſtata Dei.* ——

Si itaque gentium ſimulacra vaticina mentito illo divinitatis inſitæ documento inſignia fuerint, Iſraelitæ proculdubio animo ægerrimo tuliſſent, ſi non & imagines & Oracula ſua cum ſplendoris eximii pompa in vulgus ederentur. Hæc & eo pulchriorem veritatis faciem præ ſe ferunt, quod *lumen emiſſum*, dignum præ aliis naturæ divinioris indicem humanum genus antiquitus habuiſſe videatur. Hinc enim apud gentes plurimas in morem abiit, [24] Deos ſuos, & Reges quos ſupra mortalitatis faſtigium collocatos ſuſpiciebant, radioſo capite fulgentes depingere. Ad earum exempla compoſiti, Chriſtiani tandem *Sanctorum* ſuorum capita, ſtatuis & picturis expreſſa, radiolis circundare conſuevere. His accedat, quod lumen e Pectoralis *Urim* proveniens, optime cum nominis illius ſenſu & rei ipſius uſu conveniret, & utraque realiter exponere, videretur.

Nec a veritate, ſine ratione ſaltem ſpecioſa, aberravit Auctor noſter, cum ſimulacra duo (quorum unum *Urim*, alterum *Thummim*, dicebatur) ad hoc oracula tradendi munus conſecraſſe dixerit. Nam ethnici plurima ſortis hujuſce ſimulacra uno in templo poſita non raro habuere: atque ea forte ratione, Deo viſum erat imaginem unam & alteram cui δύναμις μαντικὴ inerat, & Iſraelitis indulgere. Deinde, organa quæ vaticinandi facultate in Scripturis inclareſcunt, voce tantum numeri ſecundi (*Urim* vel *Theraphim*) denotantur. Hos autem veri colores, utpote tenues & evanidos, opera leviſſima diluere poſſimus: cum Theraphim vocibus hiſce [25] plurimis accenſeri debeat, quæ plurali ſono ſingularem habent ſignificationem. Legimus enim de [26] Michol quod *accepit* את התרפים *& poſuit in lecto*: proculdubio tamen non niſi unam imaginem ad unius perſonæ decumbentis præſentiam ſimulandam. Deinde, cum unicum Pectoralis ſimulachrum ad res & perſonas plures, ad omnes etiam ejuſdem generis imagines repræſentandas, ſufficere potuerit; quidni illud πληθυντικῶς efferre licuerit, cum ob eandem rationem [27] Propheta baculum unicum חבלים *vincula* appellaverit? Ex intimis itaque ſentio ipſe, Sacerdotis Pectorale unum ſolummodo divinandi inſtrumentum, quamvis nomine plurali gaudeat, intus habuiſſe: ad quid enim Deum hujuſmodi organa, nulla cogente neceſſitate, multiplicaſſe crederemus? Utcunque, Lector reperiet, me nomina & verba pluralia cum *Theraphim* & *Urim* in hac diſſertatione ſæpiuſcule conjunxiſſe: non tantum quoniam lis hæc pendeat adhuc, ſed quia nomina illa, utpote pluralia, hujuſmodi conſtructionem tanquam concinniorem, ſuadere videbantur. Atque hoc ſemel monuiſſe ſufficiat, ne cui in ſequentibus male mecum conſtare videar, & quiſpiam mihi latinitatis non raro violatæ dicam ſcribat.

Sed ut unde paululum digreſſa eſt, eo ſe referat oratio: *Chriſtophorum* noſtrum conjecturam multo feliciorem feciſſe cenſeo, cum reſponſa per Urim edita, non per ſplendorem ſolito jucundiorem, vel nutus & ſigna quædam myſterio plena; ſed *ſermonem perſpicuum* captuque facilem, Pontifici innotuiſſe dixit. Cum enim Urim eo fine inſtitutum fuerit, ut Iſraelitæ, circa futura vel obſcura ſolliciti, inde Dei lumen & conſilium peterent; quis credat, Deum ſervos ejus, animo ſuſpenſo & anxio rerum eventus cognoſcere deſiderantes, iterum torquere voluiſſe per ciphras & ſigna tam flexuoſa & obſcura, quod Oraculo novo ad ea interpretanda poſtularent? Deinde: cum verba perſpicua magis certæ ſint rerum notæ, & fidi mentis indices; ſuadet Ratio, ſuadet Religio, ut credamus Deum non niſi optimis mentis ſuæ nunciis uti voluiſſe. Præterea: legimus 1. *Sam.* 14. 36. 37. 38. Sacerdotem, Sauli juſſu, Deum medio Ephode conſuluiſſe, & Saulum inſolitum Dei ſilentium inique ferentem, populi primarios in hæc verba allocutum fuiſſe; *accedite huc omnes, & ſcitote, & videte in quo ſit peccatum hoc hodie.* Quæ *Sauli* verba [28] *Joſephus* in hunc modum παραφράζει, οὐ δίχα αἰτίας — πυνθανομένοις ἡμῖν φωνὴν οὐ δίδωσιν ὁ Θεός. ὃς πρότερον αὐτοῖς προεμήνυσε πάντα, καὶ μηδ' ἐπερωτῶσιν ἔφθανε λέγων. ἀλλ'

ἀλλ' ἔστι τι λανθάνον ἐξ ἡμῶν ἁμάρτημα πρὸς αὐτὸν αἴτιον τῆς σιωπῆς. i. e. *Non sine causa -- interrogantibus nobis* VOCEM *non ediderit Deus; qui antea ipse omnia significare solitus est, & nihil sciscitantes celare* LOQUENS; *est autem latens aliquod in nobis peccatum in illum, hujusce silentii causa*. Quibus verbis non semel aperte asserit *Josephus*, responsum, non per signum aliquod involucris plenum, sed vocem vivam & quæ faciles explicatus haberet, Sacerdoti traditum. Non parum etiam nervorum ad nostra firmanda habeat textus [29] ille Zachariæ, *nam Theraphim locuta sunt vanitatem*. Cui textui commentarii loco esse possunt verba *R. Salomon.* in 2. *Reg.* 23. 24. תרפים צלמים שמדברים על ידי כשפים i. e. *Theraphim fuerunt imagines quæ loquebantur per artes magicas*. Cum autem sortes e Theraphim, vocibus, non signis, elatæ fuerint; nisi & Deus effata sua verbis simplicibus enunciasset, Gentium Theraphim, majestate & perspicuitate DEI Urim superassent.

SED jam forte nonnullis, instituti præsentis oblivisci, & ab eo non tantum divertere, sed etiam divagari videamur.

[1] L. 3. de *Vit. Mos.* p. 670. C. [2] Ἀγαλματοφορούμενος-ἀγάλματα, ἤτοι τύπους τῶν νοηθέντων φέρων ἐν ἑαυτῷ ὑπὸ φίλων. *Suidas* in ἄγαλμα. [3] L. 2. de *Monarc.* p. 824. [4] *Antiq.* l. 3. cap. 6. pag. 110. 20. [5] *Hist. Urim & Thum.* cap. 2. [6] *Oedip. Ægypt.* T. 1. *synt.* 4. c. 3. [7] Lib. מאור עינים pag. 150. col. 2. [8] Lib. 3. de *Prophet.* cap. 3. [9] *Hos.* 3. 4. [10] *Orat.* de *Vest. Aaron.* p. 16. [11] *Exod.* 28. [12] *Antiq. Jud.* L. 6. [13] *Not.* in *Exod.* 28. 30. [14] *Comm.* in *Deut.* 33. 8. [15] *Problem.* l. 2. *prob.* 5. [16] De *jur. reg.* c. 1. *Theor.* 2. [17] In *Explic. Symb.* [18] *Sub Templo secundo faciebant sanctissimi illius Oraculi figuram, ut ita perfecta redderentur octo indumenta Pontificia: tametsi eam Oraculi figuram non consulerent*, &c. Maim. apud Seld. l. 2. Success. in Pontif. c. 8. [19] 1. *Sam.* 14. 19. [20] *Antiq.* l. 3. c. 8. p. 119. 35. [21] *Comment.* in *Exod.* 28. 8. [22] *Antiq. Jud.* L. 6. [23] Τοῖς ἱερεῦσι παναρμόνιον περιτέθεικε κόσμον (ὁ Θεὸς) τὸν μὲν λαὸν καταπλήττοντα τῷ διαφόρῳ τοῦ χρώματος. Theodoret. in Exod. ἐρωτ. ξ. [24] *Accitani, gens Hispana, simulacrum Martis radiis ornatum maxima religione celebrant, Neton vocantes*. Macrob. Sat. l. 1. cap. 19. [25] *V. Ezech.* 14. 8. *Deutern.* 22. 17. *Jo.* 9. 23. *Mat.* 12. 1. [26] 1. *Sam.* 19. 13. [27] *Zach.* 11. 7. [28] L. 6. *Antiq. Jud.* c. 6. p. 241. 35. [29] C. 10. 2.

(*a*) Hæc non legimus in *Sorb.* sed *Jom.* c. 7. §. 5 (*b*) Hist. *Urim* & *Thumm.* cap. 2.

* *Lect.* 4.

SECT. VII.

Ad hypothesin statuminandam, ostenditur Urim & Theraphim *voces esse cognatas, aut ejusdem significationis.*

CUM sententiæ meæ fidem testimoniis illustribus abunde confirmaverim, provinciæ jam susceptæ ratio postulare videtur, ut eam argumentis artificialibus assererem, & paulo longius ab omni dubitatione removerem. Inter ea vero primas obtineat argumentum quod a propinqua significationis affinitate & similitudine petitur, quæ inter voces illas, *Urim* & *Theraphim*, intercedit. Cum enim affinitas & discrepantia nominum (quæ publici habentur rerum indices) naturarum affinitatem aut distantiam indicare censeantur, nonnulli forsan ea quæ dixi omnia fabularum fide accepturi sunt, quod ea vocabula, *Urim* & *Theraphim*, nulla vel soni vel sensus affinitate cohærere videantur. Ut itaque præjudicio huic obviam eam, & Hebræorum Urim a seculi Theraphim formam & originem accepisse clarius eluceat; ante alia probaturus sum, voces hasce (contra quam sentit *docti pars magna chori*) pene synonymas esse, &, sub maximæ discrepantiæ larva, summam significationis affinitatem inter se tueri. Ut eo felicius hoc defungar munere. (1) Vocabuli utriusque sensum genuinum & grammaticalem e vetustatis tenebris in lucem proferam. (2) Sensum & originem vocabuli Theraphim argumentis munitam & confirmatam dabo. [3] Adversariorum objectiones in examen vocabo. (4) Argumentum e dictis eliciam, & omnia ad hypothesin meam statuminandam accommodabo.

I. Significatus vocis Urim.

PRIMO: vocis utriusque sensum genuinum & grammaticalem e caligine vetustatis in lucem proferam.

INITIUM itaque a voce *Urim* capiam: eam autem non *lumina* primario & proprie significare, sed *ignes*, neminem, non hospitem prorsus inter Hebræos, præterire potest. Hunc equidem vocis hujusce sensum interpretes plerique (quod miror) taciti præterire, eamque per *lumina* tantum transferre, solent; cum germanam vocabuli notionem interpretationem aliam efflagitare, clarum liquidumque sit. אורים quidem *lumina* directe & proprie significare, atque ita [1] quandoque reddi, norunt omnes quorum animi prima literaturæ Hebraicæ tinctura imbuuntur. Nec minus in

in aperto eſt, אורים directe & ex prima vocis intentione, [2] *ignes* denotare; *lumina* vero non niſi indirecte & ex conſequenti, quatenus nempe pro *ignibus* ſumitur, qui lucem fundere ſolent. Neque vox *Urim* (modo vocis poteſtati diligentius attendamus) ignes ſignificat, qui in cineribus inertes jacent & quaſi morti proximi, utpote nullo flabello animati; ſed ignes flammantes, & ſplendorem lætiorem projicientes. Huic notioni *Mercerus* adſtipulator: *ſignificat*, inquit, אור *flammam vel focum in quo ignis lucet*: Aſſerit etiam *Schindlerus*, vocem eam *ignem accenſum* ſeu flammantem proprie denotare. Hoc itaque differt a vocabulo cognato אש quod ignem notat ſimpliciter ſpectatum, ſive flammæ feſtivioris pompa triumphantem, ſive radio humiliore in ſcintillula emicantem. Atque hoc diſcriminis inter voces eas ipſa Dei verba ratum facere videntur: [3] *ecce vos omnes accendentes* אש *ignem, cingentes vos ſcintillis ambulate* באור אשכם *in flamma ignis veſtri*: ita *Mercerus* locum interpretatur. Optime itaque *Ar. Montanus*, in *Tract. Aaron*; *Haurim inſlammationes & illuminationes reddere poſſimus*. Ad hanc rem, die media clariorem, probandam, argumentis contendere nemo debet, nemo poteſt.

Et Theraphim.

Vocem *Theraphim* quod attinet, mihi facile perſuadeo, vocem Hebraicam eſſe; vel (quod proxime abeſt) Chaldaicam, & pro *Seraphim* (levi & frequenter, uſitata mutatione S. in T.) apud Orientalium nonnullos antiquitus uſurpatam. *Seraphim* autem *ignes urentes* aut *inflammantes* notare nec magiſtros fugit; nec Magiſtrorum pueros. Hinc & [4] Ægyptii veteres, ignes ſub nomine *Seraphim* coluere; & [5] Suidas Σεραφὶμ, voce ἐμπρηστὰς, ἔμπυρα στόματα, ἢ θερμαίνοντας, interpretatus eſt.

Si itaque *Seraphim* & *Theraphim* voces eædem ſint, dialecto tantum & unius auræ ſibilo ſeparatæ: & Theraphim vel Seraphim *urentes* aut *inflammantes*, prout Urim *ignes accenſos* aut *inflammantes*, denotet; vel luſcus facile percipiat, *Urim* & *Theraphim* vocabula ſynonyma eſſe & ſignificationis affinitate conjuncta, quamvis prima fronte maximo ſignificationis intervallo diſtare videantur.

II. Argumentis confirmatur.

In hanc autem ſententiam, de origine vocis hujuſce Theraphim, deſcendere conſultiſſimum judicarem, ſi me nil aliud eo moveret, præter ipſam vocis formam, (nam vocum Hebraicarum formam & legem ſervat) & tam facilem, expeditam, & e proximo petitam rationem nominis. Sed rationes graviores in promptu habeo, quibus Theraphim, non ſono tantum & ſpecie, ſed origine & veritate, vocabulum Hebræum eſſe me probare poſſe confido.

Harum prima hujuſmodi eſt: omnium aliorum Deorum & idolorum, quæ in Scriptura memorantur, nomina Docti ab Hebræo, leviter per dialectum mutato, derivanda cenſuerunt. V. gr. *Baal*, *Ashtaroth*, *Succoth-Benoth*, *Moloch*, *Baal-Peor*, *Dagon*, *Milcom*, *Baal-Berith*, *Nergal*, *Adrammelech*, & hujuſce furfuris alia. Hæc enim idola noviſſimis a Diluvio ſeculis (quibus linguæ Hebrææ uſus nondum apud Orientales exoleverat) primordia debuiſſe, eorumque titulo poſt multa ſecula retinuiſſe, non vani crediderunt. Quidni itaque *Theraphim*, ævi paulo antiquioris vocem, a radice aliqua Hebraica pullulaſſe crederemus?

Secundo, clare patet, *Seraphim* & *Theraphim* circumſtantiis inſignibus in Scriptura convenire. Nam, (1) Vocabulum *Seraphim*, dum ſubſtantive ſumitur & nominis proprii locum habet, nunquam niſi numero multitudinis in Scripturis uſurpatur: idem etiam de voce *Theraphim*, a *Kirchero* & aliis obſervatum eſt. (2) *Seraphim* antiquiſſimus fuiſſe videtur Angelorum titulus: eum enim *Iſaiah* tam familiariter uſurpavit, ut vel inde pateat uſum antiquiſſimum, nomen illud antiquis Judæis admodum familiare reddidiſſe. *Theraphim* etiam nomina fuiſſe, ſymbolis quibuſdam in Angelorum honorem indita, cum ſe dabit occaſio, probaturi ſumus. [3] *Seraphim* Elohim nomine quandoque donantur in codice infallibili: Theraphim etiam Elohim vocari cum ſe locus aptus aperiet, oſtenſuri ſumus. Hæ vero circumſtantiæ cognatæ non obſcure docent, ea ejuſdem familiæ vocabula eſſe, & literæ tantum unius diſtantia ab invicem ſeparata.

Tertio: cum Deus Urim in pectorali recondi juſſit, eum nec rationem nominis nec naturam rei Moſi explicuiſſe legimus: cum tamen alia plurima Legis inſtituta, eorumque rationes haud raro, verbis bene multis explicuerit, & Urim pleraque Legis inſtituta dignitate ſuperaverit. Hujus autem ſilentii ſingularis, ipſe rationem ne minimam comminiſci potis ſum, ni dicam, Moſem, Sacerdotem ſummum, alioſque forte nonnullos qui ſcientia cæteris præſtiterunt. Urim & Theraphim naturæ & uſus cognati inſtrumenta fuiſſe,

se, & *ἰσοδυναμοῦντα* seu potestatis æqualis vocabula esse, facile & sine ope interpretis intelligere potuisse. Ut autem Urim & Theraphim idem valeant, necesse est ut Theraphim & Seraphim ab eadem radice pullulare, & idem pene notare censeantur.

Quarto: quamvis Micha, & Israelitæ forsan (ut cultum suum ad Mosaicum conformarent) Dei Urim & Ephod, inter alia sacra simularunt; vocabulum tamen Theraphim, a seculo receptum, retinere non dubitarunt. Hujus autem facti hæc præcipue ratio assignanda videtur, quod scilicet *Urim* & *Theraphim*, imagines usu & forma conjunctas, & significatus ejusdem vocabula, fuisse, satis innotesceret. Alias enim idem cultus Mosaici studium eos ad nomen Urim, æque ac Ephod & instrumentum Oraculi, in sacris eorum retinendum devinxisset. Ut autem Urim & Theraphim significationis ejusdem voces habeantur, ratio postulat, ut *Theraphim* & *Seraphim* vocabula cognata, & sono potius quam re differre, censeantur.

Quinto: sententiæ aliæ de origine vocis Theraphim, a [6] *Bolducio*, [7] *Riveto*, [8] *Kirchero*, traditæ, nullo veri colore tinctæ videntur. Me vero ad earum omnium vanitatem operose redarguendum teneri, minus æquum arbitror, utpote quas illi nullo argumento firmatas proferunt, aut nulli proximo. Opiniones enim quæ merum exercent in mentes humanas imperium, eadem levi opera rejici possunt qua proponi. *Kircheri* solius sententiam, ad quam stabiliendam omnes ingenii sui nervos intendit, refutatione brevi dignam habeo. Quid itaque sibi hac in re visum fuit, ipsum referentem audiamus: *sciendum est*, inquit, *hanc vocem* Theraphim *nequaquam Hebraicam (etsi formam idiomatis Hebraici aliquo modo affectare videatur) sed mere externam esse & adscititiam: quod vel inde patet, quod hæc vox extra Scripturam apud Hebræos Doctores nusquam usurpetur, nec cum hac significatione* [idoli nempe divinationi inservientis] *ullibi in singulari reperiatur. — Quæritur igitur qualis sit hæc vox? Respondeo esse Ægyptiacam, idemque quod Serapis.*

Huic ultimæ opinioni se mentem suam despondisse fatetur, quod eam hac duplici ratione dotatam viderat: earum prima sic se habet: Serapidum cultu *in Ægypto vigente contigit, ut Abrahamo* ibi *commorante, domestici ejus Ægyptiis commixti; cum multa alia, tum maxime Serapides hosce, queis mira Ægyptios patrare videbant, admirarentur & suspicerent: siquidem, dæmone eos animante, varia consulentibus & interrogantibus responsa dabant, felicitatemque eorum cultoribus in omnibus spondebant actionibus. Curiositate itaque ac felicitatis participandæ desiderio instigati Hebræi Abræ vernaculi, subito ad hosce Ægyptiorum cultus animum adjecerunt. Abrahamo vero in patriam redeunte, servi, comparatis idolis & imaginibus dictis, reduces in patriam suam facti, conceptos in Ægypto errores paulatim disseminantes apud Chaldæos & Babylonios, mox ingentem execrabilium Deorum sobolem pepererunt.* Hisce paucis interpositis, [9] hæc addit: *cum itaque Hebræo-Chaldæi in Ægypto Serapidis cultu imbuti, Serapis nomen frequenter ingeminari audirent; & ipsi idola ejus una cum nomine in Chaldæam adducentes, id sibi proprium fecerunt; eas imagines, quas Ægyptii Serapes, illi [צ aut ס in ת mutato]* תרפים *appellarunt; quæ vox post modum penitus juris Hebraici facta, & ס finali ob similitudinem in ם mutato, pro Therapbis Therapbim dicta, tandem inter reliquas voces Hebræorum annumerata est. Ex his itaque manifestum est, Serapis & Therapbim idem esse nomen.* Secunda, inquit, *ratio qua Therapbim & Serapis idem esse credamus, est rituum* circa utraque *similitudo:* nam *quemadmodum Therapbim ex varia materia sub certo astrorum positu construebantur; sic & Serapis ex omni lignorum, lapidum, & metallorum genere constituebatur. Therapbim non fiebant sine sanguine humano, — nec & Serapidis idola in sacris Mithriacis. Iterum Therapbim passim phylacteriorum loco gestabantur; quod & de Serapis idolis legimus factum esse. — Erant* etiam *Therapbim idola quæ responsa dabant, cujusmodi & Serapes* sive *Isias statuas fuisse, alibi fuse probabitur. — Therapbim* denique *fere semper forma* fasciis *involuti pueri, & ad portandum idonea apparabantur, — cujusmodi figuram quoque habuisse* Serapes, *testantur*, &c.

Huic operosæ *Kircheri* conjecturæ quo minus assensum præbeam, sequentia faciunt argumenta.

(1) Fidem omnem exuperat, Abrahami domesticos, quos [10] Scriptura חניכים ejus appellat, ab eo rebus divinis initiatos) adeo omni nequitia coopertos fuisse, ut vel ipsam Chaldæam male facere docerent. Quisquamne credat, cœlestes illas animas imam superstitionis Ægyptiacæ fæcem bibere voluis-

luisse, & idolomaniæ pestem e salutifera *Patris fidelium* domo, in Chaldæam, Syriam, & gentes vicinas, prodire potuisse? quin Ratio potius (& [11] Scriptura) suadet, ut Abrahami saltem domesticos ab impietatis Ægyptiacæ lue se puros & immunes conservasse crederemus; cum præsertim illi moram haud adeo longam in Ægypto fecerint.

(2) NON minus fidei repugnat, tam paucos ex Abrahami familia viros, modo superstitioni huic propagandæ se totos addixissent, Chaldæam & Syriam, intra paucorum annorum lustra, hac peste Ægyptiaca inficere potuisse. Nam scripta Θεόπνευστα indubium faciunt, Theraphim sub *Labanis* tempora, magni apud Syros æstimata fuisse: horum autem temporum, certum est Abrahamum æqualem fuisse, vel saltem ea non multum præcessisse.

(3) A DOCTIS vulgo asseritur, linguam Hebræam, (quamvis alibi vocabulis peregrinis & idiotismo barbaro vitiatam) in Abrahami familia puram & quasi virgineam permansisse, atque inde veluti gentile quiddam ad posteros transmissam. Longe itaque a verisimili distat, servorum suorum labia ita Chaldaismo corrupta fuisse, quod *Serapis*, ob pronunciationem magis operosam & impeditam, in *Theraphim* commutarint.

(4) CHALDÆAM & Babylonem (*matrem abominationum*) Deos & cultus alienos primo peperisse, apud doctos pene omnes extra controversiam ponitur. Si itaque *Theraphim* idololatriam tantum, eamque crassiorem sapiant; rationi consentaneum est, ut ea cum hominibus eorum, Chaldaicis potius quam Ægyptiacis natalibus orta censeamus.

(5) SUDAT plurimum & laborat *Kircherus* in genealogia vocis utriusque, *Serapis* & *Theraphim*, a genere Ægyptiaco deducenda. Nam primo, ab Ægyptiorum [12] *Sor* & *Apis* (si illum audiamus) fit *Sorapis*, deinde *Sarapis*, postea *Serapis*, demum *Therapis*, & tandem aliquando *Theraphim*. At *Theraphim* & *Seraphim* sono belle convenire & quasi concinere, quivis facile persentiscat.

RATIONES allatæ satis affirmate loquuntur, Theraphim, æque ac Seraphim, vocibus Hebraicis accensendum esse; probant etiam, me nominis illius originem pervestigasse, in cujus etymologia eruenda [13] Grammatici plerique frustra diuque laborarunt. Ne vero argumentationis hujus vis & opera, alicujus præjudicii gratia pereat; objectionibus nonnullis mihi necessario occurrendum est. Nam ad sententiam meam de synonymia vocum earum (*Urim* & *Theraphim*) refellendam, dici potest.

PRIMO: quod nulla ratio vel mediditanti occurrat, cur imagines parvulæ nomen illud vulgare *Seraphim*, id est, *urentes* aut *inflammantes*, ante Legem datam sortirentur: ideoque minime probabile est, *Theraphim* & *Seraphim* idem esse vocabulum, & arcte adeo significationis simillimæ vinculo copulari.

IMO vero ratio obvia est, & vel oscitanti se ingerit. Ita nempe dictæ sunt icunculæ illæ, cum respectu ad veros Dei SERAPHIM, Angelos dico, quorum signa & symbola, nonnunquam habitacula & μαντεῖα, fuisse videantur. Animo facile præsentio, me Lectores haud paucos habiturum, qui risu vel ira sententiam tam inopinatam (ne quid gravius dicam) sint excepturi. Eos itaque per veritatis amorem oro obsecroque, ut linguis animisque faveant, quoad rationes expenderint, quæ animum meum huic opinioni conciliarunt. Quo vero rationes illæ sibi lumen & robur addant & accipiant mutuo, eas in classes suas distribuam, dum per quatuor hosce gradus ad hujus sententiæ probationem ascendit sermo.

PRIMO: *verisimile est admodum*, Seraphim *fuisse nomen Angelorum, a prima pene temporum memoria, crebris Orientalium sermonibus usurpatum*. Nam,

(1) SERAPHIM ab *Jesaja*, tanquam ordinis Angelici titulus, quem Judæi sibi σύγχρονοι perfectum, habuerunt, familiariter usurpatur. Nulla enim nominis explicatione præmissa, *volavit*, [14] inquit, *ad me unus e Seraphim*. Nec ulla dubitandi ratio subest, quin hoc nomen πατροπαράδοτον fuerit, a vetustissimis illis [ad Jesajæ tempora] transmissum seculis, quibus Angeli, frequentes e cœlo nuncii, se hominibus aspiciendos & alloquendos præbuere. Patet insuper, utrumque titulum Angelorum, *Seraphim* & *Cherubim*, non minus apud [15] Judæos quam Christianos antiquos, ex æquo venerabilem, & primam utriusque nominis originem ipsis Nili fontibus obscuriorem, fuisse. Quidni itaque *Seraphim* cum titulo *Cherubim* antiquitate contendere, & utrumque Mosis ætate consuetudine veteri receptum censeamus?

[2] SUB ipsa mundi primordia, *ignem flammantem*, Angelicæ præsentiæ symbolum, divinitus institutum legimus, *Genes.* 3. ult. *Collocavit ad hortum Eden, Cherubim*, ואת להט *& flammam gladii versatilis*. In quem locum sic [16] Maimonides

nides: *locus ille intelligendus est juxta illud*, ministros ejus ignem *lohet* flammantem. *Nam per* lahat *ibi intelligendus est Angelus, qui est instar flammæ*; & per gladium versatilem, *Angelus ille qui versatilis appellatur*.

[3] Fidei consentaneum est, antiquiores mundi patres historiæ sacræ lampada posteris suis ea fide tradidisse, quod titulus angelicus *Cherubim*, Mosis seculo in usum frequentem abiisse censeatur. Nam inde factum videtur, quod Moses, lapsus historiam literis consignaturus, vocabulum *Cherubim*, vocis intentione silentio prætermissa tam familiariter usurpaverit. Non est itaque temerarium opinari, *Seraphim* seculis antiquioribus non minus in ore populi fuisse, & nominis illius usui frequenti lapsus historiam ansam præbuisse. Nam in ea, Deus non *Cherubim* tantum, sed & *flammeum gladium*, τȣ̃ שרף i. e. Angeli quasi flammantis, typum & symbolum, collocasse [17] dicitur.

(4) Si Scripturas, antiquissimas Angelorum apparationes referentes, memoria repetamus; pronum est observare, eos formam & aspectum non igneum solummodo, sed flammeum exhibuisse. Suadet itaque ratio, patriarchas aliosque titulum *Seraphim* Angelis tribuisse, qui aspectus sui splendori maxime conveniebat. Hisce consona *Buxtorfii* [18] verba: *est Seraphim Angelorum nomen, qui a claritate & aspectus splendore, quasi flammantes & ignei visi sunt*.

(5) Nomen hoc, ante alia, cognatum est Angelis & apprime congruum. Nam optime refert eorum naturam, versatilem, gloriæ divinæ zelo ardentem, figuræ corporeæ nesciam, & ab omni terrena fœce remotissimam. Est itaque facillimum creditu, Patriarchas Angelis id nominis imponere voluisse, cum præsertim illi nomina curasse, & summo cum consilio imposuisse, videantur.

(6) Apud [19] *Platonem* Angeli describuunt, [ὡς] ἄνδρες ἄγριοι διάπυροι ἰδεῖν ut *viri agrestes aspectum igneum præ se ferentes*. Nam [20] *Clem. Alexandrinus* locum illum *Platonis* de Angelis tantum exponendum censuit. Huic autem Angelorum descriptioni, recepta passim apud Orientales (e quorum fontibus sua pleraque hausit *Plato*) de Angelis philosophandi ratio, eorumque nomina, ansam dedisse videatur.

Si quid itaque in antiquitatis remotissimæ recessu videre liceat, rationes jam redditæ nobis facile persuadeant, Angelos titulo illo *Seraphim* ante Legem datam innotuisse, ejusque usum, ante omnem Historiæ profanæ memoriam, apud Orientales increbuisse.

Secundo: *probabile est, Hebræos antiquiores statuas aut columellas* (Theraphim *aut* Seraphim *vulgo dictas*) *tanquam symbola, ad Angelorum præsentiam indicandam & memoriam celebrandam, in locis præcipue Religioni sacratis, usu veteri posuisse*. In hanc sententiam an præceps ruerim, vel consultus descenderim, lectoris judicium erit, cum rationes hasce meas una pensitaverit.

(1) Deus præsentiam ejus, in locis ad rem divinam sepositis, per Angelos exhibere solitus est. Hac de re consulat Lector [21] *Hammondum* nostrum, erudite, pro more suo, differentem. Imagines autem illæ, quibus nomen *Theraphim* inditum, huic Angelicæ præsentiæ significandæ, locis hisce sacris, commode satis inservire potuerunt. Eas etiam huic usui revera serviisse, credibilius existimetur, quod postea simulacra *Cherubin* dicta, ceu præsentiæ Angelicæ monimenta, in Tabernaculo ponerentur.

(2) Sola nominis & census hujusce simulacra pluraliter in Scriptura semper efferuntur: cum alia idola nomine numeri singularis, plerunque denotentur. Assertionis hujusce veritatem. *Chemosh*, *Baal*, *Milchom*, *Adrammelech Moloch*, *Nergal*, *Dagon*, *Nisroch*, & eorum cognata, probant. Hujus autem discriminis ratio hinc solum petenda videtur: Imagines, *Theraphim* titulo cognitæ, τοῖς *Seraphim*, Ordini cœlesti, nullo cum discrimine; idola vero cætera, Heroi vel Divo alicui singulari, consecratæ fuerant.

(3) Constat e *Judic.* 17. 4. 5. Micham *Ephod* & *Theraphim* comparasse, diu antequam ad sculptile & fusile effingendum animum appulisset. Quid autem, nisi quod Theraphim Angelicæ præsentiæ symbolum esset, adeoque nota & character domus religiosæ peculiaris haberetur?

(4) Ex historia sacra satis elucet, Deum, per frequentem Angelorum apparitionem & oraculorum eorum ministerio traditionem, commercium & consuetudinem quandam cum antiquissimis mundi Patribus exercuisse. Hoc etiam favoris divini pignore in ea usque tempora gaudebant Hebræi, quibus propheta *Zachariach* rebus humanis exemptus erat: nam tum primum [22] ὀκ ἴσχυον οἱ ἱερεῖς ἰδεῖν ὀπτασίαν ἀγγέλων, *non poterant sacerdotes amplius visiones Angelorum*

rum cernere. Non eſt itaque diſſimile vero, Patres illos inſtrumenta quædam, decora ſpecie ficta, quaſi parvula quædam ſacella & habitacula, cœleſtibus illis hoſpitibus dedicaſſe; vel ut eorum præſentiam ſignificarent, memoriam celebrarent, iis honorem deferrent, vel ut ex iis Angelorum reſponſa honeſta quadam ſolennitate traderentur. Capit hæc opinio fidei nonnihil ab exemplo Jacobi, qui Angeli ſibi apparentis memoriam, ſtatuæ (quæ proxime abeſt a Theraphim) erectione, celebraſſe [23] dicitur. Eſt etiam per ſe credibile, Patres antiquiores Angelis ſibi frequenter apparentibus honorem, ratione aliqua peculiari, deferre voluiſſe.

(5) QUAMVIS *Theraphim* imagines fuiſſe, & in uſum frequentem apud idololatras & alios abiiſſe, res confeſſa ſit & manifeſta; ea tamen ab omnibus ordinis & nominis cujuſcunque ſimulacris, nomine proprio ſemper diſtincta & ſeparata reperiamus. Nam *Joſiah* [24] dicitur *abſtuliſſe* את התרפים ואת הגללים *Theraphim & ſimulacra*: prædicit [25] Propheta populum manſurum *ſine* מצבה *ſtatua*——*& ſine Theraphim*: Michæ etiam [26] *Theraphim* ſemper ab illius ſculptili & fuſili verbis diſertis diſcernuntur. Textibus hiſce, ni fallar, affinis occurrit 1. Sam. 15. 23. *Quia peccatum divinationis rebellio, & transgreſſio* און ותרפים *ſicut idolum & Theraphim*. Sic textum transferendum cenſeo nam vocem און [27] vim illam aliis in locis obtinere, norunt omnes qui vitæ aquas ex ipſo fonte haurire norunt: & ſi ſignificatum eundem hic voci און aſſignemus, loci ſenſus emphaſi ſpirituque plenior erit, & conjunctio τῶ און cum affini *Theraphim* magis concinna & rationi conſentanea, videbitur; quam ſi vocabulum illud, cum interpretum vulgo de *iniquitate* interpretemur. Ab hoc itaque ſenſu non multum abit Vulgata verſio, *quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere*. Ex omnibus hiſce proclive eſt colligere, Theraphim ſimulacra fuiſſe non minus uſu quam nomine, ab imaginibus aliis diſtincta & ſeparata; adeoque non ad cultum numini alicui (prout alia ſimulacra,) ſed honorem innocuum Angelis per ea tribuendum, primitus inſtituta, fuiſſe. Nullam enim ipſe rationem ſolidorem excogitare potis ſum, cur *Theraphim* ab aliis imaginibus nomine peculiari diſcernerentur. Atque hæc ea ratio videtur, cur ſeri veterum Hebræorum nepotes umbram aliquam diſcriminis hujus inter Theraphim & alia ſimulacra retinuerunt, etiam cum ab honeſtis patrum ſuorum moribus, & primævo τῶν Theraphim uſu & fine, receſſiſſent.

(9) SENTENTIAM Cl. *Grotii* de Veterum Theraphim a noſtra non multum diſcrepaſſe, patet e verbis ejus in *Judic.* 17. *Theraphim eſt vox media, ad bonas & malas imagines pertinens. Hanc interpretationem ſi ſequimur, dicemus* Michæ *Theraphim vocari* אלהים i. e. *Angelos, quia Angelos ſignificabant. S. Hieronymum* etiam hac in re nobiſcum facere, liquet e verbis ejus quæ ſuo in loco Lectori reddimus.

TERTIO: *probabile eſt, Angelos præſentiæ ſuæ teſtimonia circa* Theraphim *quandoque præbuiſſe, atque inde veri* Dei *cultores, ſeculis antiquioribus allocutos fuiſſe*. Male metuo, ne lectores nonnulli primis eorum cogitationibus plus æquo tribuentes, mihi talia dicenti temeritatis haud exiguæ notam imprimant, & me figmento ne ſpecioſo fidem accommodare cenſeant. Eos itaque primos illos animi fervores atque impetus temperare velim, ut aſſertionis hujuſce rationes eo felicius æſtimare valeant. Eas autem in Sectionem ſequentem differre viſum eſt, quod ſermonem prolixiorem deſiderent, qui præſentis Argumenti methodum nimis interrumpet & obſcuram reddet.

QUARTO: *in probabilium etiam claſſem referendum cenſeo, quod ſimulacra hæc in Angelorum, quorum ſymbola & quaſi tripodes erant, nomina tandem ſucceſſerint, & a Syris, aut aliis Chaldaiſmo tinctis*, Theraphim, *loco* Seraphim *appellata fuerint*. In hanc autem ſententiam pedibus eo liberioribus me venire fateor, quod rerum ſignificatarum nomina non raro ſignis earum apud Hebræos inderentur; & quod ſimulacra in Sancto Sanctorum poſita (Angelorum ibi præſentium, & oracula inde edentium, ſymbola) titulo Angelico *Cherubim* inſignirentur. Nec mihi deſunt honeſta ſatis (Veterum & Modernorum) teſtimonia, quæ novitatis odium & invidiam a ſententia mea, de primævo Theraphim uſu & nominis imponendi ratione, amoliri poſſint. Ex antiquis, duos (ni falſis imaginibus me ludant oculi) video partium mearum ſtudioſos: nempe primo, *D. Hieronymum*, qui, loco [28] illi *Hoſeæ* lucem afferens, hæc habet: *Theraphim proprie appellant μορφώματα*, i. e. *ſimulacra, quæ nos poſſumus in præſenti loco, Cherubim & Seraphim—dicere*. *Cedrenus* etiam, (quod dixi modo) hiſtoriam Michæ referens,

pro

pro Theraphim ſemper habet Seraphim. E Modernis, [29] *Cornelius a Lapide* cumprimis opinionem meam ita confirmavit: *ſuſpicari quis poteſt, Theraphim ortum habere a Cherubim & Seraphim. Cum enim gentes viderent Hebræos tanta veneratione proſequi Cherubim & Seraphim tum poſt fabricam Arcæ & Cherubim per Moſem, tum ante eam; (nam ante eam Geneſ. 31. Rachel dicitur furata Theraphim, id eſt, idola patris ſui: atque ab initio mundi Cherubim poſiti erant ad cuſtodiam Paradiſi; denique ex traditione Adæ, Noæ, Abrahæ, filii & nepotes eorum ante Moſen cognoſcebant & venerabantur angelos Seraphim & Cherubim] inde Gentiles ſuſpicati ſunt hæc eſſe eorum numina & deos tutelares. Unde ipſi pariter ſuos Lares & Penates nonnihil immutata & corrupta voce [uti fieri ſolet, cum voces e primæva lingua in aliam peregrinam transferuntur] pro Seraphim & Cherubim vocaſſe videntur Theraphim; præſertim Chaldæi, qui litera T gaudent, & S in T* ſæpe *commutant*. Hiſce *Cornelii a Lapide*, ſubjungam verba [30] *Ludovici de Dieu*, qui veritatem fugientem propius a tergo premere videatur *fortaſſe* Theraphim *Angelorum fuerunt imagines, aut Angelis dicatæ. Unde Spiritus Angelicus eas ſubibat, & oracula per ea conſulentibus edebat. Ex hac conjectura,* תרפים Theraphim *mihi idem eſſet quod* שרפים Seraphim, *notiſſimum Angelorum nomen; mutato ex Syrorum more* ש *in* ת *Conſtat autem ex hoc loco, imagines* תרפים *e Syria ortum ducere. Videntur autem ex hoc loco &* 1. Sam. 19. 13. *fuiſſe Dii Penates, qui ad tuendam amplificandamque rem domeſticam colebantnr*. De quibus viri doctiſſimi verbis, illud ſilere non ſuſtineo, quod in iis *conſtantiam* & *modeſtiam* ex æquo requiram: *conſtantiam* quidem, quod Theraphim in ordinem Oraculorum, e quibus Angeli voces fatidicas edebant, primo aſſumenda ſenſerit; & vix novo ſpiritu hauſto ea in vilem Larium tantum & Penatium claſſem deturbarit; *modeſtiam* vero, quod Theraphim origini Syriacæ [Syri Labanis ea uſurpantis gratia] tanta cum fiducia vindicaverit. Sed ad inſtitutum redeo, & inter teſtes meos locum infimum aſſigno [31] *Guilielmo Stuckio*, qui ſententiam meam tantum hæſitanter aſſerit: *quid*, inquit ille, *ſi Theraphim dicti, quaſi Seraphim: quod nomen eſt Angelorum?*

Hæc ea ſunt quæ de prima Theraphim origine, & nominis illius vexati ſimulacris ad divinationem factis imponendi ratione, maxima cum veri ſpecie dicenda cenſeo. Utcunque, non adeo gravate feram ipſe, ſi quis harum imaginum uſum & originem ad ſolos idololatras ablegandum ſenſerit; & dæmones tantum in iis latitantes candidum Angelorum nomen (ut fucum impoſturis eorum facerent) ſibi dolo malo arrogaſſe dixerit; atque inde jam dictas imagines nomen Theraphim aut Seraphim accepiſſe. Nam ſive Dæmonum technis, ſive bonorum Angelorum præſentiæ, τῶν Theraphim titulum & originem tribuamus, hæc tamen immota & extra litis vias manebnnt; nempe veteres titulum Theraphim vel Seraphim, cum reſpectu ad Angelos aliquos, hujuſce generis imaginibus impoſuiſſe; harum etiam imaginum loquentium vocem & famam in terram pene omnem, Chaldæam, Syriam, Ægyptum, tandem exiiſſe. Hæc ad primæ Objectionis aciem hebetandam dixiſse ſufficiat.

Obj. 2.

Secundo: ad rationum mearum vires frangendas objici poteſt, quod, ſi *Theraphim* & *Seraphim* vocabula Hebraica ſint, & ea ſignificationis affinitate conjungantur; proculdubio linguæ ſanctæ & nominis primævi *Seraphim* ratio & religio tantum apud antiquos mundi patres valuiſſent, ut id nomen, potius quam *Theraphim* [in Chaldaiſmi confinio ſitum] ſymbolis eorum Angelicis impertirent. Nam ſi vis una eademque utriſque fuerit, cauſam expedire quis novit, cur vocabulum *Theraphim*, gentiliſmi vitio notatum, voci *Seraphim*, quam puritas & antiquitas ſua non parum commendarunt, præferendum ſenſerint?

Hoc itaque (1) dicendum arbitror: Orientalibus pleriſque, Chaldæis, Arabibus, Syris, uſitatum erat, in vocibus ab Hebræo deductis, ש & ס in ת vel ט mutare. Hinc pro שב *rediit* Chaldæi habent תב, pro שלוש *tres* illi תלת ſcribunt; quod Hebræis שר *mamma*, Chaldæis תר, e קשר *ligavit* illi קתר faciunt; pro אשה *fœmina*, illi אתא dicunt, Exemplis aliis haud opus eſt, nam *quis neſcit*, inquit, [32] Schickardus, *Hebræorum* Schin, *tam apud Chaldæos quam Arabas in* Thau *mutari frequentiſſime?* eundem apud Syros olim literas haſce permutandi morem inceſſiſſe, eo credibilius eſt, quod illi Hebræorum ש cum puncto ſiniſtro non agnoſcant. Gentes etiam alias, Græcos, Latinos, Germanos, hujuſce literæ ſibilantis aura minus delectatas, in illius locum T quandoque ſuffeciſſe, exemplorum meſ-

ſe

ſe (ſi tanti eſſet) oſtendi poſſet. Ea [33] *Voſſius* & [34] *Bochartus* plena manu Lectori ſtudioſo dabunt. Cum itaque litera ש Chaldæorum præcipue linguis minus ad guſtum fuerit, eamque in ת uſu tam frequente permutarint; mirum videri nequit quod imagines illæ, Theraphim potius quam Seraphim audirent, cum præſertim uſus earum apud Chaldæos, Syros & alios ex Oriente populos, obtinuerit.

(2) Ii forte qui primi nomen *Theraphim* Angelorum ſymbolis addidere, illud larvatum & obſcuritate quadam involutum proponere ſtuduere. Nam imagines omnes, quibus cum reſpectu ad Angelos appellatio facta eſt, nominibus auguſta quadam caligine velatis, in Scripturis innoteſcunt. Imagines enim in Sancto Sanctorum & Pectoralis duplo poſitæ, ab Angelis nomina *Cherubim & Urim* mutuatæ ſunt; eorum autem nominum rationes tam craſſis tenebris involutæ ſunt, quod perſpicacium virorum oculos hactenus effugerint, nec quicquam de iis, ſupra ingenii ſui luſus & conjecturas precarias, proferre potuerint.

(3) Cum Angeli, ſæpius apparentes, frequenter in hominum ore, eorum etiam ſymbola vel imagines non minus frequenter in uſu, verſarentur; uſus exigebat, ut Angeli ipſi ab eorum ſymbolis aut habitaculis vocabulo peculiari [non multum interim diſcrepante] diſtinguerentur, & illi *Seraphim*, hæc *Theraphim*, nomine vocarentur. Alias enim hominum ſermones homonymia frequenti laborarent, nec ſatis intelligerent, de Angelis an ſymbolis eorum ſermo fieret, ſi quis de *Seraphim* forte loqueretur. Non eſt itaque, cur quis opinionem meam tam levi de cauſa falſitatis arguat, quod Angelos, a Chaldæis, nedum Hebræis, *Theraphim* dici, nullo exemplo probatum viderit.

Obj. 3. Tertio: nonnulli forte ſententiæ meæ repugnabunt, quod hactenus eruditi voce *Theraphim* a fonte longe diſſimili fluxiſſe judicarint. Multi ſcilicet originem vocabuli תרפים a ſingulari תרף *imago* petendam cenſuerunt: alii vocem eam e תרפא *turpitudo* natam arbitrati ſunt. Sic enim [35] Talmudici vocis etymologiam explicant: *quare vocantur Theraphim?* לפי שהן מעשה תורף ומעשה אומאה *quia ſunt opus turpitudinis, & opus fœditatis.*

Reprehenditur. Hæc equidem auctores eruditione præſtantes afferunt, Scriptura licet & Ratione prorſus adverſante. Nam ſingulare תרף *imago* per totam Scriptu-

ram non datur invenire, adeoque vocem eam, hoc ſenſu captam, ingenii alicujus audaculi figmentum fidenter habeamus. Simulacra quævis alia numero ſingulari quandoque veniunt, at imagines quæ *Theraphim* nomine cenſentur, ſemper pluraliter exprimuntur. Cur autem Talmudici vocem *Theraphim* a תרפא Grammatica plane reclamante, derivarint, me neſcire fateor, niſi quod Talmudici ſint, & eorum labris quævis pene lactuca placere ſoleat. Cum enim Scriptura quodvis idolum, nunc [36] *abominationem*, nunc [37] *pudorem* aut *ignominiam*, vocet; nulla conſtat ratio, cur Theraphim id nominis accepiſſe cenſeantur, quaſi ſimulacra quævis alia turpitudine vincerent, & digna eſſent quæ התרפים *turpitudines illæ* ſignanter vocarentur.

Obj. 4. Quarto: nonnulli forſan τῶν *Urim & Thummim* ſynonymiam in dubium vocabunt, quod Urim *nomen ſubſtantivum* ſit, & Theraphim aut Seraphim *adjectivum;* cum Urim *ignes*, Seraphim autem *urentes* aut *flammantes*, notet. At ſcrupulus ille opera leviſſima tolli poſſit, cum *Urim* (quod alibi probabo) non nominis tantum, ſed etiam participii, formam & ſenſum ferat; eique, nunc nominis, nunc participii, ſenſus & poteſtas a LXX. tribuatur.

Obj. 5. Unica jam ſupereſt Objectio, quæ cauſam meam vultu minaci intuetur. Sic autem ſe habet: neutiquam credibile eſt, Urim & Theraphim poteſtatis & ſignificationis conſimilis vocabula eſſe, cum nulla nobis occurrat ratio, cur Deus vocabulum *Theraphim*, cui longa dies honorem & gratiam apud populum dederat, abdicaret; & novum *Urim*, vocem (ni mea Lectorem fallant) plane ſynonymam ſurrogaret.

Imo vero rationes mutationis hujuſce nec paucæ fuere, nec contemnendæ: eas autem Capite quinto, utpote loco aptiore, reddituri ſumus.

Argumentum e dictis elicitur. Urim & Theraphim voces eſſe cognatas, & ſignificatione ſimillima convenire, jam luculenter oſtendiſſe, & tertiam penſi mihi propoſiti partem abſolviſſe, videar. Huic autem operi eo majore contentione incumbendum cenſui, quod hæc nominum eorum affinitas & ſignificationis ſimilitudo, argumenti graviſſimi locum non immerito habeat, quo probemus, *Urim* non minus natura quam nomine cum *Theraphim* convenire, & per utraque vocabula imagines figuræ & uſus cognati cenſendas eſſe. Cum enim Deus novum nomen *Urim*, ejuſdem cum vetere *Thera-*

raphim valoris & poteſtatis, fatidico Pectoralis inſtrumento dederit; nihil credibilitatis habet, Eum, rem ipſam eo nomine deſignatam, imaginem nempe divinandi gratia factam, prorſus abdicare voluiſſe. Proculdubio Deus rei illi bellum indicere noluit, a cujus nomine tam exiguo receſſit intervallo.

[1] *Pſal.* 136. 7. [2] V. *Jeſ.* 24. 15. &c. 44. 16. & 50. 11. [3] *Jeſ.* 50. 11. [4] *Stuck.* de *Sacrific. Gentil.* p. 152. [5] In voc. Σεραφίμ. [6] Lib. 3. de *Ecclеſ. ant. legem*, c. 9. & *Com.* in *Job.* c. 21. 29. & 26. 5. [7] In *Gen.* 31. & *Hoſ.* 3. [8] *Oedip. Ægypt.* Tom. 1. *ſynt.* 4. c. 3. pag. 259. [9] Pag. 260. [10] *Gen.* 14. 14. [11] *Gen.* 18. 19. [12] *Obeliſc. Pamphil.* l. 4. *Hierog.* 1. [13] *Non inveni adhuc apud Grammaticos quid ſibi velit hæc vox Theraphim.* R. Eliezer. ap. Kircher. T. 1. pag. 259. [14] *Jeſ.* 6. 6. [15] *Nam occurrit* Seraphim in *Targ. Jonath.* in *Ezec.* 1. 8. & *Targ. Hieroſol.* in *Gen.* 30. 22. & alibi. [16] *Mor. Neb.* P. 1. cap. 49. [17] *Gen.* 3. 24. [18] *Lexic. Heb. & Chald.* in voc. שרפים. [19] Lib. ult. de *Rep.* p. 342. [20] Οἱ μὲν ἄνδρες οἱ διάπυροι, ἀγγέλους αὐτῷ βούλονται. L. 5. p. 700. [21] *Not.* ad *Pſ.* 68. k & 89. b & 104. c & 138. a & in 1. *Cor.* 11. 10. [22] *Epiphan* in vit. *Zachar.* p. 249. [23] *Geneſ.* 28. 18. [24] 2. *Reg.* 23. 24. [25] *Hoſ.* 3. 4. [26] *Judic.* 17. 5. & c. 18. 14. 17. 18. [27] *Vox* און aven, *quod* mendacium *ſignificat*, *ſæpe pro idolo mentiente ponitur*. Bonfrer. comment. in Judic. pag. 382. [28] Cap. 3. col. 1256. [29] *Comment.* in *Hoſ.* 3. 4. [30] *Not.* in *Gen.* 31. 19. [31] De *Sacrif. Gentil.* p. 52. [32] In *Taricb.* pag. 101. [33] De *Idololat.* l. 1. cap. 37. & *Tract.* de *liter. permut.* [34] *Geogr. Sacr.* p. 82. 257. 273. [35] *Buxtorf. Lex. Talmud.* col. 2664. [36] *Deut.* 27. 15 [37] *Hoſ.* 9. 7.

SECTIO VIII.

Ad fidem certiorem hypotheſi conciliandam, oſtenditur Deum quandoque per Theraphim *Oracula tradidiſſe.*

NE præſentis Argumenti rationibus aut poſtulatis ullis defuiſſe videar, oſtendere conabor proximo, Deum quandoque per Theraphim reſponſa reddidiſſe; cum ſcilicet URIM nondum inſtitutum eſſet, aut forte temporis iniquitas omnem ad Pontificis Urim aditum prohiberet. Veritatis autem hujuſce probationi diligentius incumbendum cenſui, quod ad ſententiam meam de natura & origine τȣ̃ Urim confirmandam, momenti non parum habeat. Nam ſi Deus, ante Legem ſcriptam & poſtea nonnunquam, oracula e Theraphim [imaginibus Angelorum titulo & præſentia animatis] dederit; nil cauſæ eſt, cur oraculum divinum ex Urim, icuncula quadam Angelica, traditum, monſtri vel figmenti loco habeat conſultus quiſpiam. Ut itaque præſens Argumentum oratione preſſiore proſequar, rationes eas in medium afferam, quæ ſententiam hanc inter ſumme probabilia numerare ſuadeant.

Ratio 1.

HARUM prima petitur e diſerto Scripturæ teſtimonio. Cum enim Danitæ de Michæ Theraphim famam accepiſſent, & an Deus eorum cœptis affuturus eſſet prorſus ignorarent; ad Michæ ſacerdotem conſilii divini exquirendi gratia ſe ſtatim conferunt, rogantes eum, [1] *ut conſuleret Dominum, ut ſcire poſſent an proſpero itinere pergerent, & res haberet effectum*. At proculdubio Danitæ non eo ſtulitiæ deſipuiſſent, ut oraculum divinum e Theraphim expectarent, niſi Jehovæ reſponſa, eo medio quandoque reddita, eos in oraculi ſic obtinendi ſpem aliquam adduxiſſent. Neque ſpes ea Danitas fruſtrata eſt, hoc a Sacerdote [2] reſponſum accipientes; *ite in pace, ante Dominum eſt via per quam ambulabitis*. Hujus autem reſponſi veritatem, adeoque cœleſtem originem, felix itineris eventus abunde comprobavit. Deum etiam hujuſmodi reſponſum mediante Theraphim edidiſſe, non facile dubitandum eſt; cum Danitæ, fama de Michæ Theraphim accepta, [3] Jehovam conſultum irent, & miniſterio ſacerdotis ejus ad reſponſum eliciendum uterentur. In hanc ſententiam ivit [4] *Bonfrerius*, Hiſtorici verba (*Rogarunt eum ut conſuleret Dominum*) ſic interpretatus: *hic habetur vox Elohim, & verſ. ſeq. nomen tetragrammaton: utroque tamen nomine Theraphim reſponſans intelligi debet*. Sed Theraphim Oraculum quandoque ſacrum fuiſſe, & inde Deum, reſponſis Ejus, conſilium divinum petentibus adfuiſſe, paulo luculentius e jam citatis [5] *Hoſeæ* verbis innoteſcat; *quia dies multos ſedebunt filii Iſrael, ſine rege, & ſine principe, --- & ſine Ephod & Theraphim*. Hoc enim in loco, LXX. vocem Theraphim per δήλων vertunt, & hic Interpretes plerique *Theraphim*, vel Urim ipſum, vel inſtrumentum aut imaginem illius locum occupans, denotare ſentiunt. Cur autem LXX. Theraphim per δήλους hic vertant, aut Deus per Theraphim Oraculum Urim exprimat, [6] difficulter intelligendum eſt; niſi Deum olim oracula per Theraphim edidiſſe, & Urim in locum & nomen τȣ̃ Theraphim ſucceſſiſſe, adeoque Deum Urim ibi nomine ſuo primævo denotaſſe, concedatur? Quemvis enim judicem integrum & a præjudiciis alienum appello, an credibile ſit, Deum URIM titulo Theraphim velare, vel Theraphim cum Ephode jungere, voluiſſe; modo reſponſa divina per Theraphim olim minime redde-

redderentur, ſed ethnicæ tantum imagines eſſent, inſigni turpitudine dehoneſtatæ?

(2) Plurimos Dei veri cultum profeſſos, imagines Theraphim titulo notas magno in pretio & honore habuiſſe liquet; qui tamen idolis aliis omnibus inimicitias longe maximas indixerunt. *Labanem* enim Theraphim maximi feciſſe conſtat, qui tamen prona ſemper & ſubmiſſa reverentia Jehovæ nomen uſurpavit. Hinc etiam Laban ab idololatriæ ſuſpicione, & ejus Theraphim ab infami *idolorum* nomine, liberantur; quod illius ſororem Iſaacus, utraſque filias Jacobus, duxerit, cum conjugia cum Cananæis ob idololatriam ſolummodo vitari [7] voluerit Abrahamus. *Rachel* etiam (quam nemo hactenus idololatriæ ream fecit) tanta Theraphim habendi cupiditate & zelo arſit, quod ea, furto licet & mendacio redemta, chara non duxerit. *Micha* inſuper effuſiſſimo in Theraphim ſtudio & affectu ferebatur, quod e dictis factiſque quis in hiſtoria memoratis aperte conſtat; cum tamen a ſumma illa idololatriæ & perfidiæ in Deum infamia, qua ſtetit hactenus, eum ſatis vindicaſſe videar. *Danitæ* etiam, veri Dei cultores, ea Theraphim habendi cupidine accendebantur, quod ea manu facta armiſque ſumtis eripere non dubitarint; quaſi imaginum earum ſanctitas furtum eorum in virtutis nomen adoptare potuiſſet. Tribus etiam duas, Jehovæ licet cultui devotas, Ephodis & Theraphim deſiderium aluiſſe, ex *Hoſeæ* 3. 4. luculenter intelligitur. Cum itaque tot perſonæ, ab omni cultus alieni ſpecie & odore abhorrentes, tanto ſtudio Theraphim ſibi compararint, vel affectu religioſo ea proſecutæ fuerint; non eſt adeo facile dictu, qua mente ita fecerint, niſi quod Theraphim Angelicæ præſentiæ pignora crederent, & inde reſponſa de arcanis & futuris (quorum deſiderio ad inſaniam uſque flagravit mundi ruditas) quandoque redderentur.

(3) Sententia noſtra, duplici illo titulo Angelico [*Theraphim* & *Elohim*] ſimulacris hiſce tributo, non parum firmari videatur. Cum enim Theraphim idem cum Angelico nomine Seraphim fuiſſe, jam dicta probent: quidni nomen *Seraphim* eadem de cauſa fatidicis illis imaginibus, qua *Cherubim* Sanctuarii ſimulacris inditum cenſeamus, quod ſcilicet Angelorum ſymbola eſſent, & inde Angeli, Dei nomine & vice, quandoque reſponderent? Veteres etiam nomen illud auguſtum Elohim icunculis hiſce tribuiſſe, dubitare non ſinunt Laban & Micha, quos Theraphim ſuos, *Elohim*, i. e. *Deorum*, titulo decoraſſe [8] legimus. Cum autem jam dicta Labanem & Micham a πολυθέιας macula puros & immunes aſſerant; ſuadet Ratio, ut eos titulum illum, Angelorum ſolummodo gratia, τοῖς *Theraphim* impertire voluiſſe crederemus. Nam *Elohim* antiquiſſimum fuiſſe apud Hebræos Angelorum titulum, ex iis præcipue Scripturæ [9] locis intelligitur, quibus Chaldæus Hebræum אלהים per אנגלי vel מלאכיא *Angelos* interpretatur. Apud Græcos etiam vocabulum ἄγγελοι vocem אלהים non ſemel reddit, ut *Pſal.* 97. 7. & alibi. Hi textus, & eorum affines, verbis illis [10] *Origenis* occaſionem adminiſtrarunt; εὑρίσκομεν [ἀγγέλους] διὰ τὸ θέους εἶναι, καὶ Θεοὺς ἐν ταῖς ἱεραῖς ποτὲ ὀνομαζομένους γραφαῖς. Huc faciunt & [11] *Grotii* verba: *Hebræi ſpiritus iſtos qui inter Deum rerum opificem hominesque ſunt interpoſiti, modo* אלהים *modo* מלאכים *vocant: quorum illud Græce* Θεοὺς, *iſtud* ἀγγέλους *ſignificat. Atque inde eas appellationes ſumſit Pythagoras*, &c. Cum itaque nec Laban nec Micha, nec ulli [12] forſan alii, Theraphim cultu divino proſequerentur; inde cognoſcatur, eos nomen *Elohim* impoſuiſſe gratia Angelorum, qui in iſtis *Theraphim* oracula & alia quædam præſentiæ ſuæ documenta frequenter ediderunt. Certe nominis hujuſce rationem probavit *Grotius* in *Explicat. Decalogi*, ubi inquit. *Ob communem opinionem incluſi ſpiritus divini, Labani, illa quæ modo nominavimus Theraphim, vocantur* אלהים *Dii Labanis*

[4] E Scripturæ fide certo cognoſcitur, Deum conſilia ſua per Angelum aliquem ſæpius ante Legem enunciaſſe; cum nempe rudiora mundi ſecula Deum in templis colere vel propitiare nondum didiciſſent. Ideoque veriſimile eſt, Angelos, cum interpretum divinorum partes agerent, e ſimulacris quibuſdam (Deo & Ordini Angelico ſacratis) tanquam parvulis ſacellis, reſpondere ſolitos: ut cum ſimulacro aliquo tanquam velo obducti eſſent infirmi hominum animi oculique a præſentiæ Angelicæ majeſtate & ſplendore vehementi minime læderentur. Cum enim compertiſſimum ſit, Angelos ex Arca parvula & anguſto Pectoralis duplicati panno reſponſa quandoque tradidiſſe; nihil infra Ordinis illius cœleſtis dignitatem poſitum meditor, ſi ſentiam eos ex imagine parvula ſibi ſacrata, quandoque

voces

voces propheticas edidisse. Neque est quod infame simulacri nomen, opprobriis & maledictis onustum, opinioni meæ objiciat quispiam; si quid enim mali vel inhonesti hodie in imaginis sacræ nomine situm sit, superstitiosis hominum moribus, aut eorum animis præjudicio puerili occupatis, in solidum tribuendum est.

[5] PLURIMA Scripturæ Veterumque testimonia, passim in hoc opere citata, fidem haud incertam faciunt, Dæmonem per responsa ex imaginibus, Theraphim aut Seraphim titulo donatis, edita, populi fidem sæpe fefellisse. Suadet autem ratio, ut tutam & frequentem illam, sub amico τȣ̃ *Theraphim* nomine, populi fallendi viam, ex hac sola occasione initium habuisse crederemus. Nempe Deo Opt. Max. sub antiquiora mundi tempora, solenne erat, e simulacris Theraphim titulo distinctis verba facere; ut hominum animis Numinis præsentis sensum incuteret, eosque rebus in angustiis cadentes & consilii inopes erigeret & illuminaret. Cum itaque Diabolus populum imaginibus hisce propheticis facili fide & affectu adhærere senserat, ipse tandem (ut nubem eo densiorem fraudibus ejus objiceret) auctor extitit, ut illius mystæ statuas consimilis figuræ fabricarent; curavit etiam, ut iisdem (quantum fingere datum) divinitatis insitæ signis, & recepto *Angelorum lucis* nomine (Theraphim aut Seraphim) inclarescerent. Norat scilicet egregius ille fallendi artifex, rudiorem populum (quorum judicii acies vix ultra rerum superficiem & nomen penetrat) mendaci specie & auspicati nominis omine delusum, Theraphim prona fide & affectu semper amplexari velle; quanquam nihil e dignitate pristina, præter nominis honesti speciem retinuissent. Nec veri similitudinem habet, Diabolum ex imagunculis oracula sua fundere, vel eas ab Ordine τῶν Seraphim denominare, voluisse; nisi quod probe norat, nomen *Seraphim*, & imagines eo titulo claras, primam apud populum gratiam tenere, & se facilius populo imponere posse, si nomen illud Angelicum oraculis ejus mendacibus honesta specie prætenderetur: prout nec adultera moneta *Cæsaris* titulum vultumque, tam vivis expressum characteribus, ad populum fallendum gerere voluit; nisi quod aurum & argentum sincerum, tam augustis signata typis, hominum studia fidemque demereri soleant. Huic etiam de prima *Teraphim* origine conjecturæ succurrit, quod vix credi possit, populum insaniam tam crassam insanire potuisse, ut simulachra parvula Angelorum titulo condecorarent, & eorum responsa animo tam securo inde expectarent; nisi quod Angelos olim sic respondisse, indiciis haud obscuris compertum habuissent; adeoque Dei veritas (ut fieri amat) Diaboli mendaciis & populi erroribus colorem & occasionem aliquam præbuisset.

(6) IN eandem mecum sententiam concurrunt Auctores aliqui, non idigni qui in prima doctorum classe collocentur. Nam Jacobus [13] *Gaffarellus* opinatur, "Theraphim figuras fuisse a Mose Legislatore permissas, a Labane aliisque Orientalibus ante Legem pie usurpatas; quibus mediantibus voluntatem suam Deus non raro patefecit: & Cherubinorum & Seraphinorum figuras fuisse generis ejusdem. Sed hujusce dogmatis gratia, tanquam impii & precarii maxime, eum verbis aceto tinctis perstrinxit [14] *Rivetus*. Ei tamen sententiæ subscripsit Auctor quidam Persicus (translatus a *Rab. Chomer*) cui *Hama-al zel* nomen, qui in hæc verba laudatur a *Gaffarello*: "proculdubio, Patriarcharum temporibus erant imagines aut statuæ quædam mirabiles, per quas Deus voluntatem suam populo revelavit. Hic iterum [15] Auctoris notæ celebrioris verba ingerere, Lectori non ingratum futurum arbitror: *fortasse* Theraphim *Angelorum fuerunt imagines, aut Angelis dicatæ. Unde spiritus Angelicus eas subibat, ac consulentibus per eas oracula edebat. Ex hac conjectura* תרפים Theraphim *mihi idem esset quod* שרפים Seraphim, *notissimum Angelorum nomen*. Si quid hæc e vero trahant, crederem veteres Arabes moris hujus antiquissimi memoriam altam, sed superstitione vitiatam retinuisse. Nam illi, [16] *idola quæ vel a Deo vita inspirari credebant, vel Angelorum sacella esse, ac ab iis animari*, DEI FILIAS *vocabant*. Sed hæc omnia logi forsan & somnia videbuntur iis, qui tempora antiquissima e seculi præsentis ingenio moreque solent æstimare. Ad alia itaque, Lectoris fidei minus difficilia, jam transeat sermo.

[1] *Judic.* 18. 5. [2] Vers. 6. [3] *Judic.* 18. 4. 5. [4] *Comment.* in *Judic.* 18. 15. 5. [5] Cap. 3. 4. [6] *Cur LXX. Theraphim per* δήλους *vertant, fateor me ignorare.* Drus. not. in loc. [7] *Genes.* 24. 3. [8] *Gen.* 31. 30. *Judic.* 18. 24. [9] *Psal.* 86. 8. 1. *Sam.* 28. 13. *Zach.* 12. 8. *Job.* 1. 6. *Psal.* 82. 6. & 89. 6. [10] Lib. 5. cont. *Cels.* p. 233. [11] *Annot.* ad *Mat.* 1. 20. [12] *Annot.* ad *Mat.* 1. 20. [13] *Utrum ut Dii colerentur Teraphim, utcunque Dii dicti, an vero divinationis tantum instrumenta haberen-*

berentur, vetus est inter Magistros controversia. Seld. de Diis Syr. Synt. 1. cap. 1. [14] Lib. *inaudit. curiosit.* c. 3. [14] *Exercit.* 133. in *Genes.* [15] *Ludov.* de *Dieu* in *Gen.* 31. 19. [16] V. *Pocock.* in *Abul. Farai.* de *Arab. Morib.* pag. 89.

SECT. IX.

Ostenditur, Urim *&* Theraphim *res etiam cognatas fuisse, & naturæ similitudine conjunctissimas.*

URIM & Theraphim *voces* esse cognatas & eandem pene notionem gerere, Sectione VII. & VIII. luculenter ostendisse videar. Ut autem sententiæ meæ probatio paulo firmior evadat, evincam proximo, Urim & Theraphim *res* etiam affines fuisse, & eandem pene naturam & formam habuisse. Hac de re nullus erit dubitandi locus, si Urim & Theraphim una conferamus, & ad circumstantias eorum maxime geminas & simillimas attendamus.

NAM (1) Theraphim imagines aut simulacra quædam fuisse censeantur. Nam a Græcis interpretibus, aliquando [1] *μορφώματα*, quandoque [2] *γλυπτά*, nonnunquam [3] εἴδωλα, nuncupantur. Chaldæus Theraphim per דמאין reddit, vocem *imagunculas* significantem. [4] *Elias Levita*, toto pene Rabbinorum cœtu comprobante, Theraphim צלמים *imagines* interpretatur. Nec dissentit Scriptura, [5] qua תרפים pro simulacro quovis figuram humanam imitante ponitur. Urim etiam in imaginum numero ponendum esse, fidem haud incertam facit [6] ille textus Hoseæ, quo Urim per Theraphim exprimi, testimoniis & aliis argumentis non facile refellendis evicisse videar. Quoniam tamen in sacro textu nusquam *imagines* appellantur, Lectori integrum sit, Theraphim, prout & Urim, instrumentis concavis aut simulacris parvulis annumerare. Nam,

(2) THERAPHIM simulacra plerunque parvula, & mole perquam exigua, fuisse videntur. Alias enim Rachelis vires τοῖς Theraphim, quæ patri suo furtim subduxerat, in itinere ferendis impares fuissent: nec ea sub exiguo corporis sui tegumento dissimulare, patris ea sedulo quærentis os tam facile sublinere, & Jacobum ipsum, itineris comitem, ea tam diu celare, potuisset. Huic argumento fiduciæ nonnihil addunt eruditi [7] *Riveti*, in hanc historiolam ita disserentis, verba: *apparet ex toto contextu, formas aut figuras illas*, Theraphim, *fuisse parvas, & quæ facile occultari possent: quales sunt -- imagunculæ quibus virgines in ætate infantili ludere solent*. Ab illis non multum abludunt Cl. nostri (*a*) *Medi* verba, quæ, qua possum fide, ex Anglicanis Latina faciam: *Theraphim, consentientibus Judæis aliisque, fuerunt imagines perexiguæ, in certo syderum concursu compositæ, quibus olim ad consulendum usi sunt in rebus dubiis & futuris ob virtutem fatidicam, ex influentia quadam cœlesti (uti vulgo creditum) in illas derivatum: quarum & similitudinem ferunt imagunculæ illæ, e cera vel simili materia fictæ, quibus veneficæ in finem non dissimilem etiamnum utuntur*. Eidem sententiæ calculum dedit Scriptor nuperus, qui nomen inter literatos meruit: *Theraphim*, inquit ille, *erant genus tantum simulacrorum parvulorum & portatu facilium; larium instar & penatum domesticorum*. His omnibus veri colorem allinit *Chaldæus Paraph.* (Theraphim דמאין *imagunculas* quandoque transferens) & [8] historia Levitæ fugam a Michæ domo adornantis. Legimus enim quod illius Ephod & Theraphim, sculptile & conflatile, mora omni præcisa, secum asportaverit: quæ sane omnia, si justo grandiora, humeri sui ferre recusassent. Hæc etiam firmant (modo ipsa sint firma) [9] *Kircheri* verba; *idola* Theraphim *fere semper forma fasciis involuti pueri, & ad portandum idonea parabantur: hinc sine manibus & pedibus fere videntur constructa; timebant enim Ægyptii maxime simulacrorum defectum ex ruptura quapiam provenientem: cujusmodi figuram quoque habuisse* Serapes (quas inde res easdem sub diverso nomine fuisse colligit) *testantur statuunculæ illæ partim fictiles, partim lapideæ & ligneæ, quarum ingens copia quotannis a mercatoribus, ex antiquis Ægypti monumentis eruta, in Europam devehitur*. In hujusmodi simulacrorum censum referre licet icunculam illam quam *Nero*, si *Suetonio* credamus, penes se habere, cujus etiam monitu se futurorum scientiam assecutum jactitavit. Ejusdem familiæ fuisse videntur ξόανα illa, i. e. *simulacra brevia*, apud Latinos, [10] *quæ a veteribus quondam in lecticis portabantur, & ab ipsis mota effundebant vaticinationem*. Neutiquam inficias iverim, sua fuisse Gentibus, ut majorum gentium Deos, ita & majoris molis imagines, Deorum responsis tradendis inservientes: quarum numero celebris illa *Memnonis* statua, voca-

vocalis facta cum primum Solis percussa radiis, ascribenda videatur. Harum vero pleræque, utpote templis & locis publicis affixæ, cum non semper præsto essent, ut iis cultum deferre vel inde responsa Deorum petere liceret; Gentes imagunculas hasce, Majorum veluti vicarias excogitarunt. Neque *Theraphim* tantum, sed & *Urim*, rem parvulam fuisse, probat ipsum Pectorale, Urim & Thummim recondendis destinatum, quod palmi solius amplitudinem habuisse dicitur.

(3) THERAPHIM imagines fatidicæ fuerunt, i. e. unde oracula & sortes divinæ ducebantur. Huic assertioni (quam nonnulli fidei prorsus expertem habent) Scriptores sacri testimonium perhibent. [11] Legimus enim, Regem Babylonis, cum res ejus in incerto essent, *in capite duarum viarum stetisse*, τοῦ μαντεύσασθαι μαντείαν, καὶ ἐπερωτῆσαι בתרפים ἐν τοῖς γλυπτοῖς, prout LXX. locum transferunt. Quod sane Regis factum non tantum impietatis, sed & stultitiæ maximæ merito damnari posset, nisi sagax Dæmon spem principis creduli lactasset, oraculis e Theraphim quandoque traditis. [12] Zechariah etiam de Theraphim testatum reliquit, quod (etiamsi *vanitatis* verba) subinde loquerentur. Hinc factum, quod Theraphim cum [13] Pythonibus & Ariolis (qui divinandi facultatem præ se ferebant) ceu res ejusdem facultatis & loci, numerantur. Neque Scriptura tantum, sed etiam Interpretes antiquissimi, hanc de simulachris hisce sententiam suffragiis suis ornare videntur. Nam a LXX. Theraphim non tantum locuti dicuntur, sed ab iis [14] ἀποφθεγγόμενοι i. e. *breviter & concise loquentes* appellantur. Hac autem voce concinne exprimunt oraculorum ingenium inde per Dæmonem editorum, quæ semper concise, ideoque sæpius ambigue, tradebantur. Targum *Hoseæ* Theraphim per מחוי i. e. *indicantes* vel *annunciantes*, futura nimirum & arcana, interpretatur. Hic etiam nobiscum facit Magistrorum Judaicorum senatus integer, *R. Eliesar*, *R. Salomon*, *R. David Kimchi*, *R. Abraham*, *R. Levi Ben. Gerson*, *Aben-Ezra*, *R. Mos. Ben. Maimon*, *R. Mos. Ben Nachman*, & alii, quorum testimonia fuse tradita apud [15] *Buxtorfium* videat Lector, qui ipsa eorum verba consulendi voluptate sollicitatur. Testimoniis hisce divinis & humanis hoc unum a nonnullis opponi video, quod nempe Judæi omnes & Christiani non pauci locum illum *Zachariæ* figurate tantum (de idolorum prophetis, Ariolis, Astrologis, somniorum interpretibus, & ejusdem familiæ nugivendulis non de idolis ipsis,) intelligendum arbitrentur. At hac de causa pati non possum, ut *Zachariah* e testium meorum albo deleatur: cum in illius textu, *imagines vanitate loquentes*, ab omnibus vanitatum doctoribus & idolorum vatibus, verbis expressis distinguantur. Sic enim se habet textus integer, *Theraphim, locuta sunt vanitatem, Divini viderunt mendacium, & Somniantes rem vanam narraverunt*. Quibus verbis (ut hoc obiter moneam) tres præcipuos divinandi modos (per *Theraphim*, per *Divinos*, per *Somnia*) apud gentes [16] olim in usu & pretio, tribus aliis apud Hebræos ex adverso respondentes, observare licet. Hos autem enumerunt verba illa de Saulo dicta, 1. *Sam.* 28. 6. *Deus non respondit ei, vel per Urim, vel per Prophetas, vel per Somnia*. Cum itaque Theraphim vocale quid esset, & spiritus alicujus instinctu consulentes alloqueretur; liquidum est, illud in hac etiam circumstantia cum Urim convenisse, quo mediante Deus illius consilium & voluntatem suam exquirenti respondebat.

(4) VERISIMILE est, eos qui ad Theraphim, aliave gentium idola vaticina, consulendi animo se conferebant, responsa plurimum ab eorum sacerdotibus vatibusque (proximo & immediate scilicet) accepisse: nempe ut hac ratione honori vatis simul & idoli, profanum vulgus procul arcentis, prospiceretur. Et apud Hebræos, cum populus a Deo consilium per Urim quæreret, certum est interrogandi potestatem sacerdoti (non plebi) datam fuisse, & populum a Pontifice responsa, prout revelationes alias a propheta, fraudis omnis securum, retulisse. Moris hujusce [17] Scriptura significationem haud obscuram præbet.

CUM jam dicta, consensum τῶν Urim & Theraphim in tot insignis notæ circumstantiis, tam aperte probent; inde facili conjecturæ locus est, ea cognatione proxima conjuncta fuisse, & Deum novum Urim, leviter mutatum, in Theraphim antiqui locum substituisse.

[1] Exemplaria quædam Græca, pro ותרפים *Hos.* 3. 4. habent καὶ μορφώματα. [2] *Ezec.* 21. 21. [3] *Gen.* 31. 19. [4] In *Thisb.* ad voc. תרפים [5] 1. *Sam.* 19. 13. [6] Cap. 3. 4. [7] *Exercit.* in *Gen.* cap. 31. p. 516. [8] *Judic.* 18. 20. [9] *Oedip. Ægypt.* T. 1. *Syntag.* 4. cap. 3. [10] *Auctore Servio. Æneid.* 6. v. 68. [11] *Ezec.* 21. 21. [12] Cap. 10. 2. [13] 2. *Reg.* 23. 24. I₃

24. 1. *Reg.* 15. 23. [14] *Zach.* 10. 2. [15] In *Lexic. Talmud.* col. 2661. &c. [16] Ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν, ἢ ἱερῆα, —— ἢ καὶ ὀνειροπόλον. —— *Homer. Iliad.* A [17] *Numer.* 27. 21. *Judic.* 28. 5. 6. 1. *Sam.* 23. 9.

(*a*) Lib. 1. *Serm.* 38. p. 183.

SECT. X.

Sententiæ nostræ veritas, e communi institutorum Mosaicorum origine confirmatur.

SÆPIUS a me dictum est, Urim in vicem τῶν Theraphim venisse, & Deum veterem illum responsa e Theraphim petendi morem (reformatum tamen & quasi circumcisum) sub novo Urim nomine, Israelitis, veterum omnium tenacissimis, indulsisse. Ut autem huic assertioni fidem paulo certiorem afferam, usus exigit ut sermonem breviusculum de communi institutorum Mosaicorum origine præmittam, & inde deducam argumentum, haud leve momentum apud Lectores æquiores habiturum.

Multorum institutorum legalium origo detegitur.

UT itaque prima pensi mei defungar parte, monendum est institutorum Mosaicorum partem multo maximam e consuetudine aliqua, quæ apud Ægyptios, aut alias e vicinia gentes inveteraverat, ceu fonte præcipuo dimanasse. Deus enim seculi mores haud paucos, vitii nullius facile postulandos, Israelitis integros pene reservavit, eosque legis divinæ sanctione cohonestavit; ne si res novas tantum & inopinatas in morem & cultum induxisset, Hebræorum vulgus [1] perturbaret, qui moribus aliis vivere solebant, & in mores gentium ardore præcipiti ferebantur. Multas Hebræorum leges & ritus ab hac origine derivandas esse, tot exemplis, testimoniis, & aliis argumentis ostensum est; quod ea de re dubitationem omnem sustulisse videar.

CUM itaque Deum multa seculi mori populique ruditati dedisse, & plurima Legis instituta e gentium antiquiorum usu primitus effluxisse, pateat; quidni & ritum consulendi URIM, e vetere seculi Mosaici responsa a THERAPHIM petendi more principia petiisse, & inde in Hebræorum legem cultumque transiisse, crederemus? Nam proculdubio ritus ille non majorem impuritatem ab usu gentium hauserat, quam alii ritus iisdem orti natalibus contraxissent: & Israelitæ *Theraphim* non minus arcte tenuisse, nec minore desiderio & admiratione harum imaginum loquentium, quam aliarum consuetudinum ducti fuisse videantur. Imo forte longe majore: nam,

(1) THERAPHIM vel imaginum propheticarum usus, seculis antiquissimis obtinuisse censeatur. Harum enim imaginum originem nonnulli *Mercurio Tismegisto*, venerabili illi ob summam antiquitatem & sapientiam apud Ægyptios capiti, tribuendam sentiunt. Sic enim illum hujusmodi simulacra laudantem [2] legimus: *statuas, o Asclepi, videsne quatenus tu ipse diffidas? statuas animatas, sensu & spiritu plenas, tanta & talia facientes, statuas futurorum præscias*, &c. Librum autem illum, tanquam genuinam (*a*) *Trismegisti* sobolem, *Kircherus* fide & affectu propensissimo amplectitur & exosculatur. Utcunque, librum eum, & alios omnes qui magnum *Trismegisti* nomen in fronte ferunt, ceu fœtus spurios exponunt viri docti quamplurimi, & sub exeuntis gentilismi tempora scriptos arbitrantur; cum scilicet imaginum veterum magicarum ludibria, Diabolus, ut Oraculorum jam deficientium desiderium apud suos levaret, nulla non arte & fraude studeret revocare. Minus itaque a vero distare credimus eorum sententiam, qui imagines hasce futurorum conscias ab antiquissimæ memoriæ populis, Chaldæis, Syris, Ægyptiis, inventas aut usitatas asserunt. [3] *Maimonides* enim imagines istas oracula fundentes, apud nominis antiquissimi gentes, Zabios aut Chaldæos, fidem & pretium invenisse refert: *erexerunt stellis imagines, Soli quidem aureas, Lunæ vero argenteas --- Deinde, sacella ædificaverunt, imaginesque in illis collocarunt, arbitrantes stellarum vires influere in illas imagines, easque intelligendi virtutem habere, hominibus prophetiæ donum largiri, ac denique, quæ ipsis utilia & salutaria sunt indicare.* Istiusmodi simulacra apud Syros etiam locum & fidem invenisse dubitari nequeat, cum Laban Syrus Theraphim suorum desiderio flagraverit, & vulgo per ea divinasse censeatur. Sed nil opus est, ut litem illam, de prima Theraphim origine, inter summos viros hactenus agitatam, nostram faciamus: cum enim e doctis, alii Theraphim a Nachor & Serug derivent; a Zoroastre, Trismegisto, vel Chamo, alii; aliqui ab Ægyptiis, alii denique a Syris aut Babyloniis; ea diu ante Mosis ætatem in usum venisse, do-

doctorum omnium consensu confirmatum est.

(2) IMAGINES illæ quæ Oraculorum vice fungebantur, seculis antiquis apud omnes pene gentes in usu versabantur. Imagines illas *Assyriis* haud ignotas fuisse docet [4] *Isaiah*, qui *Nabo* vel *Nebo* memorat, idolum Assyriorum, cui [5] nomen a נביא *propheta* fecerant. Nec ulla dubitandi ratio subest, quin hujusmodi imaginis oracularis usus ab Assyriis & Chaldæis, primis illis idololatriæ parentibus, ad seros nepotes transmissus fuerit. Similem oracula recipiendi morem apud *Zabios* etiam [quo nomine *Phœnices*, *Arabes*, & Orientales alii, veniunt] receptum fuisse testatur [6] *Maimonides*, qui se duo integra Zabiorum volumina *de imaginibus hisce loquentibus & earum fabricatione* perlegisse refert. Quamvis (ut hoc in transitu moneam) *Iamblichus* inter primos a nonnullis numeretur, qui librum *De divinis idolis*, *præsentia numinum animatis*, *eorumque mirandis effectis*, in lucem edidit. Ægyptios etiam (quod nemo facile dubitabit) ejusdem cum Assyriis & Chaldæis criminis affines fuisse, verbis conceptissimis testatur [7] *Abenephius*: sic autem se habent: *erant Ægyptiis simulacra quædam puerili forma*, *Ægyptiace dicta* Serapes, *quæ adorabant*, *de futuris & absconditis interrogantes*. *Passim in celebrioribus urbium locis collocabantur*, *solebantque ante ea adolere*, *eaque contra mala eventa secum portare*. *Similia his* Theraphim *erant*, *quæ colebant Israelitæ*, *quæque Laban in Scripturis adorasse memoratur*. *Abenephii* hæc de Ægyptiis referentis fidem, eo minus suspectam habeo; quod Propheta de Ægyptiis, jam animo labantibus & de futuro sollicitis, [8] prædicat, quod *quærent*, אל האלילים *ad idola*: id est, interrogabunt, de more gentis & ætatis, simulacra sua, quid rebus in angustiis facto opus esset.

(3) ISRAELITAS, ad quos missus erat Moses, imagines hasce fatidicas in usu & pretio habuisse, non sine ratione satis gravi creditur. Eos enim in Ægypto, per plurimas annorum vices, idola coluisse, [9] Sacræ literæ nos certos faciunt: ab idolis itaque, juxta seculi locique consuetudinem, eos responsa petiisse, non facile dubitandum est. Hoc & eo similius est vero, quod apud Ægyptios, a profundissima rerum suarum memoria, *Serapum* usus obtinuerit, id est, imaguncularum ejusdem muneris & figuræ cum Theraphim; quæ & Mosis ætate, *templa*, *vicos*, *angulos*, *domos*, *semitas*, *omnia*, impleverant, nisi quis [10] *Kircheri* fidem, hæc e Scriptoribus & monumentis Ægypti vetustissimis testantis, vacillare censeat. Sed nil opus est ut hæc incerto conjecturæ solius filo suspendantur, cum *Philo*, (*b*) Auctor ille *Biblic. Antiq.* diserte referat, eos olim *interrogasse*, *Amorrhæorum more*, *idolorum Dæmones*, *& inprimis Nymphas illas aureas*, *quæ invocatæ per singulas horas ostendebant facienda aut fugienda*. Huic itaque malo, quod in dies invalesceret, ut obviam iret Deus, [11] præcepto secundo *sculpta omnia animalis alicujus formam habentia inhibuit*; *facilius enim Spiritus capacia simulacra illa videbantur ob recessus abditos*.

CUM itaque jam dicta probent, hujusmodi simulacra non tantum Oraculorum traditione, sed antiquitate summa, receptione catholica, & usu longo, tanquam triplici fune, hominum affectus & desideria sibi devinxisse; credi non potest, rudem Hebræorum plebeculam repentina ab iis divortia animo æquo facilique ferre potuisse. Ideoque seculi Mosaici mores atque indoles magis suadebant, ut Deus antiquissimum τῶν Theraphim usum, paulo tamen emendatum, in pectoralis Urim conservaret Israelitis, quam forsan omnes alios ritus Mosaicos, quos e seculi illius consuetudine aliqua pertinaci originem habuisse comprobatum est. Sed, ut hæc omnia paulo fortius urgeant, addo,

(4) SI monumenta sacra animis attentioribus evolvamus, observatu facile est, viros & fœminas, Judæos & Israelitas, bonos juxta & malos, quovis seculo, summo τῶν Theraphim affectu & admiratione ductos fuisse. Cum enim Rachel se fuga furtiva Patri subduxerit, Theraphim ejus affectu religioso (vel, si magis placeat, superstitioso) prosecuta, dolo plusquam fœmineo usa est, non ut Patris aurum, monilia, vel alia aliqua in domo pretiosi nominis, sed ut illius Theraphim possideret. Nam veritati prorsus dissimile est, Rachelem, ea suffuratam fuisse, ut Labanis animum ab idololatria avocaret, (quod [12] *Theodorito* placet aliisque) vel ne eorum inspectione augurando cognosceret ille, quodnam iter institueret Jacob: nam Laban alia sibi idola parvo negotio comparare poterat, & Rachel, longe minore, ea vel in via abscondere, vel in *Euphratis* profluentem abjicere: neque si eo tantum fine id fecerit, opus erat ea septiduum integrum, non iti-

itineris tantum sed & frugæ suæ impedimenta, retinere. Quali vero (ut ad viros ascendat oratio) ægritudine afficitur Laban, jam (deliciis ejus) *Theraphim* spoliatus! quam omni ratione obnixe id agit ut ea denuo recuperaret! quam increpat Jacobum, quasi violatis justitiæ & hospitii legibus ea possidentem! *Quare*, inquit, *furatus es Elohim*, maximos Deorum meorum? prout versio *Copt.* testante *Kirchero*, emphatice verba reddit. Neque Jacobum ipsum, quem Laban illius furti reum fecerat, *Theraphim* nullius æstimasse, probat responsio ejus, [13] *apud quemcunque inveneris ea, capitis pœnam ab eo exigas*. Quasi credidisset, tanti sacrilegii maculam, modo familiæ suæ illatam, non nisi furis ipsius sanguine deleri potuisse. Neque hoc Jacobo convitium dicit, cum [14] historia sacra testetur, Theraphim in ipsa Davidis familia locum invenisse; quamvis alia simulacra facere, docti præcepto secundo Judæis interdictum sentiant. *Micham* etiam, (quem veri Numinis cultui devotum probavi supra) animi valde discruciatum & religiosis quibusdam intemperis agitatum legimus, cum Danitæ *Theraphim* ejus manu armata surripuissent: omnia statim clamoribus & querelis miscet: imo ea vel vitæ periculo redimere non grave habuisse [15] videtur. Populum etiam Israeliticum a primis usque gentis incunabulis, Theraphim rerum sacrarum & desiderabilium numero posuisse, inde probabiliter intelligendum est, quod constet Rachelem (& forte Jacobum) unde genus Israelitæ repetebant, non parvi æstimasse: adeo ut eorum filii usum & amorem τῶν Theraphim cum ipso lacte & primis parentum monitis hausisse censeantur. Sed rei hujusce fides inde magis manifesta est, quod *Danis* filii, cum de Michæ Theraphim famam accepissent, eum statim adierint, ut consilium a Deo de rebus suis in ambiguo sitis impetrarent. Ex itinere vero reduces, jus in viribus habentes, consilia de iis auferendis repente ineunt, [16] facto agmine in illius domum irrumpunt, & inde Micha invito eripiunt Theraphim. Deinde: Propheta *Hoseas* inter cætera quæ Israelitas plurimi facere, & quorum desiderium eos ægre laturos, norat, [17] Theraphim numeravit. Nec Israelitis solis, sed etiam Syris, Babylonis, aliis, sua fuisse Theraphim, sat liquet e Scripturis alibi in medium allatis, non sine quorundam nausea forte reponendis. Cum itaque clare pateat, omnes, cujuscunque census & ingenii, homines affectu propensissimo τοῖς Theraphim adhæsisse; facile credatur, Deum, antiquum & (per se spectatum) innocuum illum oracula e Theraphim petendi morem, sub certis tamen conditionibus, seculi mori populique pertinaciæ concessisse: cum præsertim alibi probatum sit, Deum plurima olim in usu, etiam in mali confinio posita, ob ferreum populi nervum in meliora minime flectendum, Israelitis indulsisse.

[1] *Ipsa mutatio consuetudinis, quæ etiam adjuvat utilitate, novitate perturbat*. S. Aug. Ep. 54. T. 2. [2] In *Asclep.* cap. 9. [3] *Mor. Neb.* P. 3. cap. 29. [4] Cap. 46. 1. [5] *Nabo ipsum idolum est, quod prophetia & divinatio interpretatur*. S. Hier. in loc. [6] Ut. supr. [7] Ap. *Kircher. Oedip. Ægyp.* T. 1. *Synt.* 4. c. 3. [8] *Jes.* 19. 3. [9] *Josh.* 24. 2. *Act.* 7. 43. [10] *Oedip. Ægyp.* T. 1. p. 258. [11] *Grot.* in *Explicat. Decal.* [12] Ὑπολαμβάνω ὅτι καὶ τὸν πατέρα τῆς δεισιδαιμονίας ἐλευθερῶσαι βουλομένη σεσύληκεν αὐτοῦ (Θεραφίμ.) Interrog. 90. in Gen. [13] *Genes.* 31. 32. [14] 1. *Sam.* 19. 13. [15] *Judic.* 18. 15. [16] *Judic.* 18. 14. 15. [17] *Hos.* 3. 4.

(*a*) Vid. pag. 870. (*b*) *Antiquitates* illæ *Biblicæ*, (ab Adamo ad Saulis Regis mortem) Latine tantum extant. Alii volunt *Philonem Jud.* alii *Phil. Byblium* esse auctorem: tempora autem sapiunt sequiora, & nugarum plenæ.

SECT. XI.

Probatur hypothesis nostra omnes alias redarguendo.

UT sententiæ meæ veritas eo magis elucescat, consultum habeo, dogmata adversa, quæ doctorum fidem hactenus obtinuerunt, hic juxta ponere, & eorum vanitatem (quod laboris haud magni fuerit) redarguere. Hic autem Lectoris otio nimis abuterer, si varia illa in quæ viri docti, in hoc Argumento, scinduntur studia, fusius enarrarem, & singulis mihi ex adverso stantibus litem intenderem. Me causam satis vicisse credam, si tres saltem præcipuæ inter doctos notæ sententias non minus in Scripturam & Rationem, quam sensum meum, peccare probavero.

INTER eas autem primas jure vendicat, tot Scriptorum calculis decorata, Talmudicorum dogma, qui Urim per literarum combinationem futura designasse sentiunt. Rem totam paucis accipiat Lector: asserunt illi, duodecim Tribuum nomina pectorali Pontificis insculpta fuisse, Patriarcharum insuper (*Abraham*, *Isaac*, & *Jacob*) nomina iis accessisse, una cum hac additione, כל אלה שבטי ישראל *singulæ hæ sunt tribus Israe-*

Israelis; quod etiam in vocibus hisce conjunctim sumtis, quælibet alphabeti Hebraici elementa, quæ verbo cuivis exprimendo sufficiant, inveniri possint. Cum autem, inquiunt, sacerdos responsum divinum expectaret, faciem ejus in שכינה i. e. *Arcam* obvertebat, & literæ in Pectorali tunc temporis plus solito splendescentes, aut virtute divina בולטות i. e. *prominentiores* factæ, Dei arcana & placita tradere censebantur. Quoniam autem haud facile sit statuere, qua arte vel ingenio tot simul splendescentium vel protuberantium literarum ordinem aut puncta genuina teneret Pontifex; Hebræi (ut sunt ingenio ad fingendum audaci) Θεὸν ἀπὸ μηχανῆς hic inducunt, qui eos hoc nodo impeditos liberet. [1] Tradunt nempe, Sacerdotem vocem divinam, quæ mentem ejus dubiam & errori obnoxiam in rectum duceret, in loco semper accepisse. Afferunt itaque, literas insigni splendore vel eminentia notabiles (per quas responsum Sacerdoti datum est) Urim & Thummim fuisse, eaque ex literis iis prout *galaxia* e stellularum splendescentium congerie coaluisse.

Qui camelum hunc Talmudicum (quo nihil deformius fingi potest) deglutire nesciunt, sic sensum suum, paulo diversum efferunt: *non absurdum videtur, si dicamus, ex pacto & promissione institutoris, Deum invocatum a sacerdote certo ritu, gemmas illas gestante, respondisse non articulata aliqua voce, sed per illuminationem intellectus illius, & certam persuasionem inditam menti ipsius de veritate responsi: nullam itaque vim fuisse in lapidibus, nisi tanquam in morali causa; a Deo fuisse effectum, qui ad illius præsentiam operabatur occulto quodam modo.* Sic eruditus [2] *Rivetus* judicavit, & cum illo, [3] *Salianus*, & [4] *Cornel. a Lapide*. Eadem mente fuit *R. D.* [5] *Kimchi*, qui in 2. *Sam.* 25. asserit *Summum Sacerdotem, Pectorali suo indutum, Spiritu S. ex templo occupatum fuisse, & hoc suggerente respondisse ad interrogata*. Patribus hisce studet & *R. Becbai*, cujus hæc sunt verba, in *Deut.* 33. 8. אורים ותומים היתה מדרגה ממדרגות רוח הקדש והכהן המלובש בחשן אשר אורים ותומים נתונין בין כפליו הוה מתלבש באלו ברוח הקדש i. e. *Urim & Thummim fuit e gradibus Spiritus Sancti: Sacerdos etenim indutus Pectorali, in cujus duplo sita erant Urim & Thummim, indutus erat simul Spiritu Sancto*. Horum censu *Maimonidem* numerare suadent illius verba, a *Seldeno* laudata, Lib. 2. de *Succes.* in *Pontif.* cap. 8. §. 10. *Quænam est ratio cur non consulere solerent* Oraculum illud per Urim & Thummim sub Templo secundo? *quoniam non adfuit ibi Spiritus Sanctus, neque enim Sacerdotis alicujus in consulendo opera adhibenda est, qui non loquitur ex Spiritu S. & Majestatis divinæ præsidio*. Sententiam hanc [6] *Antonius Millieus* elegante Musa sic expressit:

> —— *Quoties de Lege refert responsa Sacerdos*
> *Consultus, regnique vices & publica fata*
> *Aut privata rogant dubiis in rebus egentes*
> *Consilio, ac Numen venerati rite precantur*
> *Pontifici adsistens Summo præcordia pellit*
> *Spiritus & gemmas arcano illuminat igne,*
> *Instigatque animi fibras & fata recludit:*
> *Tum linguam moderante Deo, certissima fundit*
> *Effata, & procul omnis abest ambagibus error.*

Fundamentum vero quod sententiæ huic sustentandæ par esse creditur, textus ille est, 2. *Chron.* 24. 20. ubi Sancti Spiritus afflatus *Jebojadam* Pontificem in media plebe jam stantem concitasse dicitur; unde & Propheta repente prodiit, & quid pro re nata factu opus esset, Dei nomine populo annunciavit.

UTCUNQUE, apud longe plures, eosque celeberrimos e gente literata viros, sententia tertia fidem & gratiam invenit; quod nempe consilium divinum per solas Pectoralis gemmas innotuerit, easque vultum & colorem quotidianum retinentes, si Deus responsum triste vel negativum, novis autem & insolitis lucis stricturis Sacerdotis oculos ferientes, si responsum lætum vel affirmativum, editurus esset. S. [7] *Chrysostomum* ita cogitasse probant verba illa: ἐπὶ τῶν λίθων τῶν ἐπὶ τοῦ στήθους τοῦ ἀρχιερέως, ὅπερ ἐκάλουν δήλωσιν, ἐγίνετό τις ἔλλαμψις, καὶ τὰ μέλλοντα ἐσήμαινε i. e. *e lapidibus qui erant in pectore summi Sacerdotis, id vocabant* Declarationem, *relucebat fulgor quidam futura significans*. Ab eo non multum recessit [8] *Suidas*, qui responsum Sacerdoti datum asserit, *per adamantem, colorem, pro varia responsi conditione, subinde variantem*. Cum iis nomen suum profitentur [9] *Moncæius*, [10] *Grotius*, aliique. Hi omnes auctoritate

tate potissimum *Josephi* nituntur, qui [11] duas tantum annorum centurias a splendoris illius miraculosi defectu, se scribente, effluxisse dicit. At ratio, inquiunt, suadet, cogit, ut tantarum literarum viro, e stirpe sacerdotali oriundo, patriæ suæ usus & res gestas ex professo posterorum memoriæ tradituro, in Judæorum moribus, sacris præsertim, maxime exercitato, fidem & diligentiam omnem tam sancte & sæpe profitenti, de re tam celebris notæ & recentis memoriæ scribenti, fidem tribuamus.

E DICTIS manifestum est, viros doctos in hujusce dogmatis centro, *quod Urim & Thummim nihil aliud fuerint præter lapides Pectoralis*, se mutuo tangere & optime convenire; quamvis cum de ratione quæratur qua responsa per lapides hosce mutos tradita consulentibus innotescerent, non minus a se invicem distent quam lineæ a centro recedentes. In hujus autem sententiæ communis studium ducti videntur, (1) *Silentio Scripturæ: cum enim*, inquiunt, *Moses magna religione in describenda sacrarum vestium materia & forma versetur, quo singula perspicue tradat, profecto paulo pluribus descripsisset Urim & Thummim, si aliud quam duodecim lapides per ea intellexisset*. Deinde, *Levit.* 8. 8. ubi Moses novam ornamentorum Pontifici Summo sacrorum mentionem ingerit, legimus Mosen Pectorale Aharoni induisse, & in eo Urim & Thummim posuisse, cum de lapidibus pretiosis sit altum silentium. Unde nominibus iis, Urim & Thummim, lapides illos venire, firmiter concludi sentiunt. (2) *Convanientia nominum*: nam *ideo*, inquiunt, *lapides Pectoralis* URIM *nominantur, propterea quod veluti ignis in pectore Summi Sacerdotis, ut est natura tot simul conjunctarum* [12] *gemmarum, splenduerint, & lucem perspicuam de se projecerint*: אור *enim lucem vel ignem significat*: *Ideo etiam* THUMMIM, *quod perfecti & integri fuerint, nec ullo vitio notati*.

SENTENTIAS illas quæ doctos hactenus in partes divisos tenuere, & omnem de Oraculi hujusce natura meliora cognoscendi sitim, per longam seculorum seriem, penitus extinxere, jam expedivimus. Eas autem talo male firmo stare, earum casus & ruina (si vires earum manu levi tentemus) statim comprobabunt. Quod enim ad *Talmudicorum* sententiam spectet, eam non immerito in figmenti suspicionem vocemus; non tantum quod [13] *Morinus* eorum scripta vix sextum aut septimum a Christo seculum antiquitate superare, argumentis non contemnendis ostenderit; sed quod illam fabulosum & ventosum Hebræorum ingenium, eorumque quidlibet in sacris audendi morem, olere, quivis nasi paulo emunctioris facile persentiscat. Unde enim Talmudicis ea nata fiducia est, ut tot verba, præter duodecim Tribuum nomina, Pectorali inscripta fingant, de quibus Mosem nusquam meminisse legimus? Sed & dicant insuper (quo figmenta saltem probabilia referant) quibusnam Pectoralis partibus tot literæ fatidicæ exarari poterant? an in lapillis pretiosis? at eos, utpote parvulos, Tribuum nomina totos proculdubio occuparunt, nisi subtiles admodum & oculorum aciem pene fugientes literarum sculpturas fingat quispiam: an in ipso duplicati Pectoralis panno? nemo cui nisi vel frontis aliquid hoc dicet, illius enim angustam superficiem lapilli duodecim tantum non opplerunt & obscurarunt. Deinde, literæ illæ duris lapidibus insculptæ, cæteras eminentia subitanea superare, & subsidere denuo, non poterant, nisi quis immensum miraculorum criticorum & usui nulli servientium numerum, in dogmatis hujus, alias ruituri, subsidium advocet: at DEUS Naturæ leges fixas & immotas, nec miraculo ullo (nisi raro admodum & in finem optimum edito) rescissas, servare solet: ״ כי הטבע יקר בעיני *est enim natura* (quod e magistris non nemo) *pretiosa in oculis Domini*. Præterea: quid rei erat, quod DEUS (qui compendium facere solet) verbis paucis, iisque apertis, nec novum oraculum ad eorum explicationem postulantibus, sacerdoti responsa non dederit potius quam per operosas illas & tædii plenas literarum protuberantias, quarum ordinem & puncta genuina non nisi per voces plurimas cœlitus emissas capere potuisset? Quærerem etiam (nisi quod Lectorem hujusmodi ineptiarum jam tæderet) quomodo responsum, modo plus solito prolixius esset, & eadem alphabeti elementa sæpe repetita postularet, per literas quæ non nisi semel in Pectoralis verbis occurrebant, tradi potuit? Huic nodo hunc cuneum adaptavit Vir e sacro ordine, inter beatos jam agens, apud nos Anglos merito celeberrimus: „ Fieri, inquit, potuit, ut literæ e „ quibus responsi verba constabant, non „ simul protuberarent; sed prius una, „ dehinc altera, donec integrum res„ ponsum vigilantior Pontifex accepisset.

set. At quam indigna Majestate divina & Oraculi gravitate hæc ludicra & plusquam poetica figmenta! anne credibile est Deum, mimica & perplexa hac nunc eminentium nunc subsidentium literarum saltatione, sacerdotis animum serio & cito nonnunquam, in rebus perditis, sententiam Ejus exquirentis, enecare velle? vel ita cum illo agere, quasi ad ludum potius puerilem quam Oraculum divinum vocaretur?

Sed non opus est ulteriore spiritus dispendio ad bullam hanc Talmudicam, crudo tantum aere repletam, suaque vanitate ruituram, dissipandam. Hominis cordati & vigilantis fide, vix unquam abuti potest tam crassæ texturæ fabula; quamvis eam *Judæus Apella* forte, qui intimo pompæ Mosaicæ & gentis suæ famæ sensu tangitur, patulis auribus & ore hiante accipiet. Nam historiola hac, quæ perpetuis miraculis, vocibus divinis, & gloria quadam externa, tota intumescit, nil fingi potest ad gentis Judaicæ honorem augustius, aut ad religionis suæ admirationem imperitæ plebeculæ incutiendam efficacius.

His itaque Talmudicorum φλυαρίαις & splendidis mendaciis valere jussis, ad sententiam secundam, quæ responsi divini cognitionem Spiritui Sancto, Sacerdotis mentem occupanti, refert, pedem promoveamus. At & hæc non minus vitium sonabit, vel leviter percussa: nam Scriptura, nusquam per Spiritum sedibus æthereis delapsum & Pontificis pectus implentem, sed Ephodis Urim, tanquam verum & proximum oraculi tradendi medium, Deum sacerdoti sciscitanti respondisse dicit. Hoc multis evinci posset, sed non opus est ut longum in re tam clara, tamque probata, faciam. Satis e Scriptura constet, Deum non per ἀποκάλυψιν τινα τὴν καρδίαν τοῦ ἀρχιερέως καταφωτίζουσαν (uti contendit *Severus*, aliique) sed per vocem formatam, aures sacerdotis interrogantis blande ferientem, responsa tradidisse. Cum enim David, incertus animi quid ageret, consilium a Deo, medio Ephode impertiendum, supplex postularit; Deus, inquit [14] textus, *respondit ei: persequere* (Amalechitas nimirum) *absque dubio enim comprehendes eos, & certo eripies prædam.* Hunc textum modo viri bis mille legerent, quorum animos nullæ fabulæ Talmudicæ aut vulgi placita de hoc Oraculo recepta vitiarunt; ausim profecto quovis pignore contendere, quod eum de responso verbis expressis reddito intelligendum esse, uno animo atque ore statuere vellent, nec de oraculo per Spiritus afflatum, gemmarum splendorem, aut literas in Pectorali protuberantes, & in textu illo verbis apertis explicato, vel per somnium cogitarent.

Nec opinionis hujusce patronos in spem ullam adducunt textus supra laudati verba: nam Spiritus S. Jehojadæ quidem animum, prout & alios *Dei viros*, affecisse dicitur; non autem dum oculos in Pectoralis sui gemmas defixos habuit. Et certe Jehojadam tam augusto dignitatis suæ symbolo distinctum & illustrem in vulgus unquam prodiisse, Pontificale fastigium attigisse, vel Pontificis titulum natalium jure tenuisse, facilius credi quam probari potest. *Baronius* quidem, *Sigonius*, *Salianus* aliique, Jehojadam in Pontificum numero collocarunt: eos autem falsos satis superque arguunt, illa R. nostri [15] *Montacutii* verba; *nos* Jehojadam *Pontificem fuisse maximum de jure successionis non arbitramur. Erat enim lex a Deo lata de Pontifice summo, ut non solum virginem uxorem duceret, non viduam, aut fornicatione alteri cognitam, verum & de gente sacerdotali. Jojada vero, quod refert sacra Scriptura, duxerat uxorem de tribu Judæ, Josobeam nempe, sororem Jorami regis Judæ. Non est autem credibile, Jojadam illum, religionis columen, legis Dei restauratorem, & illius cultorem observantissimum, contra expressum legis divinæ tenorem & perpetuam Pontificum consuetudinem, extra gentem suam, hoc est sacerdotalem, voluisse sibi uxorem sociare. Accedat quod in rebus Joashi, nusquam Pontifex M.* [*& tamen ille titulus aliis interdum tribuitur*] *sed Pontifex, & Pontifex magnus, &* ἀρχιερεὺς *a Josepho, nominatur: quam vocem scimus & aliis convenire quam principibus in familia Aaronis. Sed nec apud Josephum commemoratur Pontifex; nec in catalogo Pontificum reponitur in Scriptura sacra.*

Neque solidius tinnit, quod alii de Pectoralis gemmis, festiviore jubare radiantibus si quid læti annunciandum; sed vultum tristiorem & qui luctuosæ rerum futurarum scenæ conveniret, si adversa imminerent, induentibus, serio [16] fabulantur. Quamvis enim gemmarum faciem, cum responsi conditione consensum aliquem coluisse, non pari fronte & constantia negem ipse, qua nonnulli asserunt; Deum tamen responsa sua omnia, per varios gemmarum vultus, tanquam solos consilii sui interpretes, tradidisse, dogma illud est quod in

in fabularum poeticarum numerum (nisi quod sale careat) merito referatur. Cum enim rerum, de quibus Dei consilium expetebant Israelitæ, ea esset obscura sæpe & perplexa ratio, quod responsum paulo prolixius & expressius postularent; illud non magis unico splendoris dicti signo; quam varii conceptus unica alphabeti litera, exprimi & efferri poterat. Huic argumento lucem & vires accommodabit exemplum [17] Davidis, Deum per Urim consulentis: interrogavit enim, *ad Philisthæos ascenderet necne?* nimirum ad rem armis decernendam: *respondit Dominus, non ascendes*, recta scilicet, *contra eos, sed circuitum facies pone eos, & venies ad eos ex adverso mororum, & cum audieris sonitum gradientis in cacumine mororum, tunc inibis prælium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam ut percutiat castra Philisthæorum.* Certe responsio tot verbis concepta, tot circumstantiis insuper & cautelis variata, simplici splendoris unius signo nec dari nec accipi potuit: nam ideo literas plurimas excogitavit hominum ingenium, quod norant signum unum non nisi rem unam vel alteram intellectui offerre potuisse. His accedat, quod Moses *Urim & Thummim* rem aliquam in Pectorali positam fuisse referat: quod de splendore solo, utpote accidente sine subjecto, non nisi per figuram duram & insolentem dici possit.

Quoniam vero nonnulli rationibus hisce, [18] *Josephi* testimonium præponderare credunt; agesis, perpendamus ipsius verba: διὰ τῶν δώδεκα λίθων, οὓς κατὰ στέρνον ὁ ἀρχιερεὺς ἐνερραμμένους τῷ ἐσσῆνι φορεῖ, νίκην μέλλουσι πολεμεῖν προεμήνυεν ὁ Θεός· τοσαύτη γὰρ ἀπήστραπτεν ἀπ' αὐτῶν αὐγή, μήπω τῆς στρατιᾶς κεκινημένης, ὡς τῷ πλήθει παντὶ γνώριμον εἶναι τὸ παρεῖναι τὸν Θεόν· &c. *Per duodecim lapides, quos in pectore Pontifex insutos Esseni gestat, in bello victoriam prænunciare solebat Deus. Nam priusquam exercitus se moveret, tantus fulgor ex iis emicabat, ut toti populo innotesceret adesse Deum, opemque & auxilium invocantibus esse allaturum.* Quibus verbis hoc a *Josepho* literis & memoriæ consignatum est, quod Pectoralis gemmæ, Judæis signa cum hoste collaturis, splendorem solito lætiorem emiserint; & quod illi, certum victoriæ augurium inde captantes, animos ingentes ad prælium ineundum sumserint. Neque is sum ego, qui hac in parte falsi notam illi ausim inurere, quanquam in priscis illis subinde vacillet *Josephi* fides. Fortasse Deus, qui divinum illud πανφάρμακον, piscinam Betheldæ loquor, tanquam quotidianæ incursionis miraculum Judæis reliquum fecit, ut omnem populi sui curam se non abjecisse testaretur; hunc etiam splendorem divinum, ad firmandos populi sui, cum belli mortisque minæ pavorem incuterent, cadentes animos, tanquam præsentiæ suæ pignus (miraculis & prophetis jam cessantibus) extare voluit. Splendorem vero illum miraculosum totam rationem τῶν *Urim & Thummim* complevisse, non asserit *Josephus*. Eum præsentiæ divinæ tesseram fuisse dicit, unicum consilii divini nuncium perpetuum non dicit. Nec animum inducere possim ut sentiam, splendorem illum integram Oraculi hujus naturam exhausisse: omnium enim, cum Judæorum, tum Christianorum, addo & [19] ipsius Scripturæ, consensu firmatum est, Urim & Thummim in Captivitate saltem cecidisse; quæ sex annorum centuriis *Josephi* scribentis tempora superavit. Deinde si Deus, splendorem illum, vel illius absentiam, unicum consilii sui interpretem statuisset, cum dubia Oraculo suo solvenda proponerentur; non esset quod Saulus, (jam belli aleam experiri cogitans) Deum sibi per Urim non respondisse [20] quereretur. Nam proculdubio, Saulo consulente, Pectoralis gemmæ vel solito & communi, vel insolito & divino, splendore emicuere.

Ne vero in immensum diffundatur sermo, varia hæc sententiarum capita, una utpote cervice sustentata, hoc uno ictu demetere possimus. Lapidibus Pectoralis partem & sortem nullam in responsis Dei Pontifici tradendis habuisse, satis e [21] supra dictis exploratum est. Neque contrarium evincunt textus illius *Levit.* 8. ab adversariis in sententiæ suæ patrocinium adducti, verba: nam ibi Pectoralis tantum & Urim mentio facta est, vel quia longum esset singulas gemmas nominatim enumerare, vel quod gemmæ indivisæ manerent Pectoralis partes, adeoque Pectoralis nomine facile supponerentur: at Urim & Thummim Pectoralis appendices potius fuere quam partes, illius ornamenta verius quam membra: unde & sacerdotem aliquando sine Urim & Thummim, nunquam vero sine gemmis illis, extitisse [22] legimus.

Non peccarim forsan in veritatis aut modestiæ leges, si rationes allatas aliarum sententiarum vanitatem satis arguere, senserim & dixerim. Quidni itaque *hypothesis* nostra in earum locum

cum & fidem ſuccedat, ſaltem quoad aliam, cum ſeipſa & Scriptura magis conſentientem, docti in medium ferant, eamque argumentis aſſenſu dignis muniant? (Quotuſquiſque enim eſt, literarum non plane rudis, qui opiniones novas, fronte tantum & fiducia firmatas, vitioſa nuce emerit?) Nonnullos hoc Argumentum nullius habituros auguror, eoſque ſententias haſce veteres (utpote nullo probabili firmatas argumento) facile rejecturos, qui tamen a ſententia mea, tanquam profana & vix ſani capitis figmento, prorſus abhorrebunt. Iis nempe conſultum videtur, Urim & Thummim inter Scripturæ δυσνόητα numerare, & plane pium, hic ignorantiam libenter & ſubmiſſe profiteri. Utcunque periculum faciam, an horum hominum præjudicium, & ignorantia tam affectata, ratione poſſit expugnari.

[1] *Tradunt Talmudici vocem auditam eſſe quæ Pontificem docuit inſtituitque, ne erraret ex punctorum vocalium defectu.* M. Scherringham. in Cod. Jom. cap. 7. §. 5. [2] *Comment.* in *Exod.* 28. 30. [3] *Annal.* T. 2. ad *An.* 2544. §. 550. [4] In *Exod.* 28. 30. [5] Ap. *Schindler.* voc. אור [6] *Moyſ. Viator.* P. 1. lib. 13. [7] Adv. *Judæos*. *Orat.* 6. p. 654. *Ed. Ben.* T. 1. [8] In voc. Ἐφώδ. [9] Lib. 1. de *Aur. Vit.* c. 19. [10] *Not.* in 1. *Sam.* 30. 7. [11] Ἐπαύσατο μὲν ὂν ὅ τε ἐσσὴν καὶ ὁ σαρδόνυξ τοῦ λάμπειν ἔτεσι διακοσίοις πρότερον ἢ ταύτην ἐμὲ συνθεῖναι τὴν γραφήν. *Antiq.* lib. 3. c. 8. pag. 120. 15. [12] —— *Gemmæ nitidos vertuntur in ignes* Ovid. Met. 8. [13] L. de *Hebr. & Græc. Text. Sincerit.* P. 2. *Exercit.* 6. [14] 1. *Sam.* 30. 7. 8. [15] *Apparat.* 6. p. 222. [16] *Fabulantur quidam lapidem* in Pectorali *fuiſſe, cujus color, ſive ad adverſa ſive ad proſpera mutaretur, quando Sacerdos intrabat in Sancta*. S. Aug. in Ex. p. 117. T. 3. P. 1. [17] 2. *Sam.* 5. 23. [18] *Antiq.* l. 3. c. 8. P. 120. 5. [19] *Ezr.* 2. 63. [20] 1. *Sam.* 28. 6. [21] Vid. Cap. 3. §. 1. [22] *Ezr.* 2. 63.

SECTIO XII.

Probatio abſolvitur, addita rationum decade.

CUM ſententiam, tot Scripturæ locis & aliis teſtimoniis confirmatam, cum ſeculi Moſaici genio & inſtitutionum ceremonialium origine tam amice convenientem, amplectar ipſe; a nigra creduli nimis aut rerum novarum in religione ſtudioſi nota, mihi non magnopere metuendum arbitror. Ne quis autem, me Scripturam, Philonem, alioſque teſtes, in ſenſum parteſque meas torquere cenſeat & alia quæ dixi omnia rejiciat, tanquam luſus imaginationis meæ, in re ſacra & ſeria laſcivientis; fidens aſſero, hypotheſin meam tam ſpecioſam eſſe, quod, ſi ratio, nullo præjudicio vitiata, illam abſolute, & nullo reſpectu ad Scripturas jam adductas aut ſtatus Iſraelitici circumſtantias habito, intueatur; eam fide dignam, eique, ante alias omnes de hoc Oraculo ſententias, palmam deferendam eſſe judicabit. Nam,

PRIMO: hypotheſis hæc vim nullam Scripturis affert, ſed mentibus noſtris rationes faciles, expeditas, minimeque coactas, ſuggerit locorum omnium quibus tenuiſſima Oraculi hujus occurrit mentio. Nam liceat mihi hypotheſin meam tanquam datam & conceſſam ponere, & rationes ſtatim in digitis habebo, duplicati pectoralis, phraſeos illius *reſpondere per Urim*, conſenſus Urim cum Theraphim, Uſus verborum illorum, pluralium tantum, Urim & Thummim. Spondeo inſuper & recipio, me nominum eorum, juxta veram & germanam eorum ſignificationem, rationes obſcuras hactenus facile redditurum. Et certe, vel hoc ſolo nomine punctum omne ferre digna eſt: nam ſi nos, inter crypticas Naturæ methodos & rerum cauſas ancipites hærentes, illi hypotheſi philoſophicæ, ut maxime probabili, accedere conſultius exiſtimamus, quæ faciliorem colit cum Naturæ phænomenis conſenſum, & effectorum naturalium cauſas expeditius explicat; quidni & traditam de hoc Oraculo hypotheſin ante alias habeamus, quæ cum Scripturis omnibus de eo loquentibus melius conſentit, & earum interpretationes molliter & ſine ſalebris fluentes ingerit?

SECUNDO: hypotheſis nulla eſt cui Gentium monumenta tam luculentum teſtimonium perhibent, & parem veritatis ſpeciem inducunt. Neque hæc levioris momenti ratio: *haud* enim *imprudens fuerit*, inquit [1] vir doctiſſimus, *cum de vetere Judæorum conſuetudine oboritur quæſtio, & ipſorum hiſtoriæ lucem idoneam afferre nequeant; tum Gentium conſulere monumenta, & ex eorum ritibus conjectare de Hebræorum moribus.* Quæ ſane verba non rudes ſunt & ſine mente ſoni: maximus enim, ab ultima annalium memoria conſenſus, quoad præcipuos religionis ritus & uſus, inter Iſraelitas & Ethnicos orientales interceſſit. Si itaque ſeculorum hiſtorias, varia divinationum genera poſteris referentes, evolvamus; nuſquam evanida Oraculi noſtri veſtigia reperire poſſimus, niſi Hebræorum *Urim* in propheticis Chaldæorum & Syrorum *Theraphim* expreſſum, mutatis tantum mutandis, inveniamus. Unde Hebraicus ille futura cognoſcendi modus, uſus plane

ne anomalus evadet, cujus solius imaginem & umbram gentes exteræ in sacris suis nullam retinuere.

Tertio: ratum certumque fecimus, responsa per Urim reddita, non per splendorem solito jucundiorem, vel nutus & signa quædam arte & mysterio plena; sed vocem formatam & captu facilem, prout responsa de Cherubim data, Pontifici innotuisse. Cum itaque Numini visum esset voce articulata e pectorali data, Oraculum suum sciscitatum venientibus respondere; a difficillimo profecto qui mihi contingere possit Lectore quærere non dubitem, quodnam instrumentum, ad vocem illam formandam, magis aptum & decorum, quam simulacrum parvulum paululum excavatum, formam humanam referens, & Angelorum nomine decoratum, excogitari possit? Non nemo forsan, plus æquo curiosus & importunus hic a me quæret, an Deus elata voce vel submissa Pontificem oraculum expectantem allocutus fuerit? At illi quæsito, nisi timide & obnoxie, respondere, parum considerati esse arbitror: quid enim certi in re tantæ vetustatis precipere quis valeat, omni pene literarum, qua sacrarum qua profanarum, luce destitutus? Verisimile autem habeo, Deum voce paulo submissiore & quæ Regem decet, mentem suam interpretari solitum. Nam Pontifici dignitatem summam adderet, cum Deus eum unum interiore familiaritate dignari, & quasi in aurem dicere videretur. Deinde, Deum olim oracula sua, tanquam tot mysteria & sacramenta, voce tenui, vel (quod parum abest) remotis arbitris, admissionis proximæ famulis sæpe tradidisse, e Scriptura colligamus. Nam [2] *Jobus* Oraculi divini auditor factus, קול דממה *vocem silentii*, i. e. tenuem & silentio affinem, se accepisse dicit. In quem locum sic annotavit Mercerus, *ita* olim *oracula edebat Dominus*, (*quod & Gentes in suo Apolline celebrant*) *voce tacita*. Simili medio, nempe קול דממה דקה voce quieta vel auræ lenioris sibilo, Elijah Dei voluntatem & præsentiam cognovisse [3] dicitur. Huic sententiæ suppetias feret ipse Pectoralis titulus חשן quod nonnulli a חשה *silere* nomen habuisse sentiunt; quasi sedes esset Oraculi quod per קול דממה *vocem silentii* frequentius responderet. Sed velum obliquandum.

Quarto: Deum oracula sua per vocem de cœlo, missionem Angeli, per somnia & visiones, viris pietate egregiis ante Legem concessisse, omnes extra dubium ponunt: cum tamen de responsis per Urim datis, operosis etiam legis ceremoniis, ante Mosis seculum, altum in Scriptura silentium sit. Non immerito itaque suspicari quis possit, aliquos ejusdem seculi mores, cum ceremoniis tum responsis illis ansam & initium tribuisse.

Quinto, sat liquet, Deum vanitati Israelitarum invincibili dedisse somnia, vates, [4] omina, sortes, visiones, monita per genium vel Angelum, [5] oracula ex adytis, instinctum divinum, voces in aere formatas, & pene omnes occulta cognoscendi modos, qui apud ethnicos invaluere; si demas inhonestas illas & impostura plenas, augurium, ῥαβδομαντέιαν, necromantiam, aliasque similis farinæ divinationis species. Cum itaque alia pene omnia revelationum genera Israelitis & Gentilibus communia fuerint, inter mira maxime non immerito poni posset, si solis gentium Theraphim, (quæ nominis sui celebritate implerant omnia) nihil in toto divinationum Judaicarum catalogo simile daretur & parallelum. Quid enim in causa esset, quod Deus tam variis divinationum generibus curiositatis Judaicæ pruritum scalperet, cum prælertim vox ex adytis, aut prophetia sola, vel somnium, cæterorum omnium vices implere poterat, nisi quod olim diabolus per varia illa res futuras cognoscendi media, vulgi animos novitatis avidos demulcere soleret & inescare? Ideoque Deus ea omnia Judæis, populo supra fidem moroso dedit; ne sub imperio suo quicquam, quod in felicitatis parte numerabant, desiderare viderentur. Quidni itaque sentiamus Deum, ratione simili permotum, Urim loco Theraphim (quorum ingens amor & desiderium imis eorum cordibus inhæsit) Israelitis concessisse?

Sexto: cum *Israelitæ* incredibili futura cognoscendi, pro temporum [6] antiquorum genio, desiderio tenerentur, iis Oracula de proprio deesse noluit benignum Numen: ne ἐπὶ τὰ τῶν ἐθνῶν μαντεῖα καὶ χρηστήρια, *ad Gentium Oracula & vaticinia* confungeret curiosum genus uti *Origines* rationem 7 reddidit. Cum itaque gentes, mediis imaguncculis Deorum præsentia animatis, oracula frequenter acciperent; nobis facile persuadeamus Deum populo illi (Israelitis nomine, sed re barbaris) oracula simul & usitatum ea recipiendi modum pari facilitate concedere voluisset. Quid enim rem ipsam gentis istius pervicaciæ & infantiæ concedens, rei modum perpetuo

tuo denegaret? præsertim cum *Iſraelitæ* ſumma admiratione defixi & voluptate perfuſi hærere ſolerent, cum numinis alloquio ex imaginis parvulæ anguſtiis accepto fruerentur: adeoque ad oracula recepta & recipiendi modum, pari affectus & deſiderii calore moviſſe cenſeantur.

Septimo: veriſimile eſt rituum Moſaicorum partem multo maximam ex hoc triplici fonte dimanaſſe. (1) E moribus quibuſdam religioſis, quibus Patriarcharum exempla & antiquitatis ſupremæ canities reverentiam conciliarant. Nam ritus [8] decimas Deo conſecrandi, altaria [9] tituloſque in illius honorem erigendi, ea [10] unguenti effuſione dedicandi, & forſan mos [11] epulas ex immolati reliquiis inſtruendi, & conſimiles alii, e Patrum antiquorum moribus in poſterorum leges & officia tranſiiſſe videntur. (2) Quidam ritus & leges Moſaicæ e malis ſeculi moribus, ut bonæ leges ſolent, naſcebantur. Cum enim Iſraelitarum mores, poſt curvitatem diuturnam in Ægypto contractam, ad rectum duci, niſi in extremum contrarium flectendo, non potuerint; leges ritusque multos cum moribus olim receptis e diametro pugnantes inſtituit Deus (3) Alii originem petiere e conſuetudine aliqua quæ apud Ægyptios & alios e vicino populos, inveteravit, quam Deus integram pene reſervavit Iſraelitis, ut eorum animos ſibi conciliaret, qui gentium moribus aſſueverant, & iis ingenia ſua penitus immiſcuiſſent.

Cum itaque aliqui ſeculi Moſaici mores, honeſti vel pravi vel medii, legum Moſaicarum parti potiori ortum & initium dederint; quidni & inſignem illum Deum per Urim ſciſcitandi ritum a more aliquo ſeculi Moſaici anſam accepiſſe crederemus? nam rationi minime conveniens eſt, ut ritum hunc a cæteris omnibus diviſum penitus, iiſque nulla originis ſimilitudine devinctum, eſſe ſtatuamus; Ideoque animum ſæpe mirari ſubiit, qui factum ſit, quod tot Scriptores eximie docti inſtitutorum ritualium rationes inveſtigantes, ad conſuetudinem aliquam ſeculi vetuſtiſſimi, ceu primam eorum occaſionem, animum oculoſque referant; & latentes legum & rituum aliorum cauſas certa quadam ſcientiæ clave referandas doceant: interea vero, in cognitionem τῶν *Urim* & *Thummim*, eos eadem communi cynoſura ducendos eſſe, ne per ſomnium quidem cogitaſſe videantur. Nam de eorum origine & natura ſermonem habituri, conjecturas tantum vagas, debiles, & e cœco quodam imaginationum ſortuitarum concurſu oriundas, afferunt. Nil autem firmi video ipſe, cur Urim & Thummim non ab eadem, qua & cætera Moſis inſtituta, ſtirpe pullulaſſe, eaque (ad inſtar Iſmaelis) tabernacula ſua ſeorſum, & quaſi e regione fratrum ſuorum, fixiſſe cenſeantur: quid enim Deus ritus legis alios certa quadam ratione, ſed Urim & Thummim pro arbitrio, inſtituiſſe crederetur? Cum itaque Urim, prout alia pleraque legis inſtituta, e temporum antiquiorum ritu moreque aliquo principium traxerit, & gentes antiquæ Theraphim ad fata & occulta ſcienda frequentius uſurparent; ſuadet ratio, ut Hebræorum Urim, mutatis nomine & quibuſdam inter conſulendum ceremoniis, a veterum Theraphim uſu ortum habuiſſe, & inde in legem fluxiſſe cenſeamus. Nam ſi ſacra omnia (quorum memoria nondum deleta eſt) quæ gentium religionem olim impleverant, excutiamus, nullum præter Theraphim invenire licet, quod Urim ea nominis aut muneris affinitate exprimit & imitatur. Atque hic ipſos adverſarios meos, judices haud gravate feram.

Octavo: iis quæ proxime dixi, proindeque toti Argumento, veri colorem aliqualem addit legis de Urim latæ mira brevitas & vix ulla cum contextu cohærentia. Cum enim verba plurima feciſſet legiſlator de ſacris aliis rite procurandis, Urim & Thummim curſim & leviter pertranſit [12] dicens, *& in pectorali judicii pones Urim & Thummim*, Quod autem Deus tam preſſe & obſcure locutus ſit, huic præcipue cauſæ tribuendum videtur: de rebus iis jam dicturus erat, quarum uſum & formam Moſes & Iſraelitæ tam probe tenuere, quod (ſupra locum quem illis aſſignari voluit) quicquam de iis monere, minus ex uſu futurum norat. Nam ſummum legiſlatorem, quaſi in hæc verba locutum, intelligendum exiſtimo: „ novi, more veteri receptum „ eſſe, reſponſa a ſimulacris, *Theraphim* „ dictis, in dubiis expectare, & ima„ ginibus hiſce fatidicis fruendi deſi„ derium intimis populi medullis fixum „ inſidere; neque ego nova omnia, „ populi moribus & ſtudiis adverſa, „ jam meditor: vetera omnia, præter „ mores vitio aliquo infames, eorum „ ruditati facile daturus ſum: neque „ per me ſtabit, quo minus oraculis „ (quibus æquo animo carere non poſ„ ſunt] iiſque per imaginem fatidicam, „ pro

„ pro seculi more, traditis, etiamnum „ gaudeant; Hæc tantum cures velim, „ ut novo Urim nomine de cætero „ innotescat, & in Pectoralis duplo ponatur; ne cuivis e media plebe eam „ intueri liceat, aut illius sanctitatem „ ineptis quæstiunculis imminuere & violare.

Nono: norunt omnes, nisi quibus Scriptura funditus ignota, Deum imagines quasdam, *Cherubim* titulum ferentes, in Tabernaculo & Templo posuisse: atque inde sententiam suam, si quid forte in controversiam venisset, medio Angelorum ministerio protulisse. Qnidni itaque Deum imaginem unam saltem, *Seraphim* vel *Theraphim* dictam, in Pectorali collocasse, atque inde responsa, per vicariam Angeli manum, in regni arduis dedisse, sentiamus? Cum enim hæc duo nomina *Cherubim* & *Seraphim* vel *Theraphim*, (sunt enim idem vocabulum) Angelis, ad Ordines (uti plerisque visum) distinctos innuendos, ante multas [13] ætates imponerentur; rationi congruum est, ut existimemus, Deum, per oracula de simulacris tum hoc tum illo titulo Angelico donatis edita, honorem Angelis utriusque nominis & ordinis deferre voluisse. Nec argumentum hoc inter ingenii mei (quod sentio quam sit exiguum) lusus & inconsultos impetus numerari debet, cum Deus id egisse videatur, ut quicquid ornatus & elegantiæ Tabernaculo vel Templo dederat, Israelitæ in Pontificis ornatu, tanquam speculo vel imagine parvula, reflexum denuo contemplari possent. *Notandum* enim (ut [14] *Grotii* verbis utar) *Pontificis* Summi *ornamenta fuisse* σύςοιχα *Templi ornamentis: colores quatuor iidem: septem vestimenta, si laminam annumeres, pro septem lychnis: duodecim gemmæ pro duodecim panibus*: interula Ephodis pro velo & sex cortinis: Deus etiam Pontificis λογέιον, τῷ דביר Oraculo Tabernaculi, ex adverso respondere voluit. Suadet itaque dispensationis hujusce ratio & analogia, ut sentiamus, Deum curasse, ut Oraculi Pontificii responsa, per imaginem Theraphim aut *Seraphim* dictam, in pectoralis duplicitate reconditam, traderentur; ut Pontificis Oraculum eo concinnius Oraculi in Tabernaculo formam repræsentaret, ubi Dei responsa de medio imaginum grandiorum, quibus *Cherubim* titulus, prodiere.

Decimo: Hypothesis mea (ut multa paucis compingam) nihil continet notionibus mentis liberæ & idolis vitæ communis non obsessæ dissonum. Nullis ad placitum fictis miraculis, ne ruinam sæpe faciat, tanquam tot fulcris precariis, indiget. Nihil a Dei sanctitate & sapientia, Oraculi divini dignitate, vel populi Israelitici conditione alienum continet. Non Deum aut Angelos rebus exiguis adsuisse dicit, plus quam hypotheses aliæ, aut Oraculi a Deo instituti ratio & necessitas, postularunt. Responsa reddendi rationem infert explicatam, simplicem, & compendii plenam. Dicam verbo: asserit tantum, Deum e Pectorali voce formata respondisse, mediante simulacro præsentia Angelica animato, & in hominis forte speciem efficto; utpote organo, quo nullum, ad vocem formandam vel præsentiam illam indicandam, magis aptum & decorum, aut Oracula tradendi modo in Sancto Sanctorum usitato magis conforme fingi potest.

[1] *Sherlog. Ante loq.* in *Cantic.* 11. §. 5. [2] Cap. 4. 16. [3] 1. *Reg.* 19. 12. [4] Vid. *Differt.* de *prodig.* cap. 3. Sect. 1. [5] —— *Cortinaque reddidit imo* —— *Hanc adyto vocem* —— Ovid. Met. l. 15. v. 635. [6] Vid *Lucian.* περὶ ἀςρολογ. [7] Lib. 1. cont. *Cels.* p. 28. [8] *Gen.* 28. 22. [9] *Gen.* 28. 18. [10] *Numer.* 7. 88. [11] *Exod.* 5. 1. 3. *Deut.* 27. 7. [12] *Exod.* 28. [13] *Is.* 6. 2. *Ezec.* 10. 19. [14] *Comment.* in *Ex.* 28. 4.

SECTIO XIII.

Adversariorum exceptiones explorantur.

Cum sententiam meam nemo hactenus e doctorum Senatu, quod sciam, vel oppugnatione vel defensione justa dignam duxerit; necesse habeo, ut ipse Actoris simul & Rei personam capiam, & ea argumenta in me suscipiam diluenda, quæ mihi saltem causam meam maxime premere videntur.

Argumenta vero contra partes meas militantia in aciem duplicem digerantur. Ex iis enim quædam ima sententiæ meæ fundamenta petunt, & quasi cuniculos agunt; alia in illam ipsam viribus infestis ruunt, eique ruinam magis aperto Marte minitantur.

Excep. I. Prioris aciei principia non immerito ducat hoc argumentum: sæpius a me dictum est, *Urim* in vicem venisse τῶν *Theraphim*, id est imaginum, e quibus responsa, oraculorum fidem & sanctitatem præferentia, Veteres frequenter accepere. At e gentium monumentis non adeo constat, istiusmodi imagines garrulas, de quibus mihi tam frequens sermo, usquam gentium extitisse. Idolorum equidem vates responsa sæpius edi-

edidiſſe, & iis, ad ludendum populum, oraculorum ab idolis acceptorum ſpeciem & nomen indidiſſe, minime diffitendum eſt: ſed ipſa idola, quamvis iis ora non deeſſent, interrogantibus unquam locuta fuiſſe, fidem haud adeo certam faciunt Antiquorum paginæ. Ethnici, conſilii capiendi gratia, Delphicum Apollinem adierunt: Apollo vero oraculum edidit, non per os idoli, ſed vatem Pythiam. Alexander M. Jovem Ammonem conſultum ivit, & illius ſtatuam, oraculi impetrandi gratia, multis ceremoniis honoravit: oraculum autem accepit non a ſtatua, ſed a vate.

Ut huic objectioni reſponſum adaptemus, minime neceſſe eſt ut vivos ungues rodamus. Nam Diabolus, cum idololatria jam altas radices egiſſet, haud forte frequentius per ejus *Theraphim* locutus erat, quam Deus per ejus *Urim*, cum radicitus pene evulſa eſſet e Judæorum animis. Dæmonem vero, ſub idololatriæ præſertim primordia λόγια ψευδῆ per idola effudiſſe, ut mundi juventutem, nondum conſilio & ratione firmatam, in eorum cultum pelliceret; iis teſtimoniis probari poteſt, quibus qui nolit credere, non rationem fidei ſuæ menſuram ſtatuit, ſed ſenſum. Profecto, vox tonitrus vix ſuperat hiſtoriæ, hac de re quovis ſeculo teſtantis, vocem. Nam de imaginibus hiſce Dæmonum intus latitantium voces referentibus, præter eos quos alibi paſſim laudamus, teſtimonium afferunt, *Tertullianus* in *Apolog.* cap. 22. *Euſebius* l. 5. de *Præparat. Evangel.* cap. 2. *Athanaſ.* in *Orat.* contra *Gentes*. *Athenagoras* in *legat.* pro *Chriſtianis* pag. 30. *S. Auguſt.* l. 8. de *Civit. Dei* cap. 23. (*a*) *Juſt. Mart.* in *Quæſt. & Reſp.* ad *Orthod.* n. 24. [1] *Macrob.* in *Satur.* l. 1. cap. 23. *Maimonid.* in *Mor. Neb.* P. 3. cap. 29. *Chriſtoph. Caſtrus* lib. 2. de *vaticin.* cap. 11. 12. *Iſaac Maronit.* apud *Kircher.* in *Oedip.* Tom. 1. p. 257. *Pocock.* in *Abul. Faraj.* de *Arab. Morib.* pag. 89. 95. & 142. *Grot.* in *not.* ad *Apocalyp.* cap. 13. 15. & in *Explicat. Decal.* pag. 39. *Medus* noſter pag. 632. *D. Hammondus* & *Auctores* ab eo citati in *Pſal.* 115. [2] *Theoph. Spizel.* de *re literar. Sinenſium*, *Sect.* 10. Teſtes alios taceo, ne plura nomina Lectori tædium afferant. His autem omnibus fidem demere, hominis ſolius eſt, qui contradictionis ſtudio pene inſanit; vel qui vanitatis ſuæ ſibi conſcius, cæteros pede ſuo metitur, nec ullos inveniri ſobrios, cordatos, & fide dignos, arbitratur.

Excep. II.

Secundo: hoc etiam in adverſum dici poſſit, quod ſacra monumenta nos certos faciant, uſum τῶν Theraphim vel ipſo Labani ſeculo, cum ſuperſtitio in cunis adhuc vagiret, increbuiſſe; eaque plurimos ingenii & nominis non mali viros, tanquam Angelorum ſymbola & primi loci ſacra, magni æſtimaſſe. Ideoque vero diſſimile eſt, Iſraelitas in Ægypto agentes, imaginum earum propheticarum uſum & amorem primo imbibiſſe, iiſque tam tenaci conſtantia adhæſiſſe, quod neceſſe habuerit Deus earum loco *Urim*, rem veterem ſub nominis novi larva, rudioris populi moribus indulgere. Rationi, & Hebraicæ vocis Teraphim origini, magis conſentaneum eſt, ut ea cum Iſraelitis ipſis in Ægyptum deſcendiſſe, & inter alia, a primis uſque gentis patribus longo uſu recepta, in ſacrorum Moſaicorum locum & dignitatem aſſumta ſtatuamus.

Respondeo: difficile eſt nobis in tanta vetuſtatis caligine poſitis, & a Patriarcharum ſeculo tam longe diſſitis, eorum mores religioſos tam clare & diſtincte percipere, ut de prima τῶν *Theraphim* origine quicquam audacter & quaſi ex cathedra determinare valeamus. Id unum tamen in certorum numero ponere non dubito, quod ſcilicet Objectio allata cauſam meam non multum premat. Si enim Jacobi filii τῶν *Theraphim* uſum (cum nondum a Diaboli præſtigiis labem & infamiam hauſerant) a Patribus ſuis traditum accepiſſent, eumque una cum poſteris ſuis in Ægypto propagaſſent; animum eo facilius inducat quiſpiam, ut credat Deum hujuſmodi imaginum propheticarum uſum craſſo illi & obfirmato populo conceſſiſſe; utpote quibus non tantum annorum plurimorum uſus, futura cognoſcendi deſiderium, ſed & Majorum ſuorum pietas & exemplum, affectus ſuos devinctos tenuiſſent. Si vero Ægyptii imaginum vaticinarum uſum & cultum ab antiquiſſimis illis idololatriæ magiſtris, *Chaldæis* & *Syris*, mutato paululum nomine accepiſſent; facile fieri potuit, ut Iſraelitæ qui Ægypti cœlum & morem pariter hauſerant, iſtiuſmodi imagines fide cæca conſulerent & affectu impotente complecterentur. Ideoque *Biblicarum Antiquit.* [*b*] Auctor ſatis ad veri ſpeciem ornavit fabulam, cum Iſraelitas Ægypto nuper egreſſos, peccata ſua verbis hiſce confitentes introduxit; *nos voluimus interrogare per dæmones idolorum, ſi manifeſte annunciarent*, &c.

TER-

Excep. III.

Tertio: ad dictorum fidem labefactandam objici poteſt, quod non conſtet, Ægyptios illos quibus cum *Iſraelitis* tot annorum uſus interceſſerat, Chaldæorum & Syrorum more, Numinis alloquia e parvulis idolis expectaſſe vel accepiſſe. Quod enim ad *Serapes* attinet, icunculas illas quibus virtutem vaticinam Ægyptii tribuebant; ſat liquet Ægyptios, tum primum, cum ad ultimam ſuperſtitionis lineam perveniſſent, eas loco aliquo habuiſſe. Nam *Serapis*, unde nomen traxere, Deus erat novus, & poſt multa a Moſe ſecula in Numinum ſuorum album relatus. Ita nos docet primus inter Reip. literariæ proceres, [3] *Joſ. Scaliger*; *Sarapis*, inquit ille, *non eſt Deus origine Ægyptius ſed Sinopenſis*, χθὲς καὶ πρώην *in Alexandriam civitatem tanquam inquilinus receptus*. Et poſt pauca. *Sarapis non erat* Αἰγυπτίων Θεὸς πάτριος *ſed* ἐπίθετος. Atque huic ſententiæ non parum firmitatis conciliavit, additis *Epiphanii* & *Theophili* ad *Autolycum* teſtimoniis. Unde pateat me ſententiæ meæ fundamentum in arena poſuiſſe, cum dixerim Iſraelitarum Urim imaginum propheticarum uſui in Ægypto frequenti principia debuiſſe.

Sed non opus eſt enſe ut noſmet hoc nodo impeditos liberemus. Nam,

(1) Nulla ſatis gravis dubitandi ratio ſubeſt, quin *Ægyptiis*, vel *Moſis* ſeculo, ſua fuerint idola; quæ ob Numinis præſentiam & oracula edendi facultatem, nullo non honore digna habuerunt. Nam Iſraelitæ, *Ægypto* haud ita pridem liberati, nihil animo votiſque prius habuere, quam ut *Aaron Deum ſibi præiturum faceret*, הוא כנור חונה בצורת גויה *hoc eſt*, Ab. Ezram audis, *corpoream aliquam imaginem in qua Deus reſideret*. Eam autem eo impenſius deſiderarunt, [4] quod *Ægyptiorum, quibuſcum diu vitam egerant, ſcientiis ac ſuperſtitionibus imbuerentur: qui Ægyptii arte quadam imagines ſeu figuras* [תלסמאנות Talismanas *vocabant*] *ita effingebant, mira agendi vis iis ut ineſſet, ex influxa ſcilicet e corporibus ſuperioribus virtute*, &c. Quæ quidem eo minus a vero diſtare exiſtimo, quod *Ægyptii*, Iſraelitarum ſeculo, Numina quæ infra vilem brutorum ſortem cadebant adorarent, & peſſima quæque ſuperſtitionis Chaldaicæ exempla, nova & affectata quadam inſania ſuperarent. Neque cum verbis meis pugnant Scaligeri vel Auctorum ſuorum teſtimonia: nam facilis agnoſco, Plutonem quidem a *Sinopenſibus* prius adoratum, ab Ægyptiis in Deorum ſuorum ſocietatem ſub Ptolemæi tertii tempora vocatum fuiſſe; eoſque Numen illud novum, diu antea recepti apud ſuos, tituli *Serapis* honore & dignitate cohoneſtaſſe. Idem [5] *Plutarchi* fide confirmatum inveniat Lector.

(2) Res noſtræ flumine non minus ſecundo uterentur, modo nullas numeri vel nominis hujus imagines, Moſis ſeculo apud Ægyptios in uſu & honore fuiſſe concederemus. Eas enim apud Syros, Chaldæos, ne dicam Patriarchas aliquos, locum & pretium inveniſſe, extra dubium ponunt Codicis ſacri teſtimonia. Cum itaque leges aliquas tulerit Deus, non minus Chaldæorum & aliarum in vicinia gentium, quam Ægyptiorum, pravis moribus adverſantes; quidni & Eum mores aliquos innocuos, non minus apud Chaldæos & Syros quam *Ægyptios* invaleſcentes, in rituum ſuorum ſanctitatem evexiſſe crederemus? Sed ut primos horum Theraphim auctores, aut fautores omnes, e vetuſtatis tenebris eruamus, non eſt quod anxie laboremus: cum præſertim edax tempus monumenta, ſeculorum antiquiorum geſta moreſque referentia, pene tota deglutierit. Molem meam ſat ſtabili & firmo fundamento ſurgere credam, quoad Theraphim apud Syros alioſque diu ante Legis datæ tempora obtinuiſſe, & Iſraelitas ea plurimi ſemper habuiſſe, ſatis e Scriptura conſtet.

Excep. IV.

Quarto: hoc telo forſan contra ſententiam meam pugnabunt Adverſarii: inde ſententia mea de Oraculo Urim vanitatis arguatur, quod in Hebræorum ſcriptis pleriſque nec volam nec veſtigium illius reperire liceat. Nam ſi quid ſani contineat, ſi tot Scripturæ loca & rationum momenta illius veritatem afferant; mirum & portenti ſimile eſt, Hebræorum doctores rerum ſacrarum tam ignaros fuiſſe hactenus, & quaſi domi hoſpites, quod ex iis *duo vel nemo* hujus Oraculi naturam perceperit, aut quicquam *Rabini* titulo dignum de illo ſcripſerit.

Repono: nemo eſt qui craſſam apud Judæos Oraculi hujus ignorantiam mirari poteſt, qui non & propriam proditurus eſt. Gens enim nulla eſt tam incerti laris, & quam (ceu pilam) huc illuc adeo jactari fecit *rebus in humanis ludens* divina providentia: nulla eſt quæ in famæ aucupium vetera omnia tam ſplendidis mendaciis obſcuravit: gens nulla quæ tam flebilem veterum hiſtoriarum jacturam fecit: nulla quæ, juſto Dei judicio, in omnibus pene

pene ad Legem illis datam spectantibus, tam male, tam nihil videt. Non itaque de nihilo sententiam hanc severam de iis tulit [6] Scaliger: *manifesta est Judæorum inscitia, qui cum usu veterum rituum, etiam eorum cognitionem amiserunt: ut multa quæ ad eorum sacra & historiam pertinent, longe melius nos teneamus quam ipsi.* Hujus sententiæ veritatem nimis astruunt eorum scripta quamplurima, in quibus esuriens Lector פסולת תחת הסולת *furfurem pro farina* [quod illi proverbio dicunt] sæpe reperturus est. Sed ut rem acu tangam: Gens nulla est quæ ab imaginis ullius in sacris usu, quasi a spectro quodam, adeo tota refugit & abhorret: qua de re fuse & erudite disseruit [7] *Grotius*. Inde præcipue factum crediderim, quod quamvis Hebræorum Magistri in sensus partesque plurimas circa naturam τῶν Urim & Thummim scissi fuerint; vix tamen vestigium imaginis alicujus in omnibus eorum de hoc Oraculo sententiis in unum comportatis reperiamus.

Excep. V.

Quinto: Ad hypothesin meam loco movendam, dicet forte non nemo, quod inde pateat eam non esse *veri* affinem, cum nulla cognatione *bono* conjungatur. Nam injuriarum in Majestatem divinam & Religionem agenda est merito, cum tremenda cœli responsa, per idola, exosa illa Deo & bonis omnibus nomina, non tam data quam polluta fingat. Eam itaque piaculi loco habet [8] *Rivetus*, qui nos & sententiam nostram, per latera *Christophori Castri*, stylo nimis acuto sic confodit: *quod idolula a Deo fuisse instituta & in Rationali Sacerdotis conservata comminiscitur, & quod per ea Deus vel Angelus voce formata oracula fuderit*, &c. *ea sane ferri non possunt, maximam partem impia & profana, vana & falsa in totum.*

Bona verba quæso: neque enim per imagines quas colendi animo quispiam fabricarat, aut cultu divino affecerat; sed eas quæ huic sacro muneri dicatæ fuerant, & forsan a Dei formantis manu religionem traxerant, oracula divina data contendimus. Nihil autem de profano trahit, nec cœli Majestatem violat, asserere hujusmodi sacratas imagines voces consilii divini interpretes, Angelo animante, quandoque protulisse: nisi aurum aut argentum aliquid profani contrahere, simulac formam humanam induerint, ridicule somniemus. Deinde: certum est, Deum habitantem inter *Cherubim* (imagines ad formam præcipue vitulinam factas) Mosi in dubiis sciscitanti respondisse: at si quid infamiæ aut piaculi imaginis nomini adhæresceret, Majestas divina & Religio non minus per imaginem in Tabernaculo quam Pectorali læderentur. Non est itaque quod quispiam ab hac sententia, quasi sacra pollueret & impietatem saperet, religiose caveat, præsertim cum Numen cœleste per *Theraphim* se consulentibus responsa dedisse constet. Nam Danitæ a Michæ Sacerdote, *Theraphim* Deo vero sacratis instructo, responsum accepere; quod Levitæ religio, & ille rerum eventus qui responsi fidem liberavit, divinitus datum fuisse comprobarunt.

Sexto: hoc etiam telo nos petit eruditus Rivetus: non *credibile est, Deum, qui imaginum sacrarum quas vocant usum tam severe prohibuerat, instituisse idolula, quæ loquerentur. Nihil enim fuisset efficacius apud populum ad idololatriam propensissimum, ad eam rursus inclinandum & confirmandum.*

Excep. VI.

At ab hoc telo, utpote non adeo acuto non multum metuendum censeo.

Non enim magis timendum erat, ne Pectoralis *Theraphim* idololatriæ ansam darent, quam ne *Cherubim* in sacrario posita; e quorum tamen medio Deum oracula fudisse, norunt ex infima classe Prophetarum filii: Imo longe minus: Deus enim Pectoralis icunculam consulendi, & fortasse videndi, copiam non nisi Sacerdoti Summo fecit: responsa etiam ab eo, non nisi postquam Deum verum precibus humillime coluissent expectanda fuerant. Ita nos doceat exemplum Davidis, Deum medio [9] Ephode consulentis, & Phineazi, nisi *Biblic. Antiquit.* (*a*) auctor fide parva scriptor sit, qui illius, cum Urim consultum iret, precationem bene longam [10] literis consignavit.

Neque facile credi possit, *Israelitas* ingenio tam infelici natos, quod pulchræ cujusvis imaginis aspectus eos ad fornicationem spiritualem allicere potuerit: si enim ea indole fuissent Israelitæ, Salomon ipsum Dei templum in cultus divini damnum & præjudicium struxit, cujus ostia & parietes tam frequentibus *Cheruborum* imaginibus exornavit.

Sed si demus eorum aliquos animi habitu tam pravo & in morbos eorum antiquos proclivi fuisse, quod eorum vitia vires & incrementum ex ipso superstitionis remedio, Pectoralis Urim, sumtura essent; res nostra nihil inde detrimenti caperet, cum, ad idololatri-

am

am ejusque speciem omnem præcavendam, Sacerdos Urim consulens, versus Arcam aut Tabernaculum faciem suam direxisse videatur. Sacerdotem hunc ritum inter consulendum observasse, ex [11] historia sacra probabiliter intelligitur: *& filii Israel interrogabant Dominum [nam Arca fœderis Dei erat ibi in diebus illis] & Phinehas filius Eleazar, filii Aaronis stabat ante eam in diebus illis; dicentes, an addam ultra egredi ad bellum contra filios Benjamin fratris mei, an desistam? Respondit Dominus, ascendite*. Hic locus Israelitas res suas Dei consilio permissuros, coram Arca stare solitos, extra dubium ponit: eos autem Dei consilium, mediante Urim & Eleazari ministerio dandum, tunc temporis expectasse, pro certo habent interpretes ad unum omnes. Saulus etiam, cum ei in animo esset Dei responsa per Urim quærere, [12] Arcam Dei sibi propius admoveri jubet. Illic autem *Arcam*, plerique de Arca fœderis intelligendam sentiunt. Hæc sententia probabilior habeatur, quod, *com. 36. & 37.* cum Ahijah sacerdos, in aleæ periculosæ negotio, consilium divinum petere statuisset, *appropinquemus*, inquit, *huc ad Deum*; h. e. Arcam ni fallor, aut aliud aliquod præsentiæ divinæ symbolum. Israelitæ etiam ad Shilo, ubi Arca Dei posita erat, se contulisse, & a Deo consilium in re bellica per Urim [uti plurium fert opinio] petiisse, [13] dicuntur. Atque hunc ritum eo sacratiorem forsan habuerunt Sacerdotes populique duces, quod mandatum dedisset Deus, ut Eleazar [14] *interrogaret de judicio Urim* Coram Domino i. e. *coram Arca* vel Tabernaculo: nam Textus sacer hunc sensum phrasi illi, sæpius alibi usurpatæ, tribuendum docet. viz. *Exod. 16. 33. Accipe urnulam — & repone eam* Coram Domino: quorum verborum vice, *coram Testimonio*, h. e. *coram Arca Domini*, vers. præced. legimus Et 2 *Sam. 6.* 5. ubi Davidis coram Arca gestientis occurrit historia, dicitur, quod *David & universus populus ludebant coram Domino*. i. e. *Arca*, sine dubio. Sensu simili phrasis ea sumi creditur, *Josh.* 4. 13. Lector (ut nos feriemur) exempla plura e [15] *Bertramo* petat. Coram Domino *vel* Ad Dominum inquit ille, *sunt formulæ loquendi quæ fere semper de Arca sunt intelligendæ, ut Josh.* 14. 1. *Judic.* 2. 5. & 11. 11. & 20. 11. & 1. *Sam.* 6. 20. & 10. 17. 19. & *cap.* 11. 15. & 14. 36. *vel de Tabernaculo*, 1. *Sam.* 21. 7. Ne vero quod de hoc *Ephodis* consulendi ritu dictum est, quispiam in suspicionem falsi traheret, ob exemplum Davidis, quem responsa a Deo per Ephod frequenter accepisse constat, cum magno terrarum intervallo ab Arca & Tabernaculo disjungeretur; recolendum est, Davidis in exilium jam missi conditionem, Davidis personam omni crimine liberare. Cum enim necessitas urgeret, viri sancti extra locum lege præscriptum sacra facere, & ulla legis ceremonialis vincula solvere, fas olim habuere. Non obstat itaque Davidis profugi exemplum, quo minus directionem faciei versus Arcam aut Tabernaculum, ritibus aliis a sacerdote, cum Oraculum Urim siscitatum iret, plurimum observatis annumeremus.

Hujus autem ritus, cum sacerdos e Pectoralis Oraculo responsum exspectaret, observati, rationem hanc unicam cogitationis meæ secundæ reddendam suggerunt. Deus antiqua *Theraphim*, sub novo τȣ̃ *Urim* titulo, Israelitis (pro more seculi) consulenda reservavit: ne vero sacerdos, cum pectoralis sui *Theraphim* interrogaret; a Dæmone, stellarum influxu, aut incerto numine more gentium, responsa prophetica petere vel accipere videretur; curatum est ut sacerdos, sacro illo defungens munere, versus præsentiæ divinæ symbola vultum dirigeret; ut ipse corporis sui situs se *Theraphim* ejus, Deo solius nomine interrogare, & a Deo vero responsum expectare testaretur. Atque hanc rationem basin eo firmiorem habere censeo, quod Israelitæ ritus alios, qui a vetere aliquo seculi usu originem accepere, *coram Domino*, i. e. Arca vel Tabernaculo, peragere tenebantur: quo nempe se, non in Dæmonis, sed Dei honorem, sacra illa vetera celebrare testatum facerent. Hanc assertionem variis exemplis probare possem, nisi quod pedes mei per aurea illa poma nimis extra cursus destinati limites ducerentur.

Septimo: & hoc forsan nomine apud aliquos male audiet sententia mea, quod insolens sit, & ab omnibus intellectus nostri de rebus divinis judicandi normis disjuncta penitus & aliena. Deum quidem e cœlesti gloria, vel Tabernaculi adytis auri fulgore micantibus aliquando locutum fuisse, Eumque consilia sua per manum Angeli, vel Prophetæ ab omnibus *seculi viis separati*, humano generi tradidisse, Majestati suæ mentisque nostræ πρόληψει congruum est. At numen cœleste per imagunculam in pan-

panno parvulo reconditam reſpondiſſe, nemo unquam vel febri laborans ſomniavit, nec quiſquam, niſi fidei plane prodigus, rei tam inopinatæ fidem unquam habiturus eſt. Suam ſecum refutationem affert ſententia monſtroſa adeo, & extra omnes noſtras ſentiendi vias tam longe poſita.

Huic præjudicio potius quam argumento reſpondeo, (1) Sententiam hanc me vel hac ſola ratione doctorum calculis digniorem habere fateor, quod hominem minime ſapiat, nullos ingenii humani characteres geſtet, & quod præ omnibus aliis opinionibus, tam tenuem primo intuitu veri ſpeciem ferat. Inde enim probabile fiat, me illam non ex vano hauſiſſe vel proprio finxiſſe ingenio: nam quæ fabulæ ſpeciem ferunt & ad figmenti poetici exemplum concinnata ſunt, hominum moribus & ingeniis adblandiri ſolent, non adverſari. Deinde, ſi oculos ad plurimos alios ritus ſub fœdere veteri ſancitos convertamus, eos non minus inſolentes, & ab hominum ingeniis & moribus, ut nunc habent res humanæ, diſſitos & abhorrentes inveniamus. Res enim non minus mira eſt, & ab uſu ſenſuque hodierno remota, quod ſummo Deo viſum eſſet habitare inter Cherubinos, imagines quaſdam figura tam anomala & monſtroſa fictas, quod [16] Joſephus *earum ſimiles nemini unquam viſas* aſſerat. Et quis, niſi quod Scriptura referat, credere poſſit, Arcam, ciſtam parvulam, tanti a Deo populoque ſuo æſtimatam fuiſſe; quod elogiis & titulis tam auguſtis illam decorarint (eam enim, *roboris divini Arcam*, *Gloriam Iſraelis*, *Arcam fœderis*, [17] *Laudes Iſraelis*, appellarunt) quod Iſraelitæ de ea, tanquam prima gratiæ divinæ arrha, gloriati ſint; quod [18] loci omnes, ab illius præſentia ſanctitatem hauſerint; quod populus, ſacrificia, & alia cultus munia facie ad Arcæ ſitum verſa, peregerit; quod etiam crimen Arcæ violatæ, per tactum locum, aut aſpectum minus religioſum, non niſi peccantium ſanguine expiatum fuerit? Nobis etiam admirationem hodie movere ſolet, quod Deus populum Judaicum, ſignum fœderis cum ſeipſo percuſſi, in corporis partibus vix honeſte nominandis geſtare juſſerit: cujus rei gratia jocus & fabula facti ſunt apud Ethnicos, & convitiorum plauſtris conſpurcati. Et ut alia jam taceam, non minus novum & mirandum videri poſſit, quod cum Deus tam auguſta conſilia ſua cognoſcendi media Judæis dederit, ſe tamen (quod nemo diffiteri queat) per Pectorale, latitudine palmari panniculum, conſulendum præbuerit. Ideoque mentis propriæ idola & ſeculi ſui mores nimis ſubmiſſe venerantur, qui ea ſola ratione ducti noſtram de *Urim* hypotheſin vanitatis arceſſunt, quod iis forte monſtroſa, & nihil cum temporum præſentium uſu commune habere videatur. Ea proculdubio ratio eſt, cur tot perſpicaces viri de Oraculi hujuſce natura parum ſinceri perceperunt hactenus, quod ſcilicet mentis oculos præjudiciis, quæ a ſeculi moribus vel Judæorum ſcriptis acceperant, vitiatos, ad Scripturas legendas attulerunt. Quid enim in cauſa eſſe poſſit, quod, quamvis literis uncialibus ſcriptum extet, [19] *Deum per Urim reſpondiſſe*, *ſecundum judicium Urim conſultum fuiſſe*, *& Aaronem judicium filiorum Iſrael*, i. e. per metonymiam, *judicii ſui indicem*, Urim *portaſſe*; alii tamen per ſonum vocalem e propitiatorio, alii per Spiritus afflatum, alii per ſplendorem adamantis, alii per literas in Pectorali ſculptas, Deum reſpondiſſe dicant; niſi quod mentis propriæ idolis & aliorum placitis precariis ſe totos addicant, & in hoc Argumento divinare malint quam diſcere? Sed me de via pauliſper declinaſſe ſentio.

(2) Si rationem ſinceram, de ſingulis aliis in Argumento præſenti opinionibus judicem conſtituamus; proculdubio pro hypotheſi noſtra, tanquam minus inſolente & humani generis ſenſui repugnante, ſententiam feret. Annon enim rationi magis conſentaneum eſt credere, Deum per voces, optimas rerum teſſeras, e Pectoralis ſimulacro datas, conſilia ſua declaraſſe; quam per miraculoſam & operoſam, ne dicam ludicram, illam eminentiam & ſubſidentiam literarum, quam Talmudici fingunt, non niſi novo oraculo interprete, fatentibus ipſis, intelligendam? aut per Spiritus afflatum, ſigno nullo ab impoſturæ ſuſpicione vindicatum, animum ſacerdotis (viri non raro nequam) e veſtigio occupantem, cum Pectoralis gemmas contemplaretur? Certe modus ille revelationis medio Pectorali factæ, cui ipſe faveo, magis expeditus fuit, captu facilis, & nullum de reſponſi origine divina dubitationi locum reliquit. Atque inde natum videtur, quod quamvis Prophetæ non pauci ſupplicio extremo affecti fuerint, quaſi cerebri ſui ſomnia prophetiarum titulo fucata in vulgus ſparſerint; & Ahimelechus capitis cauſam coram Saulo dicere coactus

fue-

fuerit, quod Urim suum ad consilium divinum gratia Davidis, eliciendum usurpavit; nullum tamen e Pontificum ordine in Oraculo suo acceptum habuisse constanter affirmarit.

Excep. 8.

OCTAVO: hic forte doctorum sensum ab opinione mea prorsus aversum objicient aliqui. Jam diu est enim ex quo *Rivetus* eam *profanam & falsam* appellavit: eam alii nuper, *opinionem immanem*, *idololatricam* alii, *prorsus absurdam* plerique, & inter portenta potius quam dogmata numerandam censuerunt.

PROBE novi, non defuisse, ex quo [20] primum hæc in publicum prodiere qui bilis maxime commotæ documentum ediderunt, & opinionem meam convitiis omnibus insectati sunt. At ab hominibus illis (modo bilis eorum detumesceret) ipse pacate quærerem opinioni meæ quid inest, quod eorum animos tam graviter offendit, & ab ea tam aversos reddit? An quod pectoralis oracula, mediis idolulis aut imaginibus, edita contendit? at oracula Sanctuarii inter duas imagines, quod notum est omnibus, edebantur. An quod Angelos, *Seraphim* vel Theraphim dictos, e pectorali respondisse dicit? at apertum est, Angelos, *Cherubim* appellatos, Dei vice & nomine in Sanctuario responsa tradidisse. An quod originem τȣ̃ Urim a veterum Theraphim deducendam doceat? at ex alibi dictis apparet, Cherubim etiam, Ægypti vel gentium aliarum imaginibus symbolicis originem & institutionem suam debuisse. An denique sententiæ meæ fundamentum offendit Adversarios, quod nempe Mosis institutiones haud paucas e moribus ab antiquo receptis, & ab populi veterum omnium tenacissimi ruditatem toleratis, emanasse dixerim? At e plurimis Antiquorum hoc in Opere conjunctim aut sparsim adductis testimoniis, abunde constat, vix ullam opinionem (novitatis insimulatam) Veterum suffragiis magis gloriari, vel a seipsa novitatis infamiam facilius amoliri posse.

[1] *Videmus apud Antium promoveri simulacra — ad danda responsa.* [2] *Præcipuum medium quo nominis sui cultum Orbi olim inculcare laboravit Cacodæmon, responsa fuere, quæ vel e terræ cavernis, vel mutis statuis, edebantur.* [3] *Animadv.* in *Euseb. Chronolog.* p. 131. [4] *Simeon* de *Muis Var. Sac.* ex *Exod.* 32. [5] Lib. de *Isid. & Osir.* pag. 362. [6] Lib. 6. de *Emendat. temp.* pag. 568. [7] *Not.* in *Mat.* 24. 15. [8] *Comment.* in *Exod.* 28. 30. [9] 1. *Sam.* 23. 9. 10. 11. [10] Pag. 328. [11] *Judic.* 20. 27. 28. [12] 1. *Sam.* 14. 18. [13] *Judic.* 20. 18. [14] *Num.* 27. 21. [15] De *Rep. Jud.* c. 15. [16] *Antiquit.* lib. 3. c. 6. [17] *Dicitur Deus inhabitasse* laudes Israelis, *i. e. Cherubinos & Arcam, quæ vocantur gloria Israelis*. De Dieu in Psalm. 22. 4. [18] 2. *Chron.* 8. 11. [19] *Exod.* 28. 30. [20] *An.* 1669.

(*a*) In Libro illo, *Quæst.* ad *Orthodoxos*, mentio facta est *Irenæi*, *Origenis*, & *Manichæorum*: & multa sunt quæ seculum Arrianum sapiunt. Doctissimus *Cave* conjecturam facit, *annon sit idem Liber, sed misere interpolatus, de quo Photius.* Cod. 125. hoc titulo, ἀποριῶν τῆς εὐσεβείας κεφαλαιώδεις ἐπιλύσεις. (*b*) Vid. pag. 966. (*c*) Vid. pag. 966.

CAPUT IV.

Origo, Natura, & Usus, τȣ̃ Thummim explicantur.

CUM manum ultimam disquisitioni meæ de natura τȣ̃ URIM jam imposuerim, superest ut ad comitis sui individui, THUMMIM naturam & originem explicandam me statim conferam. Hanc autem provinciam ut eo felicius administrem, e re mea futurum arbitror, varias doctorum opiniones de *Thummim* in medium promere; quod firmitatis, aut saltem lucis aliquid sequentibus accommodare possint.

SECT. I.

Opinionibus vulgaribus de natura τȣ̃ Thummim repudiatis, asseritur illud ab Ægypti moribus desumtum fuisse.

VIRI docti qui in hoc dicendi campo seipsos exercuerunt, in varias partes & sententias abierunt.

Opin. 1.

SENTENTIA prima est, *Thummim* quiddam numero quidem, non autem usu & officio, ab *Urim* discretum & separatum. Huic opinioni manum dedit *Christophorus Castrus*, qui de hoc Argumento cum primis meruit. Nam *Urim & Thummim*, inquit [1] ille, *erant duo parvula simulacra—per quæ Deus, aut Angelus Dei nomine, clare & distincte respondebat.* E verbis hisce facile colligendum est, eum Urim & Thummim numero quidem & nomine distincta credidisse, Deum vero *per* utraque, vel *inter* utraque, (prout inter Cherubinos) voces futurorum nuncias emisisse; adeoque simulacra illa muneris & usus affinitate & similitudine se mutuo attigisse.

Opin. 2.

SECUNDA sententia est, quod Thummim munere quidem, vix autem numero, ab Urim distingueretur: cum idem Oraculum (prout idem oceanus ob varias illas quas alluit oras) munerum diversorum gratia, nomina diversa sortiri potuerit. Ita judicavit (aut mentem ejus male capio) Vir summus

(*a*) Jo-

(*a*) *Josephus Medus*. Postquam enim varias Magistrorum sententias de Oraculi hujusce natura & responsa tradendi modo enumerasset; quid sibi visum esset, sic paucis effert, quæ Latine verbatim reddidi. „ Si quid ipse sentiam „ effari licuerit; dixerim, *Urim* & „ *Thummim* duplicis generis Oraculum „ fuisse, & muneri plane duplici inser- „ viisse; & quod *Urim* Oraculum illud „ fuerit vel Oraculi pars, qua Deus „ responsa dedit iis, qui illum in ar- „ duis & dubiis vitæ communis casibus „ consulebant; -- *Thummim* vero Ora- „ culum illud vel medium erat, quo „ Summus Sacerdos certior factus erat „ an Deus oblatam hostiam æqui boni- „ que consuleret necne. His ad exa- „ men revocandis immorari, nobis in „ præsentia nec opus nec otium.

Opin. 3. TERTIO: alii se persuasos habent, nihil omnino discriminis, vel quoad numerum vel quoad usum, inter Urim & Thummim intercessisse; sed quod res una eademque fuerint, quæ ratione proprietatum & effectorum diversorum titulos dissimiles obtinuere. Atque hæc opinio eorum animos habet, qui Urim & Thummim cum Pectoralis gemmis confundunt, & mutos illos lapides, unicos Oraculi divini interpretes fuisse contendunt.

Opin. 4. QUARTA sententia, cui me totum dedi, ea est; quod Thummim res fuerit non minus numero & officio, quam nomine, ab Urim divisa & separata. Sententiam hanc nihil quæstionis apud Lectorem habituram arbitror, modo in rationum earum memoriam redeat, quas [2] alibi ad illius veritatem asserendam attuli. Ne tamen ulla resideat hac de re dubitandi ratio, alia nonnulla superaddam argumenta, quæ opinioni meæ certitudinem paulo majorem afferent.

(1) DEI lege curatum est, ut quævis Pectoralis duplicati latera spithamæ mensuram æquarent. Quid autem Deus mensuras tam amplas & accuratas Pectorali dari voluit, nisi ut imaginibus aut instrumentis duobus, figura moleque paribus & quasi gemellis, in illius utero ferendis, expeditius inservirent? Una enim icuncula tam amplo duplicitatis illius spatio complendo par esse non poterat, nisi pectoralis artifices imaginem Urim pene monstrosam, & parum ad concinnas proportionis leges exactam, de manibus projecissent, cum tamen opera sua alia arte & ingenio divino perfecissent.

(2) CUM Scriptura de Urim & Thummim, in genere tantum, nullo respectu ad usum aliquem peculiarem habito, sermonem habet; ea tanquam comites individuos, semper conjuncta reperiamus. Cum vero de Deo pectorali mediante consulendo, adeoque de Urim quasi in actuali muneris exercitio, sermo instituitur; ea semper ab invicem divisa in Scripturis inveniamus. Hanc observationem exemplo uno & altero confirmatam dabo: *Num.* 27. 21. *Eleazar consilium petet pro eo, juxta judicium Urim coram Domino*: & 1. *Sam.* 28. 6. *Dominus non respondit ei per somnia vel per Urim*: quibus in locis Spiritum S. pede silente Thummim præteriisse, juvet observare. *Siracbides* etiam ἀκριβείας hujus exemplum, de hoc Oraculo dicturus, [3] edidit; ἄνθρωπος συνετὸς ἐμπιστεύσει νόμῳ, καὶ ὁ νόμος αὐτῷ πιστὸς ὡς ἐρώτημα δήλων. Ubi voce δήλων utitur, qua LXX. Urim transferunt, mentione nulla cognatæ vocis, ἀληθείας facta, qua Thummim exprimunt. Ideoque τὸ Urim solummodo, in negotio interrogandi Deum, locum & usum habuisse, Thummim vero fini alicui dissimili ministrasse non immerito censeatur.

(3) SATIS e superius adductis intelligitur, Syrorum aut Patriarcharum Theraphim τῷ Urim Hebræorum occasionem dedisse, & inter res eas, quoad formas, officia, nomina, summam conjunctionem & concordiam intercessisse. Ut itaque Urim exemplar suum (Theraphim) similitudine proxima reddidisse, & quasi transcripsisse, censeatur; Ratio exigit, ut ei formam & officium, æque ac nomen, ei uni proprium & peculiare vindicemus. Nam Theraphim, quamvis nomine plurali gaudet, res una simplexque fuit; nomine, munere, & (ni me veri specie lodam) forma, ab aliis Antiquorum simulacris adeo divisa & separata, quod imaginum aliarum nomine communi nunquam in Scriptura veniat.

(4) CUM Urim & Thummim res vere distinctas, & numero (uti loquuntur Logici) differentes, jam dicta probent; ea munere discrepasse, & partibus naturæ dissimilis functa fuisse, firmiter inde concludamus. Nam Deus proculdubio non magis duo diversa organa ad voces Ejus divinas, quam homo ora duo, ad voces suas naturales, formandas postulavit.

Quid Thummim erat, pressius explicatur. HÆC omnia quæ de usu τοῦ *Thummim* proprio, ejusque natura peculiari jam dixi, fide firmiore tenebit Lector, si a generalibus hisce ad magis distinctam

ctam & pressam naturæ & originis suæ explicationem descendat sermo. Huic autem incœpto quo fœlicioribus auspiciis admoveam manum, hoc unum necessario præmittendum arbitror; quod argumenta in hoc & sequente capite adducta speciose probent, ne dicam luculenter ostendant, antiquissimam Ægyptiorum, aut aliarum ex Oriente gentium, consuetudinem, primam τῦ Urim originem & occasionem præbuisse, & sensum vocabuli *Theraphim* sub vocis illius *Urim* velamine mystice latuisse. Mentem itaque non difficulter induxi credere, nos per hujus arcani jam revelati filum, in rei & nominis alterius *Thummim* recessus abditos, vestigio non errante, perducendos; & *Thummim* etiam a seculi ejusdem consuetudine aliqua principium petere, & vocabuli alicujus Ægyptiaci sensum & potestatem dissimulare.

Si itaque consuetudines omnes pure Ægyptiacas, cum ipsis, uti verisimile est, regni primordiis ortas, quantum per semesas historiæ veteris reliquias scire concessum, recolamus; una cogitantibus nobis se obviam præbet, quæ nobis multa nocte circumfusius facem præferet, & forsan ad latentes adhuc rei & nominis hujusce rationes recta ducet. Eam vero sic nobis descriptam dedit [4] *Ælianus*: δικαςαὶ τὸ ἀρχαῖον παρ' Αἰγυπτίοις ἱερεῖς ἦσαν· ἦν δὲ τέτων ἄρχων ὁ πρεσβύτατος, καὶ ἐδίκαζεν ἅπαντας· ἔδει δὲ αὐτὸν εἶναι δικαιότατον ἀνθρώπων καὶ ἀφειδέςατον· εἶχε δὲ καὶ ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα ἐκ σαπφείρυ λίθυ, καὶ ἐκαλεῖτο τὸ ἄγαλμα Αλήθεια· i. e. *Apud Ægyptios, a prima antiquitate, qui judicabant Sacerdotes erant. Eorum autem princeps fuit qui cæteros ætate anteibat. Ille in omnes jus dicebat. Eum autem esse oportebat omnium & justissimum & parcentem nemini. Gerebat autem de collo imaginem ex sapphiro, eaque imago* Veritas *dicebatur*. Quo minus autem quispiam Æliano soli hæc posteris referenti fidem abnuat, ad partes ejus, *Diodorum Siculum*, qui ab eo non multum abit, vocare visum est. Ille vero, in rebus *Ægyptiorum*, [5] describit ἀρχιδικαςὴν ἔχοντα τὴν ἀλήθειαν ἐξηρτημένην ἐκ τῦ τραχήλυ, *summum Judicem qui haberet de collo pendentem Veritatem*. Atque iterum postea, συντάξεις δὲ τῶν ἀναγκαίων παρὰ τῦ βασιλέως τοῖς μὲν δικαςαῖς ἱκαναὶ πρὸς διατροφὴν ἐχορηγῦντο· τῷ δὲ ἀρχιδικαςῇ πολλαπλάσιοι· ἐφόρει δ' ὗτος περὶ τὸν τράχηλον ἐκ χρυσῆς ἁλύσεως ἠρτημένον ζώδιον τῶν πολυτελῶν λίθων, ὃ προσηγόρευον ἀλήθειαν· τῶν δ' ἀμφισβητήσεων ἤρχοντο ἐπειδὰν τὴν τῆς ἀληθείας εἰκόνα ὁ ἀρχιδικαςὴς προσθεῖτο· i. e. *Salaria præbebantur, amplissima vero Summo Judici. Gestabat autem ille in collo ex aurea catena pendens e lapillis pretiosis simulacrum, cui* Veritas *nomen: hoc autem Veritatis simulacrum Judiciorum principi aptatum, causas cognoscendi auspicium fuerat*.

Horum Historicorum verba satis indicant, Hebræos & Ægyptios, quoad mores aliquos singularem inter se animorum sensuumque concordiam coluisse. Nam Ægyptiis in more erat Pontificem suum litibus plurimis disceptandis præficere; Hebræi etiam morem & legem consimilem observabant. Ægyptii Pontifici suo dignitatem singularem, ornatu splendido & eleganti afferebant: nec Hebræi pietati & prudentiæ simili defuere. Bullam, splendore & titulo mystico Αλήθεια celebrem, ei in muneris sui tesseram decreverunt Ægyptii: Hebræorum etiam Pontifex bullam, mystico *Thummim* titulo & formæ decore claram, in ornamentis habuit. Gemmæ plurimæ Pontificis Ægyptii vestes & pectus illuminabant: Pontificis etiam Hebraici vestes & pectus auro tota lucebant & lapillis pretiosis. Antistes Ægyptius muneris sui tesseram aurea catena de cervice pendentem gestare solitus est: & ut Hebræorum Pontifex bullam suam e catena aurea suspensam gereret, [6] Legis præscriptum postulavit: *facies in rationali*, (cui Thummim inerat) *catenas sibi invicem cohærentes ex auro purissimo, & duos annulos aureos sibi invicem cohærentes, quos pones in utraque rationalis summitate, catenasque aureas junges annulis qui sunt in marginibus ejus*, &c.

Quod autem Ægyptii & Hebræi tot morum conspiratione consentirent, nemo facile casui aut fortuito syderum similium influxui tribuendum senserit. Ideoque Scriptores plerique hic Ægyptios simiarum partes egisse, & Hebræorum mores, ea gratia & venustate conspicuos, obviis ulnis & studiis æmulis accepisse, securi hactenus asseruere. In eam sententiam loquitur *Grotius*: priusquam enim Ægypti pontificem simulacrum, cui *Veritas* nomen, ex adverso cordis appensum gestasse, *Diodori* & *Æliani* verbis enarrasset; [7] dicit, *imitati* sunt *Ægyptii* pectorale sacerdotis summi, *sed ut pueri res virorum imitantur*. Eadem sententia [8] *Johannis Schefferi* mentem occupavit: nam Sapphiri illius pontificiæ mentione facta, *ornamentum* illud, inquit, *sumtum fuit* ab

ab Hebræis : idem enim fuit quod apud illos Sacerdos summus gestabat . Et arguit primum , quod ex gemmis fuit : deinde quod Veritas *nominatum est . Ita namque interpretantur Septuaginta id quoque , quod in Rationali sacerdotis Urim & Thummim est :* δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν *appellant .* Huic sententiæ , doctorum calculis onustæ, animum & ipse lubens adjicerem, nisi quod eum tot rationum evidentia partem in adversam rapiat , & hunc morum consensum e fonte dissimili manasse mihi penitus persuadeat; e sapientissima nempe Dei indulgentia cui summo apud Israelitas rerum divinarum procuratori ἄγαλμα , e catena aurea pendens & synonymo Thummim titulo insignitum, concedere visum est; ne populus ille quicquam ornatus & elegantiæ in Pontifice suo requireret , cujus ingens admiratio teneros eorum animos in Ægypto fascinarat .

[1] Lib. 3. de *Vatic.* c. 3. [2] C. 3. §. 1. [3] Cap. 33. v. 3. [4] *Hist. Var.* l. 14. cap. 34. [5] *Bibliotb. Hist.* l. 1. p. 45. 68. [6] *Exod.* 28. 22. [7] *Not.* in lib. 1. de *Verit. Rel. Chr.* sect. 16. [8] *Syntag.* de *torquib.* cap. 5.

(*a*) Lib. 1. *Serm.* 35. p. 185.

SECT. II.

Assertio illa multis argumentis confirmatur.

RATIONES quæ mentem meam huic sententiæ devinctam tenent, sunt hujusmodi:

Arg. I. PRIMO : Ἀλήθεια vocabulum illud est quo LXX. *Thummim* , [1] locis plerisque omnibus , interpretantur . Unde factum est autem quod vocabulum illud ad *Thummim* , exprimendum toties usurparint , cum πλεότης a vero vocis hujusce sensu propius absit , eamque minus coacte interpretetur? Hoc fateri videntur ipsi LXX. qui Thummim * semel per (*a*) πλέοις reddidere . Certe causam ipse vel probabilem afferre nequeo, cur ita verterint, nisi quia probe norant , ἄγαλμα cui *Thummim* nomen, de Pontificis Judaici cervice pendens , ab Antistitis Ægyptiaci simulacro, per interpretationem ἀλήθεια dicto, originem accepisse; adeoque rationi consentaneum existimarint , ut Thummim imaginis illius Ægyptiacæ , ceu primi sui exemplaris nomen , inter Ægyptios saltem retineret. Nam proculdubio rem divinitus institutam, & quæ nomen ejus jure divino tenuit, imaginis ethnicæ titulo dehonestare , instar piaculi habuissent ; nisi quod rem simul & nomen initiis ethnicis orta esse, pro certo credidissent. Hanc rationem eo firmiorem censeo, quod LXX. *Thummim* , unum si demas *Ezræ* locum , per Ἀλήθεια semper interpretentur, cum tamen *Urim* per [2] δήλωσιν , [3] δήλους , [4] φωτίζοντας , incerta vice verterint. Quid enim *Urim* tam remisse, *Thummim* vero tam stricte , redderent ; nisi quod Thummim originis Ægyptiacæ simulacrum , adeoque nomine exemplaris & quasi parentis sui semper exprimendum , existimarent?

Arg. II. SECUNDO : Nullum veri colorem præ se fert , Ægyptios antiquos ἄγαλμα illud , cui nomen ἀλήθεια factum est, a moribus Hebræorum mutuari voluisse. Nam Ægyptii veteres ea sapientiæ, religionis, & antiquitatis suæ opinione intumuere ; quod alias gentes , quasi mera hominum nomina & umbras, ingenti cum fastidio præterirent . Imo vero absurdum aliorum omnium fastidium gentem illam ita tandem transversam egerat , quod exterum aliquem communi secum mensa accipere, vel ulla morum rituumque societate generi humano conjungi , nomine & natalibus eorum indignum existimarent . Fanaticum illud Ægyptiorum ingenium notavit olim [5] *Pomponius Mela* , cum ait, *suis literis perverse utuntur . Lutum inter manus , farinam calcibus subigunt . Forum & negotia fœminæ , pensa ac domos viri curant* . Vanitatis hujusce gratia sale comico asperguntnr ab [6] *Anaxandride* . Vero itaque plane dissimile est, Ægyptios ad mores Hebræorum se componere voluisse; cum præsertim iis, tanquam servis vilissimis & ad onera tantum natis , non ita pridem uterentur . Deinde : modo Ægyptii , simulacrum Ἀλήθεια nominatum pontifici suo concedentes , ad Sacerdotis Summi Thummim imitandum animos appulissent ; proculdubio & aliis Hebræorum legibus se conformes præstitissent , & animi morum Judaicorum æmuli & studiosi multa alia documenta dare voluissent . Nec facile dubitandum est , quin nomen plurale (quale est Thummim) & quod sensum vocis illius aptius exprimeret , ἀγάλματι suo impertire voluissent . Nec minore religione proculdubio curassent Ægyptii veteres , ut titulus ille δήλωσις (τῷ Urim respondens) imagini suæ , vel alteri , illi quasi in comitem ascitæ inderetur. Nam æquum est opinari, Ægyptios, modo Judæorum simii fuissent, quasvis , aut saltem præcipuas , exemplaris sui circumstantias imi-

imitando exprimere voluisse. Dicendum itaque superest, imaginem cui titulum ἀλήθεια fecerunt Ægyptii, τὸ Thummim Hebræorum instituendi causam attulisse; Deum autem, cum nominis & loci consimilis ἄγαλμα in pontificis ornamentum consecrarit, paululum a more apud Ægyptios usitato, ob rationes occasione apta vocante proferendas, deflexisse.

Arg. III. TERTIO non obscurum est, Deum vetera pene omnia, in pontificis ornatu præcipue, Israelitis concessisse, quorum admiratione & desiderio, in Ægypto viventes ducebantur, imo novam exemploque carentem pompam & venustatem ritibus ab Ægypti consuetudine mutatis addidisse: ut scilicet ea facilitate rudes Israelitarum animos invitaret, & cultus sui decus & gloria, cultus vel regiminis Ægyptiaci splendorem, quem in animis oculisque ferebant Israelitæ, penitus extingueret & obscuraret. Nam,

(1) DEUS Templum concessit Israelitis, *quod materiæ magnificentia, artis elegantia, & structuræ forma, templa omnia per orbem terrarum facile superavit*; ὥστε αὐτοὺς μηδέποτε εἰς ἐπιθυμίαν τῶν Αἰγυπτίων, ἢ τῶν παρ' Αἰγυπτίοις ἐλθεῖν, *ne unquam post ea Ægyptiorum, aut eorum quæ apud Ægytios experti fuerant, cupiditate tangerentur*. Hanc rationem, per se probabilem, multo probabiliorem reddit [7] *S. Chrysostomi* auctoritas, & argumenta quibus eam ab Adversantium cavillis [8] alibi vindicavi.

(2) DEUS sacerdotibus Israeliticis, Ephod (id est, [9] ἱερατικὸν ἔνδυμα) cum sacra munia peragerent, gestandum dedit: ne quid forte dignitatis aut splendoris quem in sacerdotibus Ægyptiis admirari solebant Israelitæ, in propriis desiderarent. Nam sacerdotes Ægyptii sacra sua, *lineæ vestis candore puro luminosi*, (uti loquitur *Apuleius*) *de more perantiquo celebrabant*; eo quod vestis hujusce color, puritatis omen) & Ægyptus ipsa, lectissimi lini laude per orbem celebris, vestis hujus inprimis usui gentis illius animos facile conciliaret. Atque inde *Linigeri*, tanquam sacerdotum Ægyptiacorum character proprius, a poetis frequenter usurpatur, Ægyptios autem ad hujusce vestis usum chorum duxisse, ut credam, suadet [10] *Tertullianus* (qui *linteum* appellat *propriam Osiridis vestem*) & rationes multæ gravesque, quas hic tacite prætermitto, ne cramben [11] recoctam ingererem, & extra præsentis Argumenti limites nimis evagarer.

(3) ZONA illa variegata, qua Sacerdotis Summi vestis linea constringi debuit, ab Ægypti moribus desumta videatur. In eam sententiam veni, non tantum quod ex [12] *Apuleio*, [13] *Heliodoro*, aliisque pateat, sacerdotes Ægyptios aliosque, zona cinctos & illustres, Deorum cultui ministrasse; sed quod zonæ pontificalis ornatus & elegantia morem Ægyptium imitari, & gentis illius artem & ingenium olere, censeatur. Nam Pharaonis Ægyptii filia sponso suo adducta [14] dicitur, *induta* ממשבצות *vestibus ocellatis*, & [15] לרקמות *picturatis* aut *variegatis*: & in tunica zonaque pontificali non absimilis artis & ornatus vestigia facile deprehendi possunt. Nam Moses Pontificis ornatum referens, duas ejusdem familiæ voces usurpavit, *Exod.* 28. 39. ושבצת *& ocellatam facies tunicam byssinam*, —— *& baltheum facies* מעשה רקם *opere plumarii* vel *acu-pingentis*. Rem accurate describit [16] *Josephus*, cum de zona loquens, ἄνθη, inquit, εἰς αὐτὴν ἐνύφανται, φοίνικι καὶ πορφύρᾳ μετὰ ὑακίνθου καὶ βύσσου πεποικιλμένα. i. e. Interprete Gelenio, *floribus puniceis, purpureis, hyacinthinis, & byssinis picturatur*. Nulla vero constat ratio, cur Deus Pontifici suo vestem & baltheum tam curiose & ad morem Ægypti factam daret; nisi quod Ægypti more receptum esset, ut loci primarii viri (principes & sacrorum antistites) vestibus tessellatis & zonis variegatis ornarentur; & a Deo curatum esset, ne quid splendoris & ornatus, cultui, vel præcipuo cultus sui ministro, deesset, quod in Ægypti sacris & sacrificulis æmula Hebræorum natio magnopere mirabatur.

(4) STOLA, vel vestis Pontificis extima, *Rationali* & *Ephode* insignita, quam etiam Scriptura מעיל appellat, ab Ægyptiis ad Hebræos translata censeatur. Huic opinioni forma vestis hujus & mores Ægypti favent: nam vestis hæc e variis constabat partibus, quæ (more scriptorum de re [17] vestiaria) a [18] LXX. πτερύγια dictæ sunt. Atque inde vestis integra, in aliquibus Grecæ versionis exemplaribus, nomen πτερύγιον invenisse putetur; sic enim locum illum *Danielis* 9. 27. apud [19] *S. Basilium Seleuciæ* citatum legimus, ἐν τῷ ἡμίσει τῆς ἑβδομάδος καταπαύσει θυσιαστήρια καὶ θυσίας, ἕως πτερυγίου, &c. Hoc autem vestimenti genus inter Ægypti sacerdotes tam frequens erat, iisque pene peculiare, quod inde πτεροφόροι & πτερυγοφόροι dicebantur. Hoc e verbis *Hesychii* discitur: πτεροφόροι —— καλοῦνται δὲ οὕτως καὶ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ ἱερέων τινές· *Aligeri*

geri —— *ſic etiam vocantur quidam in Ægypto ſacerdotes*. Hanc autem lacunulam *Claudius Dauſqueius* ſic explendam cenſuit: πτεροφόροι ἢ καὶ πτερυγοφόροι· Et hinc in ſententiam noſtram ex improviſo labitur, hoc [20] addens; *niſi ſcirem hanc veſtimenti pontificii formam a Deo præſcriptam, Judæos ab Ægyptiis olim mutuatos dicerem. Ecquis vero ſcit an Deus formam eam non præfiniverit, uti & ſacrificia, ne veri Dei cultus falſorum Deorum Ægyptiorum cultu videretur populo duro & incredulo inferior?*

(5) Non eſt incongruum opinari, Sacerdotis Summi campanulas ab uſitata cultus Æpyptiaci Pompa, tanquam exemplari primo principia petiiſſe. Nam apud [21] Ægyptios & alios inſtituto vetuſtiſſimo comparatum erat, ut omnia ſiſtris & crepitaculis inter ſacra late perſonarent: & Iſraelitarum infantia proculdubio ab hujuſmodi crepundiis & crotalis non potuit exemplo ablactari. Huic opinioni [22] *Plutarchus* teſtimonium, non plane ſpernendum, dicit: nam ſacerdotis Maximi mentionem faciens, κώδωνες, inquit, πολλοὶ καταχρέμανται τῆς ἐσθῆτος, ὑποκομπῶντες ἐν τῷ βαδίζειν, ὡς καὶ παρ' ἡμῖν ψόφοις χρῶνται περὶ τὰ νῦν πλεια· *Multa tintinnabula dependent de veſte pontificali, quæ inter ambulandum ſtrepitum edunt, prout apud nos hodie ſonitibus utuntur inter ſacrificia*. Hoc autem aſſerit Auctor ille, cum id ageret ut inſtituta illa varia recenſeret, quæ Judæos ab Ægyptiis aut aliis gentibus accepiſſe credidit.

Cum itaque Deus tot cultus & pontificis ſui ornamenta ab inſtitutis Ægypti ſumſerit, & Ægypti pontifex imaginem Ἀλήθεια dictam, e catena aurea de collo pendentem, geſtare ſolitus ſit, non poteſt non probabile videri, Deum ἄγαλμα ſimile, *Thummim* nomine decoratum pontifici ſuo conceſſiſſe; ut quælibet ornatus & magnificentiæ exempla quibus Ægypti ſacra, vel ſacrificuli ſuperbire ſolebant, pontifici ſuo adjicerentur, eumque unum, veluti מכלל יפי *conſummationem pulchritudinis*, Iſraelitæ ſuſpicere diſcerent & admirari.

Arg. IV. Quarto: ſi varios Gentium mores (quantum in hiſtoriæ antiquiſſimæ crepuſculo videre datum eſt) oculis intentioribus perluſtremus, gentem nullam præter Ægyptiam unam inveniamus, quæ Sacerdotum ſuorum principem ſymbolo aliquo, conſenſum vel minimum cum Hebræorum *Thummim* habente decoravit. Chaldæi quidem, Syri, aliæque gentes, unum aliquod Pontificis Judaici ornamentum, (tunicam lineam, cidarim, tiaram, & forſan *Urim*) æmulati videantur: at illius *Thummim*, in tota Sacerdotum ethnicorum pompa ſcenica, niſi in ſimulacro quod diximus Ægyptiaco, ne rudioribus umbellis expreſſum deprehendere poſſimus. Quod autem Ægyptii ſoli (qui tamen Judæis [23] *inimici ex tota anima* ſemper erant) in hujus ornamenti ſacerdotalis uſu cum Dei populo tam amice convenirent; huic tantum cauſæ tribuendum videtur; Ægyptii moribus & ingenio eleganti populus, virum qui in foro & templo primas habuit, aliquo muneris ſui ſymbolo ornari voluere, cujus ſplendos eique conjunctus titulus religionem & reverentiam dignitati ſuæ debitam conciliarent. Cum autem Hebræorum Pontifex duplicem illam, *Judicis* & *Sacerdotis*, perſonam apud ſuos ſuſtineret, & Iſraelitæ proculdubio non minus ornatus quam cultus Ægyptiaci ſtudio ducerentur; veriſimile eſt Deum & ſuo Pontifici ἄγαλμα in ornamentum conceſſiſſe, quod fulgore & titulo imaginem illam Ægyptiacam plurimum excederet & ſuperaret. Et certe niſi conſenſum Ægyptiorum ſolummodo cum Hebræis in ornamenti conſimilis uſu, affectui illi quo moribus Ægyptiis adhæſerunt aſcribendum ſentiam; cauſam ipſe nullam excogitare potis ſum, cur inter gentium aliarum ſacrificulos, nominis & formæ conſimilis ornamentum ſacerdotale reperire non liceat; & labiis ejus oſculum figam, qui me, ratione vel ſpecioſa reddita, jam impeditum explicare novit.

Arg. V. Quinto: Sacerdos Magnus ornamenta omnia, quæ diviſa gentium aliarum ſacerdotes venerabiles effecere, collecta tenuit. *Quis enim non legerit* [inquit, [24] *Prideauxius* noſter] *apud Herodotum, Plinium, Plutarchum, alios, Ægyptios ſuas tunicas lineas & hyacinthinas, ſua Pectoralia, ſua etiam ſiſtra argutum tinnitu conſtrepentia, in ſacris ſolennioribus adhibuiſſe? lapidibus duobus onychinis ſuper humeros Aaronis conſpicuis, corollia quædam inter ſacerdotes Indicos analoga fuiſſe memorat Alexand. ab Alex.* l. 2. c. 8. *Infulæ, mitræ, & tiaræ, quam obvia ſunt apud Apuleium & alios profanos auctores vocabula? femoralia a nullis fuiſſe neglecta exiſtimat Guilielmus Stuckius, in ſacrorum Gentilium deſcriptione*. E monumentis etiam ſacris non minus apparet, Deum ornamenta ea omnia, novo tamen decore & cultu aucta, Pontifici ſuo conceſſiſſe; ei-

eique *συντέλειαν καυχήματος* (uti loquitur [25] *Sirachides*) *consummationem gloriationis* induisse. Ex hoc autem ornatu, numeris omnibus absoluto, promptum est colligere, ornamenta pene omnia, quæ Sacerdoti Summo gratiam & majestatem addidere, genere ethnico nata fuisse, eaque Deum ad deliniendos rudium Hebræorum animos in sacrorum suorum ordinem adscripsisse. Nam dici nequit cur Deus pontificem maximum tam splendido, pene dixerim theatrico, vestium apparatu onerari, eumque cultu supra principum & sacerdotum ethnicorum gloriam eleganti fulgere voluerit; nisi quod curarit, ne cultus Ægyptiaci splendor, qui Israelitarum animos futili voluptate titillavit, divinum superaret; & ne Israelitæ, religionem simplicem & venustate tantum naturali allicientem fastidientes, ad meretriciam Ægypti pompam & fucum ducerentur. Deinde: si gentium monumenta vigilantes evolvamus, unum aut alterum e jam dictis ornamentis sacerdotalibus apud Ægyptios aliosve in usum venisse facile percipiamus; dum unus Hebræorum Pontifex ornatus omnes, quibus gentes aliæ Sacerdotibus reverentiam & mysteriis suis religionem conciliarunt, complecteretur. Ideoque rationi magis congruum est existimare, Deum omnibus Sacerdotii insignibus quæ usquam gentium, apud Ægyptios imprimis in usu erant, Sacerdotum principem decorasse; quam Ægyptios aliosve unum aliquod ornamentum a Sacerdote Judaico mutuatos fuisse, ut rudem & imperfectam illius imaginem in Pontifice suo contemplarentur. Si enim Sacerdotis Israelitici ornatum cæteris ex ethnicismi fæce sacerdotibus ornandi normam & mensuram existimassent; ethnici proculdubio non unum aliquod ornamentum Pontificale, sed ad unum omnia apud Hebræos usurpata, pari cum religione retinere voluissent. Hoc argumentum eo minus contemnendum censeo, quod rationem tam aptam facilemque suggerat, cur קדש ליהוה *sanctitas Jehovæ* [26] fronti pontificis inscriberetur. Cum enim ipse Pontifex Maximus, veste linea, coronula, campanulis, imagine pectori appensa, multisque aliis ornamentis, ab Ægypti more petitis insigneretur; Israelitæ (populus in religione varius, lubricus, & ad quemvis Æoli flatum versatilis) inde forsan ad cultum Ægyptiacum deficiendi causam & ansam sibi oblatam existimarent; nisi inscriptio tam celebris, ornamenta Pontificis, origine licet Ægyptia, jam usu sacra, & se suaque omnia Jehovæ & cultui suo separata esse, clare loqueretur, & populum hac de re sæpissime commoneret. Hæc omnia probabiliora videantur, quod phrasis illa, *Sanctitas Jehovæ*, [27] aliis scripturæ locis haud absimili sensu capiatur.

Arg. VI.

SEXTO: ad sententiæ meæ fidem firmandam, observare juvat, Ægyptios aliquam τῦ *Thummim* similitudinem, in imagine Ἀληθείας nomine donata expressisse; eos autem nullam τῦ *Urim* (quod scimus) rationem aut umbram habuisse. E contra vero, *Laban*, *Micha*, *Gideon*, & Israelitæ, impensam quidem τῦ *Urim* curam habebant, & illud affectu sollicito prosequebantur; sed ne quidem evanida vestigia τῦ *Thummim*, vel rei cujuspiam titulo analogo donatæ, in eorum sacris inveniamus. Hujus autem studii tam dissimilis ratio hæc unica assignanda videtur: Ægyptii simulacrum Ἀλήθεια vocatum, una cum aliis patrum suorum moribus, ad seros usque nepotes arcte tenuere: at *Urim*, quod rem novam forsan & ex Hebræorum ingenio natam habebant, omnino repudiarunt. Sed Micha & Israelitæ, *Urim* vel (quod eodem recidit) *Theraphim* affectu tam prono accepere; quod iis, Patriarcharum aut saltem seculorum veterum usus, & responsorum inde acceptorum probata veritas, affectus suos addictos & mancipatos tenuerunt: *Thummim* vero, ceu rem patribus antiquissimis ignotam penitus, ex Ægypti moribus & populi ruditate nuper oriundam, nec utilitatis magnæ nomine commendatam, minoris (ne dicam insuper) habuisse videantur.

Arg. VII.

SEPTIMO: Israelitæ semper in mores splendidiores, & cultum omnem corporis aut animi, apud alias gentes, Ægyptios præsertim invalescentes, impetu præcipiti ferebantur. Nam ideo effrænatum Regis desiderium eos tenuit, non quod eo opus haberent; sed ut gentium vicinarum more, viris glorioso Regis nomine illustribus gauderent, qui ante eos egrederentur. Nec eos regem solummodo, sed [28] principes etiam & consiliarios a latere sub rege constitutos, postularunt, *ne gentibus vicinis splendore & regis auctoritate cederent, quibus alioquin se minores futuros putabant*; prout voti illius rationem non inscite reddit [29] *Jo. Frischmuth*. Salomonem forsan hæc gentis propriæ vanitas occupavit, qui [30] uxores sibi septingentas & concubinas trecentas comparasse videtur, ut regum vicinorum

rum morem & pompam imitaretur & superaret. Nam reges Orientales non mediocre gynæceum alere solitos, e verbis [31] *Ciceronis* edocti sumus: *anno tertio Verres consuetudine usus est regia. Solere ajunt barbaros reges Persarum & Syrorum plures uxores habere*, &c. Ex ea peregrina omnia æmulandi prurigine natum arbitror, quod [32] *vestes peregrinæ*, id est, ad luxus & moris ethnici formam concinnatæ, Judæis adeo in deliciis essent; & quod [33] mulieres peregrinas tam insane deperirent, ut præ iis alias omnes ex animo delerent formas. Nec impetu languidiore in sacra peregrina, Ægyptiaca præcipue, ruebant Hebræorum animi: nam eorum idola pene omnia ritusque vetitos in Scriptura memoratos, ab Ægypto, tanquam perenni superstitionis fonte, profluxisse, [34] *Kircherus* opera destinata comprobavit. Cum itaque eodem fastidio mores tantum patrios, quo Ægyptii peregrinos, repudiarent; & rituum Ægyptiacorum pompa perstricti, prout aviculæ vitri fulgore, in perniciem suam tam facile allicerentur; ratio suadet opinari, Deum cultum suum nitore & elegantia omnifaria fucum & lethalem venustatem contemnerent & conculcarent. Cum etiam Sacerdos Ægyptiacus tam illustrem loci sui tesseram, a collo aurea catena suspensam gereret; facile credamus, Israelitas & illam gemmam ab Ægyptiis mutuatos fuisse, Deumque symbolum, *Thummim* appellatum, Pontifici Israelitico in ornamentum concessisse, quod gemmæ Ægyptiacæ Αλήθεια dictæ titulum & splendorem æmulari & excedere videretur.

Argum. VIII.

Octavo: ex ipsis imaginis hujus Ægyptiacæ notis & circumstantiis, titulo, materia, catena annexa, & gestandi modo, eam ingenii pure Ægyptiaci figmentum fuisse, non obscure colligendum est. Nam.

(1) Titulus ipse quem præfert ἄγαλμα illud indolem geniumque sapit Ægyptiacum. Nam Ægyptios a prima gentis origine, genius quidam subtilior tenuit: quo factum est, ut eorum doctrinæ [ethicæ, physicæ, politicæ] symbolis, figuris, hieroglyphicis, literis sacris, ritulis mysticis, & id genus sacramentis sæpiuscule traderentur. Huic itaque gentis indoli moribusque perantiquis apprime consonum est, ut imaginem hanc, quæ unico verbo gestantis dignitatem & virtutem indicavit, ad Ægyptios tanquam primos auctores referamus.

(2) Ex ipsa imaginis hujusce materia, Sapphiro gemma, de illius origine Ægyptiaca conjecturam faciamns. Sapphirum enim summo inter gemmas dignitatis gradu collocavit Veterum superstitio, quasi pravis affectibus resisteret; quibus Judicem vacuum esse oportet. Sic enim Antiquorum sensum refert [35] *Fr. Rueus: Devotionem, pietatem, constantiam, pacis ambitionem, Deorum munera, opimaque, quod ad hanc vitam spectat, beneficia invitate conciliareque fertur* Sapphirus. —— *Addunt & contra iracundiam, invidiam, fraudes, & tristitiam, pollere. Adeo contra effrænes animi mores efficax est credita.* Modo veterum Ægyptiorum animi superstitiosa illa de Sapphiro sententia vitiati fuerint, nobis facile persuadeamus, eos Sapphirum illam ad Judicis æqui partibus & affectibus nullis obnoxii, ingenium tanquam in symbolo exprimendum, Sacerdoti judicanti gestandam statuisse. Sed nonnulli forte tam corruptam de Sapphiri viribus opinionem e temporum multo recentiorum fæcibus ortum habuisse dicent. His autem ipse litem intendo nullam: nam Sapphirum Mosis ætate plurimi saltem æstimatam fuisse, satis e verbis *Epiphanii* cognoscatur: γέγραπται δὲ καὶ ἐν τῷ νόμῳ, &c. *Scriptum est in lege, visionem quæ Mosi apparuit in monte, & legem datam, in gemma Sapphiro fuisse expressam.* Lib. de XII. *Gemmis*.

(3) Sententiæ meæ vim paulo majorem affert catena vel torques ille aureus e quo pendebat simulacrum illud Ægyptiacum. Nam hujusmodi insigni collum ornandi morem, apud Ægyptios, primis illis quibus res eorum maxime florebant seculis, obtinuisse, eosque torquem dignitatis pene regiæ indicem habuisse, testatur Moses, de Pharaone [36] loquens; *Tulitque annulum de manu sua, & dedit in manum ejus,* Josephi, *& collo torquem aureum circumposuit*. Horum etiam torquium usum apud Ægyptios antiquissimi asserit *Pignorii* mensa, non ita pridem edita, desumta a tabula quadam antiquissima, olim in Isidis templo reposita; quæ Isidis & Osiridis imagines circulis vel torquibus bene latis, in quibusdam ad humeros pertinentibus, bullasque ferentibus, ornatas exhibet. Inde etiam adducor, ut sentiam Ægyptios & Babylonios omnium primos torquem in ornamentis habuisse, quod Tertullianus, de variis summæ dignitatis insignibus agens, gentes omnes Ægyptiorum & Babyloniorum nomine complexus sit, cum

cum [37] ait, *purpura illa & aurum, cervicis ornamentum, eodem more apud Ægyptios & Babylonios insignia erant dignitatis, quo more nunc prætextæ, — & coronæ aureæ.*

(4) Ad sententiam meam, de imaginis hujus origine Ægyptiaca confirmandam, momenti nonnihil habeat ipse gestandi modus. Eam enim judiciorum præses de collo in pectore, cordis regione, pendentem gestare solebat, Hunc autem morem ab Ægypti philosophia, quæ [38] cor, animæ, virtutis. & sapientiæ domicilium statuit, ansam primitus accepisse, nemo facile denegaverit.

Satis quæ dixi probant, imaginem cui titulus Ἀλήθεια, gentis Ægyptiacæ genium atque indolem olere, eamque vividis quasi characteribus sibi impressam exibere. Si itaque filiorum ora & oculos parentum simillimos, non vanos natalium nuncios habeamus: ipsis naturæ Ægyptiacæ quas præfert notis, imaginem illam ex ingeniis pure Ægyptiacis natam esse facile convincamus. Eorum itaque sententia non minus probabilitate quem probatione destituitur, qui Ægyptiorum ἄγαλμα cui nomen ἀλήθεια datam, puerili τȣ̃ Thummim imitationi principium debuisse sentiunt.

Arg. IX. Nono: hujus ornamenti pontificalis usus tam antiquus erat apud Ægyptios, quod Mosis ætatem superasse censeatur. Hoc eo minus dubitanter asseto, quod mihi Scriptura, Ratio, & historia, fiduciam faciant. Scriptura quidem, in qua morum Ægyptiacorum, quorum *Diodorus* & *Ælianus* locis antea citatis meminerunt, obscura quædam vestigia percipiamus. Nam e [39] sacro Instrumento manifestum est, Ægyptiis suos fuisse sacerdotes diu ante Legem datam Regem ipsum sumtus ad vitam necessarios iis ex publico quandoque præbuisse, & eorum aliquos principium titulum & dignitatem in Ægypto tenuisse, adeoque Judicum munera nonnunquam exercuisse. Sed & Scriptura Ægyptios moribus tam concinnis & limatis, vel Josephi seculo fuisse refert; quod patenam auream, tanquam loci & dignitatis summæ indicium clarioris notæ viris gestandam dederint. Est itaque fidei consentaneum, sacerdotem primarium muneris sui tesseram inter judicandum habuisse, licet Scriptura [cum occasio non ferret) nullam illius mentionem ingerat. Suadet etiam Ratio, ut credamus summos in regno tam florente viros, splendido aliquo muneris & virtutis suæ symbolo conspicuos, in populum prodiisse. Mos enim apud omnes pene gentes, non plane barbaras, antiquitus inolevit, ut viros qui dignitate supra cæteros eminebant, quibusdam honoris insignibus (quæ Moderni *bullas* vocant) e cordis adverso suspensis, torquibus insuper aureis, donarent, & a fæce Romuli distinguerent. Nam [40] *Schindlerus* & [41] *l' Empereur Anac* & *Anacim* viros fuisse celebres opinantur, ita dictos a torque, quo colla superbe cingebant: nam ענק proprie est *collum torque cingere*. De hoc Veterum usu fuse & erudite disseruit modo laudatus [42] *Schefferus*, cujus opera mihi otium faciat. Nec minus Historia sententiæ meæ firmitatem præbet: nam [43] *Ælianus* de moribus Aegypti sermonem habiturus, τὸ ἀρχαῖον eosdem, apud Aegyptios, judices & sacerdotes fuisse, & ex iis Ἀρχιδικαστὴν bullam sapphirinam dignitatis insigne gestasse refert. Nihil autem probabile præ se fert, *Ælianum* verbis tam lati & incerti significatus uti voluisse, nisi moris hujus originem, perantiquam, & a præsentis ævi memoria remotissimam, esse credidisset. Sed & [44] *Ælianus* assertioni meæ fidem paulo certiorem facit, cum ornamentum illud pontificium inter ea recenset instituta, quæ Aegyptios a Mercurio accepisse dicit. Mercurium autem Agyptium Mose antiquitate superiorem fuisse, ethnici & Christiani plerique non inviti confitentur.

Si quis jam dicta rationis haud iniquæ lance pensitaverit, proculdubio sententiam meam de natura τȣ̃ Thummim magnam veritatis speciem præ se ferre, nec temere rejiciendam esse, judicabit. Quid interim ad hæc omnia respondet (*b*) Adversarius meus, qui me coram illustribus patriæ suæ proceribus tam acriter accusavit? *Græcis*, inquit, *interpretibus libuit Hebræum* Thummim, *Græco* Ἀληθείας *vocabulo exponere*, sed *ob quas causas, ipsi dixerint:* Risum teneatis? *Veteriores, ut* Herodotus, Manethos, Sanchuniathon, *quantum quidem nobis constat*, ἄγαλμα illud Aegyptiacum *silentio prætermittunt*. *Historiæ silentium, in quæstione facti, meris farcire conjecturis, nescio an prudentius sit*. Et, *cum nullo historiæ -- testimonio constet, Sapphirium illud insigne ante Mosis ætatem usurpatum fuisse; temere asseritur, ex Ægyptiorum ritibus in Hebræorum sacra τὸ* Thummim *transumta fuisse*. Quamvis autem hæc, & alia multa, satyram potius quam responsum mereri censeam, ea tamen sine virga censoria prætermittam, & Auctorem il-

lum cogitationibus suis secundis corrigendum tradam.

[1] *Exod.* 28. 30. *Levit.* 8. 8. *Deut.* 33. 8.
[*] *Ezr.* 2. 63.
[2] *Exod.* 28. 30. [3] *Deut.* 33. 8. [4] *Ezr.* 2. 63. [5] Lib. 1. de *Sit. Orb.* c. 9. [6] Ap. *Athen.* p. 299. [7] *Homil.* in *diem natal. Christi*: p. 358. T. 2. *Ed. Bened.* [8] *Diss.* 6. [9] *Hesyc.* in voc. Ἐρώδ. [10] Lib. de *Coron. milit.* p. 105. C [11] V. Lib. 3. *Dissert.* 1. cap. 5. [12] *Met.* lib. 11. [13] Τὸ μὲν ζῶσμα ἑκάστῳ χιτῶνα λευκὸν εἰς ἀγκύλην ἀνέστελλε.. *Ethiop.* l. 3. p. 127. [14] *Ps.* 45. 13. 14. [15] *LXX.* πεποικιλμένη. [16] *Antiq. Judaic.* l. 3. c. 7. p. 112. 25. [17] Μέρη δὲ ἐσθήτων πτέρυγες μὲν, καὶ πτερύγιον, τὸ ἥμισυ τοῦ χιτωνίσκου. *Jul. Pol.* l. 7. c. 14. [18] *Num.* 15. 38. [19] *Orat.* 38. p. 200. [20] *Not.* in *D. Basil. Seleucid. Orat.* 38. p. 371. [21] V. *Alex. ab Alex.* l. 4. c. 2. [22] *Symposiac.* l. 4. *Qu.* 5. pag. 672. [23] איבי בנפש *Psal.* 17. 9. [24] *Orat.* de *Vest. Aaron.* [25] Cap. 45. 8. [26] *Exod.* 28. 36. [27] *Jes.* 23. 18. *Jerem.* 2. 3. *Zachar.* 14. 20. [28] *Hos.* 13. 10. [29] *Discurs.* de *Reg. eligend.* [30] 1. *Reg.* 11. 3. [31] *Orat.* 5. in *Verrem.* [32] *Zeph.* 1. 8. [33] 1. *Esdr.* 8. 92. 93. [34] *Oedip. Ægypt.* Tom. 1. *Syntag.* 4. & T. 3. *Synt.* 1. cap. 2. [35] Lib. 2. de *gemmis*. cap. 3. [36] *Genes.* 41. 42. [37] Lib. de *Idololat.* pag. 96. B [38] Ἡ καρδία κατ' Αἰγυπτίους ψυχῆς περίβολος. *Hor. Ægypt.* l. 1. *Hierogl.* 7. [39] *Genes.* 47. 22. & 41. 50. [40] *Lexic. Pentaglot.* in ענק [41] *Not.* in *Benjam. itiner.* p. 136. [42] *Syntagm.* de *Torquib.* [43] *Histor. Var.* l. 14. c. 34. [44] Ibid.

(*a*) *Aquila* & *Theodotion* reddunt *Thummim Levit.* 8. 8. τελειώσεις. (*b*) Vid. *VVitsii Ægyptiaca*. Lib. 3. cap. XII.

SECTIO III.

Rationes cum sententia mea de natura τοῦ Thummim pugnantes enervantur.

RATIONES in medium adductæ Lectorem quemvis, nisi hypothesi alicui serviliter addictum, facile persuasum faciant, me genuinam τοῦ Thummim naturam & originem, obscuram hactenus, in lucem protulisse. Ne tamen leviores aliquæ dubitandi causæ supersint, & lectoris animo scrupulum injiciant, Objectionibus nonnullis mihi necessario occurrendum est.

Obj. 1. PRIMO: ad fidem hic & alibi dictis abrogandam, objici possit, quod *Æliani*, *Diodori Siculi*, vel Scriptorum aliorum testimoniis imprudens nitar; cum de Veteris Aegypti moribus, aut rebus ante Historicorum eorum tempora, imo libros fortasse scriptos, gestis judicandum est: cum præsertim verisimile non sit, Aegyptios sub regum suorum primorum tempora, moribus tam cultis & elegantibus fuisse; ut imaginem eo splendore tituloque conspicuam, tanquam insigne muneris, a summo litium suarum arbitro gestatam censeamus.

Sol. RESPONDEO: horum Historicorum meritis & communi hominum fidei hoc saltem debemus, ut credamus eos de rebus eorum tempora longe superantibus nihil posteris referre voluisse, quod a constante apud Aegyptios traditione, vel antiquissimis quibusdam monumentis (quæ tempus, maximus librorum helluo, jam devoravit) non accepissent. Utcunque, ipse forte *Diodori* & *Æliani* de primis illis Aegypti moribus testantium, auctoritatem fide tam prona revereri nollem, nisi quod morum eorum fugientia quædam vestigia in Scripturis ipsis percipiam; & Ratio, Aegyptiorum ingenia rite æstimans, facile judicet, eos eandem pene cum ipso regno Aegyptiaco æram habuisse. Cum enim Aegyptiis a remotissima rerum suarum memoria mos esset, doctrinas suas non orationis flumine, sed verbi vel symboli alicujus gutta tradere; populi genio morique consonum est, quod Historici jam dicti de symbolica pontificis Aegyptiaci bulla, Ἀληθείας, titulo inscripta referunt. Deinde: cum gentes antiquiores, notæ celebrioris homines, torquibus aliisque publici muneris insignibus, plerumque bullis a collo penduli, exornarent; ipsa hæc Aegypti consuetudo, per se probabilis, antiquitati etiam & veritati suæ testimonium præbere censeatur.

Obj. 2. PRIMO hoc ictu in irritum cadente, hoc secundo forte me petent Adversarii: fides non nisi timida & languida *Diodoro* & *Æliano* tribuenda est, eo quod male secum constent, & verbis commissis antiquos Aegypti mores referant. Nam *Diodorus* Pontificis Aegyptiaci ornamentum ζῴδιον τῶν πολυτελῶν λίθων, *simulacrum e lapidibus pretiosis*; Aelianus vero, ἄγαλμα ἐκ σαπφείρου λίθου, *simulacrum e Sapphiro gemma* factum asserit. His itaque testimoniis minime innitendum, quæ eadem opera quispiam collidere possit & frangere.

Sol. RESPONDEO: fateor equidem *Diodoro* & *Æliano* dissidii aliquid intercedere, quum hic Pontificis Aegyptii ornamentum e gemma unica, ille vero e pluribus conflatum dixerit. At profecto historias pene omnes uno difflemus spiritu, & in fabularum ordinem abire jubeamus, si Historicis, levicula facti alicujus circumstantia ab invicem discrepantibus, fidem statim omnem detrahendam putemus. Neque tamen necesse est, ut Historicos nostros plusquam specie pugnare fateamur: nam amicas statim jungent dextras, si *Ælianum* pectoris tantum ornamentum respe-

ſpexiſſe, *Diodorum* vero gemmas etiam quibus Pontifex Aegyptius fulgebat alias, in ejuſdem cenſus & tituli communionem vocatas intellexiſſe aſſeramus.

Obj. 3. TERTIO: Hoc etiam argumento nonnulli ſententiæ meæ fidem labefactare ſtudent. Antiquiores, inquiunt, Hiſtorici, *Herodotus*, *Manethos*, & *Sanchuniathon*, hoc ſacerdotis Ægyptiaci ſimulacrum ſapphirinum intactum prætermittunt: eorum autem ſilentium opinari ſuadeat, geſtamen illud ſacerdotale recentioris ævi figmentum fuiſſe, cum ſcilicet Ægyptiorum mores & ingenia ſeculi Moſaici ruditatem longe ſuperarent.

Sol. RESP. De Veterum eorum hiſtoricorum ſilentio hac in re non eſt quod multum laboremus: nam *Herodotum* quod attinet, eum rerum Ægyptiacarum rudem admodum fuiſſe teſtatur [1] *Diodorus Siculus*, qui *Herodotum* Ægyptiaca referentem, *μύθους πλάττειν ψυχαγωγίας ἕνεκα*, *fabulas non raro voluptatis gratia comminiſci* dicit; & [2] *Joſephus* [*b*] πολλὰ τὸν Ηρόδοτον τῶν Αἰγυπτιακῶν ὑπ' ἀγνοίας ἐψευσμένον, *Herodotum frequenter in Ægyptiacis ex ignorantia mentitum* aſſerit. *Manethonem* etiam rerum Ægypti veteris inſcium probant aniles illæ fabulæ, quas ille, antiquitatis veræ nomine, mundo obtrudere nitebatur. *Sanchuniathon* res Phœnicias potius quam Ægyptiacas memoriæ tradidit: & animum ſuum ad fabulas concinnandas, potius quam veras rerum origines inveſtigandas appuliſſe videatur. Temporis inſuper invidia horum Hiſtoricorum fragmenta tantum nobis ſupereſſe voluit. Sed ſi ad manus noſtras integri perveniſſent, nihil eſt cur eorum ſilentium hac in re nos a ſententia tantillum dimoveret; cum præſertim teſtetur [3] *Ælianus*, Ægyptios antiquos, inter νόμιμα illa plurima quæ ab ipſo Mercurio profecta jactitant, ἄγαλμα illud ſacerdotale numeraſſe.

Obj. 4. QUARTO: objiciet forte non nemo, quod vox Hebræa *Thummim* ſenſu numero diſſideat plurimum ab antiquo illo nomine, quo Pontificis Ægyptiaci ſimulacrum vulgo vocabatur: nam Thummim *perfectiones* ſonat, Ἀλήθεια vero *veritatem*: vox illa numeri ſecundi eſt, hæc autem ſingularis. Cum itaque tam exigua ſit inter eam & *Thummim* convenientia, originem τοῦ Thummim Hebræorum ad imaginem illam Ægyptiacam, ceu primum exemplar ratione reclamante referre videamur.

Sol. RESPONDEO: hæc duo vocabula, quamvis diſſidii alicujus ſpeciem præferant, ſignificationis affinitate propinqua conjunguntur. Nam proculdubio doctores Ægyptii, Ἀλήθειαν, nomen bullæ Ægyptiacæ datum, non tantum logice ſed & ethice, de cordis nempe veritate, id eſt, integritate & ab omni dolo immunitate (eſſentiali [4] judicis & ſacerdotis ornamento) intelligi voluere. Conſentit [5] *Ælianus*, de hoc Ægypti judice ſic loquens: ἔδει δὲ αὐτὸν εἶναι δικαιότατον ἀνθρώπων καὶ ἀφειδέστατον, &c. *Eum omnium hominum eſſe juſtiſſimum & ſinceriſſimum oportebat, qui circa collum imaginem e ſapphiro gemma confectam geſtabat, quæ vocabatur Veritas*. Atque hoc ſenſu vox ea ſæpius in Scriptura, juxta loquendi conſuetudinem quæ ſeculis antiquiſſimis obtinuit, interpretanda venit, ut *Exod.* 18. 21. ubi Jethro Moſi auctor erat, ut אנשי אמת *viros veritatis*, id eſt, integros animi ſcelerisque puros, populi judices conſtitueret. Ita ſumitur *Pſal.* 51. 7. *Ecce*, אמת *veritatem voluiſti in renibus*: & *Pſal.* 145. 18. *Propinquus eſt Dominus omnibus invocantibus eum* באמת *in veritate*, id eſt, exponente *Chald. Paraphr.* בקשוט *in integritate*. Hinc אמת a Deo cum cordis rectitudine 1. *Reg.* 3. 6. & ἀλήθεια ab [6] Apoſtolo cum εἰλικρινείᾳ *ſinceritate*, ſociatur. Non itaque ſine cauſa, LXX. vocem illam per [7] δικαιοσύνη exprimunt, & *Heſychius* ἀληθὴς per δίκαιος explicat. E contra, more non minus frequente, vocabulum שקר *mendacium* pro iniquitate in Scripturis uſurpatur. Obſervavit itaque [8] *R. D. Kimchi*, *hæc tria*, שקר, עמל, & און *idem in ſacris ſignificare*, & *eſſe* המלות שונות *dictiones permutatas*. Ideoque שקר quod *mendacium* notat, LXX. [9] ſæpius ἀδικίαν vertunt: & *S. Lucas* voci ἄδικος opponit ἀληθὴς, Cap. 16. 11. Jam vero vocabulum *Thummim* hujus naturæ mendacio frontem adverſam gerere, & ejuſdem generis veritatem, quam & אמת id eſt, integritatem, & ab omni injuſtitia partiumve ſtudio immunitatem, ſignificare, nullum fugit cui ullus Scripturæ uſus, aut cui tenuis literaturæ Hebraicæ afflavit aura. Nam ideo cum *veritate*, tanquam ejuſdem valoris nomine, conjunctum occurrit, *Joſh.* 24. 14. *Servite Domino* בתמים ובאמת *in integritate & veritate*. Inde etiam vox illa τέλειοι in Novo Teſtam. quæ reſpondet Hebræorum תמים de hominibus intelligitur bonitate vera & ſincera præditis, ea nempe quæ ſit ἐν τῷ εἶναι, non ἐν τῷ δοκεῖν. Non diffitendum tamen, Hebræorum *Thummim* Ἀληθείας

Ægyptiacæ vim & potestatem non adeo accurate & ad amussim exprimere: nam Deus non minore libertate & (si Latini ferent) latitudine usus est, cum nomen Ægyptiacum (quod multa dies jam delevit) in *Thummim*, quam cum vocem Chaldaicam *Theraphim* in *Urim*, permutarit. Cur autem Deus paululum a nominis Ægyptiaci sensu germano, prout & vocis numero, deflexerit, nec Thummim & Ἀλήθεια sibi mutuo tam exacte responderint; nil hic attinet dicere: capite sequente, ubi aptior occasio se dabit, dicturi sumus. Interea temporis, id unum ab Adversariis quæro, cur bullam illam Sapphirinam *a Mosis institutis manifesto sumtam*, & *Ægyptios hac in re Thummim Hebræorum imitatos fuisse*, tam fidenter afferant, si convenientia tam exigua inter Thummim & ἄγαλμα jam dictum intercesserit? Certe ubi vix ulla convenientia, ibi nullam imitationem fuisse liquido colligamus.

Obj. 5. QUINTO: nonnulli forte sententiæ meæ repugnabunt, quod illius fundamenta Scriptura ipsa convellere videatur. Legimus [10] enim *Tirshatham* sacerdotes incerti generis a sacrorum communione cohibuisse, *quoad staret sacerdos cum Urim & Thummim*: qui scilicet oraculo ex utrisque misso dubium de eorum natalibus ortum determinaret.

Sol. AT hoc argumentum, aerem, non me ferit: nam textus ille probat forsan Pontificis Oraculum lites omnes olim circa sacra composuisse, & populum Hebræum sub Templo secundo Sacerdotem τοῖς Urim & Thummim ornatum expectasse: at male constat inde, Deum Oraculo suo utentibus non minus per Thummim quam Urim respondisse. Satis etiam e jam dictis efficitur, Urim & Thummim res numero diversas esse, & usui diverso ministrasse: patet insuper, nomen *Urim*, substantias, *Thummim* autem, accidentia denotasse; nec probabile est, Deum nomina tam diversa, nisi rebus natura & usu differentibus imponere voluisse.

Obj. 6. SEXTO: & hæc forsan Objectio sententiam meam vexabit, eamque in suspicionem vanitatis adductura est, quod scilicet Hebræorum Thummim & Ægyptiorum ἄγαλμα, cui nomen Ἀλήθεια, non tantum nominaliter sed & realiter ab invicem discreparent. Nam Hebræorum Thummim in pectoralis duplo recondebatur, dum Sapphirus hæc Aegypti decantata semper hominum oculis exponeretur: Hebræorum Thummim Pontificis tantum ornamentum erat, Ἀλήθεια Judicis cujusvis insigne temporarium habebatur: Hebræorum Thummim, a gemmarum pontificalium vicinia novam sibi dignationem & reverentiam conciliavit; Aegypti bulla sapphirina sola mansit, nec ullam sibi a gemmarum sociarum radiis lucem & honorem acquisivit. Cum itaque Judicis Aegyptii symbolum sapphirinum & Pontificis Hebræi Thummim ab invicem tam lato discrimine dividerentur, posterius a priori non minore temeritate quam fiducia derivasse videar.

Sol. HIC equidem sibi plaudunt Adversarii mei, & hoc argumentum, non gloriandi tantum, sed & convitiandi materiam sibi præbere sentiunt. At non opus est, ut discriminis hujusce causa, de sententia tot argumentis firmata decedamus; cum præsertim operæ non adeo molestæ sit, tantæ differentiæ rationes speciosas assignare. Nam [1] Si quis ad alia Legis instituta, quibus Aegypti vel Gentium aliarum usus occasionem dedit, advertat animum; ea pleraque mutationem insignem subiisse, & plurimum ab exemplari suo recessisse facile persentiscat. Curavit nempe Deus, ne Gentes & Hebræi perfecta morum conformitate sibi mutuo jungerentur, ne conformitas illa mutuæ societati, & societas illa morum corruptelæ portam aperiret. Deinde: mores & ritus a Gentibus acceptos, Deus a superstitionis fæce purgavit, aut iis novam elegantiam & splendorem addidit, aut eos ad usum sensumque sacratiorem evexit & accommodavit. Adeo ut ipsum hoc argumentum causam meam adjuvet, si res ex merito pensitetur. Gemmæ illæ non tam Thummim quam Urim gratia, pectorali accessisse videantur. Cum enim vaniloquæ Gentium imagines iis quandoque gemmis radiarent, quibus intuentium animos horrore quodam religioso perfunderent; commodum erat, ut gemmæ plurimæ Pectorale (Oraculi divini sedem) illuminarent, ut Urim non minus splendore quam veritate fatidicas imagines ethnicorum superaret. Veritatis hujusce gemmam, radio licet obscuriori emicantem, in *Philonis* antea laudati fabularum sterquilinio forsan offendere possimus. Nam [11] ille, [b] viros de tribu *Asser*, peccata in Aegypto admissa hac humili confessione expiasse refert: *nos invenimus simulacra illa aurea*, *quæ vocabant Amorrhæi sanctas Nymphas*, *& auferentes eas cum septem pretiosissimis lapidibus*, *qui superpositi erant eis*, *abscondimus illa*, &c. Et post pauca, Deum in

hæc

hæc verba *Kenaz* alloquentem introducit: *Angelo meo præcipiam, & accipiet mihi duodecim lapides ex eo loco unde ablati sunt isti septem, quos tu accipiens, pones eos super Epomiden --- in logio sanctificabis eos*. Quibus verbis innuit, gemmas illas quæ propheticas gentium imagines illustrarunt, primam Pectoralis gemmis occasionem præbuisse. Sed forte *Philonem* illum, ut nugacem & nullius fidei scriptorem, non pauci repudiabunt.

Obj. 7. SEPTIMO: ad invidiam sententiæ meæ conflandam, dici potest, eruditos alia omnia sentire, hanc morum & ornamentorum sacerdotalium communionem Aegyptiorum æmulationi tantum tribuentes; Cæterorum loco loquatur [12] *Grotius*, qui de Oraculo pectoralis agens, תמים inquit, LXX. *vertunt* ἀλήθειαν. *Imitati* hoc, *sed ut pueri virorum res imitantur, Ægyptii*.

Sol. HIC autem a doctis dormientibus ad eosdem vigilantes merito provocemus: cum jam dicta probent, Ægyptios non minus moribus quam bonis suis contentos fuisse, & ab exterorum ritibus & personis pariter abhorruisse. Ne quis autem Ægyptios hac una in re, ab ingenio & usu suo recessisse putet, & hoc ornamentum Sacerdotale, rerum Judaicarum studio ductos instituisse; observare juvet, Ægyptios non Judici tantum sacerdotali causam cognituro, sed Actori vel Reo causam acturo, hujusmodi ζώδιον τῆς ἀληθείας applicare solitos. Hoc e *Diodori Siculi* fide refero, qui testatum reliquit, [13] *Supremo causarum arbitro* VERITATIS *effigem alteri litigantium parti applicandi officium incubuisse*. Cum itaque non Judici tantum, sed & populo, simulachrum hujusmodi gestare concessum esset; inde liquido constet, Ægyptios, hoc gestamen instituentes, de Thummim Hebræorum (soli sacerdoti maximo datum) ne per somnium cogitasse; sed illud eo animo statuisse, ut Judices & Litigantes ad veritatem edicendam quasi sacramento quodam adigerent; & omnes ζώδιον illud in foro gestantes, se πρὸς μόνην βλέπειν ἀλήθειαν *ad solam respicere veritatem* (uti simulacri mentem explicat [14] Historicus ille) palam quidem, sed symbolice, pro gentis usu symbolis addictissimæ, declararent.

ALIAS Adversantium objectiunculas tacite prætermitto, ne Dissertatio præsens in molem crassiorem excrescat, & ipse nugas loco aliquo habuisse videar.

[1] Lib. 1. p. 63. C [2] Lib. 1. contr. *Apion.* [3] *Hist. Var.* l. 14. c. 34. [4] *Deut.* 16. 18. 19. 20. [5] Ub. supr. [6] 1 *Cor.* 5. 8. [7] *Genes.* 24. 49. *Jes.* 38. 19. [8] *Comment.* in *Psal.* 7. 14. [9] *Jer.* 5. 31. *Job.* 27. 4. *Deut.* 19. 18. [10] *Nehem.* 7. 65. [11] *Antiquit. Biblic.* libr. [12] *Not.* ad lib. 1. de *Ver. Relig. Christ.* §. 16. [13] Τὸν ἀρχιδικαστὴν τὸ ζώδιον τῆς ἀληθείας περιτίθεσθαι τῇ ἑτέρᾳ τῶν ἀμφισβητούντων. *Hist.* l. 1. p. 69. C [14] Ub. sup. pag. 45. D

(*a*) *Josephus* provocat ad *Manethonem*, apud Egyptios Historicum, qui *Herodotum* ignorantiæ accusat. p. 1336. 45.

(*b*) Vid. pag. 966.

SECTIO IV.

Usus τῦ *Thummim quis esset breviter indicatur.*

LECTOR ad præcipuos τῦ Thummim usus jam dictorum luce facile dirigatur. Ne tamen aliqui, minus attente jam scripta perlegentes, inde *Thummim* otiosum fuisse, & usui nulli serviisse, colligant, quod oracula per Urim solummodo traderentur, usus τῦ Thummim apertius paulo declarare, opus non plane supervacaneum arbitror.

PRIMO: itaque, Thummim huic usui ministravit, ut nempe dignitatem & officium Pontificis, oracula per Urim accipientis, quasi in symbolo exprimeret, eumque Judicis æqui, nullis affectibus mancipati, partes peragere moneret, & peracturum indicaret. Hoc equidem per se probabile est, & eo probabilius evadit, quod Thummim a significatus & usus affinis ornamento apud Ægyptios usitato genus & originem derivaret.

SECUNDO: Sacerdotis Hebraici *Thummim*, sacerdotis Ægyptiaci simulachro, cui nomen Ἀλήθεια, respondebat & quicquid imagini illi symbolicæ, sapientiæ vel splendoris inerat, in se uno complectebatur. Erat itaque populi Israelitici desideriis & ingeniis accommodatum, qui mores Ægyptios inprimis in votis & deliciis habebant, & nihil in sacerdotum suorum ornatu desiderari volebant quod apud Ægyptios usitatum erat, & sapientiam vel elegantiam aliquam præ se ferre videbatur. Deum autem hac in re ad populi morosi modulum Seipsum attemperasse, proclivius est opinari; quod e jam dictis appareat, Deum ea pleraque ad cultus & sacerdotum ornatum transtulisse, quæ populus ille puerilis in Ægypti sacris & sacrificulis admirari solebat.

TERTIO: Thummim in Pontificis pectorali positum, potestatis suæ judicialis argumentum erat, eumque [1] *Reipubl.*

bl. præsidem ordinarium indicavit. Alias enim, quid in pectorali judicii locum invenit, quid etiam ornamenti illius sapphirini, Ægyptiorum judici primario concessi, locum occupavit? Sat scio nonnullos Pontificem hujusmodi potestatem judicialem unquam habuisse vel exercuisse, plane denegare. Sed eos vehementer errare probabo, de persona dicturus cui Urim & Thummim gestandi provincia concedebatur.

QUARTO: cum Thummim *perfectiones*, uti & Urim *lumina* denotaret; usui mystico ministravit, & sacerdotem summum virtute simul & cognitione præstare debere, & non minus animi quam corporis ornamentis Hebræorum vulgo præfulgere significavit. Ad religionis honorem & integritatem conservandam multum intereat, ut sacerdos summus, si quis alius, virtute præcelleret: ideoque lege curatum est, ut in fronte simul & pectore, officii non minus quam dignitatis suæ monimenta gereret. Atque hac in re, Thummim Hebræorum cum Ægyptiorum ornamento sacerdotali ἀλήθεια dicto belle conveniebat: illud enim symbolice denotavit sacerdotem primarium, [2] *omnium hominum justissimum & sincerissimum esse oportere.*

QUINTO: Τȣ̃ Thummim usus haud postremus erat, ut cum Urim sociatum, Pontificem typum Christi, sacerdotis nostri maximi vividum & expressum redderet. Cum enim Thummim & Urim *perfectiones* & *lumina* denotarent, Pontifex hæc duo sociata gerens, Christum, luminum & perfectionum fontem, eo clarius & expressius adumbravit.

HÆC omnia, quæ jam levi digito prætereo, lucis & firmitatis haud parum e statim dicendis acceptura sunt.

[1] *Pectorale judicii symbolum erat potestatis judicialis in sacerdote, tanquam ordinario præside Reipublicæ*, Cocceius in Hos. 3. 3. [2] Test. *Ælian.* ub. supr.

CAPUT V.

De ratione nominum, Urim & Thummim.

NATURAM & originem τῶν *Urim & Thummim*, quatenus per creperam Scripturæ, Historiæ, & Rationis, lucem percipere concessum, dilucide jam expedivi. Monet jam promissionis qua teneor fides, & provinciæ durioris ratio, ut nominum eorum rationibus e caligine vetustatis eruendis operam seriam & religiosam impendam.

SECT. I.

Nominum eorum notio grammaticalis explicatur.

CUM genuina nominum ipsorum significatio sit certissima illa (post rerum naturam jam perspectam) scientiæ clavis, qua reconditas adhuc appellationum earum rationes reserare possimus; par est ut per eorum explicationem breviusculam, aditum ad sequentia facilem & inoffensum faciamus.

Nomina Hebræa primo.

UT itaque ab Urim auspicemur, certum est, vocem illam, modo ad intentionem illius primariam attendamus, non tam *lumina*, quam *ignes*, eosque *flammantes* indicare. Nam eo sensu, vox singularis אור unde ortum habet, in Scripturis [1] usurpatur: sensum etiam affinem fundit vox ea pluralis אורים *Jes:* 24. 15. *Laudate Dominum* באורים *in ignibus*. Ita locum illum exponit [2] *Buxtorfius*, & cum eo concordiam colit versio nostra Anglicana, *Glorfie ye the Lord in the fires*. Eundem huic vocabulo sensum asserunt versionis Persicæ & Arabicæ auctores, qui locum illum, 1. *Sam.* 28. 6. ubi *Urim* occurit, ad hunc sensum transferunt; *Deus non respondit ei, vel per somnia, vel per* [3] *ignes*. Hanc vocis illius potestatem notavit [4] *Vatablus*, cum dixit, *Urim significare illuminationes seu ignes*. Interea minime tacendum est, vocem hanc sensus quasi gemellos ferre: nam *ignes* quidem proprie denotat, improprie vero & per metonymiam effecti, *lumina*; eo quod ignes sint lucis ὀχήματα sive δοχεῖα. Hinc & vox Urim נהורה *lumen* redditur [5] *a Chaldæo Paraphraste*.

CIRCA sensum vocis alterius Thummim litem haud adeo gravem movere video. Quamvis enim Interpretes a genuina vocis Urim potestate deflectant sæpe, pauci tamen sunt qui a vocabuli Thummim sensu aberrant, & illud per *perfectiones* aut *integritates* exprimendum esse non arbitrantur. Si quis me vim nominum eorum fide parum integra retulisse sentiat, provoco ad Hebræorum, Christianorum, Romano-Catholicorum & Protestantium, Lexica, quæ fidem meam abunde liberabunt. His omnibus, sigilli loco, accedat [6] *Buxtorfii* testimonium: *ad nomina quod attinet*,

אורים

אורים Urim *ſignificat ignes vel luces, nec de eo vel dubitatio vel diſceptatio:* תומים Thummim, *perfectiones, integritates, a ſingulari* תום *&* *radice* תמם *integrum, perfectum eſſe.*

Cum in his ſimus, non prorſus alienum erit, nominum etiam Græcorum notionem & originem aperire, quibus Septuaginta voces eas Urim & Thummim interpretari ſolent. Urim autem illi per [7] δήλωσιν, [8] δήλϐς, & [9] φωτίζοντας; Thummim per ἀλήθειαν, & τελέιϐς; incerta vice, transferunt. Hæc translatio viris doctis nullo non ævo negotium non leve fecit. Hac de re magni nominis Auctor ſententiam ſuam ſic interponit: *LXX. Urim* δηλϐς *ſive* δήλωσιν *reddidere. Quærunt vocabuli rationem: ea vero nequaquam eſt difficilis aut obſcura. A* δαίω *ſive* δέω *uror, luceo, eſt* δαλὸς *ſive* δηλὸς, *quod facem & lampada notat. Quia vero olim, uti etiamnum, facibus uterentur vice nuntiorum, inde verbum* δαλόω *vel* δηλόω. Sed neceſſe eſt, ut hæc omnia, veluti ſomnia ad lucem prolata, ſtatim evaneſcant; cum LXX. Urim nunquam δηλϐς, ſed δήλϐς, δήλοις, δήλων, (accentu penultimam afficiente) ſemper transferant; & vocem δηλὸς, pro face vel lampade captam, apud ullum notæ melioris auctorem non detur invenire. Hic itaque ab Interpretum omnium latere minime diſcedendum cenſeo, qui Græcos *Urim* ideo δήλϐς & δήλωσιν reddidiſſe ſentiunt; quod Oraculum illud res obſcuritate velatas, manifeſtas efficeret, & vox אורים lucis notionem [10] ferat, quæ res tenebris obductas illuſtrat & [11] *manifeſtat.* Cur autem LXX. voci Urim vim participii ſemel dederint, eamque per φωτίζοντας expoſuerint, res eſt intellectu difficilior. Eos autem ita vertiſſe ſuſpicor, quod vocem אורים eo in loco, pro participio ſumſerint, eamque a radice אור *illuxit*, uti קומים (in *Pahul*) a verbo קום *ſurrexit*, formatam exiſtimarent. De hac verſione Græca paulo commodior ſtatim ſe dabit agendi locus.

Nugis hiſce grammaticis tam diu immorari, non tanti eſſet, niſi quod ad ſeria ducant, & voces illas, Urim & Thummim, equuleum ſæpe pati, & in ſenſum alienum torqueri videam. Inter eos vero, Vulgatum Interpretem, & ſtrenuos illius aſſertores, Romano-Catolico, voces illæ non immerito vis illatæ poſtulare poſſint; dum per *Veritatem* & *Doctrinam*, eas interpretantur. Utcunque verſionis hujuſce zelo uſque eo flagravit *Bellarminus*, quod aſſerere non dubitaverit, *plus tribuendum eſſe Hieronymo, quo doctrinam vertit & veritatem, & τοῖς LXX. qui verterunt δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, quam Judæis, & Judaizantibus.* Sed inſtituti recordatio aurem vellit.

Cum jam nominum eorum ſignificationes veras & ex ipſo fonte hauſtas habeamus, nodus ille vindice non indignus occurrit, cur Deo Pectoralis ἀγάλματι titulis illis *Urim* & *Thummim*, inſignire viſum eſt?

[1] *Jeſ.* 44. 16. & 50. 11. [2] *Lexic. H. & Gh.* p. 12. [3] *Alludunt forſan ad pyromantiam, de qua H. Montacut.* Dæmon. Mimic. c. 22. [4] *Comment.* in *Exod.* 28. 30. [5] In *Jeſ.* 24. 15. [6] *Hiſtor. Ur. & Thum.* cap. 2. [7] *Exod.* 28. 20 [8] *Deut.* 33. 8. [9] *Ezr.* 2. 63. [10] Deducta ſcil. ab אור *luxit, illuxit.* [11] *Ephеſ.* 5. 13.

SECT. II.

Quorundam ſententiæ de nominum ratione ad examen vocantur.

Cum de oraculis divinis viva voce traditis Eccleſia tantum Judaica gloriari potuerit, obvium eſt exiſtimare, Judæos de Oraculo noſtro, utpote prima gentis ſuæ gloria, attentius paulo cogitaſſe, & intimiorem illius cognitionem, traditione fideli vel altiore Scripturarum indagine ſibi comparaſſe. Cum itaque dubium variis opinionibus perplexum & involutum animos noſtros jam exerceat, par eſt ut reſponſum a tripode Judæorum expectemus, & primo ad eorum ſenſum de harum appellationum ratione mentes attendamus.

Sententiæ tres.

Talmudiſtarum

Sentiunt autem eorum doctores Talmudici, & cum iis nec pauca nec obſcura capita, ſacra illa pectoralis inſtrumenta, vel indicationes divinas eorum miniſterio factas, ideo אורים id eſt, *lumina*, dicta fuiſſe, שהן מאירין לישראל *quod illuminarent Iſraelem:* hoc eſt, populus in rebus obſcuris & humana conſilia ſuperantibus, inde lucem peteret, & reſponſum divinum, veluti doctorum dubitantium frequenter acciperet: תמים vero vel *perfectiones*, שהן מתימין לפניהם את הדרך *quia coram illis perficerent viam ſuam:* hoc eſt (nime voces obſcuræ ludant) Iſraelitis, quaſi in bivio ſæpius hærentibus, viam illam rectam & tutam quam inire debebant, indicarent. [1] Paraphaſis illa *Jonathanem* Chaldæum opinione huic

non

non multum dissimili ductum fuisse, probat: &c. ותתן בחשן דינא ית אוריא *& indes in pectorale judicii* Urim, *quæ illuminant verba ipsorum, & revelant occulta domus filiorum Israelis: &* Thummim, *quæ perficiunt operibus suis sacerdotem magnum, qui per ea quærit doctrinam a Domino.*

At certe fides hisce Judæorum Magistellis, fumum sæpe vendentibus, non nisi lente admodum & fidejussore aliquo astante tribuenda est. Eorum enim omnia pene fabulis anilibus & figmentis audacibus scatere, ante multa secula prudens sciensque pronunciavit [2] *Origenes*. In eorum classe nominum horum rationes a Talmudicis assignatas ponere non dubitemus: nam,

(1) Nihil habet affine vero, Deum tam operose nihil agere voluisse (adsit reverentia verbis) ut tam speciosa & significationis tam amplæ nomina Pectoralis organis aut responsis impertiret, quo rem tam vulgarem & cuivis e postrema plebe perspectam indicaret; quod scilicet Oraculum Ejus consulentes illuminaret, & viam rectam inire doceret: quasi legis divinæ typi & figuræ, ad instar hieroglyphicorum Ægypti, multa cum pompa & negotio, & per speciem mysterii alicujus sacratioris, rem aliquam lippis & tonsoribus notam significarent.

(2) Constat e [3] Scriptura, Deum inclyta illa Pectoralis ornamenta nominibus illis *Urim* & *Thummim* affecisse, cum ea in Pectorali nondum posuisset Moses, vel inde lumen mentis & *viæ suæ perficiendæ* rationes accepisset Populus.

(3) Nomen illud Thummim plane redundans foret & otiosum, si quid sani inesset rationi nominum a Talmudistis redditæ. Quid enim opus esset, monere, Israelitas *viam suam* juxta Oraculi responsa *perfecisse*; cum necessario supponendum sit, Deum eo tantum fine lumen inde præbuisse, & populum eo tantum animo illud petiisse, ut in viam rectam tutamque dirigerentur?

(4) Hypothesis Talmudica nominum eorum nec formam nec sensum explicat. Nam si nomina illa pectoralis organis ideo tantum imponerentur, quod Israelitæ *mentis lumen* & *viæ suæ perfectionem* ab Oraculo pectoralis peterent; nulla constat ratio cur Deus vocibus pluralibus, quarum una abstracta est, *ignes* altera significat, ad rem tam tritam & vocum earum sensui formæque grammaticali parum consentaneam denotandam uteretur,

(5) Sententiæ Talmudicæ forma satis illius materiam vanitatis arguere censeatur. Cujus enim aures non lædunt duriores istæ & soni male grati voces, *quia coram illis perficiebant viam suam?* Cui non videntur ultima & misera effugia hominum ab ignorantiæ opprobrio sese vindicare laborantium? Quid est quod sententiam suam verbis tam incerti sensus & captum pene fugientibus involvunt, nisi ut ipsi (more sepiarum, aquas colore fusco tingentium) non irretiti elabantur; & homines non mali, se mysterii divini *Junonem* in ea crassiore verborum nube amplexari credant?

Cum itaque in hac Talmudicorum sententia nec δήλωσιν nec ἀλήθειαν invenire possimus, eam non immerito rejiciamus.

Proximum est, ut opinionem illam de nominum eorum ratione, quæ tot seculorum fidem secura tenuit, in medium feramus, & in statera rationis expendamus. Quamplurimi scilicet existimarunt, nomina illa Urim & Thummim pectoralis organis adhæsisse, quod responsa inde data, *lucida* & *perfecta*, id est, perspicua & indubitate vera fuerint: unde Dei oracula a Diaboli responsis clare distinguerentur, quæ verbis sæpe falsis, semper ambiguis & obscuris, involvebantur. Hanc autem de nominum ratione sententiam veterum quorundam animis penitus insedisse; satis testantur eorum monumenta. Nam [4] *Sirachides* ornamenta Pontificis enumerans, pectoris sui nitorem depingit, verbis hanc nominum eorum rationem ratam facientibus: dicens, *induisti eum pectorali judicii*, δήλοις ἀληθείας *& manifestationibus veritatis*. Samaritanus etiam voces eas *elucidationes & perfectionos* reddit: Arabs, *dilucidationes & certitudines*: Syrus, *lucidum & perfectum*: LXX. Urim & Thummim δήλωσιν καὶ τελείωσεις interpretantur. Ideo vero interpretes illi aliique tot passibus a veritate Hebraica recesserunt, & voces eas a sensu suo nativo detorserunt; quod pectoralis Oraculum δηλώσεως faciendæ & ἀληθείας docendæ virtute præditum fuisse, & inde tantum ea nomina accepisse, pro certo habuere.

Interpretum vulgarium.

Nil opus est autem ut multis contendam argumentis, ad opinionis hujusce famam & fidem minuendam. Nam clare liquet, titulos illos, Urim & Thummim (si juxta genuinam vocum significationem interpretemur) nec oraculis editis, nec instrumentis edendi, convenire posse. Norunt enim omnes, qui

qui literaturam Hebraicam a primo limine salutarunt, Urim non tam *lumina* quam *ignes* notare; & Thummim non *veritatem*, eam nempe quam opinionis hujusce patroni intelligunt, sed *perfectiones* significare. Patet itaque voces eas, nec de lapidibus pectoralis, nec oraculis inde datis, nec rebus aliis præter eas quas statim dicemus, intelligi posse; nisi quis eas a sensu suo nativo atque obvio, ut hominum placitis inserviant, vel invitas trahat. Neque hæc sententia testimoniis jam dictis inniti potest: quivis enim Græcorum filiolus intelligit, δήλοις ἀληθέιας, *manifestationibus veritatis* minime significare, adeoque *Sirachidem* voces eas, a LXX. mutuatas, ad hunc sensum efficiendum non adeo scite conjunxisse. LXX. quod attinet, apertum est, eos voces eas tantum ad claritatem & veritatem ejusdem Oraculi notandam non usurpasse; quod δήλυς, numeri pluralis, & generis tantum masculini vocabulum cum ἀλήθεια, voce singulari simul & fœminina, [5] quandoque sociarint. Non est enim vel simile vero, LXX. rei ejusdem proprietates, nulla cogente necessitate, vocibus affinitate nulla conjunctis exprimere voluisse.

D.Medi. Hæc forte secum perpendens Cl. noster (*a*) *Medus* alia sibi vitula arandum censuit, ut horum nominum ænigmata solveret, rationes obscuriores explicaret. Ille nempe, postquam varias doctorum sententias de Oraculi hujusce natura & tradendi ratione recensuisset, quid sibi visum esset paucis expedit, quæ sic e lingua patria in latinam transfero. „ Si quid ipse sentiam, effari liceat; dixerim, Urim & Thummim duplicis generis Oraculum fuisse, & usui duplici serviisse: & quod Urim Oraculum illud fuerit vel Oraculi pars, qua Deus responsa dedit, in arduis & dubiis vitæ casibus illum consulentibus. *Urim* autem vel *Lumina* ideo dicebatur, quoniam sicut ignorantia quædam quasi mentis tenebræ, ita quælibet scientia quædam illustrationis vel illuminationis species sit: unde & quod scientiam illam affert, lumen merito appelletur, quod mentis tenebras pellat. *Thummim* vero Oraculum illud vel medium erat, quo Sacerdos Summus certior factus erat an Deus immolatam hostiam æqui bonique consuleret necne. Ideo vero *Thummim* nomen habuit, id est, *integritates* vel *perfectiones*, quod illi quorum sacrificia Deo grata fuere, *Thummim*, id „ est, *Justi* & *Perfecti*, in conspectu „ Dei habiti sint. — Sine dubio enim „ Patriarchis & Ecclesiæ sub lege medium aliquod ordinarium erat quo „ cognoscerent, quando Deus eorum sacrificia grata & accepta haberet, &c.

Modo hisce omnibus ad examen vocandis impensius incumberem, male metuo ne læsæ nimis patientiæ actionem mihi Lector intenderet; cum opinio illa de origine nominis *Thummim* (quod salva tanti nominis reverentia dictum velim) conjectura debili nitatur, nec minima Scripturæ vel Rationis umbra protegatur. Nam Deum quandoque per ἐμπυρισμὸν, nunquam per Oraculum, favoris sui testimonium sacrificiis præbuisse legimus: nec opus erat oraculo cœlitus emisso, quod personam sacrificantem singularem apud Deum gratiam iniisse, aut sacrificium ei gratum fuisse testaretur; cum præsto semper essent personæ & sacrificii apud Deum accepti characteres in Lege traditi, non minus fida, ubi aderant, favoris divini testimonia. Deinde: si Oraculum aliquod, lætus hujus arcani nuncius, ævis antiquissimis extitisset, illud potius clariore τȣ Urim nomine notari meruit; cum homines inde *vultus* divini *lucem super* eos *elevatam* intelligerent, & inde gratiæ divinæ testimonia tam clara peterent. Nec ad optimi viri sententiam suffulciendam sat virium habet observatio illa, quod cum de Deo per Ephod consulendo in Scripturis agatur, de Urim solummodo fiat mentio: illius enim rei rationes ab ipsa τȣ Urim natura petitas jam dedi antea; nec ut eas denuo repetam Lectorum quorundam fastidia patientur.

Multis aliis argumentis, hanc & alias opiniones de nominum ratione refutare possem: ea vero missa facio, quod ea sit victrix evidentia veritatis, quod nuda sua præsentia, lucis ad morem erroris tenebras fugare soleat; & quod hoc sit earum omnium πρῶτον ψεῦδος, quod hæc nomina Pectoralis instrumentis, cum respectu tantum ad oracula inde data tribuerentur. Ut itaque sententias omnes, de nominum eorum ratione, facili conatu reprehendam; luculenter ostendam, eorum rationes non adeo e trivio petendas esse, Deumque majora longe in consiliis habuisse, quam vulgus hominum sentit, cum misso veteri vocabulo *Theraphim*, Urim in illius locum supposuerit. Ne vero Lectori, veras nominum eorum rationes avide forsan expetenti, ambagibus hisce bilem aut nauseam moveam;

veam; ſententiam cui animum addixi meum jam paucis exprimam.

[1] *Par.* in *Exod.* 28. v. 30. [13] Ἔςιν ἀληθῶς ἰδεῖν, πάντα μὲν τὰ Ἰυδαίων τῶν νῦν μύθυς καὶ λήρυς l. 2. *cont. Celſ.* p. 60. [14] *Exod.* 28. 30. [15] Cap. 45. 17. [16] Δότε δήλυς αὐτῷ, καὶ ἀλήθειαν αὐτῷ *LXX* in *Deut.* 33. 8.

(*a*) Vid. pag. 982.

SECT. III.

Rationes nominis URIM *primariæ proponuntur.*

Rationes duæ:

NI Veritas mihi parum propitia fuerit, Deus ob duplicis generis rationes, Primarias & Secundarias, Pectoralis inſtrumenta titulis illis, Urim & Thummim, inſigniri voluit. Rationes illas quo diſtinctius exequar, a nomine *Urim*, cui Scriptura locum primum reſervare ſolet, initium capiam. Hujus autem appellationis pectoralis Oraculo datæ rationes, quas Primarias voco, duas aſſignandas exiſtimavi.

Prima:

EARUM prima ſic ſe habet: URIM nomen erat quod Angelis, & proinde Pectoralis inſtrumento, unde Angeli Dei nomine & vice reſpondebant, aptiſſime conveniebat. Ne Lectori meo verba jam dediſſe videar, tribus hiſce Theſibus, e quibus ratio illa conflata eſt, fidem conciliare conabor.

Tribus theſibus comprehenſa.

(1) NOMEN Urim, quocunque ſenſu capiatur, Angelis apprime conveniens erat & accommodatum.

(2) ANGELI e Pectoralis inſtrumento, Dei nomine reſponſa Pontifici conſulenti præbuerunt.

(3) REI hujuſce cauſa, fatidicum Pectoralis organum appellationem illam Angelicam, Urim, ſortitum fuit.

A THESI prima telam ordior: *Nomen* Urim, *quocunque ſenſu capiamus*, *Angelis apprime conveniens erat & accommodatum*. Nil opus eſt, ut Theſis illa multum nobis negotii faciat, cum ſatis in propatulo ſit, nomen Urim Angelorum naturam feliciter explicare, eique concinne convenire; ſive pro *luminibus*, ſive pro φωτίζυσι vel *illuminantibus*, ſive pro *ignibus*, illud accipiamus. Sunt enim Angeli (modo Urim *lumina* reddamus) primogeniti lucis filii, ἄγγελοι φωτός, primarii ſecundum ſacram Triadem lucis inacceſſæ incolæ, *ſtellæ matutinæ*, quarum ſocietati *Lucifer* olim aſcriptus erat. Sunt etiam φωτίζοντες illi, quorum miniſterio Mundus ſcientiæ divinæ & [1] humanæ lumen acceptum debuit, quorum etiam opera vicaria Deus reſponſa dedit & Oraculum ſuum conſulentes illuminavit. Si vero per *ignes* vocem *Urim* interpretemur, titulus ille cœleſti Hierarchiæ non minus apte congruat & affigatur. Nam,

(1) TITULUS ille aliquid conjunctum habet & conſentiens cum aliis epithetis & ſymbolis quibus Angeli paſſim in Scriptura deſcripti veniunt. Eos enim Deus [2] *ignem* [3] *flammantem* feciſſe dicitur: hæc autem verba mentem & ſenſum vocis *Urim*, ignes urentes aut flammantes denotantis, adamuſſim exprimunt. Atque huc forſan alluſum eſt in Novo Teſtamento: nam uno in loco Deus, [4] *cum ſanctis Angelis*, alio vero, [5] ἐν φλογὶ πυρός, ad mundum judicandum venire dicitur. Sed ad inſtitutum redeo: appellantur etiam Angeli שרפים עמרים *Urentes illi qui ſtant coram Deo*, Jeſ. 6. 2. & אבני אש *lapides ignei*, Ezec. 28. 14. niſi hic Veterum quorundam errore mihi errare contigerit. Sæpius etiam in ſacris oraculis, *ignis* Angelorum ſymbolum & figura ſtatuitur: nempe primo, *Revel.* 4. 5. Vidi *ſeptem lampades ardentes coram throno, quæ ſunt ſeptem ſpiritus Dei*: nam ibi, per *ſeptem*, utpote numerum propheticum, vel omnes Angeli, vel ſaltem שרים המלאכים *principes primarii* qui dicuntur *Dan.* 10. intelligendi ſunt. Deinde: cum opus illud arduum Judæis incumberet, ut Templum integritati priſtinæ reſtituerent; Angeli operis tam ſacri præſides, per [6] *ſeptem aurei candelabri lampades* repræſentabantur. Sed & *fluvium* illum *igneum* apud Danielem, [7] *Jachiades* Ordinis Angelici figuram eſſe contendit, ſic textum explicans, והוא עולם המלאכים וגו׳ *Iſte* fluvius ſcilicet igneus, *eſt mundus Angelorum, qui thronum portant & miniſtrant Deo*.

(2) ANGELI ſub antiquiora mundi ſecula, ſpecie ignea conſpiciendos & alloquendos hominibus ſe plerumque præbuere. Nam Cherubim, cuſtodes Paradiſi, ſub imagine [8] *flammantis gladii* Adamo & Evæ repræſentabantur. Animalia illa in *Ezechielis* viſione, imagines Angelorum habita, dicuntur aſpectum præbuiſſe, [9] *veluti prunarum ignis ardentium*, & [10] *abiiſſe & rediiſſe ſecundum aſpectum fulguris*. De Angelo etiam qui Danieli apparvit, dicitur, quod [11] *facies ejus eſſet velut aſpectus fulguris, & oculi ejus ut lampades ignis*. Eliſhæ etiam Angeli ſui tutelares ſub forma [12] *curruum & equorum*

rum igneorum, se illi conspiciendos obtulere. Formam eandem Exercitus illi cœlestes 13 Eliæ visi induebant. Splendor ignis cujusdam imperiosi & terrorem inferentis effulsit ab Angelo utrique 14 *Mariæ* viso. Nam, inquit textus, ἦν ἡ ἰδέα αὐτοῦ ὡς ἀστραπή. Alia apparitionum Angelicarum exempla, dictis affinia, in Veteris præcipue Test. scriptis, se passim legenti dabunt. Nam species illæ flammeæ, ad animos percellendos aptæ, non tantum naturæ Angelicæ sed & Oeconomiæ Mosaicæ, quæ ad terrorem & *pædagogi* tristitiam tota componebatur, magis consonæ fuerunt & accommodatæ.

(3) ANGELUS aliquis e Pectoralis Oraculo, Dei consilia & mandata omnia (quod statim ostendo) Pontifici consulenti declaravit. At e scripturis Angelorum antiquitus apparentium formas referentibus apparet, Angelos, cum Dei personam nomenque tulerint, aut Ejus responsa dederint, hominibus flammea quadam specie plurimum apparuisse. Nam Angelus ille, *Jehovæ* titulo donatus, quem Deus populi ducem statuisset, in 15 *columna ignea* delituisse dicitur. Atque eo spectare videntur 16 *Isaiæ* illa: *Et creabit Dominus super convocationes Ejus nubem per diem, & splendorem ignis flammantis per noctem.* Cœlestem illum Legatum, qui Mosem Dei nomine allocutus est, Scriptura ἐν φλογὶ πυρὸς *in flamma ignis* ei apparuisse dicit. Angelus etiam, cujus ministerio Deus legem e Sinai dedit, & quem nominis sui dignitate cohonestavit, speciem tantum flammeam populo spectanti obtulit. Hinc & φλὸξ νομοθετοῦσα. *flamma legifera*, cum plurimis aliis quibus Hebræorum natio inclaruit miris, a 17 Concilio *Nicæno* numeratur. Ignearum earum formarum, quas Angeli, Dei consilia referentes, hominum oculis antiquitus objecere, famam ad ethnicos tandem permanasse, ex oraculo illo *Chaldaico* apud *Psellum* intelligamus: Ηνίκα βλέψης μορφῆς ἄτερ εὔιερον πῦρ — λαμπόμενον σκιρτηδὸν ὅλον κατὰ βένθεα κόσμου, — κλῦθι πυρὸς φωνήν· i. e. *Quando videris absque forma sacrosanctum ignem, lucentem exultando totum per mundi profunda, Audi ignis vocem.* Ubi agit *oraculum*, ni fallat psellus, *de divino igne a plurimis hominibus sacris conspecto*, a Mose nempe in rubo, & Elia in cœlum rapto, aliisque. Cum itaque (ut institutum repetam) Angeli Dei personam sibi impositam sustinentes, sub augusta ignis flammantis forma se videndos dederint, ut Dei, cujus locum pro tempore tenuere, naturam eximiam decore & concinne redderent; & certum sit Angelos, Dei vicem gerentes, e pectoralis Oraculo responsa reddidisse; pespicuum est, nomen illud URIM, *ignem flammantem* notans, Angelis, saltem prout Oraculi divini Ministris, apposite convenire.

(4) TITULUS ille *Urim* conceptum & imaginem naturæ Angelicæ perfectissimam forte cujus, corporis fæcibus immersi, capaces sumus, mentibus nostris ingerit. Nam igne, flammante præsertim, nihil simplicius, splendidius nihil, nihil a crassa & vili rerum aliarum sorte remotius, aut figuræ determinatæ magis expers, nihil corporum cœlestium conditionem propiore affinitate attingens, nihil agendi facultate nobiliore pollens, capit hæc mortalium regio. Unde quispiam intelligat, quam intimo consensu ignis flammantis & Angelorum naturæ sibi mutuo devinctæ sint, & quam vividam naturæ Angelicæ imaginem ignes flammantes animo repræsentent. Ideoque res nullas, quibus nomen *Urim* tam commode quam Angelis tribui, aut de quibus majore cum veri specie intelligi queat, in tota rerum compage reperire licet.

VETERUM Judæorum, Christianorum, & Gentilium, suffragio affirmatum est titulum *Urim* naturam Angelicam feliciter exprimere, & cum ea maxime consentire. Veteres enim Judæi sensisse videntur, Angelos qua bonos qua malos ita esse spiritus, ut non sint prorsus immateriati, sed ex materia quadam 18 ignea constare. Hujus sententiæ vestigia quædam evanida percipiamus in 19 *Esdræ* scriptis, ubi nomine Οὐριήλ, i. e. *Ignis* vel *Lumina Dei*, unus e cœlestibus illis incolis notatus venit & in fragmento illo vetustissimo *libri Enoch* (eum enim titulum præfert) a *Scaligero* & *Kirchero* in lucem misso, ubi Οὐριήλ in Archangelorum sortem & societatem evehitur, & primus ante omnes ad Lamechi filium missus dicitur. Eadem opinio forsan *Chald. Paraphr.* mentem imbuit, qui verba illa, 20 *currus Dei viginti millia*, de Angelis dicta, in hunc modum interpretatur; *currus Dei duæ myriades ignis ardentis.* Et vero proximum est, *Mohammedem* fidem eandem a Judæo illo quo præceptore usus est hausisse, & in *Alcoranum* suum transcripsisse. Ait enim, 21 *Deum revelasse Angelis hominis de luto formationem, & statim atque animæ suæ portionem ei insufflasset, omnes Angelos præter Belzebub, Deo ita jubente, hominem adoras-*

ſe: Deum autem Diabolum interrogaſſe, cur opus manuum ſuarum adorare recuſaret? quia, inquit, eum de luto cænoque nigro, me vero ex igne creaſti. Crambem illam recoquit, *Surat.* 37. Chriſtianos aliquos antiquos ab eadem opinione non multum abfuiſſe patet: nam [22] *Severinus* Angelos ignes eſſe, his verbis aſſerit: ὐ γὰρ μόνον τῦτο τὸ πῦρ ἐςὶν, ἀλλὰ καὶ αἱ ἄνω δυνάμεις πῦρ εἰσι· καὶ συγγενές ἐςι τὸ ἄνω πῦρ τότε τῦ παρ' ἡμῖν. Hiſce conſentaneum eſt quod [23] Auctor modo laudatus habet: poſtquam enim dixiſſet, *Geniorum corpora* מן האש והאויר *ex igne vel aere conſtant Hebræi, abutentes* [24] *Pſalmi verbis*, faciens Angelos ſuos ſpiritus, miniſtros ejus flammam ignis; hæc addit: *quæ Dionyſius Nazianzenus, Baſilius* (lib. *de Spiritu S. ad Amphilochium*, Cap. 16.) *pariter exponunt. Idem etiam cenſuerunt, S. Juſtinus, Tatianus, Irenæus, Tertullianus. Cyprianus, Origines aliique, Ordinibus cœleſtibus ignea corpora tribuentes*. Eidem opinioni mentes addixere nonnulli e Gentilium ſcholis: nam *Plato* Genios aut Deos ſuos ſuperiores [Angelos malos] [25] *ignes* eſſe decrevit, eoſque Θεὺς πυρί[illegible]ς indigitavit. Iis σώματα ἐμπύρια *corpora ignea* donavit *Proclus*, ut alios ex eo grege taceam.

Non eſt neceſſe (ſi quid ipſe video) ut pluribus utar argumentis, ad probandum, Angelos totam nominis hujus *Urim* latitudinem explere, eique exacte reſpondere.

Theſ. 2. Secunda Theſis hujuſmodi erat: *Angelus aliquis, Dei nomen & perſonam ferens, e Pectoralis Oraculo pontifici conſulenti reſpondere ſolebat*. Neque eſt, quod me capitis proprii viſionem, & machinam aliquam, ne cauſa mea ruinam agat, excogitatam, proferre jam ſentiat quiſpiam. In hanc enim ſententiam gradu preſſo, non cauſæ ſtudio ſed rationis evidentia motus, veni. Nam,

(1) Ex iis quæ dixi modo manifeſtum eſt, pontificem reſponſa per Urim data, non per ſigna quædam lubrica, ænigmate & involucro plena, ſed voces diſtinctas captu & auditu facillimas accepiſſe. Cum itaque voces, non ſigna vel nutus miraculoſi, mentis divinæ interpretes eſſent, ſuadet ratio ut eas Angelorum virtute formatas exiſtimemus. Eorum enim tam frequente miniſterio in negotiis aliis tranſigendis uſus eſt Deus, quod *Maimonides* fidens [26] aſſeruit, *non invenies Deum ullum opus feciſſe, niſi per manus alicujus Angeli*. Atque inde factum eſt forſan, quod, ubi Jehovah quicquam facere dicitur, ab interprete Arabico *Angelus Domini* loco *Jehovæ* ſubſtituatur; quod nempe Jehovah beneplacita & mandata ſua per Angelos actores & miniſtros intermedios exequatur. Sed utut hæc res ſit, communis *erat* Hebræorum veterum *opinio, Deum non loqui niſi Angelorum miniſterio*: prout nos docet *Grotius* in textum illum *S. Johannis*, 12. 29. ἄγγελος αὐτῷ λελάληκεν.

(2) Perspicuum eſt, & apud omnes in confeſſo ponitur, Angelos malos e Gentilium Theraphim reſponſa, originis divinæ ſpecie fucata, ſæpe tradidiſſe. Ex iis etiam quæ Capite tertio dixi probabiliter intelligitur, imagines quaſdam titulum eundem præferentes inter antiquiſſimos Dei cultores locum & honorem inveniſſe & ex iis, priuſquam infamiam a ſeculi ſuperſtitione traxerant, Angelos Dei quandoque reſpondiſſe. Eſt itaque rationi conſentaneum, ut Angelos ex Urim, Deo provinciam eam iis decernente, oracula profudiſſe cenſeamus: præſertim cum Urim & Theraphim, nominibus, officiis, & naturis, conjunctiſſima fuiſſe, & Urim in locum τῶν Theraphim ceſſiſſe jam dicta probent.

(3) Sub Œconomia Moſaica, Deus leges, cultus divini ritus, & conſilia ſua omnia, per vicarium Angeli miniſterium populo patefecit. Is legem tradidit, non ἀμέσως, ſed per manum Angeli internuncii ſuo nomine agentis, adeoque [27] nomine ſuo compellati; ita teſtatur *S. Stephanus*, *Act.* 7. 38. ita *S. Paulus*, ad *Gal.* 3. 19. & ad *Hebræos*, 2. 2. juxta receptam forte veterum Judæorum fidem. Hanc conjecturam ſpecioſam reddunt [28] *Joſephi* verba: ἡμῶν δὲ τὰ κάλλιςα τῶν δογμάτων, καὶ τὰ ὁσιώτατα τῶν ἐν τοῖς νόμοις δι' ἀγγέλων παρὰ τῦ Θεῦ μαθόντων· i. e. *Nos honeſtiſſima ſanctiſſimaque Legis præcepta per Angelos a Deo accepimus*. Prophetas etiam viſiones & prophetias eorum omnes a ſpiritibus hiſce ſibi familiaribus accepiſſe, communem Hebræorum & Chriſtianorum fidem obtinet. Hujus rei confirmationem petat Lector a [29] *D. Thoma*, [30] *Maimonide*, [31] *Vorſtio*, [32] *Smitho* noſtro, & doctoribus Judaicis quos ipſe teſtes advocat. Non parum etiam jam dicta firmat, ipſa Diſpenſationis illius humilioris ratio: erat enim Lex tota διαταγεὶς δι' ἀγγέλων [33] *ordinata per Angelos*, & a Deo [34] εἰς διαταγὰς ἀγγέλων *in Angelorum ordinationes* tradebatur; & hoc ab Evangelica Œconomia [35] differebat, quod ea Chriſtum ſolum-

tummodo nuncium habuerit & dispensatorem. Ut itaque ad rem præsentem paulo propius accedam: Si Deus νόμον βασιλικὸν Israelitis, si cœli arcana Prophetis, si prima cultus sui rudimenta Patriarchis, & consilia sua varia viris pietate claris, [36] non nisi per vicarias & intermedias Angelorum manus tradere dignatus fuerit; haud æquum est opinari, Summam Cœli Majestatem exiguis seculi præsentis rebus immediate adesse, eumque qui de aureo vellere per Legatos tantum locutus est, de lana quasi caprina per seipsum respondere voluisse.

(4) Nisi Angeli Pontifici Oraculum ejus consulenti præsto fuissent, & illius quasi nutum observassent, primum Christi decus & gloriam, in tota rerum cœlestium sciagraphia quam Lex Mosis exhibet, ne rudioribus umbellis depictam inveniamus. Obsequium illud paratissimum quod Angeli Domino nostro in terris agenti deferebant, & frequentes eorum apparitiones ad illius dignitatem eximiam, velamine carnis obtectam, afferendam; inter primos Christi, dum humilis in terris agebat, honores non immerito numeremus. Ideoque Christus ipse, ut opinionibus præjudicatis occurreret, propter natales ejus obscuriores & rem angustam, Discipulorum suorum animis inhærentibus; eos *cœli angelos super Filium hominis ascendentes & descendentes visuros* [37] prænunciat. Et certe Angelos vere & proprie (non typice tantum & umbratice, prout in Jacobi somniantis scala) super Christum ascendisse & descendisse, nulli dubium esse potest, cum toties Ei ministrarint. Nec minus a quæstione omni remotum est, Christum efficere potuisse, ut discipuli sui spectaculum tam divinum oculis suis contrectarent. Vidit enim Elisæi famulus exercitum Angelicum, Stephanus cœlum apertum, & Christum a Dei dextris; Jesaias, Ezechiel, & Daniel, *Seraphim* & *Cherubim* sibi advolantes conspexere. Christo autem hoc futurum affirmanti tuto credamus, quamvis disertam ejus rei historiam (neque enim omnia de Christo scriptis traduntur) desideremus. Cum itaque ea Angelorum obsequia Messiæ tam frequenter præstita, inter gloriosa Majestatis suæ insignia & testimonia primas habeant; Ratio exigit ut Sacerdotem Summum umbram aliquam propheticam honoris & dignitatis tam eximiæ gessisse, & proinde Angelos super Pontificem quandoque ascendisse & descendisse censeamus. Et sane Judæi sagaciores Sacerdotem primarium, tot ornamentis & singulari muneris sanctitate conspicuum, tanquam imaginem & speculum luculentum a Deo constitutum acceperunt, in quo prima Messiæ decora & sacratiora Majestatis suæ exempla expressa contemplari possent.

(5) Non plane otiosum erit observare, Gentilium etiam doctores ad δαίμονας quos nuncupant, χρησμοὺς sive oracula sua omnia retulisse. Nam [38] *Plutarchus*, postquam ἁγνοὺς δαίμονας καὶ φύλακας ἀνθρώπων, *bonos quosdam, castos, hominumque custodes. Genios* esse docuisset; addit. Πλάτων ἑρμηνευτικὸν τὸ τοιοῦτον ὀνομάζει γένος καὶ διακονικὸν ἐν μέσῳ θεῶν καὶ ἀνθρώπων, εὐχὰς μὲν ἐκεῖ καὶ δεήσεις ἀνθρώπων ἀναπέμποντας, ἐκεῖθεν δὲ μαντεῖα δεῦρο καὶ δόσεις ἀγαθῶν φέροντας. i. e. *Plato hoc genus inter Deos atque homines, interpretum administrorumque fungi muneribus ait: quia ab hominibus vota precesque ad Deos perferunt, a Diis ad homines oracula & dona bonarum rerum.* Eidem sententiæ animum adjunxit *Plutarchus* ipse, libro cui titulum dedit, *De Oraculis quæ defecerunt;* ubi inquit, τὸ μὲν ἐφεστάναι τοῖς χρηστηρίοις, μὴ θεοὺς, &c. *Præsidere quidem Oraculis, non Deos: quos a locis terrenis decet, expeditos esse, sed Dæmonas, Deorum ministros, haud male mihi dici posse videtur,* &c. Quæ quidem omnia, de Angelis, mutato tantum nomine uno & altero, narrari possunt: nec abest a veri specie, Græcos e veterum Judæorum scriptis aut scholis ea furtim accepisse, & novis quibusdam formis & nominibus, more furum, impressisse; ne quis eos de bonis non suis gloriari crederet.

Thes. 3.

Tertio: probandum superest, *Divinandi instrumentum in Pectorali positum, nomen* Urim *ab Angelis, inde voce formata respondentibus, reportasse.* Nec desunt firma satis hujusce sententiæ fulcra: Nam

(1) In more erat apud Gentes omnes, antiquitate & morum cultu celebres, statuas suas sacras earum personarum titulis cohonestare, in quarum præcipue gratiam, usum, aut honorem dicatæ fuerant. Ægyptii simulachra sua non animalium eorum nomine, quorum figuras imitabantur, distinguere solebant; *Sed Apin, Anubin,* aut *Isiden,* quorum honori inscripta fuerant, ea vulgo nuncupabant. Statuæ etiam, quas Chaldæi aliique Dominis suis tutelaribus consecrabant, nomine *Baalim* decoratæ sunt: ideoque textum [39] illum,

lum, *res Jehovæ sacratas fecerunt in Baalim*, nonnulli de statuis vel idolis ex auro vel argento Jehovæ sacrato formatis, & nomine *Baalim* insignitis, interpretantur. Apud Romanos etiam, teste S. [40] *Augustino*, *unumquodque Junonis simulacrum Juno vulgo vocabatur*: & morem eum Romanum sapiunt illa [41] *Apuleii* verba, *lapis Parius in Dianam factus*. Gentilium more, Christiani tandem τὰ ἱερὰ σύμβολα τε καὶ ἐκτυπώματα (uti vocat Photius) *sacra sua symbola & imagines*, nominibus οὐκ ἀπὸ τῆς ὕλης, *non a viliore earum materia* mutatis appellare consueverunt; sed religiosum piumque duxerunt, ut ab ipsis eorum [42] Archetypis, Christo vel Apostolis, ὧν τε μετέχει, καὶ πρὸς ἃ παρῆκται· οἷς τε ὑπηρετεῖται καὶ ἀφιέρωται, *quæ participant, ad quæ traducuntur, quibus inserviunt & devoventur, denominationem sortirentur*. Cum itaque fatidica Pectoralis icuncula Angelos præsentes sistere, & tanquam symbolum eorum & χρηματιστήριον inservire crederetur; mores antiqui seculi suadebant, ut decoro illo Angelorum titulo *Urim*, non minus honoris quam distinctionis gratia in eam translato frueretur.

(2) LXX. vocem Urim vocabulo masculino, δήλοις vel δήλων, interpretari solent. Mihi vero rationem ne quidem comminisci datum est, cur ita verterint, nisi ut Angelos indigitarent, Oraculi pontificii præsides, & voce vel luce *manifestos*, cum eorum ministerio responsa redderentur. Lex enim linguæ Græcæ, uti & Latinæ postulat, ut adjectivum sine substantivo positum sit neutrius generis, nisi forsan ad personas indigitandas usurpetur. Fateor equidem, [43] *Scaligerum*, [44] *Grotium*, aliosque notæ clarioris auctores, voces eas δήλοις & δήλων, neutras existimare, easque in δῆλα, plurale neutrum, quandoque vertere. Eos autem hic a Græcorum mente devios, probat locus [45] ille *Deuteronomii*, δότε Λευὶ δήλους αὐτοῦ καὶ ἀλήθειαν αὐτοῦ, &c. Ubi vox masculina δήλους, voces etiam δήλοις & δήλων, masculinas ostendit, nec de rebus sed personis (i. e. Angelis) intelligendas. Hoc interim obiter observare liceat: Interpretes illos vocabulum Græcum elegisse, quod Angelos, non minus obscure quam Hebraicum Urim, denotare posset. Hanc enim obscuritatem temporum eorum genius exegisse videatur.

(3) IMAGINES in Sancto Sanctorum positas, Angelorum symbola fuisse, Angelos Dei mentem vocibus inde datis interpretari solitos, & imagines illas inde titulum Angelicum *Cherubim* obtinuisse, Doctorum suffragiis abunde confirmatur. Cum itaque quæ jam dixi manifestum faciant, Sacerdotis Summi Λόγιον imaginem saltem unam continuisse, & Angelos inde voce formata respondisse; suadet Ratio, ut ei nomen *Urim* ab Angelis inde loquentibus accrevisse censeamus.

(4) LIQUIDIS argumentis ostendisse videar, Teraphim, Angelis intus agentibus, oracula sæpius effudisse, atque inde nomen illud Angelicum Seraphim vel Teraphim iis adhæsisse. Cum itaque Urim, munere, significationis proximitate, aliisque rationibus, cum Urim congruere, & eorum locum occupare, tot argumentis compertum habeamus; rationi convenit, ut Urim virtutem propheticam Angelis intus latentibus debuisse, & nominis illius originem a beatis illis Mentibus habuisse, censeamus.

(5) DIE clarius est, nomen illud Urim rei nulli in Pectorali positæ, nisi quatenus rei alterius signo vel figuræ convenire posse. At ingenium Lectoris maxime morosi diu vapulabit, priusquam rem ullam excogitare poterit, cui nomen *Urim* competat, nisi rem eam Angelorum symbolum fuisse, & titulum illum jure quasi vicario tenuisse dicat. Quamvis enim splenderent pectoralis gemmæ, nemo cautus eas *ignes* aut *lumina* nuncupavit.

(6) NISI jam dictam nominis hujusce rationem pro vera habeamus, operis permolesti fuerit causam satis gravem assignare, cur titulus ille pluralis *Urim* icunculæ singulari affigeretur: at hypothesi nostra data, res facilis & expedita fuerit rationes solidas & evidentia propria commendatas reddere, cur unicum oraculi tradendi instrumentum nomine multitudinis exprimeretur. Nam (1) non hujus tantum aut illius Angeli symbolum fuit, nec oracula per illud tradendi partes uni alicui Angelo demandatæ; sed omnibus e cœlesti τῶν *Seraphim* ordine ex æquo dicatum, & nunc hujus nunc illius Angeli præsentia decoratum fuit: ideoque par erat ut numeri pluralis titulo, veluti usus illius communis indice inscriberetur. Nam & Ethnici ob rationem consimilem (nempe quod Diis hospitalibus consecrata esset) uni nonnunquam imagini portatili nomen plurale *Penates* decreverunt. (2) Sub prima Oeconomiæ Mosaicæ tempora, crassa Hebræorum ingenia postularunt, ut Angelo-

gelorum symbola vel plura essent, vel nominibus pluralibus innotescerent. Si enim Deus figuram unam & numeri singularis nomine notatam, ad existentiæ & ministerii Angelorum fidem firmandam, eorumque memoriam celebrandam, instituisset; Gens illa forte (quæ nulla non errorum monstra facile concipiebat) eam Dei veri per eam colendi simulacrum esse, vel naturam Angelicam unico individuo contineri, crederet. Conjecturæ meæ fiduciam aliquam afferunt illa verba Maimonidis: [46] *præcepit Deus, supra Arcam duorum Angelorum figuram facere*, Exod. 25. 18. *ad existentiam Angelorum in hominum animis confirmandam, quæ secundus est articulus sciendus post fidem existentiæ Dei, principiumque prophetiæ & legis. Quod si una tantum figura fuisset*, h. e. *unius tantum Cherubini forma, id facile errandi causam præbuisset. Existimare enim quis potuisset, ac si esset figura Dei colendi, sicut idololatræ faciunt; vel quasi unicum esset individuum, atque ita in multiplices errores induceret*. (3) Raro quicquam ab Angelo quovis principe dictum factumve legimus, quin & Angeli alii, ei veluti apparitores adfuerint. Hoc apparet e *Gen.* 18. 2. 13. *Luc.* 2. 9. 13. & ex collatione *Act.* 7. 38. cum *Heb.* 1. 1. & 1. *Thes.* 4. 16. cum *Mat.* 13. 39. 41. 49. Cum itaque (quod a fide non prorsus alienum) Legatus ille cœlestis qui summi Regis mandata Pontifici deferebat, Angelos alios sibi quasi a latere habuerit; consentaneum erat, ut Pectoralis Oraculum, tot Angelorum unius ministerii societate conjunctorum gratia, nomine plurali *Urim* inscriberetur.

Rat. 2. proponitur.

CUM superius adducta manifeste probent, nominis hujus *Urim* notionem & formam grammaticalem Angelorum naturæ, muneri, atque ordini, quam maxime convenire; mihi non temere persuadeo, conjecturæ meæ aleam de prima nominis illius imponendi ratione non infeliciter cecidisse.

RATIO secunda, ni me fallat animus, hujusmodi fuit: vox illa *Urim* quanquam sub sono dissimili, sensum unum & eundem continet, quem & vocabulum Theraphim, cui tot annorum usus honorem & pretium apud plebem fecerat. URIM enim *ignes accensos* aut *flammantes* notare, notius est quam ut probatione careat: & multis probavi supra, vocabulum THERAPHIM seculis antiquioribus pro Seraphim (*Urentes* vel *inflammantes*) usurpatum fuisse; vel quod litera S nonnullis sonum male gratum præbere videretur, vel ut *Seraphim Angeli*, a Theraphim *simulacris Angelicis* clare discerneretur, nec hominum sermo quotidianus homonymia perpetua laboraret. In hanc autem sententiam de vocabuli *Theraphim* origine me consulto iturum arbitror, si nihil eo me duceret præter arctam nominum eorum affinitatem, & apertam opinionum aliarum vanitatem. Satis enim apparet, eos omnes auram solummodo venatos fuisse, qui operam impenderunt hactenus ut aliam vocis hujus originem indagarent: & male mutuo, ne *Theraphim* significationis ignotæ vocabulum in secula habeatur, adeoque digna, quæ ad *artis*, quæ dicitur, *nigræ*, magistros [vocum mysticarum aucupes] ablegetur; nisi docti rationi nominis Theraphim a me traditæ locum & fidem dandam senserint.

Et probatur.

HANC autem vocum earum, Urim & Theraphim, ἰσοδυναμίαν, aliam nominis *Urim* Oraculo pectoralis imponendi rationem fuisse, argumenta sequentia causam opinandi præbent.

PRIMO: vox *Urim* quaslibet vocabuli *Theraphim* circumstantias imitari, ejusque imaginem, quasi primi sui exemplaris, adamussim exprimere videtur. Nam (1) Utraque nomina non nisi numero multitudinis usurpantur, cum de instrumentis ad oracula edenda comparatis intelligenda sint. (2) Scriptura raro aut nunquam τῶν *Theraphim* sine nota quadam eminentiæ præmissa, mentionem ingerit. Ut *Gen.* 31. 34. *Furata est Rachel* את התרפים & 2. *Reg.* 23. 24. *Tulit Josiah* את התרפים *Zach.* 10. 2. *Quia* התרפים *locuta sunt*. De *Urim* etiam loquens, & illud ejusmodi emphatico distinctionis & excellentiæ signo dignari solet: ut *Exod.* 28. 30. *& pones* את האורים atque ita passim. (3) *Theraphim* nomen substantivum commune est, quanquam nominis proprii vice fungatur: idem & de *Urim* illæsa veritate dici potest. [4] *Theraphim*, quamvis nominis pluralis formam ferat, vocis tantum singularis potestatem in Scripturis obtinet. Nam 1. *Sam.* 19. *Michol* התרפים accepisse dicitur, hoc est, unicum proculdubio simulacrum, ad unius Davidis præsentiam simulandam. *Urim* etiam, quamvis vox numeri sit, ad unicam solummodo imaginem denotandam usurpatur; cum Pectoralis angustiæ plures imagines, *Urim* & *Thummim* titulis insignitas, in latebris illius abscondi minime paterentur. (5) Simulacra a quibus gentes responsa petiere, simplici τῷ *Theraphim*

raphim titulo vulgo innotuere: cum etiam de responso, mediante Pectoralis Oraculo, cœlitus accipiendo sermo inciderit; imaginis simplici τȣ̃ *Urim* nomine designatæ mentionem in Scripturis factam esse, jam observatum est. Cum itaque *Urim* antiquioris vocabuli *Theraphim* imaginem, tam claris expressam gerat characteribus; proclive est colligere, *Theraphim* illius prototypum fuisse; & *Urim* ab eo, nomen, formam, & initium accepisse.

Secundo: humiles & inculti Hebræorum animi nomen Pectoralis Oraculo tributum, quod ab antiquo *Theraphim* non multum recederet, exegisse censeantur. Cum enim vulgi rudioris oculus, titulorum tantum quos res gestant, cortice hærere soleat; modo Deus nominis antiqui *Theraphim* sonum simul & sensum abdicasset, eum & rem illam antiquam quam in sinu, in animis, in oculis, ferebant Israelitæ, e medio sustulisse proculdubio credidissent. Deinde: minime probabile est, Deum nomina obscura adeo, & a seculi usu tam longe dissita, Oraculo suo dare voluisse, ut meræ essent populi illius hebetis cruces & equulei, & ipse Dei *interpres egeret interprete*: cum præsertim pleraque alia Legis instituta, veluti *infirma & egena rudimenta*, ad infantiam & modulum populi, qui altiora non caperet, benignus attemperaverit.

Tertio: ratio nulla reddenda videtur, cur nomen illud Urim, *ignes flammantes* denotans, prophetico Pectoralis organo datum esset, nisi quod sensum vocabuli antiqui *Theraphim* vel *Seraphim*, per mysticam quandam synonymiam, haud infeliciter exprimeret. Nam si Deus *lumina* tantum, juxta receptam opinionem, eo vocabulo intelligi voluisset; *Orim*, vocem ad sensum illum exprimendum natam factamque, vocabulo *Urim* sine dubio prætulisset. Sin autem Angelorum tantum gratia, e pectorali subinde respondentium, Oraculum nomine *Urim* vocaretur; mihi magni Apollinis loco futurus est, qui causam expedire novit, cur Deus Angelos suos sensus tam incerti nomine, & a Scripturæ seculique usu plurimum recedente designari vellet.

Quarto: Si Scripturas omnes, quibus hæc duo nomina conjunctim veniunt, collatas intueamur, obvium erit observare, eas locum digniorem τῷ *Urim* perpetuo tribuisse. Hujus autem nominum ordinis nunquam immutati ratio hæc una mihi videtur assignanda: *Theraphim*, a quo *Urim* initium habuit, antiquitate & famæ celebritate, simulacrum Ægyptiacum Αλήθεια nominatum, cui *Thummim* ortum debuit, longe superavit: ideoque par erat ut nomen *Urim*, eo quod e domo quasi antiquiore & celebriore genus duceret, locum principem semper obtineret. Fateor equidem in textu [47] illo unico, *sint Thummim tui & Urim tui cum viro sancto tuo*, Urim in secundis consistere: at eo in loco nominum ordinem præter morem Scripturæ turbavit Moses, forsan ut ostenderet, se non tam Urim & Thummim, quam res eas pretii majoris, quarum umbram solummodo ferebant Urim & Thummim, Tribui Leviticæ comprecatum fuisse. Neque tamen Mosem eo in loco usitatum nominum ordinem turbasse, pro re prorsus indubitata habendum arbitror. Sic enim Græci locum transferunt, δότε Λευὶ δήλȣς αὐτȣ̃, καὶ ἀλήθειαν αὐτȣ̃ ἀνδρὶ τῷ ὁσίῳ. Unde suspicioni locus est, exemplaria quædam antiqua se aliter habuisse, & Urim hic, prout alibi semper τῷ Thummim præposuisse.

Quinto: argumenta capite superiori producta probant, Oraculum *Urim* ex inveterato responsa per Theraphim accipiendi more, leviter immutato, principia derivasse. Est itaque rationi consentaneum, ut nomen *Urim* a veteri vocabulo *Theraphim* originem accepisse, Deumque a re nomine veteri passibus æquis abiisse crederemes. Cum enim Deus, gratia consuetudinis tot annos natæ, imaginem virtute prophetica pollentem in Pectorali reponi passus sit; tantum proculdubio valere potuit consuetudinis diu receptæ ratio, ut & nomen olim usitatum, *Theraphim*, in titulum saltem synonymum *Urim* mutatum toleraret. Non solet enim Numen cœleste, vulgi ritu, nominibus odia infesta denunciare, cum rebus ipsis impense favet.

[1] Οὗτός ἐστιν, *scil. Christus*, ὁ διδȣ̀ς καὶ τοῖς Ἕλλησι τὴν φιλοσοφίαν διὰ τῶν ὑποδεεστέρων ἀγγέλων. *Clem. Alex. Strom.* 7. p. 832. [2] *Psal.* 104. 4. [3] *Bene, nam ibi LXX.* πῦρ φλέγον, *& Symmachus* φλόγα πυρίνην, *habent*. [4] *Mat.* 16. 27. [5] 2. *Thess.* 1. 8. [6] *Zachar.* 4 2. 10. [7] *Comment.* in *Dan.* 7. 10. [8] *Genes.* 3. 24. [9] Cap. 1. 13. [10] V. 14. [11] *Dan.* 10. 6. [12] 2. *Reg.* 6. 17. [13] 2. *Reg.* 2. 11. [14] *Mat.* 28. 3. [15] *Exod.* 14. 19. 24. [16] Cap. 4. 5. [17] P. 1. l. 1. c. 4. [18] V. *Jacob.* Winder. de *Vit. Funct.* p. 93. [19] lib. 2. cap. 5. 25. [20] *Psal.* 68. 17. [21] *Surat.* 15. [22] *Orat.* 1. *de creat. Mundi*. [23] Winder. ub. supr. p. 93. [24] *Psal.* 104. 4. [25] *Auctor. Laert.* in *Plat. & Aristot.* [26] *Mor. Neb.* P. 2. cap. 6. [27] V. *Grot. explicat.* Exod. 20. v. 1. [28] *Antiquit.* l. 15. c. 5. p. 674. 30. [29] *Sum.* p. 1. q. 111. *Artic.* 1. [30] *Mor. Neb.* P. 2. c. 41. & P. 3. c. 45. [31] In *Maim.* de *fund. leg.* c. 7. [32] *Tract.* de *Prophet.* cap. 5. [33] *Gal.* 3. 19. [34] *Act.* 7. 53. [35] *Heb.* 2. 2. 3. [36] V.

Lib.

Lib. de *Tena* in Cap. I. ad *Hebr.* [37] *S. Jo.* cap. I. v. 52. [38] De *Isid.* p. 361. C. [39] 2. *Chron.* 24. 7. [40] *Quæst.* 16. in *Judic.* 2. [41] L. 2. de *Aur. Asin.* p. 39. [42] *Test. Photio Epist.* 214. [43] *Emendat. Temp.* p. 654. [44] Ad *Eccles.* 45. 12. [45] Cap. 33. 8. [46] *Mor. Neb.* P. 3. c. 45. [47] *Deut.* 33. 8.

SECT. IV.

Objecta contra rationes primarias nominis URIM *diluuntur.*

QUO minus quæ de primariis nominis illius Urim rationibus jam dixi, tanquam mentis meæ parum vigilantis somnia, risu excipiantur, aut Lectoris animus adversantium argumentis in sententias ancipites distrahatur; quatuor Objectionibus mihi necessario respondendum est.

Obj. I. PRIMA in hunc modum formari potest: cum *Urim* & *Theraphim* voces affines sint & pari potestate præditæ, causa nulla vel fingi potest, cur Deus vocabulo veteri *Theraphim* abdicato, cui longa dies gratiam conciliarat, novum *Urim* (vocem plane synonymam) in illius locum & vicem cooptarit. Ideoque Theraphim, antiquum imaginum oracularium titulum, primam nomini Urim ansam & occasionem administrasse, ratione prorsus adversante dixisse videar.

Tollitur. RESPONDEO: in re facili & explicata nil opus est ut fingat quispiam. Causæ satis graves vel primis hominum cogitationibus se dabunt; cur Deus *Urim*, nomen minus tritum & vulgo notum, titulo priori surrogarit. Nam,

(1) ID factum est, quod *Theraphim* forsan nomen esset infame & periculosum: nempe ab usu inter aliquos Idololatrico labem contraxerat, & populum in cultus ethnici memoriam reducere poterat: ideoque Deus (ut superstitioni, lubrico ad sui propagationem malo, occurreret) Oraculum suum nomine illo candido, auspicato, & superstitione nulla maculato, *Urim*, signari voluit. Neque novum est, ut nomina, postquam infamiæ alicujus notam subierint, in desuetudinem & contemtum abeant. Deus populi sui [1] *Baal*, ut olim, appellari noluit: quod vox illa, ad Numina fictitia sæpe traducta, [2] mali speciem præberet & occasionem. *Hellenistæ* (observante *Grotio* in *Mat.* 4.) *Angelos lucis noluerunt appellare Dæmonum vocabulo, sed in detestationem paganicæ superstitionis nomen id proprium esse voluerunt Spiritibus noxiis*. Norunt & pueri nomina illa, *fur*, *magia*, *Tyrannus*, &c. primitus non mali ominis, quod a malis hominum moribus infamiam hauserant, locum & usum primævum amisisse.

[2] THERAPHIM in nominum propriorum censu Mosis seculo numerabatur, & sensum simplicem & angustum ferebat: *Urim* vero vocabulum erat significationis paulo latioris, *ignes*, *lumina* & *illuminantes*, designans; ideoque non tantum vices *Theraphim* vel *Seraphim* supplere, sed & mysteriis, postea dicendis, felicius adumbrandis inservire potuit.

[3] MINIME novum est apud Hebræos, ut propria nomina in alia ejusdem aut vicini significatus immutentur. Hanc veritatem iis exemplis firmavit [3] *Grotius*, quibus Lectori facile satisfiet.

(4) HÆC nova nomina, Urim & Thummim, instituit Deus, forte quod misterium saperent & vulgi captum excederent, adeoque Legis institutis majestatem & reverentiam adderent. Eo enim ingenio sunt hominum vulgus, quod Divinitatem quandam in nube & caligine expectare, & celata omnia stupida quadam veneratione accipere soleant, conculcare vero quæ præ pedibus jacent & exposita:

(5) VOCABULUM *Urim*, utpote purum putum Hebræum, multo magis quam *Theraphim*, quod Chaldaismi vel Syriasmi speciem & tincturam ferebat, populi Israelitici conditioni convenire videbatur. Nam populum illum Deus Nazaræum fecit, & a mundi gentibus non moribus & privilegiis tantum, sed & linguæ Hebrææ puritate, apud se solum servata, separari voluit.

(6) PROUT pauci admodum fuerunt Hebræorum ritus, qui quoad eorum materiam, ex aliquo seculi more in Legem non manarint; ita ex iis longe pauciores, qui quoad circumstantias aliquas, correctionem & alternationem insignem non subierint: ne forsan Gentibus cum Judæis necessitudo, nimia morum similitudine conflata intercedens, ingens idololatriæ malum iterum apportaret. Fatendum etiam, Deum antiquum oracula e *Theraphim* vel imagine recipiendi morem Israelitis concessisse, si substantiam spectemus, integrum, multum autem quoad circumstantias immutatum. Eatenus enim a seculi more discessit Deus, quod *Theraphim* non, ut olim, oculos vulgi subire, & ædibus privatis aut templis publicis locari, sed in Pectoralis duplo, tanquam Numen in adyto latere, voluerit, quod *Theraphim* Ejus

Ejus non cuivis ex humili plebe, sed Sacerdotum principi consulenda dederit: quod ea de regni gravioribus, non vitæ communis casibus interroganda fuerint: quod denique, misso antiquiore vocabulo *Theraphim*, Urim in illius locum suffecerit. Adeo ut Israelitæ, novis his Oraculi sui circumstantiis moniti, facile percipere possent, quamvis ejusdem naturæ Theraphim consulerent ad huc, se tamen ab eodem numine vili, quo gentes, oracula non accepturos.

Obj. 2. SECUNDO: nonnulli forte sententiæ meæ, de ratione nominis *Urim*, nigrum præcipites apponent calculum, quod verisimile non habeant, Angelum aliquem in arctam Pectoralis aut incunculæ parvulæ cavitatem, substantiæ suæ capiendæ imparem, coarctari potuisse. Sed nec voluisse sentiunt: cum e dignitate sua non esset, ut in angusto Pectoralis limite æstuaret, ut voces inde fatidicas ederet, quo morbidum populi arcana cognoscendi appetitum satiaret. Ideoque necesse est, ut nominis hujusce rationes, ab Angelis e pectoralis Oraculo loquentibus petitæ, in fumos & umbras evanescant.

Solvitur. AT nemo est quem scrupulus ille diu vexatum dubiumque tenere possit, si jam dicenda dignetur æstimare.

(1) CERTUM est Angelos & potuisse & voluisse, terminis haud multo amplioribus, ut munia non admodum dissimilia obirent, sæpe coerceri. Cum scilicet in Arca parvula habitarent, & e medio *Cherubinorum*, Dei personam sustinentes, nunciorum cœlestium partibus fungerentur. Hac de re, fidem pene omnem vincente, paulo fusius * *Buxtorfii* verbis differere, non prorsus alienum arbitror. *Quotiescunque Mosi, pro rebus ad salutem populi pertinentibus, Dei os consulere visum fuit; ex Arca, & nominatim interstitio illo exiguo quod inter duos Cherubinos operculo Arcæ, affixum erat, responsum ab eo voce sonora, distincta & articulata accepit. Miraculo omnem humanum captum superante; Deum nempe infinitum & immensum, qui cœlum, terram, maria, & totum hoc universum, replet & excedit, intra Arcæ unius angustias, quæ non trium integrarum ulnarum erat, imo spithamæ unius spatio [quod inter duos Cherubinos, unde vox Dei prodibat, notant] in populi sui gratiam se inclusisse & quasi circumscripsisse.* Horum affine est quod scribit [4] R. Bechai: *Porro nosti Mosen audivisse vocem Dei* מבין שני [5] הכרובים מתוך שיעור טפח כי שם וגו' *ex inter duos Cherubinos, e medio mensuræ* [6] *palmi. Illic enim præcise quasi terminavit suam habitationem seu præsentiam, non obstante quod de eo scriptum sit, annon cœlum & terram impleo? dicit Dominus.* Quæ quidem Rabbini verba, eo tantum nomine falsi sunt arguenda, quod id ipsi Deo, quod Angelo tantum, illius vicem titulumque gerenti, Theologorum pars potior tribuendum sentit. Angelus etiam in columna illa, quam Deus Israelitis in terram promissam tendentibus ὁδηγὸν posuit, delituisse 7 dicitur.

(2) ANGELOS malos, ut fallendi artes exercerent, angustos τῶν *Theraphim* limites ferre & potuisse & voluisse, (si quid valent tot spectatæ fidei auctorum testimonia) extra dubium posui. Utcunque; ut Lectori difficillimo satisfaciam, non grave fuerit & illud [8] *Arnobii* testimonium addere; *sæpenumero videmus, hæc signa*, Deorum simulacra, *ab artificibus modo parvula fieri & palmarem in minutiem contrahi: modo in immensum tolli, & admirabilem in amplitudinem sublevari——Ratione hac ergo sequitur, ut intelligere debeamus in sigilliolis parvulis contrahere se Deos, & alieni ad corporis similitudinem coarctari: at vero in vastis porrigere se longius*, &c. Facile itaque ibi persuadere poterit cordatus quispiam, Angelos Dei, ab omni materiæ crassioris impuritate remotissimos, easdem quas spiritus impuri angustias ferre potuisse. Pluribus Lectorem morari in re confessa non opus est.

(3) NORUNT omnes, sanctos & benignos illos Spiritus, se tam faciles & propensos ad officia omnia singularis in nos mortales benevolentiæ repræsentandam semper præbuisse; quod & alia munia, non minus infra naturæ suæ dignitatem posita, præstiterint, si quid inde commodi nos reportaremus. Sunt enim Angeli nobis, animalibus e luto & peccato conflatis, πνεύματα λειτουργικά: pedibus nostris, ne forte in lapidem offendant, in horas invigilant: in piscinam descendit Angelus, ut aquis virtutem salutiferam impertiret: in squallidum *S. Petri* carcerem venire se non indignum duxit Angelus, ut eum libertati restitueret: *S. Paulo* jam naufragium facturo astabat Angelus, ut fractis ejus & comitum animis, spe vitæ facta, vires & fiduciam adderet: Angelus in *columna nubis* excubias agebat, cum status Israelitici rationes ita postularent. Ideoque facile credamus, Angelos de cœlo in Pectoralis Oraculum descendere voluisse; ne Israelitæ, inexplebili oraculorum

rum cupiditate moti, ad gentium idola mortisque semitas allicerentur.

(4) CERTUM est, responsa de Pectorali data virtuti & præsentiæ divinæ vel Angelicæ tribuenda esse: absit autem ut Deum exiguis Judæorum rebus immediate adfuisse, & se actionum & consiliorum omnium arbitrum præbuisse dicamus; tantum ne Angelis provinciam sua indignam eminentia tradere censeamur: cum præsertim sub Oecomia Mosaica Deum per Angelos, Illius nomine agentes, Ecclesiam administrasse constet?

(5) NOS equidem homunciones misselli tali fastu turgescimus, & auram popularem tanto hiatu & ambitu captamus; quod religionem & officium Deo debitum inani dignitatis propriæ opinioni & honoris titulo non raro sacrificemus. At Angeli omnia Dei honore & hominum commodo metiri solent. Unicus apud eos honos est, Deo obedire & hominum saluti ministrare: ideoque nihil se indignum existimant, quod Deo gratum norunt aut homini salutiferum.

Obj. 3.

TERTIO: contra sententiam meam, de ratione nominis Urim, & hoc forsan argumento contendent aliqui: verisimile videri nequit, *Urim* significatum *ignis flammantis* habuisse; vel illius usui, Theraphim aut Seraphim (significatus cognati vocabulum) occasionem præbuisse; cum LXX. vocem *Urim*, solummodo per δήλως & δήλων vertant, in ea vero voce nihil *igni* vel *flammæ* cognatum invenire liceat. Nam vox δῆλος *manifesti* notionem habet, & præterea nihil.

Diluitur.

SED & hæc Objectio levi notio diluatur. Nam δῆλος *manifestus* a voce δαλός, quæ *lampadis*, *facis*, *ardentis ligni*, notionem continet, ortum ducit; adeoque si vocis originem spectes, in ea multum igni vel flammæ cognatum inveniri potest. Hæc e verbis [9] *Etymologi* firmitatis haud parum hauriant: Δῆλος, ὁ φανερός· ἐκ τȣ͂ δαλός, τροπῇ τȣ͂ ἄλφα εἰς ῆ, καὶ ἀναδόσει τȣ͂ τόνȣ· Fatendum est interim, Græcorum δήλως non adeo exacte τῷ Urim Hebræorum respondere: cum enim *Urim* (quod diximus) *ignes accensos*, *illuminantes*, & *lumina*, denotaret adeoque cum voce Theraphim, Angelis, & Oraculi responsis optime conveniret; apertum est, Græcorum δήλως Hebræorum Urim imperfecte reddere, & tantum unam & alteram illius notionem obscurius exhibere. Nec forte vox aptior in tota Græcæ linguæ suppellectile reperiri potuit.

Obj 4.

QUARTO: nonnulli forte jam dicta repudiabunt, quod ea nominis *Urim* rationem omisisse videar, quæ cum vocis intentione, Oraculi fine, & recepta doctorum opinione, maxime consentire videatur. Nam plerique fatidicum Pectoralis instrumentum Urim *lumina* dictum sentiunt, quod Oraculum Dei, consulentes in rebus obscuris illuminaret, cum Dæmonis oracula, lubricis & obscuris verborum ambagibus involuta, consulenti tenebras offunderent, & eum incertiorem quam dudum amandarent.

Solvitur.

HANC nominis illius imponendi rationem omisi quidem, nec consilii pœnitet; eo quod אורים *ignes* tantum *flammantes*, ex prima vocis intentione significet: nunquam autem *lumina*, nisi secundario; quod scilicet *ignes*, unde lumen emanat, primario denotet. Utcunque, per me licet, & hæc ratio Primariis accenseatur: quod recepta vocis *Urim* significatio rationi huic non prorsus adversetur, & quod imagines illæ propheticæ, Theraphim dictæ, (unde Urim ducit originem) nomen a Seraphim, Angelis luce & cognitione præcellentibus habuisse videantur; & ipse receptis opinionibus, nisi ratione plane cogente, refragari nolim.

[1] *Hos.* 2. 16. [2] *Propter ambiguitatem & verbi similitudinem, quod bene dici potest, dici* non vult Deus, *ne dum* populus *aliud loquitur, alterius recordetur, &* Baal *nominans, idolum cogitet*. S. Hieron. in loc. T. 3. col. 1251. [3] *Annot. ad Mat.* 23. 35. [4] In *Sect.* תרומה [5] Vid. *de Dieu* in 1. *Sam.* 4. 4. & *Num.* 7. 89. [6] *Eadem amplitudine erat & Pectorale*. [7] *Exod.* 14. 19. [8] L. 6. adv. *gent.* p. 204. [9] Ad voc. Δῆλος
[*] *Exercit.* in *Epist. Ded.*

SECT. V.

Ratio primaria nominis alterius, THUMMIM, redditur & vindicatur.

CUM jam causas primarias cur Deus nomen Urim Oraculo pectoralis imposuerit, explicatas & Objectionum nebulis eductas habeamus; eo me jam ducit orationis filum, ut rationi nominis Thummim, lateri τȣ͂ Urim adhærentis, abditæ adhuc & caliginosæ, parem lucem afferam.

HUIC autem oneri priusquam admoveam manum, instituti mei ratio postulat, ut historiolam ex *Æliano* jam narratam Lectori in memoriam revocem. Ab eo vero memoriæ proditum est, Ægyptios, consuetudine ab aucto-

re Mercurio derivata, ſacerdotem primarium ſimulacro ſapphirino, cui nomen Ἀλήθεια datum, decorare ſolitos. Deus itaque ſimulacrum, myſtico *Thummim* titulo celebre, ſupremo apud Iſraelitas rerum divinarum miniſtro geſtandum dedit; ne quid myſterii vel elegantiæ, quod eos in Pontificis & cultus Ægyptiaci admirationem rapuit; in Sacerdotii divini capite deſiderarent. Cum autem gemma illa, qua Pontificis Ægyptiaci dignitas aſſerebatur, τῷ *Thummim* Hebræorum initium dederit; inde factum eſt, quod & nomen (cujus ſignificatio tantum ad poſteros tranſmiſſa eſt) Pontificis Ægyptiaci ornamento inditum, in pene ſynonymum Hebræorum Thummim tranſierit.

Neque rem novam & a gentium moribus alienam jam refero: nam rei hujus exemplum, ſi quid *Aben-Ezræ* credimus, non multum diſſimile præbet & Moſis nomen: aſſerit enim [1] ille, quod Moſes Ægyptiorum lingua vocatus fuerit מוניוס *Monios*, a filia Pharaonis cum Ægyptia eſſet, & Hebræos poſtea nomen illud in Moſes, ejuſdem ſignificationis vocem tranſtuliſſe. Eodem modo Chriſtiani veteres voces quaſdam prout & ritus, a Judæis antiquitus uſurpatas, in verba quædam ἰσοδύναμα transferentes, retinuere. Nam Chriſtus a משיח Apoſtoli a שלוחים Διαθήκη a ברית Evangelium a בשורה ἄγγελοι a מלאכים Eccleſia a כנסת Petrus a כפא ortum traxere. Mihi etiam hæc referenti, exempla aliqua nominum apud Ethnicos in ſynonyma Græca mutatorum in mentem veniunt. Nam Iſaac, qui a צחק *riſu* nomen invenit, ab [2] *Alexandro Polybiſt.* Γέλως appellatus eſt. *Herodotus* etiam Hebræorum חם *Cham*, *calidum* vel *aduſtum* notans, in χέωψ vel χαίωψ, *vultum aduſtum* vel *fuſcum* ſignificans, immutavit; ni fallat viri doctiſſimi conjectura. Eodem refero priſcum [3] *Sirbes* aut *Sirbon* nomen, amni Lyciæ datum, quod Græci poſtea in Ξάνθον ſynonymum commutarunt; nam *Sirbes* a זרבי *Zirba* venit, quod flavum ſeu rubentem ſonat apud Arabes.

Nil opus eſt ut in latum hunc dicendi campum pedes ulterius proferam, cujus angelus omnes oculis curioſis & ſollicitis perluſtravi. Cum enim nominis *Thummim* ratio, & rei ipſius natura, tam arcto nexu conjungantur, & ad eorum explicationem mutuas tradant operas; ipſa Argumenti conditio mihi de iis conjunctim diſſerendi neceſſitatem attulit. Nemo itaque mihi criminis loco objiciat, quod methodi leges paululum violaverim, cum arctioribus neceſſitatis legibus me conſtrictum videt.

Vis Adverſarii frangitur.

(*a*) Adversarius meus hæc, & quæ ſuperius adduxi ſingula, uno ſpiritu diſſlare ſatagit. Apertum eſt, inquit, *exiguam inter Ægyptiorum* Ἀλήθειαν & Hebræorum Thummim *convenientiam* intercedere: quod *Thummim* pluralis numeri vox ſit, Ἀλήθεια ſingularis; *Thummim* omnis generis perfectiones notet, Ἀλήθεια unam tantum, eamque a perfectionibus illis lato diſcrimine ſeparatam. Deinde, *Hebraicum* אמת *voci* Ἀλήθεια *reſpondet, & Græcæ vocis vim poteſtatemque accuratius quam Thummim, & magis ad amuſſim exprimit. Quæ ergo cauſa dici poteſt, ſi Deus ad Ægyptiorum exemplar ornamentum ſuo dediſſet Pontifici, cur non & voce quæ Ægyptiacæ exacte reſponderet, expreſſum id voluerit?* Et ſtatim poſtea chordam eandem tangit: *id primum*, inquit, *expedi, cur Deus, quam vocem haberet Ægyptiacæ exacte reſpondentem ab illius ſenſu germano deflectere voluerit. Hoc ſi præſtiteris, non Oedipus mihi modo, ſed magnus Apollo eris, & de mutato nominis numero verbum non addam.*

Quamvis autem hæc nominum eorum quoad numerum & ſignificatum diſcrepantia, lapis ſit ad quem non ſemel offendit adverſarius; mihi ſcrupulus tam tenuis leviſque eſt, quod nec pedes nec oculos pungat meos. Nam,

(1) Dei Thummim & Ægyptiorum Ἀλήθειαν cognatione & ſimilitudine propinqua conjuncta eſſe, multis & claris indiciis compertum habuimus: quibus addi poſſit, quod prout *Urim* nomen ſubſtantivum commune eſt, adeoque formam vocis *Theraphim*; ita & *Thummim* nomen ſubſtantivum abſtractum eſt, & conditionem vocis Ἀλήθεια æmulari & exprimere videatur. Tot autem ſimilitudinis exempla uni illi diſcrepantiæ facile præponderare poſſint. Ne tamen Lectoris animus, quaſi inter paria dubitandi & aſſentiendi rationum momenta libratus, in partes meas parum inclinet adhuc; addo:

(2) Discriminis illius levioris rationes in aperto ſunt, & eas quiſpiam, *Oedipo* nullo in conſilium adhibito, expedire poſſit: nam ortum habuit, vel quod veteres Græci forte nomen plurale Ægyptiorum (cujus memoria jam periit) in vocem ſingularem Ἀλήθεια, utpote ad linguæ ſuæ morem geniumque magis accommodatam commutarint; vel quia Deus nomen alterum plurale eſſe voluerit, ut eo con-

concinnius & elegantius cum comite suo plurali *Urim* conjungi posset; vel quod ament Hebræi rem singularem, præsertim eximiam & summo excellentiæ gradu positam, voce plurali denotare. Ut Psal: 9. 9. *jus qui dicet populo* במישרים *in rectitudinibus*. Josh. 24. 14. *Servite Domino* בתמים *in integritatibus* Jes. 26. 7. *viæ justorum* מישרים *rectitudines*, & com. 10. *In terra* נכחות *inique aget impius*. Sufficiat exemplorum manipulum ex ubere messe collegisse. His addo, quod vox *Thummim*, cum significatu gauderet ampliore, ad mysteria quædam (ethnica & evangelica) denotanda, multo felicius, quam arctior illa vox אמת inservire poterat.

(3) Deus ornamentum illud Ægyptium in Thummim suo non ita studuit exprimere vel imitari, ut ne latum unguem ab exemplari suo recederet, sed curaret ut nomen, sensus, numerus, omnia, prorsus exacte prototypo responderet. Si Deus Thummim ejus ad Ægyptiorum Ἀλήθειαν exactius & adamussim accommodasset, Seipsum ad eorum imitationem componere, & Israelitas ad imitationem consimilem tacite vocare videretur. Satis habuit summus Legislator, quicquid sapientiæ, mysterii, vel dignitatis, Ægyptiorum ἀγάλματι Sapphirino inesse visum est, in Thummim suum transferre, & sic exemplar illud imitari, ut etiam longe superaret. Rei summam dicam: Deus hac in re, bullam illam Ægypti Sapphirinam, sed ut viri res puerorum solent, imitatus est. Solent enim viri consulti puerorum haud infeliciter inventis addere, conceptus eorum rudiores in formam magis venustam lambere, & eorum conatus imbelles manu fortiore promovere. Deus etiam ornamentum illud sacerdotis primarii, cui nomen Ἀλήθεια fecerant Ægyptii, in *Thummim* suo reservavit Israelitis: sed ei nomen & significatum augustiorem dedit, in usum sacratiorem evexit, Oraculi Urim comitem constituit, & perpetuam officii Pontificii tesseram & monimentum esse voluit. Hæc omnia fidei faciliora videantur, quod jam sæpius observatum sit, Deum ritus Legis omnes, a Gentibus arcessitos, in formam meliorem finxisse; nec quicquam, ab Ægypti seculive more petitum, nisi multum ab antiquo mutatum, in Legem cultumque suum admisisse.

[1] Teste *Munster. in Exod.* 2. [2] Ap. *Euseb.* l. 9. *Præpar. Evang.* cap. 19. [3] *V. Bochart. Geogr. sacr.* P. 2. lib. 1. c. 6. col. 363.
(*a*) Vid. pag. 990.

SECTIO VI.

Redduntur utriusque nominis rationes secundariæ.

SATIS ex alibi dictis intelligi datur, plerosque Legis ritus, e fonte præsertim ethnico promanantes, a Deo institutos fuisse, *primario*, ut populi Israelitici, moribus receptis obnixa pertinentia adhærentis, animos sibi & sacris ejus devinciret: *secundario* vero, ut σκιαγραφίαν, umbras & lineas quasdam, rerum spiritualium in iis exhiberet. Hinc itaque non inepte colligamus, Deum Urim & Thummim Israelitis concessisse, non tantum ut mores aliquos, quos ex incolatus Ægyptiaci memoria, invincibili pervicacia retinebant, eorum ruditati indulgeret; sed ut mysteriorum quorundam & rerum cœlestium symbola extarent & sacramenta. Dignum sane sapientia Dei multifaria, ut ejus instituta non seculi vel usus unius terminis definita esse, sed ad tempora usus que varios respectum habere censeamus.

Ex iis autem mysteriis & doctrinis cœlestibus, quorum Urim & Thummim sacramenta, typos, & quasi præcones posuisset Deus. Primum erat, quod mensura luminis & perfectionis plane singularis, personæ quæ sacrum dignitatis pontificiæ gradum tenuit, esset inprimis necessaria. Neque me talia dicentem ingenio lascivienti frænum laxasse censeat quispiam: nam antiqui Judæi & Christiani, Urim & Thummim doctrinæ hujusce moralis tesseras & quasi nuncios habuisse videntur. Quod veteres Judæi ea sic habuerint, [1] *Diodori Siculi* verba nos persuasos faciant ἐπέτρεψε (Μωσῆς) τὴν τοῦ πλήθους προστασίαν δίδοσθαι διὰ παντὸς τῷ δοκοῦντι τῶν ἱερέων φρονήσει καὶ ἀρετῇ προέχειν· τοῦτον προσαγορεύουσιν ἀρχιερέα, &c. i. e. *Præcepit* Moses *ei primatum in Sacerdotum plebem deferre, qui cæteros intelligentia & virtute antecellere visus est. Hunc Sacerdotum principem vocant*. Quæ quidem verba misera rerum Judaicarum ignorantia Historicum ethnicum laborasse produnt: nam Sacerdotum principi, non virtutis eminuntia, sed nascendi sorte, Pontificatum adire contigit; aliquas tamen in iis, prout in moneta vitiata argenti aliquid, traditionis Judaicæ notas & lineas deformatas facile percipiamus. Ethnici scilicet a Judæis forte traditum acceperant, Pontificem suum peculiaria quædam muneris locique

que sui insignia, Urim & Thummim, i. e. *lumina* & *perfectiones*, appellata, gestare solitum; & illa monitoris usum præbuisse, qui scientiam & perfectionem egregiam in Pontifice requisitam indicaret, eique in memoriam subinde revocaret. Atque ea forsan traditio errori jam dicto ansam dedit apud ethnicos, qui se parum curiosos personarum aut rerum Judaicarum æstimatores perpetuo præstitere. In eandem cum Judæis de Urim & Thummim opinionem, & Christianos aliquos antiquos conspirasse, fit credibile, quod Vulgatus Interpres locum illum [2] *Ezræ*, ubi nomina illa occurrunt, repugnante veritate Hebraica, in hunc modum transtulit, *donec surgeret sacerdos doctus & perfectus*: quasi nominum eorum usum potius quam sensum versionis suæ normam statuisset.

SECUNDO: illius etiam mysterii præcones erant Urim & Thummim, quod lumina & perfectiones omnigenæ in Sacerdote illo Optimo Maximo, *Messia*, reconderentur. Nam Lex integra [3] παιδαγωγὸς εἰς Χριστὸν, prima docens doctrinæ Christianæ rudimenta: atque hoc non tantum majore Scripturæ lumine patet, sed & minore Rationis: nam *demonstratu facile est* (inquit [4] *Just. Mart.*) πάντα - - τὰ ὑπὸ Μωσέως διαταχθέντα, τύπους καὶ σύμβολα καὶ καταγγελίας τῶν τῷ Χριστῷ γίνεσθαι μελλόντων, καὶ τῶν εἰς αὐτὸν πιστεύειν προεγνωσμένων, καὶ τῶν ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ ὁμοίως γίνεσθαι μελλόντων· Præ aliis autem legis institutis, summus Hebræorum Sacerdos, cum splendidissimo pontificalium suorum apparatu insignitus esset, imaginem Christi prætulit; eamque expressam & luculentam adeo, quod ne lippientes Judæorum oculos effugere potuerit. Hujus rei fidem firmant illa cedro digna [5] *Philonis* verba: λέγομεν τὸν ἀρχιερέα, οὐκ ἄνθρωπον, ἀλλὰ λόγον θεῖον εἶναι, πάντων οὐχ ἑκουσίων μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀκουσίων ἀδικημάτων ἀμέτοχον, id est, *summum sacerdotem dicimus, non hominem, sed* in effigie *Verbum Divinum esse, omnium tam voluntariorum quam involuntariorum peccatorum expers*. Atque fides hæc eo magis apud eos invaluit, non tantum quod Pontificem arctioribus puritatis ceremonialis legibus teneri cernerent, quod ei soli ad Majestatis divinæ thronum pateret aditus, quod circa Pontificem nihil non venerabile & quasi cum aliquo Numine se ostentaret; sed quod is unus mentis divinæ interpres esset, eique soli Urim & Thummim *gestare* datum: eas autem voces non hominem tantum, sed aliquid supra mortalitatis sortem & capacitatem positum, sonare crediderunt.

URIM & Thummim rerum tam cœlestium figuras fuisse, & doctrinas sacratiores mystice & quasi in ænigmate continuisse, quæ dixi manifestum faciunt. Nec desunt mihi rationes bene firmæ, quibus evincam, Deum Pectoralis instrumenta ideo nominibus illis inscripsisse, ut mysteria jam dicta sapientiæ filiis enunciarent. Nam

PRIMO: ipsæ nominum eorum circumstantiæ, *novitas*, *numerus*, *conjunctio*, *significatio*, & *gestandi modus*, validum nobis ad hujus sententiæ veritatem firmandam suppeditant argumentum. (1) Titulorum eorum *novitas*: quis enim probabiliter dixerit, cur Deus nomen Theraphim, veterum sermonibus usitatius, missum fecerit, & novum Urim in illius locum vocarit; nisi quod sensum vocis Theraphim satis apte exprimere, Angelis non minus convenire, sed & mysteriis illis adumbrandis (cum *lumina* simul & *ignes* notet) multo felicius inservire, potuerit? nam nemo sobrius dixerit, ipsam vocem Theraphim vitii alicujus manifestam fuisse, vel *Theraphim* & *Thummim*, modo conjuncta fuissent, sonum æque suavem & concordem ac Urim & Thummim efficere non potuisse. Neque ratio satis seria reddi potest, cur Thummim in locum & vicem vocabuli Ægyptiaci, ἀλήθειαν olim significantis, a Deo substitutum fuerit; nisi quod *integritatem*, veritatem illam in corde sitam, tanta cum luce & evidentia exprimat. Nam si Deus vocabulum אמת [quod *veritatem* sonat] ad nominis Ægyptiaci vicem repræsentandam accepisset, illud de veritate logica vel intellectuali intelligendum esset, adeoque mysterii designati veritas & concinnitas corrumperetur. (2) ipse nominum *numerus*, eorum rationem jam datam asserit. Si enim nominum rationes quas dedi alias attenta cogitatione repetamus, constabit, nullam postulasse ut utraque Pectoralis instrumenta nominibus multitudinis efferrentur. Dicendum itaque superest, Deum hujusmodi nomina iis imposuisse, ut lumen & perfectionem eximiam, & quasi numero singulari vix exprimendam, in Pontifice requisitam, vocibus pluralibus indicarent. (3) Jam dictis veri speciem conciliat horum nominum *conjunctio*: nisi enim nomina illa ad res duas affinitate proxima conjunctas, *scientiam* loquor & *integritatem*, denotandum indita fuissent; rationi magis congruum esset,

esset; ut res titulis illis ornatæ, non minus loco, quam usu, origine, & natura, ab invicem dividerentur. (4) Nominum eorum *significatio* rationi nostræ pondus afferat: cum enim Urim & Thummim *lumina & perfectiones* præ se ferant, certum est hominum vulgus (qui rerum exteriora tantum & quasi cutem vident) ea ad egregias illas animi dotes pontifici præsertim necessarias indicandum imposita sentire voluisse. Ne itaque nomina illa τὰς πολλὰς luderent, voluit proculdubio Deus, ut eam causam quasi in frontispicio, dum aliam in penetrali & a plebis oculo remotiorem, gererent. (5) Rationi meæ favet & ipse titulos eos *gestandi modus*: haud enim promtum est dicere, cur Lege præceptum sit, ut Urim & Thummim in Pectorali tantum, ejusque intimo centro, reconderentur, adeo ut supra ipsum cordis domicilium requiescerent; nisi quod Deus iis hæc nomina tribuisset, ut *luminis & perfectionis* illius symbola essent, quibus Sacerdotum Princeps instrui deberet. Nam apud Antiquos *cor* sapientiæ & virtutis sedes habitum erat: hinc *Thaddæo*, spectata integritate vel prudentia viro, *Lebbæus*, id est, *cordatus*, cognominis vice accessit; & *Nasica* apud Romanos, ob rationem non dissimilem, *Corculum* vulgo audiit.

SECUNDO: nihil apud Hebræos frequentius quam ut rei significatæ nomen signo ipsi tribuatur. Nam agnus, *Domini pascha*; panis & vinum in sacra Mensa, Domini corpus & sanguis; & altare, *Exod.* 17. *Jehova-Nissi*, quorum non nisi signa fuere, nuncupantur. Ex eodem Hebræorum usu venit, quod vitulus aureus, [6] Deus qui populum Ægypto eduxit; Michæ Theraphim, illius *Elohim*; & Prophetæ baculus, [7] *Chobelim* vocentur. Huc faciunt verba [8] Pet. Martyris: *tanta fuit dignitas & majestas Arcæ fœderis ut appellaretur* Deus Tzebaoth. *Neque hoc aut rarum cuiquam, aut novum videri debet: sacramenta enim gerunt nomina earum rerum quas significant*. Quidni itaque & Pectoralis simulacra appellationes eas, Urim & Thummim, tulisse existimemus; quod Luminum & Perfectionum signa & symbola fuerint a Deo instituta?

TERTIO: non est quod dubitemus, quin Ægyptii, symbolis & hieroglyphicis impense dediti, Pontificis sui simulacrum, mystico ἀληθείας titulo decorarint, ut symbolum & signum extaret fidei & integritatis illibatæ, in persona pro tribunali judicante cumprimis requisitæ. Atque hæc eo veritati propiora censeo, quod & veteres *Medi*, Ægyptiorum exempla æmulati, Judicibus suis ornamenta quædam dederint, *e margaritis facta, & ad collum de lineis pendentia, quæ & Pilaticia vocabantur*: referente [9] *Scheffero*, ex Curopalate. Ille vero, *Pacium* secutus, Græcum πιλατίκια exponit *disquisitionis & accuratissimæ cognitionis monimentum, quam a Judice opus est adhiberi, antequam judicet aut ferat sententiam: quia* Pileata *Orientalibus est rerum ignotarum & obscurarum disquisitio & pervestigatio*. Cum itaque Pontificis Ægyptiaci simulacrum, ἀλήθεια nominatum, Pontificis Hebraici ornamentum, cui Thummim titulus, instituendi causam dederit; suadet ratio, ut censeamus ornamentum illud titulum suum assecutum fuisse, ut monitoris locum teneret, qui Pontificis (si quando dormitantis) aurem vellicaret, ut in acrem personæ suæ dignitatem, morum integritate, tuendi curam evigilaret.

QUARTO: quamvis Micha, & Israelitæ forsan, ad Tabernaculi & Templi formam & usum seipsos accommodarint, & imaginem τῶ *Urim* expressam in sacra sua transtulerint; nomen tamen *Theraphim* antiquitus usurpatum consulto retinuerunt. Norunt scilicet *Urim & Thummim* nomina reposita esse, religione & mysterio plena, & a Deo Pectoralis icunculis indita, ut rerum cœlestium figuræ & umbræ, prout alia Legis instituta redderentur. Ideoque nomina illa ut θαύματα potius quam ῥήματα venerati sunt, & a consecratis illis titulis, prout ab unguento Sanctuarii, religiose videntur abstinuisse; ne & ipsi novas figuras & sacramenta cudere, adeoque Majestatis divinæ jura sibi sumere, crederentur. Nisi enim a nominum eorum usu, religione quadam tacti temperaverint; me nescire fateor, cur nomen & figuram *Ephodis* retinuerint, τῶ *Urim* etiam similitudinem effinxerint, & ritus alios Mosaicos æmulati sint; hæc autem nomina, ne tenui expressa susurro, in sacris eorum omnibus percipiamus.

QUINTO: ritus Legis vix ullus erat, a seculi vel Ægypti moribus acceptus, quin in formam & speciem, antiquæ suæ dissimilem, ita flectebat, ut e ligno illo Mercurius quasi cœlestis fieret, & e veteri Ethnicismi ritu, novum prodiret rei alicujus divinæ symbolum & monimentum. Cum itaque Deus *Urim & Thummim* ex Ægypti seculique moribus

ribus in ſacrorum ſuorum album tranſcripſerit; non vani credimus eum icunculas illas in rerum divinarum figuras & ſymbola tranſtuliſſe, & eorum antiqua nomina ſic immutaſſe, ut eſſent ſacerdoti ſummo διηνεκῶς διδασκαλίαι (uti loquitur Chryſoſtomus) *pro jugi magiſterio*, & doctrinæ cœleſtes cuivis νοῦν ἔχοντι per ea traderentur.

Nil opus eſt aliis argumentis, ad myſticam & typicam τῶν Urim & Thummim intentionem ſenſumque confirmandum. Nam proclive eſt obſervare, pleroſque typicis inſtitutorum Moſaicorum ſenſibus tam pronam facilemque fidem adhibere, quod *Typorum* quos vocant interpretibus, conjecturas licet mere precarias aſſerentibus, aures patulas accommodent, nec ab iis argumenta petant vel expectent. Adeo ut vix dixeris, an Scriptores hujuſmodi magis *fingere* norint, an eorum Lectores *credere*.

Concluſio capitis.

Hæc ea ſunt quæ de nominum eorum, cum diviſim tum conjunctim ſpectatorum, rationibus, maxima cum probabilitatis ſpecie dicenda cenſui. Ex his autem omnibus obvia eſt concluſio, Deum egregium ſapientiæ ſuæ ſpecimen in nominum eorum electione præbuiſſe. Nam ſi linguæ ſanctæ copias omnes oculis curioſis perluſtremus, vocabulum nullum nobis occurrit, quod nominis antiqui *Theraphim* ſenſum & formam tam perfecte quam *Urim* refert, quod Angelis tam apte convenit, & quod, ob ſignificationis ſuæ amplitudinem myſteriis quæ diximus adumbrandis tam commode inſervire potuit. Nomen etiam *Thummim* illuſtre præbere ſapientiæ divinæ documentum, e jam dictis abunde conſtat, hoc in loco minime reponendis. Et profecto eo præcipue nomine ſententiam hanc, de natura τῶν Urim & Thummim, & ratione nominum, arcte adeo me tenere fateor: quod egregia ſapientiæ & bonitatis divinæ exempla mentibus noſtris objiciat, & adyta quædam in inſtitutis hiſce divinis referat, quibus hominum vulgo non pateret aditus. Cum interim ſententiæ quævis aliæ (fautorum pace dixiſſe liceat) humile & plebejum ſpirent, nullas artis aut myſterii notas ferant: ſed quædam trita adeo atque obvia ingerant, quod in pueri oſcitantis animum cadant; vel tam frigida, quod catarrhum provocent; & (ut paucis omnia colligam) quædam adeo miraculoſa, ut hominis conſulti fidem longe excedant; alia vero tam frivola, jejuna, & ab omni ſapientiæ vel myſterii ſpecie remota, ut multum infra Oraculi divini & mentis vere virilis dignitatem ſubſidant.

Si paulo vehementius quam natura fert ea in modo dicta Talmudicorum figmenta, & frigidas aliorum conjecturas, jam declamaverim; non ex eo factum eſt, quod *de ſententia mea tam glorioſe ſentiam*, uti non-nemini mihi convitiari viſum eſt; ſed quod animo vix æquo feram, ut viri nonnulli (ſi quis nodus urgeat) ad Judæos, gentem ignaram & in θαυματολογίας propenſam maxime, ſtatim confugerent, & eorum dictata ſomnolenta fide tam ſervili reciperent; nec ut auctores alii ſapientiam divinam, in his & aliis legis inſtitutis elucentem, conjecturis ſuis frivolis & mere precariis obſcurarent; dum interim a me, de rebus licet ante-Moſaicis differente, *demonſtrationes* tantum *claras*, aut teſtimonium aliquod expreſſum poſtulant; & mea pleraque, ratione licet non debili communita, *conjectararum leviorum* nomine faſtidioſius aſpernantur.

[1] Lib. 40. [2] Cap. 2. 63. [3] *Gal.* 3. 24. [4] *Dialog.* cum *Trypbon.* p. 222. [5] Lib. de *Profug.* p. 466. B [6] *Nebem.* 9. 18. [7] *Zacb.* 11. 7. [8] Ad 2. *Sam.* 6. 2. [9] Lib. de *Torquib.* cap. 8.

CAPUT VI.

De Perſona cujus erat Urim & Thummim circumferre.

Cum hanc penſi mei partem impleviſſe videar; methodi mihi præſcriptæ lege devinctus, ad Perſonam jam ſtylum converto cui Urim & Thummim geſtandi provincia tradebatur. Hic autem multum laborare non patitur veritas aperta & apud omnes eruditos in confeſſo poſita. Deum enim ſacerdotum principi Urim geſtandi facultatem conceſſiſſe, eumque unum voluntatis ſuæ per Urim revelatæ nuncium & interpretem ordinarium conſtituiſſe, unanimi doctorum ſuffragio confirmatur. Ut autem hac de re methodice procedat ſermo, eam in quæſtiones pauculas conjicere viſum eſt. Princeps iſta ſit.

SE-

S E C T. I.

Cur, Ordinarie, Sacerdotum principi solummodo fas erat Urim gestare & consulere.

SI in hoc perplexo Argumento veritatem pene captum fugientem conjectura probabili venari licuerit, dixerim, Deum Urim gestandi & consulendi partes Pontifici soli concredidisse.

PRIMO: *Suiipsius gratia*: ne populus Israeliticus, in idololatriam præceps, a sacris ejus ad ethnicorum ritus & oracula defectionem faceret. Nam si Deus responsum a Theraphim vel icuncula sacrata petendi morem antiquum Lege sustulisset, insulsus ille populus, a lege divina, utpote moribus animisque suis parum conformi, plane recedere voluisset. Si vero Deus integram nullisque restrictam cancellis huic mori veniam indulsisset, fieri vix potuit, quin Dæmon responsis originis divinæ speciem habentibus plebem imperitam falleret; aut Israelitæ, legis nullius fræno cohibiti, privatas aliquas imagines, ritu moreque Gentium consulendas sibi compararent. Deus itaque Theraphim, vel imaginem in dubiis interrogandam, interdici vel e medio plane tolli noluit, ne ex ipso idololatriæ remedio vitia nascerentur: sed solutam nimis & effervescentem antea Theraphim consulendi licentiam arctioribus constrinxit vinculis; dum lege sua cautum esset, ut populi duces aliique propheticam Pectoralis imaginem, supremi tantum Religionis ministri interventu consultum irent: ut per illum, sub oculo Pontificis, obnoxium & quasi censuræ metuentem consulendi modum, quævis idololatriæ vel imposturæ diabolicæ species & ansa præscinderetur.

ANIMUS meus eo promtius in hanc sententiam ducitur, quod Deus ritus alios Mosaicos e principiis ethnicis ortos, quoad locum, tempus, aut personas, restrictos & ligatos, & sub certis legibus observandos, Israeli dederit; ne ritus illi, quos jam suos fecerat Deus, veteris idololatrici cultus speciem retinere, vel ei occasionem aliquam præbere, viderentur. Cum enim veteres idololatriæ, animalia ad cibum communem mactantes, Dæmonibus ἐγχωρίοις vel idolis suis se animal hoc vel illud mactare & nuncupare testarentur, & Israelitæ nefandis eorum ceremoniis initiati & addicti essent; Deus morem illum carnibus tantum immolatis vescendi non prorsus abdicavit, sed Israelitas oves & boves in cibum destinatos ad ostium Tabernaculi adducere, suo quasi in conspectu mactare, & Sibiipsi offerre [1] jussit: ne secreto vel in apertis campis occidentes, se animal illud, aut ejus sanguinem partemve, Dæmoni vel Genio alicui sacrum voverent, adeoque cibis cultu vel consecratione idololatrica pollutis se contaminarent. Cum etiam Israelitis, more seculi, dies quosdam festos & solennes agere permissum esset; lege capitali cautum est, ne quis eos nisi temporibus & locis a Deo ipso præscriptis observaret; ut ipsæ festorum eorum circumstantiæ docerent, se stata illa sacra in Dei solius honorem celebrare. Cum etiam Sacrificia præcipuas in Gentium antiquiorum cultu haberent partes, victimas & sibi voluit immolari supremum Numen: eas autem offerendi munus, non cuivis ex illota plebe sacrificulo (quod gentibus in morem abiisse testatur [2] Scriptura) sed sacerdotibus natalium sanctitate claris, demandavit: ne forsan Israelitæ victimarum sanguine Dæmonum aras aspergerent, si Deus antiquam sacra faciendi potestatem, liberam nullisque legibus restrictam iis concessisset. Quando itaque Deus antiquum oracula a Theraphim petendi morem Israelitis conservarit, iis autem non nisi medio Pontifice Theraphim consulendi potestatem dederit; consulto creditur, Deum potestatem illam in hunc modum restrinxisse, ut furtivi omnes ad lares & idola gentium aditus populo præcluderentur; & Israelitæ se Pectoralis Theraphim, Dei solius nomine in dubiis interrogare clare testarentur.

SECUNDO: *Christi gratia*: ut nempe Pontifex legalis eo illustrior typus evaderet Christi Domini, Pontificis Evangelici. Quoniam enim nondum apparuerat sacerdos vere maximus, cœlestis consilii nuncius; Deus Pontificem Mosaicum beneficiorum & perfectionum suarum omnium prophetica quædam symbola gestare voluit, ut in eo purgatiores oculi Messiæ speciem & imaginem aliqam contemplari possent. Nimis autem ab instituto aberrarent orationis meæ pedes, si per omnes illas similitudinis instantias irent, quæ sacerdotem summum Messiæ typum fuisse, & primum ejus exemplar apte reddidisse probant. Satis in præsens erit, hæc pauca cum argumento meo conjunctissima leviter attigisse. Quemadmodum sacerdos primarius, negotium pu-

pu-

puli ad Deum, & responsum Dei vicissim ad populum, per *Urim* referens, inter utrumque mediatoris personam sustinuit; ita & Christus, qui causam nostram apud Deum agit, & Dei consilium nobis exponit, Dei atque Hominum mediator est. Deinde: quemadmodum Pontifex τρισμέγιστος erat (nempe Sacerdos maximus, Judex aut * Rex in gente maxime & Propheta per Urim maximus) ita & Christus, Sacerdos, Rex, & Propheta maximus erat; omnes longe post se relinquens qui titulis illis unquam inclaruere. Præterea: prout sacerdos summus Dei voluntatem, ei per *Urim* aut Angelos divinæ mentis interpretes enunciatam, populo patefecit; ita & Christus arcana cœli, sub Vet. Fœdere per Angelos, sub Novo per Apostolos, illa mundi *lumina*, Dei Israeli revelavit. Quemadmodum denique, mystica illa ornamenta, *Haurim* & *Hathummim* dicta, in Pontificis unius pectorali locum invenerunt; ita & in Christi tantum pectore lumina & perfectiones omnes, excellentiæ gradu sitas invenire licet. Certe pulchra hæc inter Pontificem verum & umbratilem tot exemplis probata similitudo, indicio est, Deum Christum Dominum ob oculos habuisse, cum sacerdotis summi ornamenta, pectorale præcipue, præscriptum ivit; & id ante alia curasse, ut sacerdotis nostri summi perfectiones, in Pontificis ornatu, tanquam in parvula tabella, primis quasi lineolis adumbratæ proponerentur. Neque est quod sentiat quispiam, me jam figmenta tantum pulchriora tradere, cum [3] Deus, in *tota priorum temporum œconomia*, *Christum ejusque res gestas, ut pulcherrimam ac perfectissimam speciem, perpetuo velut ante oculos habens, cætera omnia ad illius instar effinxerit.*

TERTIO: Deus, *Israelitarum* forte *causa*, fatidicum Urim in Pontificis tantum arbitrio & potestate situm esse voluit; ut scilicet animos & affectus eorum pueriles, ab ullius Oraculi desiderio sensim sine sensu graviore avocaret. Cum enim futura & arcana cognoscendi ardor inexplebilis Hebræorum animis insideret, certum est, Deum eorum præcipue vanitati & [4] stultitiæ (tempore & arte quadam, non consilio vel præcepto corrigendæ) Oracula tradidisse. Quo itaque Deus ardorem illum restingueret & populum suum ad indolem magis virilem aliquando perduceret; hanc viam inivit, scopo suo & populi conditioni egregie accommodatam. Theraphim, vel icunculas oraculis insignes, ipsas populi delicias & desideria, repente sacris ejus eliminari noluit; ne lubricæ nimis ad fidem mutandam gentis animos offenderet, & populi vitia importune vetando irritaret. Neque tamen Theraphim in domibus aut sacellis quibusvis locari vel in conspectum publicum effundi passus est, nec ea vili cuivis e vulgo capiti consulenda tradidit: sed in abdito, prout Templi Cherubim, ea latere voluit Deus, & soli Pontifici dubia proponendi, & responsa referendi potestatem dedit: nimirum ut Pectoralis Oraculum, quod tam difficiles & impeditos habebat aditus, esset quasi δῶρον ἄδωρον, beneficium pene absens præsens; adeoque populus illius desiderium moderate ferre discerent, & illud inter admiranda potius quam expetenda numerarent. Deinde: propheticum Urim inter Pontificatus insignia relatum, dubios & mobiles Hebræorum animos in veri Numinis cultu firmare potuit; quatenus favoris divini in Pontificem, & sacra quibus ille præcipue ministravit, tam fidum & ipso sensu percipiendum præbebat argumentum. Nemo enim, cui sanum sinciput, cœlestem cultus Mosaici originem, vel pontificis gratiam apud Deum, in dubium vocare potuit; cum supremus cultus illius minister Deo quasi a manu esset, & sacra cœli consilia ex ipso suo Pectorali traderentur.

QUARTO: *Oraculi* ipsius *gratia*, Deus non nisi Pontifice mediante sese consulendum præbuit: ne frivolis & ineptis de lana caprina dubiis Oraculi sui majestatem læderet profanum & curiosum vulgus. Satis enim ex annalium ethnicorum fide constat, ingenio tam crasso & ad omnem pietatis & modestiæ sensum hebeti fuisse insulsam plebem, quod Deos suos importunis quæstiunculis quasi obtundere vellent, & *sortes* (uti loquitur Lucretius) *fatigare*. Ut itaque Deus ingeniis male curiosis fibulam imponeret, & Oraculo suo nodi tantum se vindice digni solvendi proponerentur; Urim penes Pontificem esse voluit, eumque *arboris scientiæ* quasi custodem constituit, ne quis per levioris momenti dubia, Oraculi sui religionem violaret, & Oraculum illud connatum, rationem intelligo, in pectore proprio positum, oscitanter negligeret. Hisce consonum est, quod e gentilium philosophis aliqui, responsa circa res nihil vel humana ratione facile determinandas expectare, Deorum simul & rationis opprobrium habuere. Hoc e [5] *Plutarcho* & [6]

& [6] *Simplicio* non obscure colligendum est. Deinde: ad Oraculi dignitatem in conspectu populi tuendam plurimum conducebat, quod personæ tantum cæteris dignitate superiori datum esset, Dei consilium per Urim petere. Profecto si cuivis vilissimæ sortis homuncioni *Urim* adire contigisset, fieri vix potuit quin oracula Dei, *præ margaritis pretiosa*, alga tandem viliora haberentur. Hoc e regum moribus intelligendum: non solent enim regis facillimi limina rustici cujusvis pedibus illotis teri, ne si male morata plebe familiariter utatur, gratia regia tandem evilescat, & benigni facilisque principis fama majestatis imminutæ pretio redimatur. Ut itaque regibus eorumque placitis suus constet honos & reverentia, admissionum facilitatem non ferunt, sed eos per proceres tantum & personas primæ dignitatis adire concessum. Deus etiam, ut reverentiæ sibi & Oraculo suo debitæ prospectum esset, illud personæ tantum, cujus locus, ornatus, sanctitas, hominum plebi religionem incuterent, consulendum dedit. Rationis hujusce veritatem eo minus suspectam habeo, quod ad rerum omnium sacrarum dignitatem & honorem illæsum conservandum, summi Legislatoris cura (sit verbo venia) maxime vigilaverit. Præcepit enim, ut *caro sancta*, ultra terminum illius esui destinatum relicta, [7] igni traderetur. Hujus autem præcepti ratio, Judæorum magistris referentibus erat הגדלת דבר הקרבן *magnificentia sacrificii*: si enim ultra diem tertium mansisset, munus Domini forsan ob odorem suum graviorem eviluisset. Lege cautum est etiam, ne Sacerdotes, [8] capillitium promissum more lugentium habentes, Sanctuarium ingrederentur: finem autem & hujus præcepti statuunt Judæi הגדלת הבית *magnificentiam templi*, a cujus dignitate alienum erat, ut illius limina sacra quispiam schemate lugubri transiliret. Quidni itaque censeamus, *Oraculi magnificentiam* in causa fuisse, cur Deo visum esset Urim interrogandi munus sacerdoti tantum supremo, non sordido cuivis & abjecto capiti demandare? Ratione non plane dissimili honori *Velledæ* suæ, fatidicæ Virginis, a Germanis consultum erat: nam auctore [9] *Tacito*, populo *coram adire, alloquique Velledam, negatum. Arcebantur aspectu, quo venerationis plus inesset. Ipsa edita in turre. Delectus e propinquis, consulta responsaque, ut internuncius numinis, portabat.*

QUINTO: *Pontificis ipsius causa*, Deus ei soli Urim gestandi & consulendi potestatem concessisse videatur.

NAM oraculum divinum, illius ministerio traditum, se pontificatum jure divino occupare testabatur: adeo ut locus nullus relictus esset iis, qui, tam augustæ dignitatis consequendæ gratia, regnum in studia partesque distraherent: nec quisquam suspicari posset, Mosem gratiæ & affectibus humanis nimis indulsisse, cum Aaronem & primogenitos omnes ab eo generis seriem ducentes, necessarios & consanguineos suos, Pontifices designasset. Nam *id Mosis factum non caruit calumnia*, inquit [10] *Philo*, ὡς τοὺς μὲν χρησμοὺς ἐπιψευσαμένου, ποιησαμένου δὲ τὴν αἵρεσιν διὰ τὴν οἰκειότητα καὶ τὴν πρὸς τὸν ἀδελφὸν εὔνοιαν. i.e. *quasi prætextu Oraculi, plus valuisset domestica gratia, quam utilitas publica.* Huic jam tum nascenti malo, aliisque, remedium mature idoneum providerat Deus, cum virum illum quem pontificatu fungi voluit, oracula divina tradendi facultate; quasi sacro quodam sigillo & charactere, ab hominum vulgo discrevit & separavit. Nemo enim jus illud, quo Aaron aut alius quispiam Pontificis dignitatem tenuit, in dubium vocare, vel eum tanquam honoris non sui invasorem loco movere poterat: cum Deus eum Oraculi sui interpretem acciperet, Ephodi suo propheticum Urim conjungeret, eique pontificatum exercenti responsis manu sua traditis annuere videretur.

NEC instrumentum propheticum, *Urim* nuncupatum, ad pontificis tantum officium a cujusvis iniqui possessoris injuria, sed & illius personam a populi contemtu, vindicandum inservire posset. Tam iniqui rerum æstimatores sunt οἱ πολλοί, quod fieri vix potest, quin sacrorum honos & reverentia cum ipso sacerdotum honore ruat, & Religio maculas concipiat ex ipsis quas illius ministri ferunt sordibus. Omnes itaque gentes, quas ullus Religionis amor aut studium tenuit, id primis in curis posuere, ut populus eo quo par est cultu & obsequio sacrorum ministros observarent. Nec minus Dei præceptis & institutis curatum erat, ut Israelitæ αἰδεῖσθαι ἱερὰ discerent. Prout enim Prophetis miracula, Regibus unctionem solennem, ad eorem dignitatem asserendam concessit Deus; ita & sacerdoti summo splendida pontificatus insignia, quæ decus & majestatem illi conciliarent. Inter alia, fatidicum *Urim* pectori suo affigi voluit, ut illi, coram populo κατ' ὄψιν judicante, gratiam & ho-

honorem adderet. Et certe Deus honore magis insigni Pontificem dignari vix potuit (more hominum loqui liceat) quam quod locum Angeli quasi terrestris ei dederit, cujus ministerio cœli consilia populo suo revelaret. Judæos antiquiores ita censuisse, mores eorum luculenter indicant. Postquam enim *Diodorus Siculus* in Hebræorum originem, jura, ritus, alia, curatius inquisivisset; personæ inter Sacerdotes meminit, cui Moses προςασίαν *præsidentiam* decrevisse dicit, de qua, veterem Ægyptiorum traditionem secutus, hæc memoriæ tradit; τοῦτον προσαγορεύουσιν ἀρχιερέα, καὶ νομίζουσιν αὐτοῖς ἄγγελον γίνεσθαι τῶν τοῦ Θεοῦ προσταγμάτων. Τοῦτον δὲ κατὰ τὰς ἐκκλησίας καὶ τὰς ἄλλας συνόδους φησὶν ἐκφέρειν τὰ παραγγελλόμενα, καὶ πρὸς τοῦτο τὸ μέρος οὕτως εὐπαθεῖς γένεσθαι τοὺς Ἰουδαίους, ὥστε παραχρῆμα πίπτοντας ἐπὶ τὴν γῆν προσκυνεῖν τὸν τούτοις ἑρμηνεύοντα ἀρχιερέα. i. e. *Eum summum sacerdotem nuncupant, & Nuncium existimant oraculorum divinorum. Eundem ferunt in cœtibus Ecclesiasticis, & aliis conventibus* sibi a Deo *annunciata proferre, & Judæos ei ita plurimum obtemperare, ut de subito*, ad primum ejus obtutum, *proni in terram cadentes, Pontificem* Dei mentem, *iis interpretantem venerentur*. Hæc autem *Diodori* Siculi traditio proculdubio non ad novissima pene, quibus ipse floruit, Judæorum tempora respectum habet, cum res eorum in pejus indies inclinarent, Oraculum Urim sileret, adeoque Pontifex Max. honoris & potestatis suæ jacturam haud levem fecerat; sed ad ea quibus res eorum integræ stabant, & Pontifex Oraculum vocale pectoris sui velamine gestabat, cujus etiam responsa in regni gravioribus expectabant, & cujus gratia reverentiam pontifici, tanquam Dei legato, plane singularem exhibebant. Quis enim hominis illius ora, nisi horrore quodam religioso perstrictus, intueri potuit, qui numen circumferre, vestes futurorum præscias gerere, regni fata ex ipso sinu promere; verbo, qui primus inter homines & ultimus inter Angelos esse videbatur. Nam causis non nisi seriis & altis proculdubio tribuendum est, quod tanta populum Judaicum religio incesserit olim; ut cultu tam prono & humili Pontificem exciperent, eumque *nuncii divini* titulo & honore cohonestarent.

Sexto: *Decoris gratia*, probabile est Deum *Urim* interrogandi potestatem sacerdoti primario detulisse. Nam si liberæ rationis examini & arbitrio res tota submittatur, sine dubio Judæorum hierarcham personam huic muneri fungendo maxime idoneam judicabit. Quis enim (hominum rationem appello) magis aptus haberi potest, cui cum ipso numine commercii quicquam intercederet, & qui summi Dei consilia Judæis annunciaret, quam persona sanctitate singulari clara, & religionis muniis obeundis ratione speciali separata? Cui *Seraphim* aut Theraphim consulendi munus magis convenire potuit, quam ei cui soli propinquus ad *Cherubim* aditus concedebatur? Rationem simplicem hanc sententiam facile laturam, mores Gentilium indicant, e naturæ solius sensu de honesto & decoro judicantium. Apud eos enim in legem abiit, imaginum sacrarum responsa per sacerdotes solummodo, expiata illa & numini devota capita, tradenda expectare. Solis sacerdotibus & vatibus (quod statim ostendo) Deorum alloquio gaudere, & eorum quasi consiliis intimos esse concessum erat. Nec dubitandum tamen, quin ethnici eodem consilio quo sacerdotes ante alios, pontificem ante sacerdotes, si forsan adesset, sacratiori huic Deos consulendi muneri præponerent. In hujus rei confirmationem & argumenti totius illustrationem, non pigebit inclytum *Luciani* testimonium, e libro suo de *Dea Syria* depromtum, in medium dare. Illic autem plurima refert de Templo illo Deæ Syriæ dicato, quod nominis sui famam per orbem terrarum propagarat: inter alia vero, quod in eo fuerint ἀρχαῖα ἀναθήματα καὶ πολλὰ θαύματα, καὶ ξόανα θεοπρεπέα, καὶ Θεοὶ δὲ κάρτα αὐτοῖσι ἐμφανέες, &c. i. e. *Donaria antiqua & miraculosa multa, & statuæ religiosæ, & Dii quoque ex ipsis manifestam significationem dantes. Siquidem & sudorem*, inquit, *emittunt, quæ ibi sunt statuæ, moventur & oracula edunt*. Præ cæteris vero Apollinis statuam vaticiniis & quibusdam consulendi ritibus peculiaribus notabilem memorat. Nam, inquit, εὖτ' ἂν ἐθέλησι χρησμηγορέειν, &c. *Cum illi libitum sit oracula fundere, in sede sua primum movetur:* quo signo dato, *sublimem tollunt sacerdotes*. Et post pauca, addit, ὁ ἀρχιερεὺς ἀντιάσας ἐπερέεταί μιν περὶ ἁπάντων πρηγμάτων. *Summus sacerdos supplex accedens, interrogat illum de omnibus in dubio positis*. Alias etiam gentes Pontifici Max. Deorum Oracula consulendi & prophetandi partes assignasse, [11] *Juliani* verba causam opinandi præbent: ἐγὼ τοίνυν ἐπειδήπερ εἰμὶ κατὰ μὲν τὰ πάτρια μέγας ἀρχιερεὺς ἔλαχον δὲ νῦν καὶ τοῦ Διδυμαίου προφη-

φητεύειν, ἀπαγορεύω σοι τρεῖς περιόδους σελήνης μήτοι τῶν εἰς ἱερέα μηδὲν ἐνοχλεῖν. *Ego itaque quoniam sacrorum patriorum factus sum Pontifex, & Oraculi Didymæi præfecturam jam sortitus sum; edico tibi, ne quid eorum quæ ad sacerdotem* magnum *spectan. totis tribus mensibus attingas.* E quibus facile colligendum, Julianum, *prophetandi* vel Oraculi voces propheticas enunciandi partes Pontificis Maximi proprias existimasse, & inde præfecturam Oraculi, jure pontificatus sui, sibi soli vindicasse. Cum his affinitatem colit inscriptio vetus a [12] *Grutero* memorata, qua *Onias* quidam, ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΚΑΙ ΠΡΟΦΗΤΗΣ *Sacerdos Summus & Propheta* nuncupatur.

SEPTIMO: Deus *Regiminis causa* Pontifici soli Urim consulendi copiam fecisse videatur. Rationis hujusce valorem quo distinctius intelligamus, sciendum est primo, Deum, simulac Moses e vivis emigrasset, sacerdotem summum, supremum regni præsidem & Vicarium ejus ordinarium statuisse. Hoc e variis Scripturæ [13] locis innotescit, quibus Pontifici, in jure dicendo, caussis cognoscendis, & rebus regni moderandis, partes primæ tribuuntur. Idem etiam loquuntur ipsa pontificis ornamenta, potestatis cujusdam regiæ documenta. Inter ea *Philo* mitram imprimis imperii summi tesseram asserit, hæc inter alia de dignitate pontificali [14] loquens: καὶ ὅτι τὴν κεφαλὴν οὐδέποτε ἀπομιτροῦται, τὸ βασίλειον οὐκ ἀποδιδύσκεται διάδημα, τὸ σύμβολον τῆς οὐκ αὐτοκράτορος μὲν, ὑπάρχου δὲ καὶ θαυμαστῆς ἡγεμονίας. i. e. *Ex eo etiam quod caput ejus mitra nudandum non est, regium diadema non est ei exuendum: hoc autem insigne est potestatis, non quidem imperatoriæ, sed tamen gubernatricis, & præfecturæ admirabilis.* His verbis *Philo* Pontificis mitram diadematis regii vicem occupasse, & potestatem regiæ proximam indicasse, consultius asserit; cum Deus ideo mitram aut cidarim capitis sui ornamentum posuerit, [15] κιδάρει γὰρ οἱ τῶν ἑώων βασιλεῖς ἀντὶ διαδήματος εἰώθασι χρῆσθαι· *quod & Orientis reges cidari, vice diadematis, uti solerent*, modo hæc *Philonis* ratio quid veri ferat. Nec minus luculentum & indubitatum loci pene regii signum extitit Pectorale, quod pontifici in ornamentis erat illustrioribus. Nam Israelitæ ipso illius titulo edocti, facile intelligere possent, Pontifici soli secundum Deum jus dare & dicere concessum esse, eumque Judicem supremum (saltem in pacato rerum statu) constitutum. Hæc paulo firmiora redduntur [16] *S. Chrysostomi* testimonio: ἡ μὲν πέρα τὴν ἐξουσίαν ἐτύπου, ἣν τε αὐτὸς [ὁ ἀρχιερεὺς] εἶχε τοῦ λαοῦ. Quod ornamenta jam dicta voce submissa, *Josephus* clara & distincta, testatur, cum βασιλείαν *potestatem regiam* [17] appellat τὴν πρότερον τοῖς κατὰ γένος ἀρχιερεῦσι διδομένην τιμὴν, *honorem quo primitus pontificale genus honestabatur.* Testimonium hisce cognatum perhibet [18] *Diodorus Siculus*, qui de Judæorum rebus differens, ait *Mosem* βασιλέα μὲν μηδέποτε τῶν Ἰουδαίων, &c. *non ordinasse Judæis regem, sed ei imperium populi censuisse committendum, qui prudentia & virtute inter sacerdotes aliis præstare videretur: atque hunc*, inquit, *Pontificem summum appellant*, &c. Populus Israeliticus itaque non immerito *Sacerdotium regale* in Dei scriptis audit, quod rerum suarum arbitrium *ordinarie* penes sacerdotem regium fuerit. *Ordinarie* cautus dixi: Si enim שופט *judex* aliquis (quem scriptores Romani *Suffete..* dixissent) immediato Spiritus impulsu ad imperii habenas capessendas excitatus esset; ei, utpote potestatem ἀνυπεύθυνον habenti, sacerdotes, atque adeo Pontifex ipse, cedere cogebantur.

CUM itaque sacerdos primarius sub prima gentis Israeliticæ tempora, Reip. caput esset, & non solum Jehovæ sed etiam gentis rebus præesset; rationi maxime conveniebat, ut hoc Oraculum politicum Pontifici, prout oculus capiti perpetuo conjungeretur: cum præsertim Antiquitatis fide receptum esset, eandem personam, eamque solam, Dei consilium & Dei locum juxta tenere. Atque inde forte *Josephi* verba fratres ejus alloquentis, ansam accepere; [19] *an ignoratis quod talis vir, qualis ego sum,* qui [20] summum post Regem locum habeo, *sciat divinare?* Non opus est ut affirmationis hujusce fidei astruendæ operosius incumbam ipse, cum gratum mihi orium hic faciant appositissima *Grotii* verba in textum illum [21] *S. Johan.* τοῦτο δὲ ἀφ' ἑαυτοῦ οὐκ εἶπεν· ἀλλὰ ἀρχιερεὺς ὢν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου προεφήτευσεν. &c. *Apud Homerum de somnio quodam dicitur, contemnendum fuisse nisi evenisset Ducum Duci Agamemnoni. Et apud Spartanos solis Ephoris licebat somnia referre. Et Hebræi ajunt ominis loco esse quod viro principi etiam ignoranti exciderit. -- Docet scilicet ratio, si quid publici negotii significari vellet Deus, id significaturum maxime iis qui populo præsunt. Sic Pharaoni, sic Nabuchodonosoro ventura per somnium patefacta sunt. Etiam Urim & Thummim consulere Regum*

erat

erat aut summorum Magistratuum in populo. Quia vere Caiphas in eo populo summam obtinebat dignitatem, & quasi princeps erat populi, ideo ejus ore tanquam instrumento utitur Deus. Cum etiam (si *Grotii* purpuræ laciniam meam assuam) Pontifex rerum summæ præesset, & supremo populi Domino vicariam navaret operam; loci sui dignitas postulavit, ut oracula publica tradendi munus, illi utpote personæ publicæ mandaretur. Privato alicui circa regni negotia non licuit esse tam prophetico. Apud veteres itaque somniorum interpretes axiomatis auctoritatem tenuit, ἰδιῶται ϗ πένητες (ὐκ) εἶδον ὀνείρους δημοσίους, nemo *humilis & privatæ sortis homo somnia publica vidit*; prout nos docet celebris inter eos magister, [22] *Artemidorus*.

Octavo: verisimile est, Deum Urim in solam Pontificis manum tradidisse, respectu habito ad mores Gentium quos Israelitæ suspicere solebant, & ipsis quasi cordibus insculptos retinere. Nam (1) Gentium sacerdotes Deorum altaribus & consiliis pari propinquitatis gradu admoti credebantur, & eædem personæ populi sacrificia ad Deos & Deorum responsa ad populum ferre solebant. Aptum itaque & seculi mori consentaneum erat, ut Deus sacerdoti suo fatidicum Urim concederet & eum alloquio frequenti dignaretur; ne aliter sacerdos ejus gentium sacerdotibus inferior, oracula divina non ea qua gentium religione accipienda, & Deus sacerdotes & sacra sua minoris, quam Dii gentium sacrificulos & ritus suos habere videretur. (2) Temporum antiquiorum usu receptum videtur ut in quavis familia, *Theraphim* consulendi jure & privilegio *major domo* solummodo frueretur. Nam Laban, Micha, Gideon, omnes, quos Theraphim habuisse legimus, in familiis suis principatum tenuerunt. Cum itaque sacerdos summus domus Leviticæ princeps esset, & ordinariæ toti Hebræorum genti præsideret; usus postulasse videatur, ut Theraphim [vel Urim] penes unum Pontificem esset, & pontifex (utpote magnæ familiæ caput) Urim interrogandi jure solus uteretur.

Rationes alias fortasse statim leviter attingemus, cur Deus sacerdotum tantum principem Oraculi sui custodem & interpretem ordinarium constituerit.

[1] *Levit.* 17. 3. 4. [2] *Chron.* 13. 9.
* V. Sect. 3.
[3] *Grot. annot.* ad *S. Mat.* 1. 22. [4] Μαντικὴν ἀφροσύνῃ Θεὸς ἀνθρωπίνῃ δέδωκεν · *Plat.* [5] Lib. περὶ τῦ EI. [6] In *Epist.* c. 39. [7] *Levit.* 7. 17. [8] *Levit.* 7. 17. [9] *Levit.* 21. 10. *Exer.* 44. 20. [10] *Histor.* l. 4. p. 106. [11] Lib. 3. de *Vit. Mos.* p. 679. D [12] *Eclog.* ex Lib. 40. p. 922. [13] *Epist.* 62. p. 451. [14] *Inscription. thesaur.* p. 326. [15] *Num.* 27. 19. 20. *Josh.* 14. 1. *Deut.* 17. [16] *Josh.* 17. 4. [17] Libr. περὶ φυγάδων. p. 466. C. [18] Lib. 3. de *Vit. Mos.* p. 671. A [19] Ap. *Phot. Biblioth.* p. 1553. [20] *Antiq. Judaic.* l. 14. c. 4. p. 615. 35. [21] Lib. 40. ub. sup. [22] *Gen.* 44. 15. [23] Olim *principatui & publicæ administrationi prophetiam adeo conjunctam intelligemus; ut affirmare liceat, Regibus & principibus, tam jura dare quam etiam divinare, munus fuisse.* Fortun. Scac. Myrothec. P. 1. c. 38. col. 191. [24] Cap. 11. 51. [25] *Oneirocritic.* lib. 1. cap. 2.

SECTIO II.

An Regi, vel Sacerdoti plebejo, quandoque licitum esset Urim gestare & consulere?

Quæ de pontificis partibus in Oraculo τῦ Urim sciscitando jam dixi, huic etiam quæstioni occasionem præbeant, *annon Regi, vel sacerdoti alicui vulgari, Urim consulendi licentia* quandoque *concedebatur?* Plerique sentiunt Deum pontificem solum Oraculum Ejus consulendi privilegio cohonestasse, nec regi vel sacerdoti alicui plebejo aditum ad Urim immediatum concessisse. Et lubens agnosco sententiam illam speciosam esse, & veritatis aliquid, uti palea tritici nonnihil, sibi admistum continere. Nostrum erit verum a falso tribus hisce Thesibus separare.

Primo: *pro indubitato habeamus, Deum voluntatis suæ per Urim patefactæ nuncium & interpretem ordinarium, Pontificem solum constituisse.* Nam Urim & Thummim inter illius tantum ornamenta [1] recensentur. Et *Numer.* 27. ubi Deus Mosi præcipit, ut suo loco Joshuam populo Ducem præficeret; inter alia [2] dicit, quod *stabit coram* [3] *Eleazare sacerdote, & interrogabit eum de judicio* (h. e. sententia) *Urim, juxta os ejus egredientur* &c. [4] Legimus etiam, Saulum postquam Philisthæorum copias fudisset, Pontifice jam præsente, consilium a Domino quæsivisse; cum in eo rerum articulo parum ei constaret, quid ageret aut quonam signa sua verteret. David etiam cum res ejus in ancipiti loco essent, ad [5] Ahimelechum Pontificem se contulit, qui Davidis gratia Deum interrogasse dicitur. Hujus autem officii præstiti causa, Saulus ei convitia ingerit, majestatis læsæ postulat, eique capitis pœnam decernit, vers. 16. E jam dictis tria nascuntur co-

corollaria, quæ Argumeuto huic obſcuriori lucis nonnihil afferant.

(1) Nulli privato, qualis erat David Saulo nondum extincto, ad Oraculum Urim niſi Pontifice mediante dabatur aditus. Cum enim Davidis animum ſententiæ dubiæ torquerent; ut optimam ſalutis ſuæ expediendæ rationem iniret, ad Pontificem oraculi impetrandi cauſa ſe ſupplex contulit. Ideo vero Pontifex (Ahimelechus) Davidis cauſa Deum conſulens, iras tam graves Saulo concitavit, quod probe norat Rex nullum alium in facti tam ingrati partem venire potuiſſe; adeoque per Ahimelechum ſolum ſtetiſſe, quo minus conſilia ſua contra Davidem inita proſpere & ex voto cederent. Si enim alicui de plebe Dei Urim interrogare licuiſſet, Ahimelechus peccatum magis veniale commiſiſſet, nec Sauli bilem adeo commoviſſet.

(2) Cum privatæ conditionis homines conſilium a Deo per Urim quærerent, in Pontificis poteſtate ſitum erat, iis (ſi viſum eſſet) Oraculi ſui uſu penitus interdicere. Niſi enim ſacerdos ſui arbitrii eſſet, & lege nulla ad muneris ſui exercitium aſtrictus, cum res tantum privata ageretur; non eſſet quod Saulus Ahimelechi factum tam moleſte ferret, & illud animi rebus ejus parum faventis argumentum exiſtimaret, eumque morti adjudicaret, tantum quod Davide poſcente Oraculum Domini conſuluiſſet.

(3) Cum virum aliquem regni gubernaculis admotum, Oraculum adeundi cupido teneret, ut ſuper imperii rebus Dominum conſuleret; graviter peccaſſet Pontifex, ſi muneri ſuo & magiſtratus deſiderio defuiſſet. Cum enim Deus id Joshuæ in mandatis dederat, ut ex Oraculi ſui ſententia quidvis ageret; ſimul etiam Eleazaro [6] præcepit, ut re poſtulante, *de judicio* vel ſententia τῶ *Urim* Joshuæ loco *interrogaret*. Qui itaque primas in regno tenuit, ſacerdotem ſummum & illius Oraculum ſuo pene in arbitrio habuit, & ſacerdotem ad Oraculum ſciſcitandum, mandato, cum voluit, abſoluto devincire potuit. Hujus rei teſtem dabo *Joſephum* qui regem jus illud obtinuiſſe dicit, [7] ea *Sauli* verba, *fac accedere Ephod*, in hunc modum [8] explicans; *καλέσας ὁ βασιλεὺς — τὸν ἀρχιερέα, ἐκέλευσεν αὐτὸν γνῶναι*, *Accito — pontifice*, Jubet *eum rex divinam ſuper hoc voluntatem quærere, an ſibi reliquum hoſtilem exercitum delere permittatur*, &c.

Theſ. 2. Secundo: *credibile eſt ſacerdotes, quibus prima poſt pontificem ſacrorum cura demandata eſt, Deum aliquando & extra ordinem per* Urim *conſuluiſſe*. Huic aſſertioni Scriptura ſimul & ratio ſuffragari videatur:

(1) Scriptura Sacra: legimus enim *Num. 31. 6.* Phineazum, patre ſuo nondum defuncto, ad bellum contra Midianitas prodiiſſe, manu geſtantem כלי הקדש *vaſa* vel *inſtrumenta ſanctitatis*: id eſt, organa illa parvula [Ephod & Urim, cum pectorali] ad Dei conſilium exquirendum, prout belli caſus poſtularent. Hanc interpretationem textui maxime convenire cenſeo, quod veriſimile non ſit Phineazum ſolum, cum Iſraelitarum manu tam parva prodeuntem, vaſa omnia majora, ad ſacrum rite faciendum requiſita, ſecum ferre vel voluiſſe vel commode potuiſſe. Eſt itaque conſentaneum opinari, Phineazum pro ea vice Patris ſui partibus functum fuiſſe, & Oraculorum inſtrumenta ſecum tuliſſe (quæ magnum, in bello præcipue, ſui uſum præbuere) cum nempe pater ejus, morbo fractus aut annis gravior, officio ſuo ſatisfacere minime potuiſſet. Hic textus hujuſce ſenſus eo mihi gratior eſt, quod eum *Jonathani Chald. Paraphr.* placuiſſe conſtet: ſic enim textum integrum *παραφράζει· miſit Moſes Phinees filium Eleazar ad bellum*, ואוריא ותמיא דקודשא למשילא בהון i. e. *Et Urim & Thummim ſancta ad interrogandum per ea*. Quamvis enim dubium nullum de felici belli eventu Phineazi animum ſolicitum habere potuerit, cum Dei juſſu ſuſceptum eſſet; multa tamen in bello ſæpius evenire norat, quæ non niſi reſponſo divino expediri poterant: ideoque Phinehaz vaſa illa ſanctiſſima prudens in bellum geſtavit, ut conſilia haberet caſus ad omnes paratiſſima. Hic forſan objiciet aliquis titulum illum, כלי הקדש *vaſa ſanctitatis*, ne minimum cum inſtrumentorum, de quibus ipſe textum intelligo, natura conſenſum profiteri. Sed culicem illum facile deglutiamus: nam vox ea כלי prout etiam *σκεῦος*, & *vas*, (ſignificatus cognati vocabula) ſenſu latiore accipi, & res omnes mobiles & inſtrumenta ſortis cujuſcunque denotare, ſolent. Neque primus ipſe ſum, qui cum nomine illo inſtrumentis hiſce bene convenire cenſui: nam Pectorale, Ephod, & annexa Urim & Thummim, *ἐν σκεύεσιν ἰσχύος vaſis virtutis* aut *ſanctitatis* a [9] *Sirachide* numerantur. Quidam etiam e Judæorum ſcholis, *Buxtorfio* referente, [10] textum illum, *en abſconditus eſt* אל כלים *ad vaſa*,

vaſa, de Urim & Thummim expoſuere; *quo* inquiunt, *ſe ſubduxit Saulus*, quoad ex iis de electione ſua ad munus regium & officii ſui poſtulatis quid certius haberet & exploratius. Nihilo plus valet eorum ſententia, qui *vaſa ſancta* de tubis, quibus in bello uti ſolebant interpretantur. Nihil enim credibilitatis habet unum Phineazum *tubas* (duas aut plures) in manu geſtare voluiſſe, cum præſertim exercitu non adeo magno ſtipatus ad bellum progrederetur. Sed hoc textu miſſo, ad exemplum *Michæ* procedat ſermo, quod cauſam aliquam conjectanti præbet, ſacerdotibus aliquando Urim conſulere licuiſſe. Prout enim cum nullum e domo Levitica haberet, primogenitum ſuum, more majorum in ſacerdotem conſecravit; ita cum ſibi ſacerdos magnus deeſſet, ſacerdotem, imo Levitam vulgarem, perſonam ſatis idoneam habuit, quæ ſacra faciendi ſimul & Oraculum conſulendi munere fungeretur. At proculdubio *Micha* (quem veri numinis cultui devotum fuiſſe, & nullo ſuo merito in idololatriæ ſuſpicionem incidiſſe dixi) munus tam ſacrum perſonæ vulgari mandare noluit; niſi quod norat Deum iis ſacerdotum vulgarium miniſteriis obicem nullum poſuiſſe, ſi forte pontifex abeſſet aut aliquid humani pateretur. Nam ſi Deus lege perpetua & immobili, cuivis e Levitarum ordine omnem Oraculi conſulendi facultatem ademiſſet; Micha cum Levitam ordinarium tanti muneris miniſtrum conſtituiſſet, Deum certe non beneficii, nedum Oraculi largitorem, ſed legis ſuæ ſpretæ ultorem expectare debuit voluitque. Hic præterire non convenit, quod Saulus Deum per Urim interrogaſſe fertur, cum Abiathar ſacerdotum princeps ad Davidem cum Ephode ſe contuliſſet: inde vero liquido ſatis intelligitur, aliud Ephod in Tabernaculo, aliud etiam ſacerdotum fuiſſe, quorum ope Saulus in abſentia Pontificis Deum conſulebat. Hoc Vulgatus interpres in animo forſan habuit, cum, hiſtoriam Sauli Deum per Urim interrogantis transferens, locum [11] illum inſignem ſic verterit, Deus *non reſpondit ei*, vel *per ſomnia*, vel *per* [12] *ſacerdotes*, vel *per prophetas*.

(2) THESIS noſtra probabilitatis aliquid, non a Scriptura tantum, ſed etiam Ratione mutuari poteſt. Nam Pontificis aliquando decumbentis, aut gravibus diſtricti negotiis abſentia, poſtulavit proculdubio, ut aliquis e ſacerdotum vulgarium ordine Oraculum illud conſulendi munere, ſaltem pro tempore fungeretur. Et publica res tantis ſine dubio in anguſtiis & mediis periculorum imminentium minis quandoque verſabatur, quod conſilii divini Pontificis ſolius miniſterio poſtulandi moras minime pateretur. Deinde: nihil apud alias gentes (Hebræos antiquiores, Arabes, Ægyptios, Græcos, omnes,) uſitatius, quam ut ſacerdotes, prophetæ, divinatores, Oraculorum interpretes eſſent, & reſponſa Deorum eorum miniſterio redderentur. Id moris apud Hebræos, lege Moſis antiquiores obtinuiſſe probabile habeatur, quod [13] *Jobus* & Prophetæ vocem בדים (lina proprie, vel ſacerdotum veſtes e lino factas, indicantem) ad divinatores & oracula notanda uſurpaverint. Quid autem veteres Hebræi ſenſum utrumque huic voci dederint, niſi quod viri linteati, vel Ephode veſtiti, i. e. ſacerdotes, plerumque vates eſſent, & oracula veſtibus illis induti conſulerent & enunciarent? Moris ejuſdem apud Arabes etiam antiquos invaleſcentis argumentum haud obſcurum eſt vox eorum כהן *Kaban*, quæ utroque illo ſignificatu gaudet, *divinavit* & *ſacerdotio functus eſt*. Ægyptios eorum ſacerdotes pro prophetis & Numini a ſecretis habuiſſe, non male colligitur ex [14] *Epiphanii* verbis, παρὰ δὲ τοῖς Αἰγυπτίοις προφῆται καλέμενοι τῶν ἀδύτων τε καὶ ἱερῶν ἀρχηγοί. Apud Græcos etiam alioſque omnes, ſacerdotibus Deorum alloquio gaudere, & Oraculorum reſponſa tradere licuiſſe, [15] *Luciani* teſtis oculati verbis abunde confirmatur: μαντήϊα πολλὰ μὲν παρ' Ἕλλησι, πολλὰ δὲ καὶ παρ' Αἰγυπτίοισι· τὰ δὲ καὶ ἐν τῇ Λιβύῃ, καὶ ἐν τῇδε Ἀσίῃ πολλά ἐστι· ἀλλὰ τὰ μὲν οὔτε ἱερέων ἄνευ οὔτε προφητέων φθέγγονται· i. e. *Oracula quidem multa tum apud Græcos tum apud Ægyptios ſunt, multa autem & in Africa, & in Aſia item multa. Sed illa quidem neque abſque ſacerdotibus, neque abſque interpretibus reſponſa dant.* Cum itaque Gentium ſacerdotes Deorum alloquio gauderent, & eorum Oracula conſulendi privilegio fruerentur; rationi convenit ut Deum ſuis etiam ſacerdotibus (ſi neceſſitas urgeret) Oraculum ejus interrogandi facultatem indulſiſſe ſentiamus; ne illi præcipuum ſacerdotii privilegium prorſus amiſiſſe, & a ſacerdotibus ethnicis honore ſuperari viderentur.

TERTIO: *probabile habeo, Deum faciles & immediatos ad Oraculum ſuum aditus Regi conceſſiſſe: adeo ut vicariam Pontificis opem, ad reſponſum inde petendum,* Theſ. 3.

dum, decori potius quam necessitatis ergo postularet. Ad sententiam illam amplexandam rationes multæ & speciosæ alliciunt animum:

Earum agmen ducat [16] *Cunæi* suffragium, argumento probabili communitum, quod verbis ejus traditum accipiamus: *ipse David quem pridem antea vates regem fecerat, adeo veritus non est summi Pontificis decus usurpare, uti sacrum ejus amiculum, quod* Ephod *appellant, induerit sibi, ac mox quæsiverit ex Numine an auspicato educturus copias in hostem esset. Locus ille illustris extat in commentariis Samuelis, quem omnino perverterunt nuperi interpretes, viri hercle eruditissimi; sed qui hic dormitasse, aut aliud egisse videntur. Judices ego omnes fero qui vel leviter has literas attigerunt. Ecce illa verba*, 1. Sam. 30. 7. ויגש אביתר את האפוד אל דוד *quæ sic reddita ab illis sunt:* applicavit sibi Abiathar amiculum Davidis causa; *cum plane illud significetur quod nos diximus, Davidem, accepta Ebiatharis sacra veste, Oraculum consuluisse*. Hucusque *Cunæus*.

Secundo: constat Saulum regem, cum periculum a Philistæis immineret, Dei [17] Urim sua in persona consuluisse. Ea nempe tempestate nemo e gente linigera Saulo adfuit, cui sacrum illud officium deferre poterat. Eum enim e sacerdotibus octoginta morti addixisse [18] legimus, quod eos a partibus ejus aversos, & consilia cum hostibus suis sociare crederet: unde sacerdos magnus & alii cum eo proculdubio, ad Davidem se recepere, ne suspicionis & odii sui victimæ & ipsi caderent. Neque hic Hebræi audiendi, qui Saulum nuncios ad Pontificem exulem & sacerdotes misisse dicunt, qui rogarent suplices, ut Ephode applicato, sibi a Domino consilium quærerent. Nam a vero prorsus abludit, Saulum ab iis quod odio capitali prosequebatur, malorum suorum levamen petere voluisse, vel quicquam læti a sacerdotibus expectare potuisse, cum nuper sacerdotum sanguine manus suas tam immaniter polluisset. Sed & Sauli animus inter spem metumque crucifixus, & periculum imminens, quo Saulus eo tempore versabatur, itineris hujusce tædium & moram minime paterentur; Hic forsan objiciet aliquis, absente Pontifice, Saulo non tantum *potestatem* Deum per Urim consulendi, sed & ipsam *potentiam* defuisse; cum Abiathar ad Davidem fugiens, [19] Ephod & annexum Urim secum asportarit. At nodus ille facili negotio solvitur: nam dici potest, vel plura fuisse instrumenta, ejusdem nominis & figuræ, quibus in oraculis eliciendis sacerdotes utebantur; vel Saulum Deum per Theraphim interrogasse, quæ tamen titulo *Urim*, utpote voce synonyma hic designantur; nisi enim Deus ita quandoque responsa dedisset, non est credibile Micham & Danitas, rationem & religionem omnem ita decoquere potuisse, ut in spem certam oracula e Theraphim accipiendi se tam facile induci paterentur.

Tertio: quamvis antiquæ gentes, a Templorum adytis, antris & imaginibus fatidicis hominum vulgus arcere solerent; Regibus tamen ad imagines, adyta, locos insuper alios oraculis illustres, aditum liberum & immediatum, prærogativæ loco, reservasse videantur. Nam [20] regem Babylonis consilium a Theraphim de regni dubiis quæsiisse legimus: idem & Ephode facto fecisse Gideonem, multo probabilius est quam quod sentit *Bonfrerius*, eum nempe Pontificem e vicina semper accersivisse, cum Dei consilia scitari cuperet. Apud alias gentes præter sacerdotes nulli ad adyta vel simulacra prophetica, nisi reges & principes consultores admittebantur. Moris hujus exemplum in *Alexandro Magno* notemus, de quo [21] *Callisthenes* hæc memoriæ tradidit: μόνῳ δὲ τῷ βασιλεῖ τὸν ἱερέα ἐπιτρέψαι παρελθεῖν εἰς τὸν νεών, &c. *Soli vero regi a sacerdote concessum erat, ut in templum habitu consueto ingrederetur: cæteros vestem mutare jussos, & foris omnes Oraculum audivisse, demto Alexandro qui ingressus intus fuerat*. Nobis exemplum haud absimile præbet [22] *Tacitus* cum ait, *altior in Vespasiano cupido adeundi sacram sedem* [nempe Serapidis apud Alexandriam] *ut super rebus Imperii consuleret. Arceri templo cunctos jubet, atque ingressus, intentusque Numini*, &c. Simili privilegio & regem Israelis gavisum fuisse, non male conjiciamus: mores enim Gentilium, ubi rerum Judaicarum historia silet, modulum optimum non immerito statuit vir doctissimus, quo mores Hebræorum nobis ignotos hodie metiamur & æstimemus.

Quarto: privilegium illud quo regi soli uti concessum, vitio vel incommodo nulli portam aperire potuit. Cum enim Deus Pontificem Oraculi sui ministrum & interpretem ordinarium constituisset, satis Illius honori & dignitati prospectum erat, populo ad idololatriam ruituro aditus omnes interclusi & curatum satis ut sacerdos maximus, effigiem Messiæ in ornamentis ejus exhi-

hiberet. Quidni itaque regem quandoque in muneris ilius pontificalis communionem assumtum, eique voces divinas ex Urim datas propriis auribus haurire concessum fuisse censeamus; cum inde nihil mali Ecclesiæ Judaicæ, honoris autem & dignitatis personæ regiæ plurimum adveniret?

QUINTO: vix ullæ leges Mosaicæ de sacris, certo ritu, loco, personis, aut tempore obeundis ferebantur, quæ suam obligandi potestatem integram semper & immutatam retinuere. Lex enim omnes nisi prosapia Levitica oriundos a sacrificiis offerendis arcebat; cum tamen alios pietatis laude celebres, ea religionis officia præstitisse constet. Lex etiam *panes*, qui vocantur, *propositionis* solis Dei famulis, sacerdotibus, comedendi jus esse voluit; eam tamen legem *David & qui cum eo erant*, fame urgente, violare non dubitarunt. Et quamvis Deus sacrificia *in loco* tantum *quem ipse eligeret* celebrari jusserat, Israelitas tamen in locis editis, & viros sanctissimos ubique locorum, prout occasio se daret, altaria Deo sacrata struxisse legimus. Quamvis itaque Deus *Urim* Pontifici soli dederit, & omnes rebus in incertis consilio egentes coram ipso, veluti regis summi interprete stare jusserit; facile tamen credi possit, & legis illius vincula laxiora temporis progressu facta fuisse, nec regem aut sacerdotes tam arcte devinxisse, quin & ipsi, si res ferret: e suis aut Pectoralis *Theraphim* responsa peterent, & Pontificis vice quandoque fungerentur. Nam lex ea, prout omnes aliæ quæ de minoribus curarunt, naturas æquales habuisse, & a ratione mutabili, malo aliquo seculi more rationem & originem petiisse videantur.

SEXTO: sententia contraria dolosis & infirmis admodum fulcimentis nititur Nam Cl. *Buxtorfius* officium consulendi Urim, summi sacerdotis proprium fuisse, his argumentis confisus, asserit.

(1) HOC *oraculum*, inquit [24] Buxtorfius, *solummodo in Sancto Sanctorum ad Arcam coram Domino consulebatur: & solus sacerdos Sancto Sanctorum ingredi, & coram Arca ministrare* potuit. Sed hoc argumentum ictu levi atque irrito ferit opinionem cui ipse studeo: quamvis enim Pontificem Oraculum suum coram Arca, vel facie ad Arcam versa sæpe consuluisse, non inficias iverim; *Buxtorfium* a veritate plurimum abiisse patet, cum illum interrogandi ritum semper observatum asserit. Nam Davidem profugum adeoque longe disjunctum ab Arca & Tabernaculo, medio Ephode consilium divinum accepisse, [25] constat. At veritatem sibi minus amicam habuit summus vir, cum Oraculum hoc *in Sancto Sanctorum solummodo* consultum dixit. Nam inde sequetur, Pontificem raro admodum ab Urim responsum accepisse, cum illi ad Sanctum Sanctorum non nisi [26] semel in anno daretur aditus.

(2) REPUGNAT *huic opinioni*, inquit vir doctissimus, *locus ille* Num. 27. 21. *unde Hebræi arguant, ipsum regem per sacerdotem summum consulentem Urim & Thummim, coram eo stare debuisse*. Imo vero specie magis quam re nobis adversatur hic locus: nam durante quidem Theocratia, sacerdos summus ad imperii clavum sedebat, & primus a Deo (jure saltem & ordinarie) ipse erat. Ideoque sacratioris illius imperii conditioni congruum erat & consentaneum, ut responsa publicum spectantia, per Pontificem, Dei vicarium & omnibus in gente superiorem traderentur. Postea vero Respublica novam regiminis formam subiit, eamque Reges habuere, qui non tantum in vilia vulgi capita, sed Pontificem ipsum (nam David [27] *Zadochi* dominum se vocat) imperium exercuere. Cum itaque Deus regem imperii illius pontificalis hæredem quasi ex asse constituisset, quidni Deum imperii illius pignus, facultatem se in arduis consulendi, ei dedisse crederemus; cum præsertim Regem a precaria Pontificis ope & arbitrio ad Dei consilia cognoscendum pendere, majestate sua & imperio quo erat absoluto indignum videatur.

(3) AT *officium*, inquit auctor laudatissimus, *hoc erat proprium summi sacerdotis, ut Urim consuleret, in quod absit ut dicamus regem involasse, vel sacerdotem summum id ei indulsisse*. Sed & ipse libens agnosco munus illud ita sacerdotis summi proprium fuisse, quod nemini ex humili vulgo in illud involare fas esset; non vero quod nullus e Regum ordine eo licite fungi posset. Davidem itaque, dum in subditis tantum & plebeiis ei locus esset, Dei responsa ministerii sacerdotalis beneficio sæpius accepisse [28] legimus: sed postquam Saulus inter vivos agere desiisset, & David solio potitus fuisset; ille quasi jure regio jam usus, mediam Pontificis operam, cum Deum consultum iret, nusquam quod memini postulasse dicitur: eum tamen sæpius in angustiis Deum sibi consiliarium quæsivisse, sacri testantur [29] commentarii.

RA-

Rationes quas dedi hactenus animum inducunt ut *Cunæi* sententiam in probabilium saltem numero habeam: quamvis (ut aperte loquar) argumentum quod ei tantam in re tam obscura fiduciam fecit, eum ultra meritum illius æstimare sentio. Nam voces illæ, הגישה נא לי האפוד sensum quem ipse spectat vix tortæ fatebuntur; & si totam Scripturam evolvit, vocem נגש eo sensu sumtam ægre reperturus est. Si vero textum Hebræum vere & ad verbum transferamus, hunc solum dabit sensum *affer nunc Ephod mihi*; qui Græcorum, Chaldaici, Syriaci, & Arabici, interpretum auctoritate satis asseritur & confirmatur. Deinde: loquendi formula non absimilis, ubi de Deo per Ephod consulendo agitur, alibi non semel occurrit, ubi sensus alius e verbis ne fidiculis quidem exprimendus est. Nempe 1. *Sam.* 14. 18. *Et dixit Saul & Achijah*, הגישה הארון *fac accedere arcam*, vel τὸ Εφὼδ, uti LXX. transferunt. Et 1. *Sam.* 23. 10. *Dixit David ad Abiathar sacerdotem*, הגישה האפוד *applica* vel *admove Ephod*. Ideo vero Saul & David sacerdotem cum Ephode suo sibi propius admoveri voluere, forte quod Joshua (in cujus vicem succedebant ipsi) coram Eleazare sacerdote, cum sententiam τὸ Urim illius causa quæreret, stare teneretur; vel quod moris esset ut persona responsum expetens vocem ex Oraculo prodeuntem propriis auribus acciperet, ne quis imposturam oraculi larva tectam, sibi oblatam suspicari posset; vel forte quia Saulo & Davidi, potestatis suæ regiæ jure & privilegio, licitum esset, Ephod sibi ipsis induere; vel saltem dubia sua Deo solvenda proponere, Pontifice tantum Oraculi instrumenta præferente.

Hæc autem & ea quæ de promto facilique ad Urim aditu Regi dato, ejusque cum vellet consulendi potestate peculiari, dixi alia, in medio & sub Lectoris arbitrio relinquo. Nec opus est ut stylum meum in hanc controversiam altius immergam, cum hoc Oraculum (quod statim ostendo) sub prima Salomonis tempora conticuerit.

[1] *Exod.* 28. 30. *Lev.* 8. 8. [2] Vers. 21. [3] Vid. *Jonathan. Paraph.* in *Num.* 3. 32. [4] 1. *Sam.* 14. 37. [5] 1. *Sam.* 22. 10. 15. [6] *Num.* 27. 21. [7] 1. *Sam.* 14. 37. [8] *Antiq. Judaic.* l. 6. c. 6. p. 241. 30. [9] Cap. 45. 9. 10. [10] 1. *Sam.* 10.22. [11] 1. *Sam.* 28. 6. [12] *Cum in Hebræo sit*, Urim. [13] V. *Loc. cit.* apud *Avenar. & Schindler.* in voc. בר [14] Lib. 3. Adv. *Hæres.* [15] Lib. de *Dea Syr.* p. 1072. A [16] Lib. 1. de *Rep. Hebr.* c. 14. [17] 1. *Sam.* 28. 6. [18] Cap. 22. [19] 1. *Sam.* 23.6. [20] *Ezec.* 21. 21. [21] Ap. *Strabon. Georg.* l. 17. p. 1168. C [22] *Histor.* lib. 4. p. 111. [23] *Histor. Urim.* p. 270. & 295. [24] V. 1. *Sam.* 23. 6. & 30. 6. 7. & 2. *Sam.* 5. 19. 23. *collat. cum cap.* 6. 2. [25] Ad *Hebr.* 9. 7. [26] V. 1. *Reg.* 1. 32. & 1. *Sam.* 22. 12. 15. [27] 1. *Sam.* 22. 9. 10. & cap. 23. 6. 9. & 30. 7. [28] 2. *Sam.* 2. 1. 2. 2. *Chron.* 5. 19. 2. *Sam.* 21. 1. 2. *Chron.* 14. 10.14.

SECT. III.

Cur soli Pontifici THUMMIM *gerere concedebatur*:

Cum circa personam adhuc versetur sermo, cui pectoralis instrumenta gestandi provincia demandata est; hanc quæstionem solutione non indignam arbitror, *cur soli Pontifici* Thummim *gestare concedebatur?* Huic autem quæstioni hoc brevi responso satisfiat: perquam probabile est Deum Pontificem solum hoc honore dignatum fuisse, ut Thummim index esset & insigne muneris illius Judiciarii, quo Pontifex, ordinarie & de jure fungebatur; integritatis etiam in Judice, præcipue supremo, requisitæ monimentum. Ne sententia mea levis & temeraria tantum conjectura videatur, evincere conabor, Primo, sacerdotem summum Judicis officium obiisse, eumque sæpe rerum sacrarum simul & civilium arbitrium habuisse: Secundo, Thummim muneris illius judicialis insigne fuisse, & integritatis, in Judice præcipue, requisitæ monimentum: Tertio, rationes adversas infirmare conabor.

Sacerdotem Summum fuisse Judicem.

Ne quid in prima pensi mei parte requiratur, ostendam Pontificem Judicem quandoque *supremum* fuisse, & sacerdotis simul & *Suffetis* aut regis cujusdam officium obiisse; sæpissime vero Judicem *subordinatum*, & causas graviores, sacra præcipue spectantes, ad illius arbitrium rediisse, cum scilicet Israelitæ regum imperio subjicerentur.

Quandoque supremum.

(1) Quandoque Pontifex Judex supremus erat, & sacerdotis simul & *Suffetis* aut regis cujusdam officio fungebatur. In hoc Argumento veteres & & recentiores in studia plane contraria scissos observare liceat. Veteres, [1] *Diodorus Siculus*, [2] *Trogus Pompejus*, & ex ethnicis alii, principatus & pontificatus conjunctionem apud Hebræos perpetuam fuisse non dubitarunt affirmare. Erroris hujusce fontem [3] *Seldenus* detegit. Ex adverso, recentiores plerique, regni & sacerdotii potestatem unquam in sacerdote primario coaluisse, plane negasse vel hæsitanter asseruisse videantur. Nos viam mediam tutius ineundam

dam rati, præfecturam utramque nonnunquam coaluisse diximus, & Pontificem QUANDOQUE sacerdotis & judicis supremi personam sustinuisse. Nec invita veritate: nam post captivitatem, Pontifices summæ rei præfuisse, & utrumque (Pontificatus & Principatus) honorem sæpe tenuisse, [4] *Seldenus* noster tot illustribus testimoniis comprobavit, quod ad illius doctas paginas digitum intendisse sufficiat. Sub ipsa rei Israeliticæ principia, personas easdem potestatem Pontificalem & Judicialem aut imperatoriam ordinarie tenuisse, non obscure colligitur e celebri [5] illo *Deuteronomii* loco, *vir autem qui superbe egerit, nolens obedire sacerdoti qui stat ibi ad ministrandum coram Domino Deo tuo, vel judici*, [6] quicunque fuerit in diebus illis, *interficiatur*, &c. Hæc autem argumento sunt, omnes imperio Judicis obedire & illius dictatis acquiescere debuisse, modo Deus extraordinarie talem excitasset; si vero talem non excivisset, ad sacerdotem coram Domino ministrantem, id est, Pontificem, rerum summam rediisse, eum ordinarie jura dedisse, & magistratus omnes inferiores illius imperio fasces submittere debuisse. Suadet enim contextus in loci cohærentia, ut voces eas (*sacerdoti qui stat ibi*) de Pontifice capiamus, qui [7] *in loco quem Deus elegit*, (Shilo primum, dein Hierosolyma) semper habitavit & ministravit. Ad hoc imperii genus inter Israelitas, Mose defuncto, constitutum, allusum videtur *Exod.* 19. 5. *Et eritis mihi* ממלכת כהנים *regnum sacerdotum*, seu *regnum sacerdotale*, uti Vulgata, vel βασίλειον ἱεράτευμα *regale sacerdotium*, uti LXX. Hæc autem imperii forma, qua sacerdotes, Princeps imprimis, rerum publicarum administrationi, tanquam tot reges præfuere; longo tempore ad regum usque tempora durasse videatur. Hisce consentanea [8] *Synesii* verba: *Hebræi & Ægyptii* χρόνον συχνὸν ὑπὸ τῶν ἱερέων ἐβασιλεύθησαν· *longo tempore sacerdotum regalium imperio usi sunt*. Nil opus est ut hæc me diutius detineant, cum [9] alibi potestatem hujusmodi judicialem & regiæ proximam testimoniis & aliis argumentis Pontifici vindicaverim.

Quandoque subordinatum.

(2) HEBRÆORUM hierarcha judicis quandoque subordinati & sub Rege constituti vice fungebatur. Hac de re nullum dubitandi locum relinquit [10] *Josephi* testimonium: οὗτος (a) μὲν πρὸ τῶν ἄλλων ἱερέων, θύσει τῷ Θεῷ, φυλάξει τοὺς νόμους, δικάσει περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων, &c. *Hic*, Pontifex nempe, *præ sacerdotibus aliis, Deo sacrificabit, custodiet leges, de dubiis judicabit, & puniet lege convictos*, &c. Idem e [11] *Philone* colligendum, qui de Principis & aliorum in Judiciis officio verba faciens, hæc habet: *quoties ille non satis causas perspicit, propter earum perplexitatem & caliginem*, παραιτείσθω τὰς κρίσεις, καὶ ἀναπεμπέτω πρὸς ἀκριβεστέρους δικαστάς· *recuset officium judicis, & litigatores ablegat ad judices accuratiores*; οὗτοι δὲ τίνες ἂν εἶεν, ἢ ἱερεῖς, καὶ ὁ τῶν ἱερέων ἔξαρχος ἡγεμών; *hi vero quinam alii fuerint, nisi sacerdotes, & sacerdotum princeps?* Horum testium fidem eo minus suspectam habeo, quod e Vet. Testamento constet, homines e genere plurimum Levitico ad tribunal evectos fuisse: ideoque fidei consentaneum est, sacerdotem summum Judicis officium sæpius obiisse, cum ille Tribus Leviticæ caput esset, & ille studiis juridicis præ aliis vacasse censeatur. Hac de re paulo fusius agendum est, cum methodi mihi præscriptæ ratio me ad hoc Argumentum revocaverit.

Thummim muneris judiciarii nota.

PROBANDUM est proximo, THUMMIM hujusce præfecturæ judicialis insigne fuisse, & integritatis in judice præcipue supremo requisitæ monimentum. Hoc autem citra pulverem & sudorem fieri potest. Nam,

(1) THUMMIM potestatis hujusce notam & insigne fuisse, vel inde cognoscatur; quod URIM illius comitem individuum toties in Scriptura reperiamus. Cum enim Urim Dei consiliis & responsis referendis inserviret, adeoque Pontificem ordinarium regni judicem & præsidem a Deo constitutum indicaret; quid Thummim (res naturæ plane diversæ) cum Urim eadem in [12] lege, eodem etiam in pectorali, conjungeretur; nisi quod usu saltem generali cum eo conveniret, & Pontificem in omnibus causis, tam sacris quam civilibus, summum (secundum Deum) judicem & moderatorem declararet? Idem paulo luculentius intelligitur, ex ipso loco vel sede ([13] pectorali nempe) quem Deus τῷ Thummim assignavit. Nam pectorale illud, חשן המשפט λόγιον τῆς κρίσεως *pectorale judicii*, nomen tenuit, quod inde Dei judicia traderentur, & quod summum Pontificem judicia exercere debere significaret. Quid autem Thummim in Pectorali illo solummodo sedem inveniret, nisi quod inter ea cognationis aliquid intercederet, & id etiam pontificem Judicis supremi locum occupare significaret?

(2) THUMMIM erat etiam integritatis, in Pontifice præcipue (utpote supremo rerum sacrarum & civilium arbitro) requisitæ monimentum. Cum enim imaginem Ægyptiacam Ἀλήθεια nuncupatam, institutioni τῶ Thummim ansam dedisse pateat, & ea Pontificis Ægyptiaci collo aptata eum in controversiis dirimendis se justum & integrum præstare, & πρὸς μόνην βλέπειν ἀλήθειαν, moneret & indicaret; obvium est inde colligere; quod simulacrum Pontificis Hebræi, titulo Thummim celebre, eum etiam sincerum esse debere doceret, & in causis cognoscendis fide integra & illibata versari commonefaceret. Deinde: cum Urim *lumina*, & Thummim *perfectiones* aut *integritates*, notet; quid symbola nominibus illis insignita in pectorali tam arcte jungerentur, nisi ut lumen & perfectionem, scientiam & integritatem in Judice præsertim supremo, præter alia desiderari significarent?

Objecta refelluntur.

PROXIMUM est, ut Adversantium tela (rationes objectas) confringamus. Horum autem primum, cui multum acuminis inesse creditur, ita formavit (*b*) Adversarius meus: *Ægyptiorum Pontifex gemmam* ἀλήθεια *dictam gestabat qua Judex, ad illius officii sinceritatem designandam. Verum e Judicibus aliquem, qua talem, Thummim gestasse, nullo patet indicio.* Pontificis *hic apparatus erat, populi personam apud Deum sustinentis, non* Judicis. *Neque quemadmodum apud Ægyptios, sacerdotum Maximus supremi dicasterii præses erat, ita apud Judæos semper: tantum enim abest ut Pontificatus sui nomine semper Princeps fuerit, ut ne quidem illius pars aliqua foret nisi propter rerum agendarum peritiam adsisceretur.* Patet itaque me multum a vero discessisse, cum Pontifici Judicis supremi locum assignaverim, & Thummim a Judicis Ægyptiaci simulacro sæpe memorato principium accepisse dixerim.

OBJECTIONI huic obvio facilique responso satisfiat: animo lubente fateor, sub expirantis Judaismi tempora Pontifici minime contigisse, semper Synedrii partem aut principem esse, vel Judicis publici locum occupare. At cauto opus est, ne quæ de Synedrii potestate, vel Pontificis imminuta dignitate, re Judæorum inclinante dicta sunt, primis Reip. surgentis temporibus obtinuisse censeantur. Tunc enim sacerdos maximus locum principem in Republica tenebat, nisi Deus extra ordinem Judicem excitasset; quo tamen sublato, rerum summa redibat ad Pontificem, & ille sacerdotis & Judicis officio fungebatur. Regiminis hujusce figuram quandam propheticam exhibuit Moses, qui partes suas Aaroni demandavit, quoties a populo diutius abesse cogebatur. Deus etiam hanc imperii formam non parum confirmavit, cum ordinarie soli Pontifici & [14] Judici Urim consulendi licentiam dederit, & omnes [in dubiis gravioribus] ad Pontificem aut Judicem ad [15] *veritatem judicii* capiendam amandaverit. Cætera causam meam non multum urgent, nec ea speciali responso digna judico.

Obj. 2.

SECUNDO: forte regeret hic aliquis, non esse verisimile Thummim sacerdoti maximo concessum, ut monitoris vice esset, & integritatem aut perfectionem, in loci tam clari viro præcipue requisitam, in illius animum subinde revocaret. Nam doctorum (forsan & ætatum omnium) fide receptum est, nomina illa Urim & Thummim, non respectu aliquo ad Pontificis personam aut officium, sed illius Oraculum habito, Pectoralis instrumentis indita fuisse, & responsi cujusvis inde dati *perspicuitatem* & *sinceritatem* aut veritatem μυστικωτέρως indicasse.

FATENDUM est quidem, sententiam hanc doctorum longe plurimorum calculos obtinuisse; quibus & ipse libens astipulari vellem, nisi sensus vocabuli Thummim apertissime reclamaret, & animum in sententiam plane contrariam cogeret. Cum enim vox Thummim *perfectiones* notet, quis paulo nasutior opinari potest, Deum vocem illam, adeo reluctantem & invitam, ad *veritatem* significandam trahere voluisse? Quis etiam animum inducere potest, ut sentiat Deum oraculorum suorum veritatem titulo tam solenniter imposito declarare voluisse; quasi quis e gente sancta rem tam tritam, & Natura magistra notam, ignorare vel de ea tantillum dubitare potuisset?

Obj. 3.

TERTIO: minime probabile esse, dicet forsan alius, simulacrum Sapphirinum, quo Ἀρχιδικαστὴς Ægyptius inter judicandum ornabatur, τῷ Thummim originem tribuisse; quod illud in propatulo esset, & collo illius adaptatum, in populi conspectu perpetuo versaretur; cum Thummim ab oculo vulgi longe remotum, in Pectoralis duplicitate latitaret, & hac in re multum ab exemplari suo discreparet.

RESPONDEO: nihil est cur hoc leve discrimen inter Hebræorum Thummim, & (illius exemplar) Ægypti simu-

mulacrum pontificale, sententiæ meæ fidem labefactare censeatur; cum summus Legislator, quicquam e Gentium moribus in Legem transferens, nunquam id studio habuerit, ut ritus omnes in sacrorum suorum familiam adoptati, moribus antiquis unde sumti fuerunt exacte & per omnia responderent. Deinde, ratio suasit, ut hac in re ab Ægyptiorum exemplari discederetur: cum enim Judex Ægypti sacerdotalis Deum verum, injustitiæ & perjurii vindicem ignoraret; par erat ut ille pro tribunali sedens, simulacrum ejus Ἀλήθεια nuncupatum, apertum & hominum oculis obvium gestaret; ut publica & realis illa justitiæ professio eum ad jus dicendum & veritatem solummodo in judicio sequendum arcte devinciret. Cum autem Hebræorum Pontifex, si a veritatis & justitiæ semita deflecteret, Deum ultorem expectaret; satis erat, ut ille Thummim ejus in Pectoralis latebris, tanquam secretum officii sui monitorem, gereret.

PLURA hic addi possent, si conjecturis indulgere, vel Lectorem, in hoc Argumento satis nauseæ jam passum, enecare vellem.

[1] Lib. 40. ub. supr. [2] In *Justin. Epitom.* lib. 36. [3] De *Succes.* in *Pontificat. Heb.* l. 1. cap. 13. [4] De *Synedr.* l. 2. c. 15. §. 12. [5] Cap. 17. 12. [6] *Ος ἂν ᾖ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις. LXX.* [7] Vid. *com.* 8. & 10. [8] *Epist.* 57. & 121. [9] Vid. *capit. hujus sect. prim.* [10] Lib. 2. contr. *Apion.* p. 1380. 15. [11] Lib. de *Creat. Princip.* p. 728. D [12] 1. *Chronic.* 26. 29. 2. *Chron.* 19. 8. 9. 10. [13] *Levit.* 8. 8. [14] *Exod.* 28. 30. [15] *Num.* 27.21. [16] *Deut.* 17. 9. & 12.

(*a*) *Eusebius Præp. Evang.* Lib. 8. cap. 8. p. 365. ita legit. *Josephum*: *μετὰ τῶν συνιερέων θύσι* &c. In quodam MS. (inquit *Hudson*) *μετὰ τῶν ἄλλων ἱερέων*. (*b*) Vid. Witsii *Ægyptiaca*: L. 3. cap. 11. p. 258.

CAPUT VII.

De Oraculi hujus duratione & defectu.

Oraculum Urim sub Salomonis ætatem defecisse,

AGENDUM est proximo (cum id mihi pensi proposuerim) de Oraculi hujusce duratione, & ætas (qua licet) investiganda qua primum Urim defecisse censeatur. Mihi vero de re tam obscura sæpe mecum deliberanti verisimile visum est, Oraculum Urim sub ultima Davidis, aut prima Salomonis tempora siluisse; cum nempe sacrum illud Imperii genus, *Theocratia* dictum, ad extrema venisse videatur.

Probatur sex argumentis.

HANC autem sententiam, non levibus inductus argumentis, amplectendam sentio.

HORUM primum a silentio Scripturæ petitur. Postquam enim Hebræorum reges natalium jure solium occuparant, quenquam Deum per Urim consuluisse vel eum ita respondisse nusquam reperitur. Deus equidem a Josuæ ad Davidis tempora sæpe per *Urim*, raro autem per *Prophetas*, voluntatem suam de re aliqua unde salus populi pendebat, revelavit: at seculis sequentibus (cum nempe Deus regis civilis partes agere pene desiisset) eum quandoque per *Prophetas*, nunquam per *Urim* aut *Ephod*, consilia de regni rebus tradidisse legimus. Hoc autem Scripturæ silentium, pro sententia mea ponderis haud exigui præbet argumentum: quid enim Urim, sæpe quidem *ante* Salomonis tempora, nunquam autem *postea*, consultum legimus; nisi quod Oraculum illud sub ea quæ dixi tempora conticuerit?

SECUNDO: ipsa rerum gestarum conditio, cum primum ad Salomonem regni jura delata sunt, argumento non obscuro est; Deum pectoralis Oraculo, sub imperii Salomonici principia, silentium perpetuum indixisse. Tunc enim Pontifex *Abiathar*, aliique se læsæ majestatis crimine imprudentes obstrinxere: quod forte nunquam admissuri essent, si Oraculum hoc ad manum habuissent, e cujus infallibili responso lites & dubia omnia de vero Regni hærede dirimi poterant & determinari. Nec veritatis imaginem aliquam præ se fert, Salomonem *Abiatharem* loco & dignitate potificali, exemplo plane novo, dejicere voluisse; si vocale adhuc Pectoralis Oraculum, quod eximiam Pontifici venerationem & majestatem regiæ proximam addere solebat, eo tempore superfuisset.

TERTIO: hinc etiam adducor ut sentiam, Pectoralis Oraculum sub prima Salomonis tempora siluisse, quod primarius illius usus & instituendi ratio cum ipsa regiminis forma & conditione quam Israelitæ postularunt, male conveniret. Illi nempe regem sibi proponendum desiderarunt ככל הגוים *sicut omnes* in terræ confinio *gentes*; hoc est, (prout mentem eorum interpretatur [1] *Abarbanel*) *qui rex esset simplicem & absolutam habens potestatem*: qui nempe pro arbitrio suo, Regum vicinorum more, leges ferre, bella gerere, magistratus inferioris subsellii constituere posset; non Dei, multo minus populi suffragium aut consensum præstolatus. Eo jure regio, Saulum, [2] Davidem, aliosque reges, nullos autem e

Ju-

Judicum ordine, usos fuisse constat. Hæc autem potestas Regia, cui leges & consilia nulla extra Principis ipsius arbitrium modum & limites posuere, cum primaria τȣ Urim instituendi ratione, ejusque usu quem Deus præscripsit, adversa fronte pugnare videatur. Ideo enim Urim oracula reddendi facultate donatum erat, ut inde populi Præsides in rebus difficilibus & impeditis, Dei voluntatem explorarent, nec quicquam propriis tantum auspiciis aggrederentur. Nam Deus Joshuæ, vel ulli qui *Judicis* tantum titulum gessit, fas esse noluit *ingredi* vel *egredi*, i. e. alicui genti bellum indicere, vel quicquam in regni arduis pro arbitrio suo constituere; sed Pontificis Oraculum sciscitari, & per illud, tanquam cœlestem cynosuram, consilia & actiones suas omnes dirigere, tenebantur. Pontifex [3] *Abel* ille fuit, quem in consilium [4] advocabant prius, & *sic rem omnem graviorem perficiebant*. Nec hoc argumentum inde vanum & elumbe redditur, quod constet Saulum & Davidem Oraculum Urim consuluisse, & res suas illius sententiæ submisisse, quamvis cum imperio & jure regio præessent Israelitis, nam Saul & David non erant reges nati, sed a Deo designati; unde patet Theocratiam, cui ministravit Oraculum illud, quanquam morituram quidem, tunc temporis haud prorsus expirasse.

Quarto: hisce ponderis aliquid addit exemplum *Hilkiæ* pontificis, [5] *Huldam* Prophetissam consulentis, cum regis animus in dubio hæreret, & ille aliique, de rerum eventu solliciti, inter spem metumque vacillarent. Neutiquam autem credibile est, *Hilkiam* consilii circa regni dubium imperrandi causa, *Huldam* adire voluisse, si Pectoralis Oraculum suo saltem tempore non conticuisset. Hæc enim submissio Pontificis officio, locique sui dignitati minus consentanea videatur.

Quinto: Urim Oraculum politicum erat, a viris tantum qui rerum publicarum regimini præfuere, circa regni totius negotia consulendum. Rem hanc, ejusque rationem præcipuam, verbis Cunæi paulo clarius & felicius exprimo: Ille postquam Urim interrogandi modum enarrasset, [6] *ea consulendi ratio*, inquit, *non privatis, aut de plebe hominibus, sed regibus duntaxat, summisque judicibus, aut iis qui publice missi a populo essent, usurpata fuit. Quoties enim res magna agebatur itum illuc est. Privatorum negotia votis precibusque relicta sunt, ne Oraculi sanctitas evilesceret.* Jonathan ea mente fuisse videtur, qui celebrem [7] illum *Exodi* locum sic illustravit; *& pones in pectorali judicii* Urim, *quæ illustrant reipsorum, & manifestant abscondita domus Israel.* His ulterius astruendis hic immorari non licet, cum iis fidem satis apertam [8] alibi fecisse videamur. Cum itaque Urim Oraculum publicum & politicum esset, ad publica dubia solvenda, resque regni moderandas institutum; neutiquam probabile est, illud ultra Salomonis tempora durationis suæ terminos protulisse. Tunc enim Deus, ut populi votis annueret, reges ei concessisset, iisque regni totius arbitrium integre delegasset; nec Oraculum, semper in rebus publicum spectantibus interrogandum, cum potestate illa regia & arbitraria stare potuisset.

Sexto: Pontificis Urim, sub tempora Salomonis, usibus & finibus illius omnibus abunde serviisset. Ex iis duos tantum in præsenti memorabo, ne rei ejusdem repetitio frigida & molesta censeatur.

Horum primus erat, ut honorem & dignitatem adderet Hebræorum Pontifici, adeoque sacerdotum genti, quos solos Deus alloqui dignabatur; quorum etiam ministerio, in Dei responsis eliciendis, Judices uti cogebantur. Hoc veri speciem haud exiguam præ se ferre, probat [9] *Riberæ* testimonium: cum enim observasset, Deum Joshuæ & Davidi sæpe per Urim respondisse; *non putandum est*, inquit, *semper ita Dominum respondisse, nam cæteris postea regibus non legimus respondisse per Urim, sed per Prophetas: respondebat tamen aliquoties prioribus illis temporibus, cum opus erat, ut sacerdotalem dignitatem commendaret.* Cum itaque Deus ad Davidis usque tempora per Urim respondisset, Salomonis ævo non magis opus erat oraculis e pectorali datis *ad sacerdotalem dignitatem commendandam*, quam ætate nostra miraculis ut inde fides Christiana confirmetur.

(2) Pontificis Urim in Θεοκρατέιας indicium, pignus, & instrumentum, a Deo institutum est. De assertionis hujusce veritate non est quod quispiam ambigat, cum Deus durante divina illa politia, de rerum summa, de belli casibus, de regni gravioribus, responsa per Urim pene semper dederit; & primariis tantum regni sui ministris, si quando futurorum ambigui vel consilii inopes essent, Oraculum illud consulendi potestatem fecerit. Dein-

inde: clarum est Deum per prophetas quidem, visiones, voces etiam cœlitus emissas, consilia sua cum Patriarchis communicasse: de responsis vero publicum spectantibus, per pontificis alicujus Urim, ante Theocratiam editis, Literæ sacræ altum silent: nec postquam Hebræorum reges natalium jure solium occuparant, quenquam Deum ita respondisse reperimus. Adeo ut Oraculum hoc cum ipsa hac Theocratia initium accepisse, & cum ea prorsus expirasse videatur. Illam autem cœlestem regiminis formam cum ipsa Hebræorum Republica principium habuisse, neminem in Scriptura sacra versatum latet: eam etiam plurimum imminutam & morti vicinam, cum Deus Saulum & Davidem ad solium evexisset, non immerito asseramus: ea vero sub Salomone qui primus hæreditario jure principatum tenuit, extremum pene spiritum efflasse censeatur. Cum enim homines, nascendi sorte, non (uti *Judicum* seculo) calculo divino principatum obtinerent; eo manifestum erat potestatem regiam in Davidis familia firmatam fuisse, Deum solio suo civili cessisse, & regis politici personam & jura deposuisse.

Cum hæc omnia mecum reputo, magistris Hebræorum (in quorum verba jurant *Galatinus*, *Serarius*, aliique longe plurimi) consentire nescio, qui Oraculum hoc in captivitate Babylonica primum cessasse contendunt. Veritati propius videtur, quod per eadem tempora quibus & Theocratia, cui ministravit, e rebus sublatum fuerit. Atque inde factum arbitror, quod quamvis Judæi moderni morum aliorum antiquiorum traditiones aliquas probabiles & secum constantes retinuerint; de hoc Oraculo verba facturi, nil nisi fabulas aniles, & dogmata cum Scripturis & semetipsis male convenientia in medium proferant; Nempe tot secula, a novissimo illius usu elapsa, in quibus Judæorum res misere afflictæ fractæque fuere, facile Oraculi hujusce, præ aliis institutis Mosaicis, memoriam & scientiam omnem abolere possent.

Objectionum nebulæ discutiuntur. Obj. 1.

Sententia mea tot argumentis communita, id unum jam postulat officii suscepti ratio, ut argumentationes ei forsan objiciendas enervare conarer.

Ex iis prima sic habet, probe notum est, non deesse plurimos, eosque summos in Rep. literaria viros, qui Oraculum Urim cum primo tantum templo cecidisse sentiunt, & sententiam suam ex [10] illo *Ezræ* loco, multa cum fiducia probare satagunt; *dixit eis Athirsata, ut non comederent de Sancto Sanctorum, donec surgeret sacerdos cum Urim & Thummim.* Nam e verbis hisce constare dicunt, *Ezram* & alios e Synagoga magna viros, in memoriam Urim, utpote ante annos haud adeo multos vocalis rediisse, & spem lætam Oraculi illius, templo jam restituto concepisse, quod a templo tantum vastato desiderassent.

At pace doctorum, locus ille nullum tantæ fiduciæ fundamentum præbet. Nam vox illa עד *donec*, apud Hebræos ad personam fortiter negantem & rem nunquam futuram indicandam sæpiuscule usurpatur. Ex. gr. 1. *Sam.* 15 35. *Non vidit Samuel ultra Saulum,* עד יום מותו *usque ad diem mortis suæ*, id est, nusquam postea vidit: *Jes.* 22. 14. *Si expietur iniquitas ista donec moriamini*: Job. 27. 5. *Donec expiravero, non amovebo integritatem meam a me.* Genes. 28. 15. *Non deseram de te donec perfecero.* Loca cognata occurrunt, *Mat.* 12. 20. 2. *Sam.* 6. 23. *Mat.* 1. 25. quæ otium agentibus consulenda trado. Sane Judæis adeo notum & observatum est hoc loquendi genus, ut doctissimi inter ipsos vaticinium [11] Jacobi ita conentur interpretari. Nec causæ quicquam video ipse, quo minus voci עד *donec* eadem pernegandi potestas hoc in loco tribuatur; ita ut hic textus innuat atque indicet, Urim & Thummim ante secula tam multa defuisse, quod ea præcipue adeo in perditis & desperatis haberent *Ezra* aliique, quod sermo ille (*donec surgeret sacerdos cum Urim & Thummim*) pene in proverbii consuetudinem abierat, & rem aliquam ad Græcas calendas futuram denotaret. Hunc autem textus hujusce sensum præ aliis me habere fateor, quod minime probabile sit, Dei consilium & illius seculi conditionem Ezram & populi præsides ita fugere potuisse, quod spe vana Oraculi illius postliminioredituri se duci paterentur. Neque pede firmiore stabit sententia recepta, modo textus hujusce verba sensu vulgari accipienda esse, & Ezram aliosque Judæos patriis laribus redonatos spem credulam Oraculi illius denuo restituendi aluisse dederim: nam & hodierni Judæi animos suos eadem spe vana pascere solent, quamvis certum sit ætates, ex quo Oraculum Urim defecit, quam plurimas effluxisse.

Obj. 2.

Secundo: hic forte dicet aliquis, Urim Oraculum tantum publicum aut politicum fuisse, adeoque soli Theocra-

tiæ

tiæ ministrasse, me contra omnem veri speciem asseruisse. Quis enim consultior paulo sibi persuadere potest, Deum Oraculum aliquod de rebus solummodo publicum spectantibus consulendum instituisse? Moses ipsum Oraculum Sanctuarii scitatum ivit, cum res tantum privata, filiarum nempe [12] *Zelophehad* ageretur. Nihil est itaque cur Urim Theocratiæ pignus & instrumentum fuisse putetur, & utraque per eadem tempora quasi vixisse & expirasse censeantur.

Huic argumento non est quod multum virtutis inesse censeatur, cum liquido satis ostensum sit, Urim Oraculum fuisse, de rebus tantum publicis, & viris munere publico fungentibus interrogandum. Atque hoc eo minus a fide vel ratione remotum haberi debet, quod etiam gentibus antiquis Oracula quædam, de rebus publicum solummodo spectantibus consulenda, fuerint. Moris hujusce testis sit [13] auctor nuperus in hoc Argumento versatissimus: *ut autem Germani -- Oraculum sibi publicum ac proprium habebant in* Velleda, *sic fere cuncta Regna ac Respublicæ, præter illa quæ fere commune vulgus, ac de rebus quibuscunque consulebat -- sua sibi propria; ac quæ Reipublicæ causa ab ipsis consulebantur, habebant.*

Obj. 3. Tertio: nonnulli forsan auctoritate *Josephi* contra sententiam meam pugnaturi sunt. [14] Refert enim ille, Deũm per duodecim gemmas Pectoralis, splendorem solito lætiorem emittentes, Judæis cum hoste congressuris victoriam prænunciare solitum: & gemmas illas fulgorem eum emittere desiisse, annis tantum ducentis priusquam illius historia condebatur. Inde vero probabiliter intelligitur, Urim ad extrema pene Judaismi tempora durationis suæ limites protulisse.

Respondeo cum sub ea tempora miracula & prophetiæ in Ecclesia Judaica desiissent, nonnulli hic Josephi fidem desiderant; eoque magis, quod observatum sit eum gentis suæ famæ sæpius inservire; adeoque verisimile esse, eum historiolam illam, ad augendam nominis Judaici gloriam apud exteros inseruisse. Sed quomodocunque ista se habeant, non est persuasio facilis, Urim nihil præter gemmas illas fuisse, vel Deum omnia per gemmas illas lætius effulgentes indicasse. Sed rem hanc ad accuratius examen [15] alibi me vocasse memini.

[1] *Comment.* in 1. *Sam.* 8. [2] 2. *Sam.* 11. 1. [3] 2. *Sam.* 20. 18. [4] *Num.* 27. 21. [5] 2. *Paralip.* 34. 21. 22. [6] De *Repub. Hebr. l.* 2. *cap.* 2. [7] *Paraph.* in *Exod.* 28. 30. [8] V. Pag. 924. 925. [9] De *Templo* lib. 3. cap. 12. [10] Cap. 2. 63. [11] *Genes.* 49. 18. [12] *Num.* 27. 4. 5. [13] *Anton. Van. Dale Dissert.* 2. de *Oracul. p.* 473. [14] *Antiq. Jud. l.* 3. *c.* 8. *p.* 120. 5. [15] *Pag.* 971.

CAPUT VIII.

Dissertatio concluditur, addita textus illius affinis explicatione, Thummim tua & Urim tua Viro sancto tuo. *Deut.* 33. 8.

Postquam Moses pœnas sine exemplo graves, quas populus ob læsam fœderis cum Deo initi religionem, justitiæ divinæ daturus erat, fuse [1] prædixisset; tandem etiam fœlicem Tribus cujusque sortem prænunciat; eamque in secula duraturam, modo fidem suam Deo datam & obsignatam inviolate conservarent. Ea vero omnia precatione quadam prophetica prænunciat: forsan ut hinc intelligerent Hebræorum posteri, quali apud Deum gratia floruit Legislator suus, qui res eorum florentissimas non prævidisse tantum, sed & precibus ejus impetrasse videbatur. Præ cæteris autem Gentis Israeliticæ familiis hic a Mose memoratis, Tribus Levitica & benedictio illa (conditionis plane singularis) quam ei propriam vovet, primam Lectoris curam & attentionem sibi jure vendicat. Nam prima fronte mirum videri possit, quod Moses precationis suæ materiam, non pedem in oleo tinctum fecerit, non facilem & obsequentem populum, non aras opimis sacrificiis calidas; sed id imprimis a Deo contenderit Vir ille Dei, ut *Urim* & *Thummim* ejus tribum Tabernaculi ministerio dicatam perpetuo decorarent.

Cum autem hic locus difficillimus sit, & ingeniis optimis negotii non parum attulerit; in id totis viribus incumbendum est, ut illius nodos dissolvamus, & sensum ejus integrum [literalem simul & mysticum] luculentius intelligamus. Sermo noster initium a sensu literali capiet.

[1] *Deut. c.* 33.

SECT. I.

De sensu textus hujusce literali.

ID jam agimus ut horum verborum sensum genuinum aperiamus, תמיך ואוריך לאיש חסידך quæ sic sonant, ex Hebræo versa, *Thummim tua & Urim tua viro sancto tuo*. Eam autem provinciam quo magis ad votum ornemus, & viam apertam ad sequentia muniamus, de sensu vocum earum, & תמיך ואוריך לאיש חסידך in primo limine disserendum est.

Sensus vocabuli לאיש.

QUOD itaque ad לאיש attinet, monendum est, eam esse adorandam textus hujusce plenitudinem, ut vocem illam *Disjunctive* simul & *Collective* sumendam postulet.

PRIMO: vox ea *Disjunctive* capienda est, id est, de persona singulari (proxime & immediate) Aarone scilicet, & quovis e familia sua filio natu maximo, cui natalium jure munus pontificium in posterum cederet. Constat enim, Urim & Thummim Aaroni, & cuivis in sede Pontificali ei succedaneo concredita fuisse. Deinde: vox illa חסיד sensu suo maxime famoso & usitato sumta, de ulla persona cui Urim gestare datum est, vix potest intelligi, nisi de Aarone, cui Urim & Thummim primo concessa sunt, & qui a [1] Psalmista *Sanctus Domini*, & a [2] *Sirachide* signanter ἅγιος appellatur. Nec his obstat quod Aaron in humanis esse desiisset, cum Moses hanc favoris divini tesseram in illum conferendam petiit; nam Aaronis filii in vivis erant, in quibus ipse (suo quasi fato superstes) vixit. Aaroni itaque, qui filiorum ope superérat adhuc, Urim & Thummim comprecatur Moses. Hinc etiam vocis hujusce sensus astrui potest, quod ad Messiam summi sacerdotis antitypum, respectum habeat; prout occasione data fuse deinceps ostensuri sumus.

SECUNDO: necesse est ut significationem etiam *Collectivam* huic vocabulo tribuamus. Nam significationis tantum prioris angustias rationes sequentes minime patiuntur: (1) Moses pro benedictione toti Tribui Leviticæ, æque ac cæteris omnibus, impertienda, hoc in loco preces concipit. (2) Viro illi felicia omnia precatur Moses, qui [3] *patri & matri dixit*, *non novi vos*: id est, qui nulla sanguinis communione teneri potuit, quo minus Dei jussa in idololatras exequeretur. Hæc autem verba de filiis *Levi* necessario sunt intelligenda, qui capitis pœnam sumserunt de [4] vituli cultoribus, quamvis iis cognato sanguine jungebantur. (3) Urim & Thummim hoc in textu, non tantum ut nomina propria pectoralis instrumentis indita, sed ut appellativa sumi possunt & debent; ut nempe lumina & perfectiones denotent, quibus Moses non Pontificem solum, sed Tribum Leviticam imprimis donari voluit.

Vocis חסיד

VOX חסידך quæ proximo venit explicanda, nunc adjectivi communis, nunc proprii, locum in Scripturis obtinet.

QUANDOQUE ut nomen commune sumitur, & tunc *Active* nonnunquam, aliquando *Passive*, in scriptis divinis usurpari solet. (1) *Active*, pro viro benefico, misericordi, sancte pieque vitam instituente: ut *Psal.* 12. 1. *Nam desiit* חסיד *beneficus*, & *Psal.* 146. 1. studiosi pietatis audiunt קהל חסידים *Congregatio Sanctorum*. Vocem eam hoc sensu frequenter intelligendam esse, Interpretes Græci exemplo suo docuere, qui eam toties active transtulerunt: Ex. gr. *Psal.* 18. 25. Ubi verba Hebræa עם חסיד תתחסד LXX. reddunt μετὰ ὁσίε ὁσιωθήσῃ· *Prov.* 2. 8. *Custodiet viam* חסידיו transferunt εὐλαβεμένων αὐτὸν, & sic alibi passim. Hinc חסידים *pii* dicti sunt olim, qui singulari Legis & pietatis studio sese supra cæteros e Judæorum gente commendarunt. (2) *Passive* etiam accipitur, pro viro quem Deus favore & gratia singulari, nullo suo merito prosequitur, & insigni aliquo beneficio in eum collato sibi devinctum habet. Vocem ita sumtam optime interpretatur Græcorum [5] κεχαριτωμένος Quando autem hunc sensum capiat, malim [6] *Schindleri* verbis tradere, quam propriis: cum verbum חסיד *usurpatur ad Deum relatum*, *significat eum qui a Deo beneficium accepit*; *cui Deus bene vult & bene facit*. De hac voce, passive usurpata, [7] *Fullerus* & [8] *Hammondus* noster erudite disseruerunt. Ad eos itaque Lectorem amandamus cui jecur philologicum.

NONNUNQUAM etiam vox hæc adjectivi proprii vice (ut חכמים olim apud Hebræos, & σοφοὶ apud Græcos) usurpatur; & de [9] Levitis, veluti nota peculiaris & attributum distinctivum, intelligitur. Ita *Psal.* 30. 5. *Psallite Domino* חסידיו *Sancti ejus*, id est, Levitæ, penes quos erant instrumenta musica; & quos ipsa muneris sui ratio ad laudes Dei doctis cantibus celebrandas obstrictos tenuit: & *Psal.* 132. 6. *Sacerdotes tui induant justitiam* וחסידיך *& Sancti tui exultent*: nam eo in loco vocem

cem Hebræam de Levitis interpretandam esse, ipsa conjunctionis illius ratio, muneris iis demandati conditio, & concors interpretum sententia, doceant. Huic etiam interpretationi gratiam & robur addit suffragium *Chaldæi Paraphrastæ*, qui textum illum in hunc modum explicat, ולואי חסידיך ישבחון *& Levitæ, pii tui, laudibus te celebrent*. Ideo vero nomen illud חסידים in peculiarem tandem tribus Leviticæ characterem transiit, eo quod titulus ille (sive active sive passive vocem illam accipiamus) jure meritoque Levitarum præcipue capitibus assueretur. Erant enim illi a primis natalibus Deo & religioni devota capita; illi soli fidem Deo datam summa cum religione, in Ægypto ipsa, (si [10] *Maimonidi* fides) inviolatam servarunt; & in propinquitatis quam fœderis cum Deo initi jura peccare, potius habuere. Solis etiam Levitis datum erat, Deo appropinquare, de Deo dicatis vivere, Θεῦ κλῆρος appellari, sacris ejus operari, populo post Deum & Mosen imperio præesse. Quæ sane favoris sui pignora, quibus Deus eos a mortalium vulgo separavit, tam eximia erant & plane singularia, quod *Chore* & asseclæ sui vulgus sparserint & pro certo affirmarint, insignes illas favoris divini tesseras, non a Deo concessas fuisse; sed a Levitis dolo malo, ex animi fastu & fratrum fastidio sibi solis vindicatas. Quantum autem Tribus Levitica præ aliis, tantum & *Aaron* præ cæteris e domo Levitica prognatis, hoc illustri titulo decorari meruit; qui singulari apud Deum gratia, sanctitate qua morali qua ceremoniali, privilegiis denique plurimis, Levitas ordinarios, quantum & illi Israelitarum plebem superavit.

Et תמים ואורים

PROVINCIÆ susceptæ ratio postulat, ut sensus & intentio nominum eorum, תמים ואורים proximo declarentur. Ut autem hanc officii mei partem luculenter expediam, monendum est in antecessum, nomina illa, vel ut propria, vel ut appellativa, spectari posse.

PRIMO: ut nomina propria, & ut instrumenta Pectoralis, ad nauseam forte repetita denotent, quibus nomina illa (Urim & Thummim) tanquam propria & distinctiva sæpissime tribuuntur. Horum instrumentorum usui, naturæ, & origini, lucem tam claram attuli, & sententiam meam tot rationibus undique communivi, & (quod caput est) Argumentum meum sermone bene longo, sed per omnia secum constante & conveniente prosecutus sum; ut nullum dubitationi vel objectioni locum reliquisse videar. Utcunque, facile præsentit animus haud paucos a sententia mea multa cum bile recessuros: eo enim ingenio sunt hominum plerique, quod opinionem a dogmatis aut moribus hodie receptis alienam amplecti nesciant, nisi demonstratione liquida & pene manibus palpanda subnixam videant. Cum autem illi sola pertinacia pugnent adversarii, missis iis, ad rem propositam paulo propius accedat sermo. Has voces hic sensu jam dicto capiendas arbitror, non tantum quod interpretum omnium consensu, sed & usu Scripturæ confirmetur: nam si Moses voces eas a sensu suo maxime recepto, ad alienum hoc uno in loco detorsisset; hominum vulgo ludos fecisset, eosque verborum suorum ambiguitate fefellisset.

SECUNDO: voces illæ, *Urim* & *Thummim*, non tantum ut nomina propria, ad instrumenta in Pectoralis arcano posita, sed ut appellativa, ad egregias animi dotes (scientiam & integritatem) denotandum, hic intelligendæ sunt. Ut rem clarius & strictius exprimam: verbis hisce, singularem luminis mensuram, & eximiam cordis integritatem, Levitis, Pontifici præcipue comprecatur Moses. Huic sententiæ me totum addico, quod rationis multiplicis evidentia commendetur. Nam,

(1) INDE pateat Mosem τοῖς Urim & Thummim aliquid sanctius & antiquius in animo habuisse, quod hic usitatum nominum eorum ordinem de industria (pene dixeram, ex contemtu) turbet. Cum enim in omnibus (hunc unum si demas) Scripturæ locis, Urim ante Thummim ponatur; credere difficile est, Mosen ordinis hujusce legem violare voluisse, nisi ut indicaret, se non minus a communi nominum eorum sensu quam ordine recessurum. Ut rem in compendium conferam: Moses hoc inverso ordine, *sint Thummim tua & Urim tua cum viro sancto tuo*, usus videtur, ut Deum quasi in hæc verba supplex alloqueretur: " bene novi, summe Deus, *Urim* " & *Thummim tuis* in secula fruendi " desiderium intimis Levitarum cordi- " bus insidere, eosque dona illa in pri- " ma felicitatis & honoris sui parte " collocare: sed quæ fors cunque ea " maneat, Te supplex oro & obtestor, " ut *Thummim tua* & *Urim tua* cum " illis domus tuæ famulis conjuncta " perpetuo reperiantur: non adeo con- " tendo ut sint consilii tui nuncii,

" quam ut evadant naturæ tuæ parti-
" cipes. Illi quidem *Urim* & *Thummim* primo in optatis habent, ego
" vero *Thummim* & *Urim*.

(2) NULLOS latet nisi quibus Hebræi plane barbari sunt, nomina pluralia, cum præsertim DEI nomen sibi conjunctum habeant, abundantiam & excellentiam rei per ea significatæ, apud [11] Hebræos frequentissime denotare. Quum itaque *Urim* & *Thummim* pluralia sint, & nomen Dei, ך affixo inclusum, sibi annexum ferant; eminentem illum & pene divinum luminis & perfectionis gradum, quem sacerdotes attingere par erat, indicare censeantur. Et certe nisi Moses voces illas in hunc finem usurpasset, palam & ingenue me nescire fateor, cur utriusque nominis calci affixum illud adjiceretur. Nam *Urim* & *Thummim* per se satis nota erant, & ab ullis gentium simulacris eorum figuras aut usum æmulantibus distincta: adeo ut affixum illud, eminentiæ vel distinctionis ergo, non adeo postularent.

(3) HAS animi dotes, iis qui rerum divinarum cura versantur, summe necessarias esse, Dei hominumque suffragio comprobatum est. Suffragio Dei: qui ideo se Levitas tot egregiis beneficiis ornasse [12] dicit, *quia lex veritatis in eorum ore erat, & iniquitas in labiis eorum inventa non erat:* id est, quia Urim & Thummim, scientia & integritas plane singularis, eorum personas Deo pergratas reddiderunt. [13] *Josephus* itaque, de personis agens Sacerdotium apud suos obeuntibus, non vanus dixit, οὐ κατὰ πλοῦτον, &c. *non divitiis aut aliis quibusdam fortunæ vel corporis dotibus præcellentes, Legislator ad culmen hujus honoris vocavit; sed quicunque sapientia vel temperantia alios anteire noscuntur, eis præcipuæ* Deum placandi *munus detulit*. Compertissimum etiam est (ut a Deo ad generis humani sensum descendat sermo) Græcos, Romanos, doctos, indoctos, omnes, duo illa naturæ rationalis dedecora, *inscitiam* loquor & *impietatem*, in sacerdote præsertim, nullo non odio digna censuisse. Vel ethnicis piaculum erat, sacerdotibus nisi scientia & puritate qualiquali excultis, rerum sacrarum procurationem committere. Nullos qui cum literis & libris commercii quicquam habuere præterit, sacerdotes olim inter Ægyptios & Romanos, philosophia, rerum civilium usu, literarum interiorum cognitione, & nullo non scientiæ genere claruisse; *ne* aliter (uti ratio a *Cicerone* redditur) *sacrorum opprobrio essent ipsi sacerdotes*. Eorum etiam frequentes baptismi, vestes insuper lineæ niveo candore conspicuæ, vitam undique puram in sacerdote præcipue requisitam docuere. Ethnici vero sacrorum antistitem inter sacerdotes eximios scientia & virtute eminere, eumque non minus [14] *dignitate* quam loco cæteros sacrorum ministros antecedere voluere. Cum itaque Dei atque hominum suffragio constet, tantam necessitudinem & conjuctionem inter jam dictas animi dotes & sacerdotium intercedere; credi nequit Mosem externis & minus necessariis sacerdotis ornamentis intentum adeo, quod interna (scientiam & integritatem) quibus carere non potuit, obliviose præterierit.

(4) PLERAQUE alia Pontificatus insignia, non tantum favoris divini pignora, sed alicujus officii & virtutis indicia fuerunt & monimenta. Nam ea verba, [15] SANCTITAS JEHOVÆ, fronti Pontificis inscripta, non tantum Pontificem, Dei servum præcipuum, illius utpote stigmate notatum & nomine inscriptum, indicabant; sed eum sanctitatis illius eximiæ quæ Domini tam Sancti servum decet, loquaciter admonebat. Virga amygdalæ germinans in Tabernaculo, non solum testimonii divini loco erat, ad Aaronis & familiæ suæ dignitatem contra rebelles asserendam; sed & symboli sacri, *ad significandum vigilantiam imprimis requiri in sacerdote*. Nam *vox* שקד *fructum illum & hanc virtutem significat*; observante [16] *Grotio*. [17] *Gregorius Nyssenus* hæc & alia videatur observasse, cum, de Pontificis vestibus & ornamentis agens, *cætera omnia, per ænigmata, in amictus specie, sacerdotalem virtutem docuisse* dicit. Cum itaque *Thummim* & *Urim* in Pontificis essent ornamentis, & non tantum certa Pectoralis instrumenta, sed *Perfectiones* & *Lumina* denotarent; nemini dubium esse potest, quin Moses nominum eorum omnia impleri præcipue petierit, & animum precesque terminarit ultimo in hisce cordis ornamentis, quibus Levitas præter cæteros ornari voluit. Rationes jam dictæ me persuasum faciunt, Mosem verbis hisce maxime postulasse, ut Levitæ, stellarum more, corpora inferiora lumine & naturæ perfectione, quantum & loci eminentia superarent.

SATIS e superius adductis innotescit, voces eas, לאיש & חסידך non de Aarone tantum & posteris ejus jure primogenituræ in Pontificatum successuris intel-

intelligendas esse; & proinde Mosen hic pro benedictione, non minus in totius familiæ Leviticæ, quam Pontificis aut cæterarum Tribuum sortem, effundenda se supplicem præbuisse. Mirari vero quis possit, quod Moses illud in primis favoris divini pignus toti Tribui comprecatus sit, cum majori tantum e Levitarum domo, sacerdotum nempe maximo, eo gaudere licuerit; cum etiam Urim & Thummim beneficiorum insignium titulum obtinere, non adeo digna videantur. Norat enim proculdubio vir ille Dei, Oraculum Urim post paucorum seculorum periodos Israelitis defuturum; & interea temporis non multum commodi Populo, minus ipsi Pontifici, minimum vero Levitis allaturum. Sed norint se a Mosis ad hunc modum precantis instituto & consilio plurimum abesse, nec ultra Textus hujus atrium pedes proferre; qui Mosem nil prius sanctiusve voluisse sentiunt, quam ut aliquis e genere Levitico oracula per Urim semper annunciaret. Nam sub horum verborum involucro, tria sunt alia, longe majoris pretii, quæ Moses Tribui Leviticæ danda postulat.

PRIMO: ut Tribus illa pontificatus & sacerdotii dignitate in secula multa frueretur. Prout enim *spiritus prophetiæ* quem Apostoli, tanquam missionis fideique suæ vadem & sponsorem habebant, iis erat *testimonium Jesu*; ita & Urim Levitis fuisse videtur *testimonium Dei*, & fida pontificatus, & proinde sacerdotii, iis divinitus concessi, argumenta præbuisse. Nemo enim de divina Levitarum & sacerdotum institutione dubitare potuit, cum Deus primam e stirpe Levitica personam eo honoris evexisset, quod Oraculum in ipsis vestibus quas ille solus induere solebat, posuisset. Nam proculdubio Deus tam eximio & plane stupendo gratiæ suæ testimonio, virum gregis, sacerdotum nempe principem, dignari noluisset; nisi totum etiam Levitarum inferiorum gregem, eorum sacra, & divina quæ curarunt munia, ipse rata fecisset & plurimi æstimasset.

IDEO vero Pontificatus, & proinde sacerdotii, decora Tribui Leviticæ precatur Moses, forte quod Tribus illa non tantum Deo sanctitate muneris, sed & Mosi ipsi propinquitate sanguinis, maxime jungeretur. Neque enim *viro Dei* indignum est, ut eum ita precantem, aliquid humanitati & propinquitatis juri tribuisse censeamus. Deinde: Tribus hæc præter alias omnes, Dei & Mosis gratiam tenuit, eo quod idololatriæ crimen, sanguine patrum, matrum, & cognatorum omnium, quos tanti flagitii compertos habuit, divino quodam justitiæ & zeli in Deum exemplo expiavit. Constat hoc ex commate sequente, ubi Moses hac laurea caput Levi cingit, *qui dixit patri suo & matri suæ, non vidi eum, nec agnovit fratres ejus & proprios liberos nescivit, sed Dei mandatum servarunt*. Præterea: asserunt ex [18] Hebræis nonnulli, Tribum hanc unicam criminis illius atrocioris, blasphemæ in Deum & Mosen murmurationis, expertem & immunem perstitisse. Quam sententiam, si minus veritate, antiquitate venerabilem probat *Chaldæus* interpres, qui verba textum proxime sequentia sic in laudem Levitarum interpretatur; *Urim & Thummim induisti virum quem sanctum coram Te invenisti, quem tentatione tentasti & perfectus inventus est, probasti eum juxta aquas contentionis, & fidelis repertus est*. Fortasse & hoc & illo crimine Levitas liberant laudes illæ summæ quas iis Dei verba tribuunt: [19] *pactum meum cum eo*, Levi nimirum, *erat de vita & pace, & dedi ea illi ob timorem quo me timuit, & metuit coram nomine meo. Lex veritatis erat in ore ejus, & iniquitas in labiis ejus inventa non erat*.

HUIC itaque Tribui, cujus in Deum pietatem nec parvis nec dubiis experimentis compertam habuit, *Urim & Thummim* vovebat Moses; ut duratura extarent favoris divini in cultus veri vindices, & minime fallacia pontificatus & sacerdotii ei de cœlo dati documenta. Neque Mosis precibus difficilem se præbuit summus Deus: quamvis enim fractis & in deteriora indies vergentibus Judæorum rebus, Pontificis sedem nunc hic nunc ille (prout apud populum gratia valeret, vel plures aut pauciores pecunias erogaret) incertis vicibus occuparet; nulli tamen nisi domo Levitica prodeunti, dignitatis Pontificalis fastigium adire contigit; nisi forte sub extrema Reip. expirantis tempora, cum omnia susque deque agerentur, & scelestissimi in *Judæa* turbines jura divina & humana sacrilege permiscerent.

SECUNDO: Moses hic Urim & Thummim, una cum beneficiis iis quorum signa fuerunt aut instrumenta, genti Leviticæ precari videatur. Adeo ut si rem totam æstimatione vera metiri velimus, facile constet, Mosem vix quicquam majus a Deo petere potuisse, URIM enim quod attinet, satis pateat illud non Pontifici tantum dignitatem,

sed Levitis, imo Israelitis omnibus utilitates non contemnendas attulisse. Nam primo, contingere vix potuit, ut Respublica consilii penuria vel partium studio rueret, modo Urim penes Pontificem semper maneret, quod res nutantes consilio sanctissimo stabilire, & lites omnes infallibili sententia determinare posset. Deinde: Deus vix alio argumento magis luculento voluntatem suam in Hebræos propensissimam ostendere potuit, quam quod iis solis tam propinquus fuerit, & in omnibus vitæ arduis consilii sui petendi copiam sacerdoti fecerit. Altaria, sacrificia, sacerdotes, responsa prudentum, quælibet natio jactitare; sed Angelorum responsa gratiæ divinæ pignora erant, in quibus Israelitæ soli triumphare, poterant. Præterea: Urim & Thummim *Theocratiæ* pignora fuere, spem lætam facientia regiminis illius in gente Israelitica duraturi, a cujus defectu norat Moses fundi publici calamitatem orituram; ex illius autem duratione, commoda non levia toti genti reditura. Urim autem regiminis hujusce felicissimi pignus erat, quatenus eo mediante, Dei consilia de Reip. gravioribus, ordinarie Pontificibus, extraordinarie *Judicibus*, tanquam Dei vicariis innotescerent: Thummim etiam Thocratiæ pignus extitit, quatenus præfecturæ judicialis Pontifici concessæ tessera, eumque summum, secundum Deum, locum in judiciis habere debere significaret.

Tertio: verbis hisce, Moses eximiam luminis mensuram, & cordis vitæque integritatem pene divinam, Levitis, Pontifici præcipue comprecatur. Hoc ego secure & constanter affirmo, quod liquido jam ostensum sit, Mosem, precibus hisce novissimis, ad vocum earum (Urim & Thummim) sensum præcipue grammaticalem attendisse. Ob rationes autem gravissimas ita preces instituit Vir ille Dei: nempe,

(1) Levitarum *ipsorum gratia*: non tantum ut Dei similes evaderent in via, adeoque compotes in patria; sed ut populus eorum personas, & proinde sacra quæ curarunt, cultu minime fucato prosequeretur. Nempe norat Moses vestes candore niveo vel auro plurimo perinsignes, titulos superbos, altum supercilium, res ad invidiam unctas, muneris aut proavorum sanctitatem, nominis Levitici decus tueri minime potuisse. Ita enim comparata est hominum natura, quod eorum pars suprema, mens & ratio, cultum sincerum deferre nesciat, nisi scientiæ & virtuti, vel speciosis eorum formis & mentientibus idolis. Adblandiri solent homines terrarum dominis, iis incurvati corporis & prolixi tituli tributum solvere, eosque obsequiis & verbis officiorum plenis demereri: quos tamen in interiore pectoris recessu, summo cum fastidio sæpe dedignantur. At vel reliquias virorum qui scientiæ aut virtutis egregiæ monumentis nomina sua illustrarunt, religione quadam tacti aspiciunt, & divinum quiddam in ipsis eorum cineribus stupent & venerantur. Scientiæ & virtuti Dei imagini in terris hospitanti, honorem, natura tantum magistra, perhibet humanum genus; & dotibus tam divinis instructos, ad decus & imperium natos arbitratur. Si magna loquamur simul & vivamus, regnabimus in hominum saltem animis & conscientiis, etiamsi nobis vel *Lazari* conditiones contigerint.

(2) Munerum *suorum gratia*: Levitarum enim humeris, cujuscunque loci titulique, munera graviora semper incubuere. Provincia iis a Deo tradita non potuit angustis templi parietibus coerceri. (*a*) *Josephus* insignia munia Pontificis animum solicitum & occupatum tenuisse [20] refert: ait enim Deum, *sacerdotes* ordinarios *publicæ maximorum negotiorum administrationi præfecisse*, τῷ δὲ πάντων ἀρχιερεῖ — τὴν τῶν ἄλλων ἱερέων ἡγεμονίαν· *aliorum autem sacerdotum regimen, summo omnium sacerdoti concredidisse*. Et [21] alibi, de sacerdote primario loquens, οὗτος, inquit, [22] πρὸ τῶν ἄλλων ἱερέων, θύσει τῷ Θεῷ, φυλάξει τοὺς νόμους, δικάσει περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων, κολάσει τοὺς ἐλεγχθέντας· *Ille præ aliis sacerdotibus, Deo sacrificet, leges custodiat, si quid erit controversum arbitrio suo definiat, peractos denique reos justo supplicio coerceat*. Quis, hæc attente legens, inficiari potest, Pontificem, saltem primis Hebræorum temporibus, Ἀρχιδικαστὴν fuisse, & Judicis supremi partes omnes implevisse? Sed ad *Josephum* redeo, qui sacerdotes etiam inferiores in curas non multum dissimiles vocatos fuisse, his verbis testatur; τούτοις δ᾽ ἦν καὶ τὸ νόμου καὶ τῶν ἄλλων ἐπιτηδευμάτων, ἀκριβὴς ἐπιμέλεια, &c. *Apud hos & legis & aliorum studiorum integra disciplina custoditur. Inspectores enim omnium, atque judices contentionum, & punitores culpabilium, sacerdotes decreti sunt*. Idem & Scriptura locis bene multis docet: 2. *Chron.* 19. 8. 9. *Deut.* 17. 8. 9. 10. 11. 12. *Ezech.* 44. 24. *Deuter.* 21. 5. *Levit.* 10. 10. 11. *Hag.* 2. 11. *Deut.* 33. 10. 1. *Chron.* 23. 3. 4. & 26. 29.

29. Neque ordinis postremi Levitæ fruges tantum consumere nascebantur, in urbibus enim sibi assignatis vitam degebant, donec redeuntibus ad se sacræ functionis vicibus, ad destinatas partes implendas Hierosolymam proficiscerentur: inde vero domum reduces, non se languori desidiæque dedere, se molliter curantes, & voluptatem tanquam unicam otii sui pinguioris usuram capientes; sed scholas aperuere, doctrinæ integritati invigilarunt, populo consiliarii aderant in perplexis, minoris momenti controversias pro tribunali sedentes minuerunt. De personis vero lepra vel simili vitio subinde affectis cognoscere & statuere, in regni Concilio facultate data dijudicare, & populum publice instruere, negotia erant sacerdotibus & Levitis ex æquo data. Tantæ molis oneribus subeundis impares inventi fuissent Levitarum humeri, nisi scientia & virtute non vulgari donati fuissent; Ideoque summo cum consilio Levitis præsertim lumina & perfectiones Dei precatur Moses, quo tot graves personas, Judicum, doctorum, medicorum, senatorum, sacerdotum, sibi sæpius impositas, cum laude sustinerent.

TERTIO: *populi gratia*: nam sacerdotes indocti populo prodesse non possunt, improbi non volunt. Necesse est ut pastor animum scientia excolat & scientiam moribus, ut gregem ad salutem ducere valeat per viam fidam præcepti, & viam brevem exempli. Non tam vocem quam vitam sacerdotis, normam virtutis credunt homines; linguam enim venalem existimant, & scholam potius quam hominem sapere. Sed non opus est ut in hoc Argumento diutius versemur, de quo multi bene, [22] *Isidorus Pelusiota* optime, nulli male, disseruere.

[1] *Psal.* 106. 16. [2] *Cap.* 45. 7. [3] *Deut.* 33. 9. [4] *Exod.* 32. 29. [5] *Luc.* 1. 28. [6] *Lex. Pentag.* in voc. [7] *Miscel. sacr. lib.* 1. *c.* 8. [8] In *Psal.* 4. 3. [9] V. *Drus. Annot.* ad *Ecclesiastic. c.* 41. 32. [10] De *Idol. c.* 1. *Sect.* 10. [11] *Hebræi excellentiam* Dei *nomine significant; quod ut maxime unaquæque res excellit, ita Dei gloria in ea refulget.* Vatabl. in Genes. 30. 8. [12] *Malac.* 2. 6. [13] Lib. 2. Contr. *Apion.* p. 1379. 20 [14] *Druidibus præest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem: Hoc mortuo, si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit.* Cæs. de Bel. Gal. lib. 6. c. 13. [15] *Ex.* 28. 26. [16] *Annot.* ad *Numer.* 17. [17] Καὶ πάντα ὅσα δὴ αἰνιγμάτων, ἐν εἴδει περιβολῆς, περὶ ἱερατικῆς ἀρετῆς ἐκτετύπωται· Lib. de *Vit. Mos.* pag. 182. C [18] *Dicunt Hebræi de Levitis, quod non murmurarint cum reliquis Israelitis.* Ainsworth. in Deut. 33. 8. [19] *Malac.* 2. 5. 6. [20] Ap. *Euseb. Præp. Evang.* lib. 8. p. 364. [21] Lib. 2. cont. *Apion.* [22] L. 2. *ep.* 235.

(*a*) L. 2. Contr. *Apion.* p. 1379. 15. (*b*) Vid. pag. 1024.

SECT. II.

De sensu Textus mystico.

HACTENUS sensum Textus literalem & illius quasi ἐξωτερικὰ contemplati sumus. Proximum est, ut ad illius ἀκροαματικὰ, sensum magis reconditum & mysticum indagandum nosmet componamus. Est enim in scriptis plerisque Mosaicis (quod in *ciphris*, quas vocant, & literis mysticis usu venit) scriptura quædam exterior, cujus sensus minime difficilis se cuivis offert; & scriptura interior, *Legis mirabilia* continens, quæ ut plenius & apertius intueatur. Psalmistes *oculos retectos* expetit. Ut itaque Textus interiora jam pandam, assero eum in summo quidem benedictionem in Pontificis & Levitarum capita effundendam exhibere: in imo vero, beneficium in totum Dei *Israelem*, mediante Messia, conferendum premere. Quod autem Moses, *Messiam*, una cum beneficiis & virtutibus ejus, ultimum verborum suorum scopum fecerit, ea rationis luce quæ omnem dubitationis umbram pellat, ostendi potest. Nam,

PRIMO: Titulus ille, הסידך *Sanctus tuus*, ad eum respectum gerit, eique præcipue asserendus est, qui tentatus erat in *Massa*; prout verba sequentia satis indicant. At e sacro Codice non constat, Levi eo loci magis tentatum aut fidelem repertum, quam cæteros Israelis filios. Eos autem omnes Dominum ibi tentasse conceptis verbis testatum reliquit [1] *Moses*, & locum illum Apostolus de Christo interpretandum docet: 1. *Cor.* 10. 9. Μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Χριστὸν, καθὼς καί τινες αὐτῶν ἐπείρασαν. Neque mirum haberi debeat, quod Moses, de *Levi* vel Pontifice sermonem faciens, ea verba quæ sensum omnem nisi soli *Messiæ* convenientem respuunt, interponeret: nam Scriptores Θεόπνευστοι, de typo disserentes, divinius quiddam ex inopinato pati solent, & ad antitypum vehementiore Spiritus afflatu rapi & elevari. Assertionis hujusce veritas inde constet, quod verba quædam haud expectata sæpius inferant, quæ Messiæ vel solum vel aptius quam illius typo congruant. Moris hujus exempla dabunt, *Psal.* 2. 6. 7. & 45. 10. 11. & 61. 6. *Gen.* 49. 18. *Jes.* 61. 1. 2. 3. *Zach.* 6. 11. 12. *Psal.* 41. 9. 10. 72. 5. 7. 11. 16. 17. & 89. 29. ut alia loca jam taceam.

SECUNDO: haud obvium est dicere,

re, cur Moses periphrasi ulla, multo minus tam insolente & obscura, sacerdotem primarium vel Tribum Leviticam descriptam dederit; nisi quod verba quæsierit quæ sensum apertum simul & occultum gerere, & in personas naturæ locique dissimilis, Pontificem & Messiam qaadrare possent. Nam proculdubio si Moses nil ultra pensi habuisset, quam ut beneficium in Pontificem vel Tribum sacram conferendum peteret; verbis illis paucis & apertis, *sint Urim & Thummim tua cum sacerdote summo, vel Tribu Levitica*, vel hujusmodi, ad animi sui sensus exprimendos, usus fuisset: nam brevis illa & sine velo loquendi formula minus Mosi & lectoribus ejus molestiæ creasset. Si vero Mosi destinatum fuisset, sacerdotem typicum & verum ejusdem textus ambitu continere, ei scopo & consilio verba illa, *vir sanctus tuus*, egregie fuerunt accommodata; eo quod Pontifici & Christo, (priori, ex parte; posteriori, omnimodo) convenirent.

TERTIO: apud omnes, Judæos juxta & Christianos, in confessum abiit, mysterii alicujus nucleum sub tenui textus Mosaici cortice pene ubique latitare. Altam seriamque veritatis hujusce fidem, Judæos, *Juvenalis* ævo, tenuisse, conjicere licet e Satyristæ verbis; *Sat.* 14. v. 101.

> —— *Servant, ae metuunt jus,*
> *Tradidit arcano quodcunque volumine Moyses.*

Nihil enim vetat opinari, poetam verbis illis ad receptam Judæorum opinionem, quibus olim, uti & hodie, frequens sermo de סתרי תורה *arcanis Legis*, sapientum solummodo filiis innotescentibus. Nec ab illa Judæorum sententia abhorret Christianorum ratio, quorum plerique Legem Dei, tanquam perpetuum hieroglyphicum, mysticis rationibus ubique repletam intuentur, & pleraque non cunctanter ad Messiam referunt. Cum itaque Mosis textum sacratiores quosdam recessus τοῖς ἐπόπταις, sensus mysticos animis tantum purgatioribus, adeundos continere, res tam confessa & manifesta sit; quidni sentire liceat, textum qui nos hactenus exercuit, alia in aperto habere, in occulto alia; quædam pueris & ἀμυήτοις loqui, quædam iis quibus ætas provectior & sensus magis exercitati? Certe nihil hac in re ab ævi prisci moribus alienum: notum enim est, prudentem antiquitatem sacratiora quædam mysteria (ne vulgi tractatione sordescerent) symbolorum, fabularum, & verborum obscuriorum involucris, velare & custodire solitam.

QUARTO: si Moses, hæc loquens, in Pontificem solum animum & oculos intendisset, vox illa לאיש *Viro* otiosa foret, ejusque jacturam hic Textus nullo sensus sui damno ferre posset: nam vocabulum הסידך vocis illius locum implere, & sensum ejus integrum perspicue satis exprimere & continere, queat. Quid itaque nisi sacerdotis nostri summi gratia inseritur, cui *viri* nomen per eminentiam quandoque tribuit Scriptura, & quem omnes *sanctum Dei*, non autem *virum* revera, futurum norant? neque rationem hanc virum expertem arguit, quod hujusmodi pleonasmi exempla apud [2] Hebræos frequentia sint, & ab iis mutata in N. [3] Test. scripta quandoque transierint; nam Textus hujusce brevitas, & sapientia singularis in verborum ordine atque electione elucescens, sat probant Spiritum S. nihil hic superfluum inseruisse. Ideoque accipio ultro & comprobo τῶν LXX. versionem, qui voces Hebraicas emphatice, τῷ ἀνδρὶ τῷ ὁσίῳ. reddidere.

QUINTO: insignis ille titulus, חסידך *Sanctus tuus*, vix Pontifici M. aut Tribui Leviticæ convenire potest. Si enim vox illa *active* sumatur [pro *benefico*, *sancto*, *benigno*] non pauci tiara Pontificali ornati fuerunt, quos mores perditi & impuri infra attributi illius eminentiam plurimum posuere. Neque Levitæ semper Legis divinæ se memores adeo præstitere, ut digni essent quos Deus tituli tam illustris honore dignaretur. Si vero *passive* vocabulum illud usurpetur, pro eo quem Deus beneficio vel benevolentia speciali a mortalium plebe separavit; ratio haud adeo gravis apparet, cur sacerdos primarius titulo tam honorifico, suo tantum capiti affixo, præfulgeret: nam facultas Dei jussa & responsa populo deferendi Pontifici data, in singularium favoris divini pignorum numero recenseri vix digna videtur. Cum itaque vocabulum illud sensu non nisi lato & laxo sumtum, sacerdoti Mosaico competere queat; consentaneum est ut illud de sacerdote nostro Evangelico, qui solus tituli illius amplitudinem æquare potest, dictum intelligamus. Si enim חסידך pro *benefico* sumatur, Christo Domino ad amussim convenit, qui sua & semetipsum nobis dedit, & benignitatem suam nunquam in nos misellos claudi passus est. Si pro *pio* & *sancto* usurpetur, optime

cum

cum titulo illo vitæ & moribus Domini nostri convenit: nam illius fama, cum inter homines ageret, ne criminis levissimi suspicione apud æquos judices perstricta fuit; & in conspectu Dei peccati adeo omnis immunis perstitit, quod ὅσιος Θεοῦ in Scriptura signanter appelletur, Si vero vox illum denotet, cui Deus præ omnibus aliis bene velit, in Christum cadit maxime, quem Deus benevolentia tam propensa & eximia complectitur, quod is solus υἱὸς εὐδοκίας in Scripturis audiat.

Sexto: Textum integrum ea arte & ingenio [parcatur verbis hominem plus æquo sapientibus] dispofuit Moses, quod ad instar picturæ ingenioso adumbratæ penicillo, res & personas plurimas ex æquo respiciat. Nam (1) Nil obest quo minus particulam ך τοῖς *Urim* & *Thummim* affixam, de *Levi*, æque ac de Deo, [4] interpretemur: quasi ita locutus fuisset Moses, " *Thummim tua & Urim tua o Levi, cum* " *Viro sancto Dei*; tibi equidem instru- " menta, nominibus illis mysterii ple- " nis insignita, dignitatem & gloriandi " materiam afferunt; ille solus res ipsas " tenet, quas illa notant & loquuntur nomina. [2] Eum in modum Textus Hebraici verba efferuntur, quod formam *precationis* simul & *declarationis*, pro interpretum arbitrio, gestare possit: ideoque moderni Textum ut precantis vocem, antiqui vero ut declarantis, intelligendum censent: neque in originali particula ulla reperitur, quæ huic aut illi interpretationi ponat obicem. (3) *Urim* & *Thummim* non tantum ut nomina propria, ad imagunculas Pectoralis; sed ut appellativa, ad *perfectiones* & *lumina*, denotandum, hic sumi possunt. (4) Vox חסיד & ὅσιον, virum sanctitate præstantem, & κεχαριτωμένον, speciali aliqua gratiæ divinæ tessera donatum indicat: ideoque ad typum simul & antitypum, Pontificem & Christum, exprimendum egregie fuit accommodata. Nam Pontifex M. quamvis non sanctitate semper, plurimis tamen favoris divini insignibus, alios omnes e plebe Judæos facile superavit. Ideoque textus integer, & quodlibet ejus verbum sensu gemello gravidum, nobis ansam conjectandi porrigit, Spiritum Sanctum textum hunc ita quasi de industria disposuisse, ut res & personas naturæ locique disparis, sensus tam lati & dubii ambitu contineret: quid enim facies tam diversas ei dederit, nisi ut posset objecta plurimum dissita pariter respicere & intueri?

Si quis rationes jam datas pensiculate trutinaverit, se facile persuaderi patietur, Mosen hic rudimenta & exordia quædam Evangelii, doctrinas aliquas de Messia paulo obscurius tradidisse. Ut rem breviter expediam: aut duo sunt quæ pro duplici acceptatione τῶν Urim & Thummim, de Domino nostro in verbis hisce, declarative sumtis, a Mose enunciantur.

Primo: quod Perfectiones & Lumina Dei sint vere penes Sanctum illum, cujus imaginem solummodo gessit sacerdotum princeps. Nec tali elogio Christus minor inventus est: quicquid enim uspiam est luminis vel perfectionis in Angelis aut hominibus, in illo fuit & & ab illo manavit. Luminis quidem speciem in Oraculis, & perfectionis umbram quandam in expiationibus, ornamentis, & baptismis suis, præbuit sacerdos summus: Christus utraque revera possidet & Ecclesiæ largitur. Nam ille typos, evangelii præludia, exposuit, cuncta Legis obscura reseravit, & omnia, quæ sacramentorum nebulis Antiquitas texerat, in apricum protulit. Ille quicquid de fine hominis ultimo, de naturæ rationalis complemento, de via universali liberandæ animæ, de medio reconciliationis, de vera Deum colendi ratione, aliisque regni cœlestis arcanis, scitu necessarium est, verbis ad modulum infantum attemperatis revelavit. Ideoque veritates plurimæ quas Gentilium & Judæorum doctores penitus ignorarunt, vel inter sacratiora sua mysteria, cathedra digna numerarunt; per Christum adeo in aprico positæ sunt, quod prima religionis rudimenta jam factæ sint & puerorum exercitia. Inde factum quod Christus *Lucis* nomine sæpius in Scriptura descriptus veniat, ut *Luc. 2. 32. Jes. 42. 6. 1. Joh. 9. 10.* & *cap. 3. 19. Jes. 60. 19. 20.* & alibi. Deinde, perfectiones omnes, quocunque nomine innotescunt, in Christo, Pontificis archetypo, reperiuntur: *Evangelica*, nam sacerdos [5] ille solus fuit, cui ad scelus aliquod a seipso conceptum expiandum nullo opus erat sacrificio; cum omnes alii sacerdotes summi, essent מחוסרי כפרה (uti loquuntur magistri) ἐδεῖτο ἱλασμοῦ *Legalis*, ille enim debita nostra, quibus solvendis nos impares eramus, spongia quam in cruce gustavit, delevit omnia; & justificationem eam, cujus umbram tantum gessit expiatio Legis, vere pro nobis meruit. A solo itaque Christi sacerdotio τελείωσιν expectandam docet [6] Apostolus, quippe qui personas homi-

num, ſacrificio numeris omnibus abſoluto, ideoque ultimo, perfecit.

SECUNDO: id etiam myſterii ſub horum verborum velamine occultaſſe videtur Spiritus S, quod oracula hanc vel futuram vitam ſpectantia; Chriſto Domino, in cujus ſinum arcana ſua omnia effudit Deus, accepta debeantur. Ille enim Λόγος eſt & Λογεῖον, Verbum & Oraculum Patris, a quo naturæ & voluntatis divinæ ſcientiam hauſimus. Sufficiat hæc carptim breviterque perſtringere, quæ utramque faciunt tot librorum & concionum paginam.

[1] *Exod.* 17. 7. [2] Vide *Buxtorf. Theſ. Gram. l.* 2. *c.* 1. [3] Vid. *Mat* 13. 46. 52. & 18. 23. & *Luc.* 2. 15. [4] *Ita LXX. Vulg. & Verſ. Sam.* locum explicant. [5] *Heb.* 9. 26. *Dan.* 9. 24. *Pſ.* 26. 10. [6] Ad *Hebr.* 7. 11.





PHILIPPI RIBOUDEALDI
SACRUM
DEI ORACULUM
URIM ET THUMMIM.

Non scripturiendi libido me tenet, at falsa detegendi desiderium, quamvis homuncionem gigantem, & muscam Elephantem congredi dedecet; nam formido quidem subire vetat; at detrectare pudor; Nefas non est loqui cum sit illud ne falsum hominum animis ingeratur, atque veritas erroris nebulis obducta sit. Quibusdam abhinc mensibus libelli cujusdam ab amico fratre mihi copia facta est, Dissertationis nimirum de Urim & Thummim, quæ authorem habet Joh. Spencerum SS. Theologiæ Doctorem in Academia Cantabrigiensi, & Cantabrigiæ Anno *1670*. typis excusa est: Autorem sane mihi alias ignotum veneror, virum utpote eximium, exquisitæ eruditionis & qui excellenti pollet ingenio; Illud quippe demonstravit in dexteritate qua usus est ad hoc ut rem omnino improbabilem, cui nulla unquam adjungetur fides etiamsi Cato dicat, & quæ vix hominis literati animum subire potest, probaret: Verum quicquid sit, ei invisum me non fore existimo, si dicam infallibilem hominem nullum esse, se posse itaque si de se bene cogitet, errorem quo erravit dignoscere, unde exclamabit *οἱ μοὶ θνητὰ πιπόνταμεν*. homo sum & ego humani nihil a me alienum puto; Sciat igitur vir doctissimus, me non contradicendi libidine, sed veritatis asserendæ desiderio duci, quum ejus sententiam de Urim & Thummim refellere aggredior, ne scilicet existimet se adeo facile atque impune vindemiam facturum; Ac sane ut semel omnino mentem aperiam, quæ omnia proponam, non (ut facit author noster) dictatorie promam, nec enim ex ijs sum quibus patriæ fumus igni alieno luculentior est, Ideo omnium quotquot sunt doctorum judicio libenter mea permittam, quos hic Spenceri opinionem rationesque meas attente perpendere attestor.

Quoniam autem intentum satis assecutus fuero modo authoris nostri errorem manifestaverim, ipsius opus satis amplum pro dissertatione, *κατὰ πόδα* se qui non est animus: Ideo ad ea quæ profert Spencerus ut sententiam suam de Urim & Thummim probet, respondebo, ac quidem brevissime, prætermissis etiam multis quæ nullius fere sunt mo-

menti, nulliusque ponderis ad vim ipsius argumentis addendam: Præcipuas igitur ejus rationes eliciam, præcipuaque testimonia quæ profert, ut ostendatur neque illis, neque his sententiam illius probari posse, multa etiam prætermittam quæ in hac materia de Urim & Thummim in genere indifferentium haberi possunt, ut & ea quæ quamvis ab omnibus fere doctoribus teneantur, a Spencero tamen magno cum conamine sine necessitate probatur; Exacte enim hanc historiam de Urim & Thummim describere in animo non habeo, cum illud ab aliis jam olim factum fuerit: Satis mihi erit si demonstravero non esse recipiendum circa hoc argumentum Spenceri judicium.

Sua autem author noster confuse satis recenset, quod fieri forsan ei necesse fuit ob rerum ex quibus suas probationes elicere contendit concatenationem. Illam vero confusionem vitabimus, ut que dilucide simul & breviter hic agamus, proferemus, Primo, rationes præcipuas quibus sententiam suam de Urim probare conatur, quas simul refutabimus. Secundo, Testimonia tum divina, tum humana, quibus utitur, quæ ostendemus nullomodo ipsi favere. Tertio, sententiam ejus de Thummim, quam etiam refellemus. Quarto demum, sententiam nostram de Urim & Thummim breviter aperiemus.

I. Priusquam refellatur Spenceri sententia de Urim, ea tenenda est: Lectorem autem scire velim eum de Urim, ac postea de Thummim sententiam diversimode tulisse, quia hic quasi duo statuit oracula, aut saltem (ne hic ipsi imponamus) duo vult fuisse ejusdem oraculi instrumenta, quod ex tota patet dissertatione, qua statuit *Urim & Thummim instrumenta fuisse realiter discrepantia & divisa, non solum nomine, verum etiam numero, figura, officio, & usu*, ut videre est præsertim cap. 4. Sect. 1. & 12. Unde de Urim agit primo & postea de Thummim; Ipsius autem sententia de Urim hæc est, Urim fuisse instrumentum quo usus est Deus in reddendo oraculo, illudque instrumentum fuisse simulacrum de quo in Veteri instrumento sæpius fit mentio sub nomine Theraphim, illudque quod dicitur Urim ipsissimum fuisse Theraphim. Ne vero hæc tanquam calumnia a Christianis accipiantur, ipsissima Spenceri verba proferemus; *Urim instrumentum concavum decore fabricatum (simulacrum forsan parvulum ad humanam similitudinem formatum) Theraphim antiqnitus appellatum, fuisse videtur, quod reconditum gestavit Sacerdos intra concavas rationalis plicaturas, quo mediante, Deus, aut Angelus illius vice & nomine, ad Pontificis interrogata respondit, cumque quid ex usu esset agere, quid præsens, quid futurum, voce formata docuit.* Hæc cap. 4. sect. 2. fere initio. Iterum versus finem ejusdem Sectionis sic loquitur; *facile in eam venio sententiam, veterem a Theraphim oracula petendi ritum, Deum in pectoralis Urim, pene invariatum Israelitis reservasse, adeoque Judæorum Urim ejusdem cum Theraphim muneris & figura fuisse, sub diverso tamen nomine imagunculam.* Hæc Spenceri sententia, cui apte conveniunt omnia quæ in ipsius dissertatione habentur, licet enim voce *forsan*, primo loco usus sit, dixeritque *Urim Theraphim fuisse videri*, fidentissime tamen sic se rem habuisse credidit, ut ex tota conspicuum est dissertatione.

Ne autem hic ullus decipiatur, quid fuerint Theraphim dicendum. Illud sane non ignoravit Spencerus ipse, ut videtur cap. 4. Sect. 2. ubi eorum naturam ex sua ipsius sententia sic describit, *Theraphim erant simulacra quædam parvula, seculis antiquissimis frequenti in usu, in sacris plurimum ædiculis seposita, quæ spiritus cujusdam, sæpius impuri, præsentia animata, oracula fundere solebant*; Et paulo post tale testimonium Medi sæpius ab eo laudati adducit, *Theraphim fuerunt imagines in certo syderum concursu compositæ, quarum & similitudinem ferunt imagunculæ illæ e cera vel simili materia ficta, quibus veneficæ etiamnum utuntur*. Item Sect. 10. testimonium addit R. Salom. qui in Reg. 23. 24. sic loquitur תרפים צלמים שמדברים על ידי כשפים *Theraphim fuerunt, imagines quæ loquebantur per artes magicas*. Verum hic non erant prætereunda quæ Clariss. Buxtorfius habet in Lex. Chald. in voce תרפים *Illæ imagines*, inquit, *fuerunt sub specie humana, quas superstitiosi gentiles pro Diis penatibus habebant, in dubiis ab eis responsa petentes. Unde scriptor hebr. antiquissimus R. Elieser magnus, Hircani filius, qui uxorem habuit sororem Gamalielis qui forsan fuit præceptor Apostoli Pauli, de illis imaginibus sic loquitur, Quid sunt Theraphim? mactabant hominem primogenitum & avellebant caput ejus, & saliebant illud sale & oleo, scribebantque super laminam auream nomen spiritus cujusdam immundi & ponebant illam sub lingua ejus, postea posuerunt illud caput ad parietem, & incende-*

cendebant lampadas coram eo, ac procubuerunt coram ipso, & sic locutum est simulacrum illud cum eis. Hic & addemus quæ de Theraphim habet Munster. in Genes. 31. *Theraphim erant imagines juxta quarum inspectionem gentes faciebant vel omittebant opus, hujusmodi figuras & imagines quidam Astrologi facere solent sub certis constellationibus, putantes illas capaces cœlestium influxuum*. De Theraphim plenius agit Selden. de Diis Syris Syntagm. 1. cap. 2. ut & Leusd. in Philologo hebræo-mixto, differtat. 44. de iis loquitur & Hieronym. in Epist. ad Marcell. quæ extat Tom. 3. pagin. mihi 73. sed ex iis quæ dicit dignosci non potest quid fuerint Theraphim. At fatentur omnes fuisse simulacra ceu imagines per quas responsum de futuris dabatur, unde in paraphrasi Chald. vox תרפים transfertur mox per צלמניא *imagines* mox per רמאין *simulacra*, mox per מחוי *revelans futura*. Oraculum autem Urim, cujus institutionem primam legimus Exod. 28. 30. fuit ipsissimum Theraphim si Spencero fidem adhibeamus, ejus expendamus rationes.

Contendit Spencerus Urim & Theraphim eadem esse nomina, ejusdem quippe significationis, vult enim Urim ignes ceu lumina significare, Theraphim autem eandem cum Seraphim vocem esse, mutato ש in ת more Chaldæorum: Seraphim vero (a qua voce vult etiam fluxisse vocem Serapis apud Ægyptios) urentes & inflammantes secundum ipsum significat, unde hæ voces, Urim, Theraphim & Seraphim ejusdem prorsus erunt significationis, ac proinde Urim & Theraphim eadem sunt juxta ipsum diversis solum nominibus indicta, hæc habet & tractat Spencerus cap. 4. sect. 9. & cap. 5. sect. 2. Quæ ingeniose fateor inventa sunt, ac me primo intuitu commoverunt, taliaque sunt quæ animos eorum qui cortici solum adhærent abducere possunt: Verum propius ea intueamur & ad medullam usque perveniamus & nullum facient fucum. Seraphim & Theraphim idem quidem esse videntur si verborum sonum solum spectemus, at si res perscrutemur, aliter sane judicabitur, quod ut plenius patefiat, perpendenda nobis veniunt tum nomina, tum quoad fieri potest illorum origines atque significata. Spencerus cap. 4. Sect. 2. τῶν Theraphim originem Mercurio Trismegisto refert, quod probare vult ex ipsius Trismegisti loco in Asclep. cap. 9. Verum quæ omnia vidit Spencerus consulto non inspexit, ipse enim paulo post hunc locum e Marsilio Ficino libr. de vita cœlitus comparanda cap. 13. adducit, ex quo sane probari potest jam apud Ægyptios Theraphim in usu esse ipsius Trismegisti tempore, qui proinde eorum autor dici non potest; probabilius igitur ad Thare Abrahami patrem qui Trismegistum circiter seculo uno præcessit, illam originem retulisse si saltem his fides debeatur quæ ex Epiphanio narrat Jesuita Brietius in Annalibus mundi ad Ann. 1909. *Thare scil. cum ex pictore factus esset plastes, homulos ex argilla lutoque finxisse, unde alii artifices ex pretiosiore materia statuas conflarunt, quibuscum se dæmon responsis suis & oraculis permiscuisset, vanus Idolorum cultus eas radices egit, ut ad eum penitus extirpandum Deus ipse factus hominibus aspectabilis requireretur*. Ipse sane Thare ex Hebræorum traditionibus dicitur statuarius fuisse, primusque statuas mortuorum memoriæ dicatas coluisse, unde quodammodo ab Epiphanio relata confirmantur, atque minus probabile patet quod asserere videtur Annius Viterbiens. Commentar. in Beros. lib. 5. ubi vult, Statuas quas Belo patri posuit Ninus primam fuisse Idololatriæ occasionem, fuit sane Ninus Thare coætaneus hic tamen illo senior, unde Nini factum imitatio forsan fuit facti Thare; Quinimo ipse Thare Idololatriæ primus autor dicendus non erit, si erit, si locum Genes. 4. 26. cum quibusdam sic legamus, *Tunc profanatum est in invocando nomine Jehovæ*, quem sensum abunde confirmat Jonathanis paraphrasis, cum ibi ait; *Illa erat ætas in cujus diebus incœperunt errare & fecerunt sibi Idola*. Minus etiam probabile, imo a veritate alienum erit quod refert Lactant. de origin. error. cap. 10. A Prometheo primo natam esse artem & statuas & simulacra fingendi, Prometheus enim floruit tantum circa annum mundi 2300. His autem attendere possumus, non solum ut inde primam τῶν Theraphim, verum etiam omnium diaboli oraculorum originem arcessamus: Quamvis, quod fatemur, difficile admodum sit oraculorum diabolicorum originem demonstrare, neque hactenus illorum incunabula nobis sint conspicua. Vult quidem Peucerus Tractat. de oracul. Totam oraculorum institutionem præcipue compositam fuisse ad Divinæ φωνεφάνεως speciem, qua Deus cum patribus collocutus est, quarum patefactionum ut memoria conservaretur in iisdem locis aræ Deo ædificatæ atque dedicatæ sint, & videntur primi sancti

Pa-

Patres, ut vult ibid. Peucerus, ut plurimum ſcholas inſtituiſſe, ut ibi homines veram ſapientiam, eaque quæ ad religionem ſpectabant docerent, quo poſtea factum aſtutia atque malitia diaboli, ut ſedes veritatis atque ſanctæ doctrinæ ſcholæ in mendacii thronos atque impietatis latibula inverterentur; Refert & idem Peucer. ex Stephano, Primam oraculi ſedem in monte Parnaſſo extitiſſe, quod ex hebraica ethymologia vocis *Parnaſſi* approbat ipſe, ut Parnaſſus ſit quaſi הר נחש *mons augurii* quod an ſit accipiendum dijudicent alii, inauditum ſane eſt literam ח in פ tranſmutari, ut & literam פ compoſitioni nominum inſeruire, cum illa ſit ſemper radicalis. Verum fatetur idem Peucer. de prima horum oraculorum origine non certo conſtare quo tempore primum extiterint, atque qua ſint aperta occaſione, fatetur ſolum ſciri non poſſe quando manifeſto in his ſeſe diabolus oſtenderit, quamvis manifeſtum ſit ex Scriptura S. vivente adhuc Noe horrendas Idololatrias in Eccleſiam Dei irrupiſſe. Rhodiginus vero, perſcrutando unde primum oracula irrepſerint, vult ea non a Diis neque a dæmonibus inſtituta eſſe aut propagata, *ſed a vafris quibuſdam & quæſtuariis initio inchoata, qui improbi & impoſtores in adytis obſcurioribus illatebrati, venientibus reſponſa dabant*, ut videri poteſt apud ipſum, Lection. antiquar. lib. 1. cap. 33. Quod ille hauſiſſe videtur ex Euſeb. qui de præparat. Evang. lib. 4. cap. 1. vult nec Deos nec dæmones Ethnicorum oracula conſtituiſſe, ſed ſeductorum atque improborum hominum ad turpes quæſtus excogitationem fuiſſe, quam & opinionem multis nominatiſſimis Philoſophis Euſebius ipſe placuiſſe dicit. Quicquid ſit, nulla ratione probari poteſt ullum diaboli oraculum oracula per Theraphim reddita tempore præceſſiſſe: Vetuſtiſſima quæ viguerunt Oracula inter gentes fuerunt Delphicum, Dodonæum & Hammonium, utri autem horum primus quoad antiquitatem concedi debeat locus ſatis incertum eſt; Herodotus ſane libr. 2. Dodonæum antiquiſſimum eſſe vult omnium græcorum oraculorum, imo per quoddam tempus illud in Græcia unicum fuiſſe, illiuſque originem refert duabus fœminis e Thebis exactis, quarum una Dodonæum oraculum in Græcia, altera Hammonis oraculum in Africa conſtituerit: Sane ſi Peucerum tractantem de oraculis audiamus, nuſquam nominatum fuit Dodonæum oraculum ante Deucalionis diluvium, etſi prius forſan ortum ſit, imo uſum habuerit: Deucalion enim & Pyrrha deſinentibus aquis ibi conſediſſe, ac numen conſuluiſſe dicuntur; evenit autem Deucalionis diluvium annis ad minus 700. poſt diluvium Noe unde cadet illud in Annum mundi circiter 2356. Alij tamen volunt Cadmum cum Cretenſes, qui Sororem Europam rapuerant perſequeretur, poſt varios errores Delphos ſe contuliſſe Oraculum de ſorore conſulendi cauſa, atque poſtea ipſum Thebas condidiſſe, is autem patri Agenori ſucceſſit tempore Othonielis Iſraelitarum ducis circa A. mundi 2507. ſicque Delphicum oraculum floruerit ante Thebas conditas, ac proinde ante Dodonæum oraculum, contra Herodoti fidem; hic de illo Delphico oraculo ac de Templo Delphico multa narrare non eſt ſcopus nec animus, quomodo illud Templum multoties fuerit deſtructum totidemque reſtauratum, quam a multis fuit ditatum, a Chriſtianis ſub Conſtantino Magno dirutum, ac tandem ſub Imperatore Juliano fulmine fuit incenſum, atque funditus everſum, hæc petere poteſt qui volet a Peucer. Tract. de oracul. De inſtitutione autem illius oraculi Delphici, atque de illius authore legimus quidem aliquid, fabuloſum aut verax, nil refert, quod ex antiquis authoribus habet Rhodigin. antiquar. lection. lib. 5. cap. 16. ut & de his habet aliquid Peucer. Tract. de Oracul. Verum quo tempore illud ortum habuerit, hactenus quidem a me detegi non potuit: Alexand. ab Alexand. genial. dier. lib. 5. cap. 2. vult iſtud oraculum cuncta Oracula antiquitate excelluiſſe. Fatetur ipſe Peucer. loc. cit. Illius oraculi diverſas recenſeri origines, ipſiuſque occaſio illi incerta eſſe videtur, at antiquum fuiſſe tradit ac annis ad minus centum ante tempora Trojana claruiſſe. Verum hic nil niſi ex conjecturis loqui nobis licet. Illud ſane quicquid ſit fuit antiquiſſimum, adeo ut velit Oroſ. lib. 6. cap. 13. *Totius vaticinationis authorem & principem fuiſſe Apollinem Pythium*, hoc eſt, Delphicum oraculum; Unde ſi quid valeant conjecturæ meæ & interfectus fuerit Pythius ſerpens finiente Ogygis diluvio, ortum habuit oraculum Delphicum circa A. mundi 2290. Jam ſane floruit illud A. mundi 2680. niſi Delphicam Sibyllam quæ jam hoc tem ore prophetavit ab oraculo Delphico diverſam eſſe velimus. Verum Theraphim ſemper ex oraculis diabolicis

licis vetustissimum esse patebit, si illarum statuarum fatidicarum primam originem ad Thare referamus qui circa A. mundi 1880. vixit. Atque hoc forsan non hariolari est, cum ipse Spencer. cap. 4. Sect. 9. *Chaldæam Thare patriam matrem abominationum* dicat: unde Theraphim primum fuerit diaboli oraculum, cujus tamen fere coætaneum potuit esse Dodonæum oraculum, si illis adhibenda sit fides qui illius originem ad Dodanim Noachi nepotem referunt. Si ipse sane Thare τῶν Theraphim autor non dicatur, aut quod aliis placuisse videtur illius pater Serug, eorum saltem patria hunc edidisse fœtum agnoscenda est, ut enim primi homines ex Syria sunt, sic primi falsi Dii ac primi Idololatræ Syri fuerunt, atque inde Onkelos Aramæum dicit pro Idololatra sive indigena, nam Lev. 25. 47. עקר משפחת גר *indigena e familia peregreni*, sic ab eo redditur, ארמאי מזרעית גיורא *Aramæus ex prosapia proselyti*. Imo in versione Syr. Novi Testam. pro gentili & Græco sæpius legimus Aramæum, vid. Rom. 1. 16. Galat. 2. 14. & 3. 28. Primi enim Idololatræ quorum scriptura meminit fuerunt Aramæi sive Syri. Hinc tamen confirmatam non velim ejusdem Spenceri conjecturam quam eadem Sect. adducit, *Abrahamum scil. aut pios quosdam viros ei necessitate aliqua conjunctos qui moram diuturnam in Chaldæa traxerant & leviores aliquas Chaldaismi tincturas imbiberant, nomen illud Theraphim figuris quibusdam Angelicis tribuisse, & ipso quasi usu consecratum posteris retinendum tradidisse*. Absit enim ut illorum Idolorum originem ad aliquem virum pium referamus; Eorum author probabiliter fuit Thare a quo & denominari potuerunt, si absurdum non sit pro תרחים usurpatam fuisse vocem תרפים quam sane ethymologiam etsi tueri nolim æque tamen bonam puto ac alias quæ afferuntur cum alii nomen illud a רפה *cessare*, *dimittere*, alii a רפא *sanare*, deduci volunt, unde & Clariss. Buxtorf. istius vocis originem incertam videns illam primigeniam fecit, quod & fecit Pagninus. Thare vero postea imitatores habuit viros quosdam Astrologiæ deditos, quorum præcipuus forsan fuit Zoroaster, magiæ atque medicinæ deditissimus, qui Thare coætaneus fuit; Ille autem Zoroaster juxta quosdam fuit Cham filius Noe, vel juxta alios ipsius Chami filius quem Moses Misraim dicit, quod utrumque tanquam suppositium a Gaffarello rejicitur, an merito satis dubium est, censent enim plerique docti Zoroastrem ipsissimum fuisse Chamum, quod dubio procul a Beroso hauserunt, Is enim antiquit. lib. 3. de Chamo sic loquitur, *Semper magicæ & veneficæ studens Zoroast nomen consecutus erat*; Et si nomen illud commune fuit omnibus iis qui abstrusarum rerum magiam exercebant, ut ait Kircher. in Obelisc. Pamphil. lib. 1. idem tamen ibidem probat, illum qui sub Zoroastris nomine præcipue venit, ac in Magia atque Philosophia exercitatissimus fuit, ipsum fuisse Chamum. Idem etiam voluit autor historiæ Scholasticæ, qui ait, Chamum a Nino victum fuisse cum in Bactria regnaret, illum Zoroastrem vocatum esse, magiam in columnis descripsisse, atque inde nata esse Idola, Ninum vero libros ejus combussisse, ut videre est apud Perer. in Exod. 7. Summa, opinati sunt plerique Zoroastrem Chamum ipsum fuisse. Illud tamen negavit Clarissim. Bochart. Constat saltem hos omnes viros, scil. Thare, Chamum & Misraim συγχρόνες fuisse. Ac interum ex probatissima patet Chronologia Zoroastrem (si alius fuerit a Chamo aut Misraim) eorum tamen coætaneum fuisse; Insuper ex antiquissimis historicis videre est Magiæ atque Idololatriæ originem ad illorum hominum referri tempora, tunc enim constructa fuerunt fana, erectæ statuæ, mysteria, atque falsorum Deorum sacrificia instituta, atque inde fit quod quidam authores Magiæ originem tribuant Chamo, alii Misraim, alij vero Zoroastri: Verum quicquid sit, immerito ut puto ipsius Zoroastri probitatem nobis prædicat Caffarellus: fuerit enim ille Zoroaster Cham, aut ejus filius, vel fuerit ipse Balaam, quod & opinati sunt alij, ut videre est apud Horn. Histor. Philosoph. lib. 2. cap. 4. nihil est cur ipsius nobis prædicetur probitas, cum omnes ut ex Plin. refert Polidor. Vergil. de inventor. rer. lib. 1. cap. 22. unanimiter sentiant Magiam a Zoroastre in Perside initium sumsisse; Video tamen Peucerum Tract. de Magia in eo fuisse sensu, qui & maxime probabilis est, viguisse diaboli artificia ante diluvium, etsi non constet quando exerceri primum cœperint. Verum ut in viam redeamus, referatur ad Trismegistum τῶν Theraphim origo, per me licet. Is autem circa A mundi 2000. floruit & docuit in Ægypto; Illo vero tempore vox Seraphim hominibus nota non erat, illud saltem ex S. Scriptura nobis non patet, neque Spen-

Spencero fides est adhibenda cum ait, *vocem Seraphim cum voce Cherubim antiquitate contendere, & utrumque Mosis seculo antiqua consuetudine usitatum fuisse*. Illud asserit cap. 4. Sect. 9. nil tamen adducit quo probetur; forsan igitur ignorarunt homines Trismegisti tempore quid essent Seraphim, cum præsertim paucissimis sese tunc manifestasset Deus, unde plurimis ignotum fuit esse Angelos, multis, si non omnibus, quosdam ex Angelis dici Seraphim: Vox igitur Theraphim a voce Seraphim formari non potuit: Neque oritur illa a voce Ægyptiaca Serapis, quod voluit Hottingerus, nusquam enim dicuntur Theraphim caput bovis habuisse, deinde vox Theraphim voce Serapis vetustior est, nullibi enim patet tempore Labanis locum habuisse in Ægypto Serapim, vellem potius illius vocis originem in Aramea perquirere lingua. In Targum Psalm. 44. vocem habemus תורפיתא turpitudo, ignominia, vel si mavis in Arabica lingua Arameæ vicina, in qua verbum תרף significat vitæ commoda largitus est, ex Golio in Lex. Arab. quæ sane significatio τῶν Theraphim ului plane convenit: Theraphim enim ope diaboli occulta revelando magna largiebantur commoda. Verum hanc aut aliquam aliam habeat originem illa vox nobis ignotam, de illa non multum nobis curandum. Notum sane Seraphim præcipuum Ægyptiorum fuisse numen, quo ab hostilibus incursibus se tutos putabant, unde illius templum non intra oppida, sed extra pomœrium ac in suburbijs sedes habuit, quasi illius numinis savore tanquam valido præsidio septi essent cives, ut habet Alexand. ab Alexand. genial. dier. lib. 2. cap. 4. Atque ut vult Rhodigin. antiquar. lection. lib. 1. cap. 34. *Idem apud Ægyptios fuit qui apud Græcos Pluto*, quod & a Theodoret. notatum lib. 3. adverf. gentes, ut & ab Euseb. de præparat. Evangel. libr. 4. cap. 12. neque sane prorsus ineptum est: Pluto enim divitiarum Deus fuit, Serapis autem idem apud Ægyptios putatus est, sub forma enim bovis colebatur, at ex bove ejusque ope divitiæ comparantur: Imo voluerunt quidam Seraphim illum Ægyptium effigiem ipsius Plutonis fuisse, a Sinopensibus ad Ptolemæum Philadelphum munere donatam, qui acceptam illam statuam collocavit in promontorio Racotim dicto, ubi postea constructum fuit Serapidis templum, quod narrat Clem. Alexandr. in orat. ad gent. Quod si quis dicat, hæc τοῖς Theraphim non male convenire, quandoquidem ex ijs quæstum faciebant Idololatræ, quando eorum opera futura prænoscebant vel occulta videbant, non repugnabo, hinc tamen inferri nolim vocem Theraphim a voce Serapis ortam esse; Cum clarum sit Theraphim in usu fuisse priusquam apud Ægyptios coleretur Serapis, hic enim ex quorumdam conjecturis fuit Josephus divino affectus honore, eo quod in fame septennali Ægyptum servasset, de quo consuli possunt Julius Firmicus de errore profanarum Religionum, & Horn. histor. Philosoph. lib. 2. cap. 5. Improbatur tamen a Clariss. Bochart. Josephum apud Ægyptios cultum fuisse Apis aut Serapidis nomine, ut patet Hierozoic. Part. 1. lib. 2. cap. 34. Ac sane non potuit illud fieri si de Serapidis cultus apud Ægyptios origine recipiamus quæ supra ex Clement. Alexandr. retulimus; Utut se res habeat indubitatum nobis est, divinandi genus per Theraphim primum & antiquissimum esse apud dæmonum sectatores, sicut & illud diutissime in usu fuit, atque forsan adhibitum adhuc fuit in mundo a Christi Servatoris adventu. Quid enim? Annon τοῦ Theraphim species, fuit illud quo in divinationibus utebatur Sylvest. 2. qui vixit circa Annum Christi millesimum: Is enim ut nobis refert Guilielm. Malmesbur. de gestis Regum Angliæ, caput quoddam habebat æneum, in peculiari loco reconditum a quo responsa petebat dum a dæmone sciscitabatur aliquid: Illud sane ipsissimum Theraphim fuisse credere est, illius enim conficiendi artem a Saracenis Hispaniensibus, ut nobis refertur, habuerat, ab hominibus scil. apud quos hoc divinandi genus, ut & omnes artes magicæ valde in usu fuerunt. Quinimo post ipsum Sylvestrem locum etiam habuit ejusmodi oraculum si verum sit quæ de Rogero Bachone Anglo tradiderunt aliqui, quod in medium relinquo; Sed in gratiam eorum qui volunt nomen Theraphim figuris quibusdam Angelicis tributum fuisse, supponere velim vocem Theraphim a voce Seraphim ortum duxisse, quod tamen non probatur, quid inde? voluit diabolus suis Idolis ea imponere nomina quæ habuerunt Dei Angeli, quo sic illa religiosius colerentur, *Divinationes enim omnes ut & magicæ artes, inde usum habuerunt inter homines, quod diabolus secutus exemplum consuetudinis & colloquiorum Dei cum sanctis Patribus, eodem modo, quamvis alia specie sese exhi-*

exhibuit hominibus, *ut hujus imitationis & colloquiorum occaſione ſeſe facilius inſinuaret*, ut recte docet Peucer. Tract. de Magia. Hinc igitur ſolum concludetur, diabolum Dei ſimiam ſuos habere voluiſſe Theraphim ut Deus ſuos habet Seraphim, ſuoſque ſatellites diabolum eodem deſignaſſe nomine quo Deus ſuos miniſtros, quamvis ut notum maxima fuerit differentia inter utraque munia & officia. *At Deus* dicet Spencerus *multoties in Scriptura S. illa Idola Theraphim nominat*. Verum ſit illud juxta modum loquendi ſeculi, & tunc Deus ex opinione hominum Idololatrarum loquitur: At his omnibus prætermiſſis, probandum Spencero incumbit, Seraphim & Urim eaſdem eſſe voces, ejuſdem, dicet ipſe, ſunt ſignificationis, *Urim enim ſignificat urentes*, *inflammantes*, *Seraphim vero comburentes*: At ſi curioſius verba inveſtigare velimus, ſat ſane differentiarum inter voces אורים & שרפים deprehenderemus; Prima enim nuſquam (ni memoria fallar) dicitur in Scriptur. S. niſi de igne, lumine, aut Dei oraculo: ſecunda vero quæ ſit a שרף comburere, ſemel tantum ut puto Angelis in Veteri Teſt. tribuitur, ſcil. Eſai. 6. At eadem voce pluries deſignantur præſteres, ſive ſerpentes urentes, vel potius hydra volans ex Bochart. Deut. 8. 15. Eſai. 30. 6. Numer. 21. Unde dijudicare poſſumus voce Seraphim calidum quid & ardens, voce vero Urim quid illuceſcens proprie deſignari: Ex hac autem vocis Seraphim ſignificatione videtur Peucerus dixiſſe, *Primos parentes Deo vero Serapidis nomen tribuiſſe quod ſit æterna lux & æterna Sapientia*, *unde poſtea eodem nomine retento Ægyptii ſuperſtitioſi hoc titulo ſuum coluerunt Idolum*: ſic enim putavit ipſe, Tract. de Oraculis, quod quo dixerit fundamento non ſatis patet; Seraphim enim Ægyptiorum numen apud eos Seraphim dictum fuiſſe, ut idem aſſerit Peucer. Tract. de divinat. extiſpic. hactenus quidem mihi non eſt conſpicuum, ut hic non dicam illud Ægyptiorum numen non *Seraphim* ſed *Saraphim* proprie dictum fuiſſe, ut videre eſt apud multos, ſic Julian. Imper. myſteriorum diabolicorum eheu! callentiſſimus, in illa Epiſtol. quam de Athanaſii exilio Ecdicio Ægyptiorum præfecto dedit, in hunc modum loquitur, ὄμνυμι δὲ τὸν μέγαν Σαράπιν, *teſtor magnum Saraphim*, eodem nomine multoties illum compellat in illa Epiſtola qua populum Alexandrinum ob cædem Georgii Epiſcopi caſtigat, ut & in illo faceto Deorum ac Cæſarum convivio Σαράπιν habet & Suidas, ut & Clem. Alexandr. in loco ſuperius allegato, ſed & Jul. Firmic. de error. profan. rel. cap. 14. Saraphim habet, atque vult Joſephum ſic dictum fuiſſe quaſi Σαρᾶς ἄπο quia Saræ pronepos erat: Sed hæc in tranſitu. Hic dixiſſe ſufficiat, Angelis nuſquam in S. Script. nomen Urim tribui, unde inferre licet, Deum oraculum ſuum Urim nominando ad Angelos Seraphim dictos nequaquam reſpexiſſe, reſpexit ſolum (ejus tamen ſecretiora conſilia rimari non pertendo) ad effectum & officium oraculi, quod erat luceſcere, arcana detegere; & futura revelare, eo enim oraculo velut igne flammante & ſplendorem lætiorem projiciente, voluntatem ſuam notam fecit Deus, quo ſenſu vult ipſe Spencerus vocem Urim hic ſumi, quam τοῖς Seraphim alicubi tribui nuſquam oſtendet: Verum ſi demus Dei oraculum Urim dictum fuiſſe reſpectu ad Angelos Seraphim, quid quæſo fiet de Thummim, cum dici non poſſit nomen illud ullum ad Angelos habuiſſe reſpectum? Hic igitur Spencero hærebit aqua. Verum authori noſtro campum aperiamus, atque hic adhuc rem nullo modo veriſimilem ſupponamus, haſce voces ſcil. Seraphim, Theraphim & Urim ejuſdem prorſus eſſe ſignificationis; Dicimus oraculum Dei & oraculum diaboli ab effectu & officio denominata eſſe, Deus oraculo ſuo nomen Urim dedit, quia per illud velut igne & luce, occulta revelabantur, quæ ni fallor Spenceri mens eſt, diaboli oraculum Theraphim dictum eſt, ob eandem rationem ſi velit Spencerus: Inde tamen non ſequitur oracula illa Urim & Theraphim eadem eſſe, aut (ut ſignificanter loquamur) oraculorum illorum eadem eſſe inſtrumenta, licet eorum eadem (hic multa Spencero gratis damus) eſſent ſignificata, ijdem propemodum effectus, imo eadem nomina.

At Spenceri rationes audiamus. *Gentes*, inquit, *præſertim Chaldæi a quibus ortum duxerunt Iſraelitæ*, *Ægyptii apud quos diu commorati ſunt*, *& Cananæi quorum Patriam occuparunt*, *ſua ab ultima antiquitate habuerunt oracula*, *ne autem Iſraelitica gens ad omnes Ethnicorum vanitates projectiſſima*, *res ſuas ut nil Divini in ſe habentes contemneret*, *& ad oracula gentium futura cognoſcendi libidine transfugerent*, *ideo uberem revelationum Divinarum copiam Iſraelitis conceſſit Deus*. Hæc cap. 2. Sect. 1. Reſ-

pondeo: Ab omni tempore Deus hominibus ſeſe manifeſtavit: Primo viva voce & varijs ſignis, poſtea cum ejus populus in magnam creviſſet gentem e qua Rempublicam ſacram formari voluit, cum cultum Divinum illi genti præſcribere neceſſe fuerit, voluit etiam Deus certo quodam modo quo ordinarie uti voluit, voluntatem ſuam illi populo declarare, qua de officio inſtruerentur, in rebus dubiis certiores redderentur, futuraque eis cognitu neceſſaria aperirentur; Ad hoc autem ut Eccleſia quam populus ille formabat magis conſpicua eſſet, utque ea Dei præſentiæ luculentum haberet teſtimonium, ſicque certior fieret Deum ipſum ſua providentia nunquam ipſi defuturum, modo quodam conſpicuo, idque cum apparatu, Majeſtate & pompa populo illi loqui voluit Deus; & ideo oracula ſua ei conceſſit, non autem ob rationem a Spencero datam, quaſi ſcil. Deus in dandis Iſraelitico populo ſuis oraculis, diaboli imitator fieri voluiſſet, neque ſat fuiſſet ejus ſapientia ad hoc ut ſine diaboli ope & auxilio modum congruum inveniret quo populo ſuo ipſum interroganti reſponſa daret. Præterea, quonam quæſo teſtimonio certiores fiemus Diaboli oracula Dei oracula tempore præceſſiſſe? quidnam veriſimilius Deum diaboli imitatorem eſſe, aut diabolum Dei ſimiam? Sane e Scrip. S. notum eſt, Deum prius homini locutum eſſe quam diabolum, confer Geneſ. 2. 16. cum Geneſ. 3. 1. Et quamvis oraculo per Theraphim reddito uſus fuerit diabolus priuſquam Deus oraculo Urim & Thummim uteretur, inde tamen nullomodo ſequitur diaboli oraculum Dei oracula omnia præceſſiſſe priuſquam enim diabolus τοῖς Theraphim uteretur, habuit Deus ſua oracula: Nec forſan a vero aberit ſi dicamus Deum primis Patriarchis ſeſe manifeſtaſſe, non ſemper immediate & viva voce, verum etiam aliquando mediantibus inſtrumentis aliquibus futura eis præſignificaſſe atque occulta indicaſſe; Ab Anno enim mundi 230. quo Enos natus eſt, viſa eſt in mundo quædam Eccleſiæ forma, Geneſ. 4. 26. quovis enim ſenſu ſumatur iſte locus, *Tunc inceptum eſt invocari*, vel ut aliis placet *profanari nomen Domini*, de qua re in præſenti judicare non expedit, hinc ſatis patet fideles tunc temporis conventus habuiſſe ſacros. Tunc autem Deus modo quodam ordinario fidelibus ſeſe revelare potuit, atque hunc Dei morem ſive viva voce, & immediate loquendi, ſive per inſtrumenta quædam utcunque forſan imitari voluit diabolus per ſuos Theraphim. Verum hæc miſſa faciamus: *Deus*, ait Spencerus, *Iſraelitis oracula ſua dedit, ne ad gentium Idololatrarum oracula confugerent*, Eſto: Quamvis oraculorum hominibus a Deo conceſſorum aliæ ſint veræ cauſæ, veluti Dei voluntatis hominibus pateſactio, atque inde fidelium utilitas, fructus, atque commodum. *At*, inquit Spencerus, *Deus Iſraelitis oraculum Urim dedit ad formam & exemplum τῶν Theraphim quibus utebantur gentes, ne ſci. ab illius ſacris ad Gentilium ritus & cultum rediret gens illa*, cap. 2. ſect. 1. *cum enim gentes quæ natura & ſanguine Iſraelitis conjunctæ eſſent, aut quarum loca vicina Iſraelitæ colerent, medijs imagunculis Deorum præſentia animatis, oracula non raro acceperint, & τοῖς Theraphim ad fata & occulta ſcienda ſæpius uſurparent, nobis facile perſuadeamus Deum populo ſuo oracula ſimul & uſitatum ea accipiendi modum indulſiſſe, præſertim cum Iſraelitæ ſumma olim admiratione defixi proculdubio hærerent, cum numinis alloquio ex imaginis parvulæ anguſtijs accepto fruerentur*. cap. 4. Sect. 10. *Inde fatendum Deum antiquum oracula e Theraphim vel ſimulachro recipiendi morem Iſraelitis conceſſiſſe, ſi ſubſtantiam ſpectemus, integrum, quoad circumſtantias vero plurimum mutatum* cap. 5. Sect. 3. *Summum igitur Legislatorem quaſi in hæc verba locutum, intelligendum exiſtimo; Novi vobis in more eſſe ſimulachra quædam quibus Theraphim & Seraphis nomen, in ædibus religioni datis collocare, & ab iis oracula in dubijs expectare, & hujuſmodi imaginibus fruendi deſiderium intimis populi medullis fixum inſidere; Neque ego nova omnia populi moribus & ſtudijs adverſa, jam meditor, vetera omnia eorum ruditati præter mores vitio aliquo infames facile daturus ſum, neque per me ſtabit quo minus oraculis [quibus æquo animo carere non poſſunt] iiſque per imaginem fatidicam, pro ſeculi more, traditis etiamnum gaudeant; Hæc tantum cures velim, ut novo Urim nomine de cætero innoteſcat & in Pectoralis duplo ponatur, ne cuivis e media plebe eam aſpicere liceat, aut illius ſanctitatem ineptis quæſtiunculis imminuere, & violare*. cap. 4. Sect. 10. Hæc omnia, Spencerus magna cum fidentia refert: Ad quæ repono, 1. Si Spencero fidem adhibeamus, Deus in omnibus fere ritibus quos Iſraelitis præſcripſit, ſed præſertim in oraculo ſuo Urim, ſacratiſſimo ſcil. Religionis quam inſtituebat myſterio, diaboli fuit imitator:

tor: Negare ſane non velim quoſdam ritus olim a Deo Iſraelitis datos maxime convenire cum gentium ritibus & moribus, verum quærendum eſſe quinam vetuſtiores fuerint; An Deus hac in parte diaboli aliquomodo imitator fuerit; An potius diabolus Dei ſimiam ſe præbuerit? Deinde, velim quoſdam ritus a Deo Iſraelitis conceſſos a gentium ritibus originem ſumſiſſe, hoc ſane non admitterem de omnibus illis quos Spencerus memorat cap. 4. Sect. 7. & 10. & cap. 5. Sect. 4. Nec obſtant teſtimonia quæ ad hæc profert. Sane ſi Chryſoſtomus alicubi ei propitius eſſe videtur, non fuiſſet hoc in argumento, ad quod appoſite aptari poteſt illud quod habet orat. 4. contra Judæos, quod hoc modo refertur ab ipſo Spencero, *Judaica Religio origines omnes non traxerat ex inferioribus, ſed multas eaſque magis venerandas habuit ſuperne e cœlis*. Si quid autem venerandum & magnificum inter Judæos fuit, iſtud ſane fuit oraculum, per quod certiſſima reſponſa in rebus arduis & magni momenti Judæis a Deo ipſo dabantur, adeo ut ſi nulla alia fuiſſet nota qua gens & Religio Judaica a cœteris diſcernerentur, ex hac ſola dici potuerit quod habetur Deuter. 4. 7. *Quæ gens ita magna cui Dij ita ſint propinqui ſicut Jehova Deus noſter eſt nobis, quotieſcunque invocamus eum*. Verum quicquid ſit, hic non tam audiendi ſunt homines quam Dei majeſtas, decorum, atque Religionis puritas conſideranda; Ac ſatis demonſtrari poteſt Dei mentem fuiſſe ab omnibus fere gentium moribus populum ſuum elongare. Expreſſe enim prohibet, *ne ſecundum opera terræ Ægypti faciant, neque ſecundum opera terræ Cananæi, neque in eorum ſtatutis ambulent*, vid. Levit. 18. 3. & 20. 23. Si quem autem ſane damnandum morem habuerunt gentes, fuit ille quo Theraphim de occultis conſulebantur, is enim erat idololatricus, imo diabolicus: Sane patet ubivis τῶν Theraphim uſum apud Judæos ſeniores veluti quid Idololatricum ſemper habitum fuiſſe, unde Abarbenel egregius apud ipſos Philoſophus & Theologus, Idololatriæ ſpecies in Scriptur. S. memoratas enarrans, notat τῶν Theraphim figuram & uſum quintam eſſe ſpeciem Idololatriæ, ut patet in diſſertatione quam de hac re habuit ad 2. Reg. 17. Putandus eſt igitur Deus ab illo more, populum ſuum elongare prorſus voluiſſe, nedum in ſuo cultu illum introducere, quin Theraphim in ſacratiſſimo Religionis ſuæ myſterio peragendo adhibere voluerit; Imo vero, nil adeo cogitaſſe viſus eſt Deus quam populum ſuum ab Idololatria ipſiuſque ſuſpicione arcere; *Prima & principalis intentio Dei in lege eſt apprehenſio Dei & derelictio Idololatriæ*, inquit Majemon. in More Nevoch. Part. 3. cap. 32. unde & ipſe, cap. 35. omnia præcepta dividit in 14. claſſes, & ad primam pertinere vult præcepta quæ continent articulos fidei, ad ſecundam vero præcepta de Idololatria, quaſi ſummum nimirum & præcipuum religionis fuerit ab Idololatria cavere, unde & *ea omnia in quibus vel odor aliquis Idololatriæ ſubeſt, lege prohibita eſſe voluit Deus*, ut ait idem Majemon. cap. 37. Atque hinc natum iſtud Judaicum dictum quod ab eodem authore cap. 29. refertur. *Quicunque confitetur Idololatriam, habetur pro eo ac ſi totam legem abnegaſſet, & quicunque abnegat Idololatriam, pro eo ac ſi totam legem confeſſus eſſet;* unde & Judaici doctores tot præcepta contra Idololatriam tulerunt, nec in ullo vitio vetando adeo laborarunt ac iſto; Ex præceptis enim negativis quæ collegit ipſe Majem. in præfatione libri cui titulus eſt יד חזקה & quæ ſunt numero 365. numerari poſſunt ad minus 35. quæ Idololatriam damnant. At hic non omittamus quod ad rem facit, ſcil. inter præcepta quæ Deus ante legem datam primis dederat parentibus, quamvis numero pauca eſſent, cum ſex tantum eſſent, præceptum על עבודה זרה de cultu extraneo, ſeu Idololatria, primum habuiſſe locum, ut videre eſt apud Selden. de Synedr. veter. Hebr. libr. 1. cap. 2. quaſi ſcil. illud præceptum juris eſſet naturalis, Deus homini in ſtatu naturæ illud præcipuum fecit. Verum rem omnino alienam facturi non ſumus ſi quod res eſt demonſtraverimus; Conſilium ſcil. Dei fuiſſe Idololatriæ etiam ſemina ac minima incitamenta ex Iſraelitarum animis eradicare, quod ſane conſpicuum eſt ex eo quod omnes fere eorum mores ab aliorum populorum moribus, alienos prorſus eſſe voluerit, contra quod probare vult ipſe Spencerus. Hoc innuit regiminis illius populi forma; Illud enim Monarchicum eſſe noluit Deus ad inſtar aliarum gentium, & cum modi quo Deus populum illum gubernari voluit eum tæduit, dicens Samueli, *Præpone nobis Regem, ut habent omnes aliæ gentes*, incenſus fuit Deus in populum, eo quod dixerat; *Simus nos quoque ſicut omnes iſtæ gentes*, Regemque iratus ipſi

ipsi dedit, 1. Sam. 8. Multa autem Judæorum statuta ab ipso Deo lata idem testantur; Circa quæ ad Maiemonidem provoco, ipsumque audiri velim; Is autem Part. 3. cap. 46. ait, *Deum populo suo præcepisse ut oves ipsæ mactarentur, quia Ægyptij signum arietis coluerunt, unde mactare oves ipsis fuit probibitum*. Deus vero ut populum suum a gentium Idololatrarum moribus avocaret, ac ut memoria erronearum istarum opinionum ex animis hominum deleretur, voluit ut oves ipsæ mactarentur, ita ut illud quod Ægyptijs sacrum & venerandum erat, Deo offerri debuerit, illoque peccata expianda fuerint; Ideo etiam boves sibi offerri voluit, quia Ægyptij bovem colebant. Ibidem testatur idem Maiemonid. *voluisse etiam Deum ut birci sibi offerrentur, quia quidam fuerunt populi qui dæmones sub forma birci colebant, unde etiam dæmones* שעירים *bircos appellabant, & apud eos probibitum erat bircorum esus*; sub tali enim forma apparebant dæmones, & in ea colebantur, præsertim apud Mendesios in Ægypto, ut docet Herodot. libr. 2. unde & nomen ΜΕΝΔΗΣ quod Ægyptiace hircum sonat; ne curiosius igitur cum Hebræorum magistris causas investigemus quare dæmones שעירים dicantur, hoc non est istius loci, neque melius de his judicari potest quam ex ijs quæ jam attulimus; dicamus ergo voluisse Deum ad Idolorum contemtum animalia quæ apud gentes Dij existimabantur populi sui cibum esse, atque vero Deo immolari; vel si mavis, voluit Deus sibi immolari hircos, ad contemtum Jovis Hammonis qui in Libyæ sinu apud Garamantas oracula fundebat, illius enim Idolum pelle fuit amictum hircina, atque hircino colebatur capite, ut refert Peucer. Tract. de oraculis. Ne vero hæc quæ ex Maiemon. retulimus tanquam Judaica somnia rejiciantur (quanquam rejicienda non sunt quæ a Judæo tali proferuntur, qui teltante Scaligero inter Judæos delirare desijt, & qui sane tum Judæorum tum Christianorum commendationem meruit, vel ob solum opus cui titulum מורה נבוכים dedit, ex quo sane patet ipsum fuisse tum in Scriptura, tum in Philosophia versatissimum & ex cujus lectione aliquid semper hauriri potest ad Scripturæ S. intelligentiam utilissimum) dicendum nobis est Christiano etiam eandem fuisse mentem, Theodoreto scil. qui (quod & animadverti velim) Majemonidem ipsum plus quam 7. seculis antecessit, ille enim circa Annum Christi 430. vixit, Majemonid. vero circa Ann. demum 1180. in Ægypto floruit: Ille igitur Theodoretus, lib. 7. de græcarum affectionum curatione, demonstrans Deum sacrificijs non indigere, ait, *Illum quidem Israelitico populo sibi sacrificare permisisse, sed Ægyptiorum Deos ut dum hoc facerent, scirent Deos non esse quos tanquam victimas immolarent*, simulque ait idem Theodor. *Deum populo suo jussisse ut suillis carnibus abstinerent, quia hisce solis vescebantur Ægyptij cæteris animalibus tanquam Dijs suis parcebant*, quæ sane ratio potius admittenda est quam ea quæ a Gaffarello curiositat. inaudit. cap. 1. adducitur; *Illam scilicet carnem Judæis interdictam fuisse, quia lepræ maxime obnoxij erant*. Refert adhuc ibid. idem Majemonid. *Ideo Deum probibuisse panem fermentatum aut mel offerre, voluisse vero sale uti in omnibus sacrificijs, ut habetur Levit. 2. quia Idololatræ panem fermentatum solum offerebant, ac res dulces ad suas oblationes eligebant, easque melle inungere consueverant, sale vero non utebantur*. Ait rursus idem, cap. 37. *Noluisse Deum fructus arborum per tres primos annos comedi, sed quarto tantum anno eos Deo offerre, ac quinto comedere licuisse, ut legitur Levit. cap. 19. verss. 23. 24. 25. eo quod Idololatra fructus primos comedebant in ædibus Idolorum suorum*. Videmus etiam prohibuisse Deum Israelitis ne latera capitis & barbæ raderent Levit. 19. 27. quia is mos erat Idololatrarum Sacerdotum; Idolothyta etiam prohibuit Deus, Exod. 34. 15. quod sane vetitum pro fine habuit homines ab Idololatria arcere, Idolis enim immolata comedere cultus Idololatrici species est; prohibuit & Deus sanguinis esum, imo extremis cum minis, Levit. 17. 10. & 20. 3. comestio enim sanguinis species olim erat Idololatriæ, refert enim idem Majemon. cap. 37. *Zabios qui in Arabia detestandi Idololatræ olim fuerunt, sanguinem pro immundo habuisse, illum tamen comedisse, eo quod existimabant hunc esse cibum dæmonum, & quod per illius esum communicationem aliquam cum dæmonibus acquirerent, sicque futura eis aperirentur*. Ad rem quoque facit quod legitur Levit. 19. 26. *Non comedetis apud sanguinem*, mos quippe erat quorumdam illorum Zabiorum qui a sanguine naturaliter abhorrebant illum non comedere, sed effundentes in vase, carnem apud & circa illum sanguinem in circulo sedentes comedebant, quod hoc loco prohibuit Deus, unde ut hic obiter dicam, non mihi videtur hic

locus

locus recte ſumtus fuiſſe ab ijs qui ſic illum tranſtulerunt, *Non comedetis carnem cum ſanguine*, hic enim legitur particula על *ad*, *apud*, *ſuper*, non vero particula עם, ac proinde ſic meo judicio, transferri debet hic locus, *Non comedetis carnem apud ſanguinem*, hic vero admittere nolim R. Akibæ mentem, *Deum ſcil. domui judicii dixiſſe*, *Non comedetis ſuper ſanguinem*, *ut ſic doceret 70. Seniores quod cum aliquem occidendum judicaſſent*, *tota illa die nihil eſſe guſtandum*. Hæc ſane ſufficiunt ad hoc ut intentum demonſtremus, Deum ſcil. ſæpiſſime populum Judaicum a gentium moribus arcere voluiſſe, ac præſertim ab iis quibus ille ad Idololatriam impelli poterat: Quod quidem Dei conſilium Iſraelitici populi doctoribus ita notum fuit, ut quantum quidem per hujus populi duritiem licuit, ab omnis Idololatriæ ſpecie & ſuſpicione illum ſemper amovere voluerint; Atque huc facit quod Judæi hebdomadæ dies nominabant primam, ſecundam ſabbathi, & ſic deinceps, imitari quippe nolebant Ethnicos, qui eas ab Idolis ſuis denominabant, tantus erat eorum numerus; Imo narrat Pocock. in Not. ad Gregor. Abul. Faraii de moribus Arabum, pag. 98. *Arabes circa domum ſuam ſacram Idola habuiſſe 360. quorum maximum fuit Hobal*, *adeo ut ipſis ſingulis diebus ſingula ſi liberet invocare numina liceret*, *aut ſingulos anni dies ab Idolis ſuis denominare*. Tandem ut plene demonſtretur quam execranda fuerit apud Judæos Idololatriæ ſuſpicio, *nefas ipſis fuit ullum emolumentum ex Idolis capere*, *Idola emere vel vendere*, *imo etſi confringerentur*, *funderentur & venderentur Idola quæ penes ipſos eſſent*, *ipſis tamen prohibitum eſt ex pretio utilitatem capere*, *ut ex inſtrumentis & oblationibus Idolorum commodum recipere*, ut videre eſt apud eundem Majemon. part. 3. cap. 37. A quo ſane vetito non alienum eſt factum Jacobi quod legitur Geneſ. 35. 4. neque Pauli interdictum 1. Cor. 10. 28. Unde quandiu Judæi Deum ſincere juxta legis Moſaicæ præcepta coluerunt, nulla apud eos viſa ſunt Idola, ac præſertim in templo, quæcunque enim viventium ſimilitudo illis execranda erat. Atque hinc Joſephus Judæorum hiſtoriographus ait, Salomonem regem peccaſſe, atque ritus violaſſe, quando boves æneos fecit, quos vaſi mare dicto ſupponeret, ut & quando leones fecit circa thronum ſuum, vid. hiſtor. Jud. lib. 8. cap. 2. Idemque libr. 15. cap. 11. teſtatur Judæis intolerandum fuiſſe theatrum ab Herode rege in Cæſaris honorem erectum, eo quod in eo hominum imagines conſpiciebantur, quale igitur, quæſo, nefas ipſis fuiſſet ſi ad oracula fundenda humana imagine uſus eſſet ſummus in ſanctuario Sacerdos; At qua nunc fronte dicet nobis Spencerus, Deum Iſraelitis oraculum Urim dediſſe ad formam & exemplum τῶν Theraphim quibus utebantur gentes, ne ab illius ſacris ad gentilium ritus & cultum rediret gens illa, Ex iis quæ diximus contrarium evincitur, iis enim demonſtratur Deum plurimas leges Iſraelitis præſcripſiſſe a gentium moribus toto genere diſcrepantes, *omniaque ea in quibus vel odor aliquis Idololatriæ ſubeſt lege probibita eſſe voluiſſe*, ut loquitur idem Majem. loco proxime citato. Illud autem non fecit ipſe Deus inconſulto nec ſine neceſſitate, quod agnovit Spencerus ipſe, qui & circa hæc Majemonidem audivit, ut patet cap. 4. ſect. 7. At ipſa gens Judaica, ſi Gaffarello (qui ſane apud Spencerum fidem hic merebitur) credamus, non ſolum Idololatriam, ſed & illud quod Idololatriam ſaperet, imo nomen ipſum ejus rei quæ ipſis Idolum videbatur fugiebat: Ac inde factum, ut refert ipſe Curioſit. inaudit. cap. 11. ex rei veritate, quod Judæorum Aſtrologi ſeptem planetis nomina dederint, non hominum, qui apud Ethnicos Dii habebantur, ſed alia nomina eorum naturam aut effectus nomenque referentia Saturnum nominantes שבתאי quietem, Jovem צדק juſtum, Martem ארום ruborum, Venerem נגה ſplendorem, Mercurium כוכב ſtellam aut כתב ſcripturam; Judaici ſcil. doctores qui ſciebant Judaicum populum ad Idololatriam maxime pronum eſſe, atque ad eam evitandam univerſam legem conditam eſſe, ipſas etiam voces & nomina Idolorum, quando mentis ſanæ fuerunt fugerunt; facit ad rem quod habetur in Babylon. Sanhedr. fol. 93. כל ליצנותא אסירא חוץ מליצנותא דע״ז *omnis irriſio probibetur præter irriſionem Idololatriæ*, unde Judæis quaſi pro religione fuit Idolis atque Idololatriæ convitiari & probroſa indere nomina, atque hinc ipſis ſtercorare eſt Idolis ſacrificare & inde nomen זבול præcipuo Idolo inditum, quod ſæpe occurrit apud Evangeliſtas: Verum ſatis circa hæc. Inſtitutum repetamus, & ſupponamus ritus quos videmus a Deo Iſraelitis præſcriptos, quoſque patet gentium ritibus conformes eſſe, a Deo per indulgentiam quandam conceſſos eſſe, *ne aliter Iſraelitæ*

ani-

animum a lege & cultu Divino alienum gererent, cum gens esset ad vetera omnia tenendum præfracta & pertinaci indole, ut loquitur Spencerus cap. 5. sect. 4. De illa concessione patet, at de τῶν Theraphim concessione, nullibi in Scriptura Sac. patet; Vult quidem Spencerus, *Deum plurimos gentium usus religiosos, nulla inhærente turpitudine infames, in sacrorum ordinem recepisse*, At fatetur simul, *Deum adversum fuisse iis ritibus qui vel pessimi alicujus dogmatis fidem firmarent, vel ingentem aliquam mali speciem ob seculi usum præferrent, vel cum moribus honestis & pio viro dignis sua natura pugnarent, vel ad actiones aliquas infames recta ducerent, vel etiam qui otiosum & nulli usui inservientem cum gentilibus consensum saperent.* cap. 4. sect. 7. Bona res est; Judicabit quisque cordatus vir an τῶν Theraphim usus nullum ex his quæ enumerantur efficere potuerit; Sane vel notum fuit plebi Judaicæ oraculum Urim, mediante Theraphim in Pectoralis duplo latente redditum esse, vel non; Si prius dicatur: Annon quæso gens Judaica *ad omnes Ethnicorum vanitates projectissima*, ut ipse fatetur Spencerus cap. 2. sect. 1. & ostendit cap. 4. Sect. 7. per hoc facile ad Idololatriam invitabatur, illiusque quasi prætextum & excusationem habebat? sic enim Israelitis facile innui potuit populos illos non peccare apud quos Theraphim in usu essent ad occultorum patefactionem, si voluerit imo præceperit Deus Theraphim inservire in sacratissimo suo mysterio peragendo, sic enim τῶν Theraphim usum fovebat & probabat Deus ipse, atque gens Israelitica, *luto crasso & tam vili facta, & a brutorum indole tam exiguo remota intervallo*, ut vult Spencerus ipse, c. 2. Sect. 1. videns Deum τῶν Theraphim usum probare, imo commendare, facile ad Idololatriam impellebatur; Ac apud Judæos maxime commendabatur gentium Religio, cum cernerent Deum, in sua uti voluisse parvulis imaginibus loquacibus, quarum ipsam inventionem ab illa gentium acceperat Religione; Si vero dicat Spencerus ignotum populo fuisse Urim ipsum esse Theraphim, sane non valet ratio ab eo allata, *Deum Theraphim concessisse Judæis, quo ritus aliqui gentium exterarum apud ipsos conservarentur, atque hoc modo cultui a Deo præscripto magis addicti essent.* At mens ea fuit Spencero, ni fallor, notum fuisse apud Judæos oraculum illud Urim ipsum esse Theraphim, vult enim Urim *rem fuisse populo notissimam*, ut patet ex cap. 4. Sect. 1. & 5. Asserit item, *quod cum consuleretur oraculum, Theraphim Urim dictum de Pectoralis concavo in apricum proferebatur*, cap. 4. Sect. 6.

II. Ad allegata a Spencero dico, filiam ab ipsa matre jugulari, & Spenceri ratiocinia ab ipso everti Spencero ex iis quæ habet ille cap. 4. Sect. 7. fatetur enim, *Deum, cum homines a superstitione Ægyptiaca ad frugem vocare studeret, Idolorum cultu sub capitis pœna populo interdixisse, & ritum quemlibet antiquum qui peccati exemplum vel occasio extitit tanquam membrum corruptissimum a cultus antiqui corpore, legis suæ ense amputasse*: hæc bene Spencerus; hinc sane bene concludam: Non igitur dicendum quod Deus tali uti voluerit συγκαταβάσει erga Judæos ut Idola qualia erant Theraphim eis concederet, eaque adhibere voluisse tanquam instrumenta quibus sacratissimum Religionis suæ mysterium perageretur, nec enim Deo defuerunt alia media quibus Judæos ad cultum suum alligaret, ac in sui obedientia contineret, si iis uti voluisset, nec etiamsi defuissent, ejusmodi instrumentum adhibuisset *quo præcipue diabolus cultum nominis sui orbi inculcare laboravit*, ut ipse Spencerus c. 4. Sect. 2. ex testimonio Theophil. Spizel de re litteraria Sinensium refert; Nec enim Dei sanctitatem decet malum hominibus permittere, nedum imperare, ad hoc ut ipsi obsequentes fiant, Illud enim ab ipso improbatur, *Malum faciendum ut inde bonum prodeat*, Rom. 3. 8. Quin multo minus Theraphim permisisset Deus, quod ut ait ipse Spencer. cap. 4. Sect. 7. & probat ex Kircher. testimonio, *Illæ imagines præ aliis omnibus veteris Idololatriæ ritibus apud Ægyptios frequentissimæ fuerint, & quod gentium Theraphim nominis sui celebritate implerant omnia*, ut ipse vult Spencer. cap. 4. Sect. 10. Gloriosum enim fuerit Deo, imo quasi ipsi & suo populo necessarium, antiqua eradicare mala, Ac absurdum, quin omnino periculosum fuisset, si istud divinationis genus in divinationum Judaicarum catalogo recensuisset: Si quis igitur dicere velit, Deum maxime cordi habuisse & elaborasse (κατ' ἄνθρωπον λέγω) ad hoc ut Israelitæ gentium ritibus dediti non essent, fateatur partim in hunc finem tot cæremonias ab ipso institutas esse quæ huic populo magnum dabant negotium, eumque maxime distentum habebant, quamvis enim earum multæ vanæ occupationes essent, imo quasi puero-

puerorum crepundia, ex iis tamen populus ille bardus & craffus Religionem fuam magnifaciebat. Neque hic obeft quod Spencerus ait, cap. 4. fect. 5. *Ob Judæorum infuperabilem* σκληροκαρδίαν *Deum aliquos feculi mores iis permififfe*; Regum regimen permifit quidem, at quia illud obnixe poftularunt Judæi, ac præterea invitus omnino & iratus permifit, ut patet 1. Sam. 8. & Hof. 13. 10. non quod Regium regimen malum fit in fe, fed quod ea mens populi erat ut conformes aliis gentibus fierent, ut oftendit ftupendum feculi noftri ingenium Clariff. Salmafius fcribens adverfus Miltonem; Permifit etiam Deus, vel potius toleravit divortia & Polygamiam, quoniam populus ille ab his invitus abftinebat, quæ tamen Deus invitus etiam ipfis conceffit, quanquam dici merito poffit nullam expreffam circa hæc Dei extare in Script. S. permiffionem, fed tantum Mofis, qui folus de his locutus fuiffe videtur ne Deus malum approbare putaretur, unde & Chriftus folum Mofem nominat Matth. 19. 8. Hinc vero non fequitur ob eam Judæorum cervicem duram τῶν Theraphim ufum Deum ipfis conceffiffe, imo nec concedere debuiffe, nufquam enim patet Judæos a Deo petiiffe, nequidem defideraffe ut τοῖς Theraphim uteretur in declaranda fua voluntate & futuris aperiendis, & fi illas imagines petente populo aut faltem habita ratione ad ipfius duritiem conceffiffet Deus, eas invitus fane adeoque iratus conceffiffet. At non dicendum Deum oraculum Urim Ifraelitico populo in ira fua dediffe, quin potius illud certæ fuæ benevolentiæ pignus fuit, & tale ab ipfis Judæis habebatur, ut patet 1. Sam. 28. 6. 15. 16. Pfal. 74. 9. Et infuper ex eo quod Judæi commemorantes beneficia & privilegia quæ ipfis fub Templo fecundo defuerunt, inter ea numerant oraculum Urim & Thummim, qui horum confirmationem quæret Buxtorf. adeat hiftor. Urim & Thummim cap. 4. qu. 4. Item cap. 5. Tandem Spenceri fententia ex hoc folo damnari poteft, quod oraculi iftius inftitutio a Deo facta fuerit ex ipfius folum ut patet beneplacito, nulla præcedente Judæorum petitione, adeo ut hic ritus dici non poffit ob duritiem tantum populi traditus, ut velle videtur Spencerus, cap. 4. fect. 5. Verum hic notetur Spenceri ab ipfo Spencero difcrepantia, vult ille *τῶν Theraphim ufum Deum Judæis per indulgentiam conceffiffe, quia, ut fatur, mores quofdam antiquarum gentium eis permittere voluit*. Attamen cap. 4. fect. 11. vult *fententiam fuam de Urim ea ratione recipiendam, quod hominem minime fapiat, nullofque figmenti humani gefter characteres*; hæc fane meo judicio non concordant, cum enim τῶν Theraphim ufus antiquarum gentium mos fuerit, de illo more non dicendum quod hominem minime fapiat, nifi velit Spencerus illum diabolum prorfus fapere, quod facile concedam; hic vero nequaquam recurrendum aut ad veterum Judæorum confuetudines, aut ad gentium ritus, ut Spencerus cap. 4. Sect. 10. velle videtur, hoc enim oraculum nullomodo opus eft aut inventio hominum, fed fi illud quod dicitur Urim aliquod fuerit vifibile inftrumentum, illud a Deo per totum factum & confectum ipfi Mofi traditum eft, ut patet Exod. 28. 30. Levit. 8. 8. Nullibi Deus Mofi præcipit ut Urim & Thummim faciat, *fed ponat*, jam vero Theraphim fimulacra quorum tum materia, tum forma notiffima erat, ab ipfo Mofe, aut ab aliquo artifice fabricari poterant. Demum ut compendiofe loquamur, nonne fabulatur & jocari videtur Spencerus cap. 4. Sect. 10. cum loci Exod. 28. 30. quafi paraphrafim dare volens, Deum Mofem fic alloquentem introducit, *Novi vobis in more effe*, & cæt. Illud fane plufquam Thalmudicas fabulas fapit, ac proinde refponfum nullum meretur, Sed alias Spenceri rationes audiamus.

Non magis timendum, inquit, *ne Pectoralis Theraphim Idololatriæ anfam præberent, quam Cherubim in facrario pofita, e quorum tamen medio Deus oracula fudit, neque ea indole fuerunt Ifraelitæ quod pulchrioris cujufvis imaginis afpectus eos ad fornicationem fpiritualem allicere potuerit; Alias Salomon ipfum Dei templum in cultus Divini damnum ftruxit, cujus oftia & parietes frequentibus Cherubinorum imaginibus exornavit, Et fi oculos mittamus ad plurimos ritus Vet. fœderis, eos non minus ab hominum ingenio infolentes, & abhorrentes reperiemus, ut quod fummo numini perpetuo habitare vifum fuerit inter Cherubim, imagines figura abfurda, anomala, & monftruofa*, hæc Spencer. cap. 4. Sect. 11. Ad quæ breviter dico, hic non agi de forma τῶν Cherubim, quæ qualis fuerit ad rem non facit; Gaffarello fane pertinaciter contradicere nollem afferenti Curiofit. inaudit. cap. 1. Arcæ Cherubinos vitulorum formam habuiffe, neque tamen ideo ipfi affentiri velim quando Jeroboamum atque Samaritanos ab Idololatriæ crimine excufare conatur; Putat Clarifs.

Clarifs. Bochart. Hierozoic. Part. I. lib. 2. cap. 41. Cherubinos varias animalium formas exhibuisse, ita ut ad bovis speciem propius accederent. Phil. Jud. lib. 3. de vita Mosis vult factos esse Cherubinos ad formam volucrium, quando ait, *Propitiatorium basim esse duarum imaginum volucrium*. Joseph. histor. Jud. lib. 8. cap. 2. ait, *Impossibile esse illorum Cherubinorum formam enarrare*. Sed hæc transeamus, quoniam de his nunc quæstio nobis non est; De Cherubinis Arcæ qui plura desiderabit, adeat Buxtorf. histor. Arcæ fœder. c. 9. Quod illos igitur spectat Cherubinos, extat de illis mandatum expressum, quod de Theraphim nobis non patet; Illi præterea Arcæ Cherubini Idololatriæ incitamenta esse non potuerunt quum in Sancto Sanctorum includerentur quem locum ingredi soli summo Sacerdoti fas erat; Quoad illos vero quibus Salomon Dei templum exornavit, credere est illud factum non fuisse sine speciali Dei instinctu qui Salomonis consilium & opus probavit, atque acceptum habuit. Deinde Cherubini Arcæ non locuti sunt, neque Deus per ipsos, sicque nihil mirum operari videbantur, sed Deus, aut Angelus ejus vicem gerens ex inter duos Cherubinos loquebatur. At, ipso consentiente Spencero, Theraphim locuti sunt, vel ut vult ipse, Deus aut Angelus per ipsos; Tandem Cherubinis nullus reddebatur cultus, imo nullus eorum usus erat in Religionis mysteriis peragendis, unde nullomodo timendum erat ne populus eorum occasione ad Idololatriam incitaretur, contra τῶν Theraphim maximus erat usus, etiam in præcipuo Religionis mysterio. Verum reponit Spencerus, *Curatum esse ne quis pravo animi habitu ad Idololatriam impelleretur ex imagine Urim loquente, cum altera fuerit imago silens, Thummim scil. qua tanquam antidoto Idololatriæ nascentis venenum superari potuit*; Verum hoc est vitilitigatorem agere, imo pueriliter loqui. Non hic locus de Thummim disserendi. Illud postea fiet; hic solum dico, nullam esse rationem quare alteram imaginem, Urim scil. loquacem dicamus, alteram vero scil. Thummim mutam; Verum ipsa ratio est Spenceri dexteritas, quæ tamen infructuosa, quo sic sua inter se congruant cogitata. Deinde non video quare ex uno simulacro loquaci, ad Idololatriam non incitabantur Judæi eo quod alterum simulacrum loquacis sodale & proximum mutum fuerit; Adde quod quando simulacrum Urim e Pectorali extrahebatur, Thummim adhuc in illo latitabat, juxta Spenceri sententiam, atque ita quum Urim loquebatur non arcebantur ab Idololatria consulentes per Thummim silens, quoniam illud non visebatur. Verum hæc refutare terere tempus est, cum istud Spenceri effugium sit futilitas ipsa; hæc igitur sententia quoniam ridicula ne refelli quidem serio debet, cum alioquin vereri viderer ne quis illam amplecteretur, atque sic ingenio atque judicio lectorum diffiderem. Ast hic iterum Spenceri inconstantiam notemus; Eum mox audivimus Judæos agitantem tanquam *gentem ad vetera omnia tenenda præfactam & pertinaci indole, luto crasso & vili factam, & a brutorum exiguo remotam intervallo, tanquam populum insuperabilis σκληροκαρδίας*; hic vero quia scil. putat hoc sibi favere, expresse dicit. *Non facile credi posse Israelitas tam infœlici fato & ingenio natos eoque animi habitu fuisse, quod pulchrioris cujusvis imaginis aspectus eos ad fornicationem spiritualem allicere potuerit*; hæc sane cauti hominis non sunt, ac ut patet immeditate e calamo exciderunt.

Reponit iterum Spencerus; *Quamvis Theraphim in frequentem apud Idololatras usum venisse in confesso sit; ea tamen ab omnibus cæteris imaginibus nomine proprio & expresso distincta in Script. S. perpetuo reperiuntur, imo colligere est Theraphim simulachra fuisse, non minus usu quam nomine a cæteris Idolis distincta, eaque non ad cultum Numini alicui sed honorem innocuum Angelis per ea deferendum primitus instituta, atque inde nomen singulare retinuisse; Et probabile est Angelos præsentiæ suæ testimonia circa Theraphim præbuisse, atque inde veri numinis cultores; qui Idolis aliis inimicitias indixerunt, summo in honore Theraphim habuerunt, ut Laban, Genes. 31. 30. Rachel, Genes. 31. 19. 34. 35. Micha, Jud. 18. 14. 17. David. 1. Sam. 19. 13. Nunquam tamen Laban nec Micha, neque forsan ulli alii cultu Divino Theraphim affecerunt; hæc cap. 4. Sect. 9. Deus igitur morem illum responsa e Theraphim accipiendi, reformatum & quasi circumcisum Israelitis sub novo Urim nomine reservare voluit*, cap. 4. sect. 7. Resp. facile concederem Theraphim simulacra fuisse ab omnibus aliis diversa & nomine & forma, & usu, Verum quid inde? Idem dici potest de multis gentium Idolis, ut Moloch, Dagon, atque plurimis aliis: Verum quod ait Spencerus, *Illis imaginibus Theraphim*

phim nomen impositum fuisse Angelorum gratia qui per illos Theraphim culti sunt, nullomodo probabile est, quin potius a veritate alienum. Nullum sane hujus rei nobis datur documentum in antiquis monumentis aut sacris, aut profanis. Jam etiam superius demonstravimus voces hasce Seraphim, Theraphim & Urim prorsus diversas esse, nec ullomodo probat Spencerus Theraphim imagines Angelorum fuisse, aut Angelis dicatas, ex illorum enim Theraphim tum forma, tum usu, contrarium evincitur, neque illud asseruerunt Cornel. a Lapide, & Ludovicus de Dieu quorum proferuntur testimonia, sed uterque dubitanter loquitur, *suspicari quis potest*, ait Cornel. Ludovic. vero sic loquitur, *fortasse Theraphim* & cœter. Ac sane multæ in Script. S. Angelorum memorantur apparitiones, nullibi tamen mentio fit quendam Angelum sub Theraphim forma conspicuum factum fuisse, nedum sub eadem forma locutum. At modo concedatur, quod & sane concedi debet, Deum semper eadem forma Seraphinos hominibus demonstrasse, evidens simul erit Theraphim eorum exemplaria non esse, Seraphim enim cum sex alis describuntur, ac illa figura conspicui facti sunt, Esai. *6.* at τοῖς Theraphim nusquam datæ sunt alæ: Verum etsi concederetur homines quosdam illis simulacris usos fuisse ut Angelis honorem deferrent, an illorum factum probandum? Illud sane si factum est, cum θρησκεία τῶν ἀγγέλων nominatim damnetur Coloss. 2. 18. ac nusquam legatur in Scriptura Sacra aut Veteris aut Novi Testamenti Angelum ullum religiose cultum fuisse; Dicendum igitur quod si unquam homines mediantibus illis Theraphim aliqua vocalia responsa habuerint, quod negari non debet, illæ voces ex Angelis malis, non bonis, prodierunt; Unde non audiendus Spencerus Gaffarelli testimonium proferens, qui dicit Theraphim figuras fuisse a Mose permissas, a Labano & aliis pie usurpatas, illisque mediantibus Deum voluntatem suam non raro patefecisse, *hoc opinasse*, non probasse, Gaffarellum ait Spencerus; Illud enim refert Gaffarellus Curiosit. inaudit. cap. 3. ex fide cujusdam Hamahalzel Astrologi Persæ, qui statuarum quarumdam mirandarum apud Astrologos Persas usum probat, eo quod eæ ab Ægyptio Legislatore (per quem vult Gaffarellus, Mosem intelligi) permissæ fuerint, quam permissionem infert ex historia Michæ, de qua infra dicemus, hic solum notamus non esse mirum si Hamahalzel ille Persa τῶν Theraphim usum legitimum esse dixerit, cum enim videatur in ea fuisse sententia illas statuas in Perside inventas esse, per hoc Patriæ dedecori consultum voluit; Ait & idem Gaffarellus cap. 8. R. Mosem docuisse *quasdam statuas sub lege permissas esse, ac Idololatriam natam esse ex nimio cultu illis præstito*, At, cur quæso Gaffarellus nobis non indicavit locum ubi R. Moses hæc docuerit? Hinc sane dicere licet, gratis hoc esse dictum, ut & alia multa quæ in eodem tractatu recenset, quæ sane ex aliorum tantum relatione adducta esse quivis diligens animadvertet, adeat curiosus qui volet ipsius caput 11. & hoc ipsi demonstrabitur; Imo deprehendet doctus quisque Gaffarellum illum in prædicto capite ubi de veterum Hebræorum Astrologia agit errores crassos errasse, atque linguæ hebrææ imperitum fuisse, merito igitur hoc dogma quo Theraphim tanquam imagines legitimæ nobis proponuntur, ut impium damnavit doctissimus Rivetus: Ac sane si conferantur ea quæ de Theraphim diximus, cum iis quæ Marsilius Ficinus, libr. de vita cœlitus comparanda, capp. presertim 13. 14. 18. 20. habet, de imaginibus quibus magnas virtutes olim tributas fuisse vult, ubi procul dubio de illis Theraphim loquitur; Ex omnibus sane inferri poterit Theraphim fuisse olim quoddam Talismannorum genus: illi enim ab Ægyptiis, vel, ut probabilius, a Caldæis inventi sunt, utrique autem populi fuerunt Astrologiæ dedititissimi. Ipse sane Gaffarellus qui in multis, si a lectoribus consuli velit, Spenceri prodromus agnoscetur, putat Deos tutelares ipsos fuisse Talismannos, Theraphim vero quasi Dii tutelares erant; Non autem existimandum factas fuisse figuras illas Astrologiæ simplicis & naturalis sola cognitione, verum etiam omnia quæ de Theraphim dicuntur facile persuadent vim quandam dæmoniacam illis conjunctam fuisse. Talium autem imaginum usus a Spencero non nisi incaute valde probabitur. Graviter igitur errat ille quando antiquum τῶν Theraphim usum honoremque ipsis delatum excusat, imo probat; Eos coluit Laban; At Idololatra erat, quicquid contra hoc dicat Spencerus, qui solus forsan Labanis factum probat. Sane fuit Laban genere Chaldæus, quæ gens Astrologicis ac magicis vanitatibus deditissima fuit, nec enim insueta & inaudita Regi Babylonis tribuuntur Ezech. 21.

21. Atque hinc Cicer. lib. 1. de divination. *Chaldæi*, inquit, *non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati, diuturna observatione siderum scientiam putantur effecisse, ut prædici posset quid cuique eventurum & quo quisque fato natus esset*; hæc igitur Idola in illa regione usum habuisse, atque Labano Deos penates fuisse, ex ipsa constat historia sacra, ut & ex Judæo Joseph. qui histor. Jud. libr. 1. cap. 17. ait, *Secum assumsisse Rachelem imagines Deorum qui in illa regione colebantur*. Ac paulo post, Labanem introducit de Jacobo conquerentem, quod Deos suos ordinarios abstulerit, quos illius Patres ut & ipse coluerant. Quod Rachelem spectat, si Theraphim Patris sui furata est ut iis uteretur, ipsius consilium & factum damnari debent. Jacob vero a participatione ejusdem cum Rachele culpæ facile eximitur, cum de illo dicatur expresse, Genes. 31. 32. furtum illud ignorasse; Imo ex versu 30. facile conjici potest, de illis simulachris diversam omnino mentem esse Labani & Jacobi, primum ea coluisse, at apud alterum in nullo esse pretio, sic enim loquitur Laban, *Quia summo desiderio tenebaris eundi in domum Patris tui, quare furatus es Deos meos?* quasi diceret, *Nunc in Patriam tuam pergis, & Patris tui domum repetis, Ibi autem Theraphim nullius sunt pretii, neque coluntur, ac proinde nullius tibi erunt usus, mihi vero pro Diis sunt, quare ergo eos furatus es?* At saltem ex Genes. 35. 2. 4. luculentissime patet Jacobum τῶν Theraphim usum non probasse, quod ex dicto Josepho loco superius allato adhuc conspicuum est; Ait enim, *A Jacobo Rachelem ita edoctam esse, ut illos contemneret Deos, iisque nullum deferret honorem*. Hic autem obiter dicemus in Rachelis gratiam, illam forsan hos Theraphim surripuisse, ne illis mediantibus sui atque Jacobi fugam impediret Laban: potuerunt enim talia esse simulacra quibus olim utebantur Ægyptii, & etiamnum hodie utuntur Turcæ, ut invitos arte magica retrahant, ac in domum reducant, de quibus Gaulmyn in notis ad Rabbinicum tractatum de vita & morte Mosis, libr. 2. cap. 1. factum tamen Rachelis ab omni prorsus culpa vacare dicere nolim, quamvis Basilius, Gregorius Nazianz. Theodoretus, & alii voluerint illam eos abstulisse ut sic Patrem ab Idololatria revocaret. Nequidem negarem Patris sui Theraphim ad usus proprios illam surripuisse, forsan ut iis bonam valetudinem tueretur; Illorum enim hic etiam usus erat, ut nos docet Galeott. Mart. de doctrina promiscua, cap. 24. *Plurimæ sunt*, inquit, *imagines Astrologicæ factæ, quæ morbos & ancipites quidem sua potestate ac vi aut fugant, aut leniunt, aut curant*. De Michea vero & Danitis postea agetur. Ad locum autem 1. Sam. 19. 13. dico, Textum quidem Hebræum vocem תרפים hic habere, verum hic dicere possumus, illam vocem saltem hoc in loco indefinite pro quovis simulacro sumi: Biblia Tremellii & Junii habent *Imaginem quandam*, Versiones pleræque Galicæ, *une statue*, versio Maresii, *un marmouset*; unde facile conjicerem fuisse Pupam, ac imaginem talem quales sunt illæ quibus virgines in ætate infantili ludere solent, a quibus Theraphim prorsus dissimiles non erant, ut patet e Riveti verbis a Spencero citatis cap. 4. sect. 2. Illa autem Pupa a Michol fieri potuit qua Patrem deciperet, quam tamen de futuris consulere ipsi mens non erat; Sane R. Kimchi ad hunc locum negat istud proprie fuisse Theraphim, quale fuit Labanis Idolum, meliora de Davide atque ipsius uxore cogitans, unde voluerunt quidam inservijsse hanc statuam ad usum politicum, ornatum scil. ceu historiam, inter quos Chemnic. Exam. Concil. Trident. Part. 4. Ast illud Clarissimi Bocharti sensu definiri velim, Is Hierozoic. Part. 1. lib. 2. cap. 51. ait, *Theraphim hic Idola non esse, sed hoc loco, inquit, Theraphim sunt grandes Pupæ, cujusmodi unam aliquam fecit Michol tumultuario opere, quæ ad hominis formam utcunque accederet*: Ipseque nos docet Aquilam, Hieronym. atque interpretes Chaldæum, Syrum & Arabem, quasi uno consensu voces habere quæ nihil aliud quam statuam aut simulachrum dicant. Verum suppono hanc statuam verum Theraphim fuisse, nullibi patet neque probabile est illam cultam fuisse, aut inserviisse in oraculis reddendis, & si prius tanquam statua fatidica habita fuit, non amplius talis erat. Ac sane si Michol illam statuam magnifecisset, eaque ipsi pro oraculo fuisset, verisimile non est voluisse eam in Davidis lectum inserere, eaque uti ut mendacium velaret, unde non probarem sensum R. Abraham, qui referente Pagnino ad radicem תרף putavit hunc Theraphim fecisse Michol, illumque putabat Davidis domus custodem esse; Verum hic omnia Spencero concedere velim, si Michol hac in re peccavit, Davidem imi-

imitatorem aut approbatorem habuiſſe minime patet. Decipitur autem Spencerus quando ait, *Nullos forſan Theraphim cultu divino affeciſſe*: hoc dubium illi peperit Seldeni locus quem profert, verum ſolvitur dubium ex eo quod Laban & Micha Theraphim Deos ſuos dicunt, Geneſ. 31. 31. Jud. 18. 24. Ac ſane procul dubio colebantur, cum ex teſtimonio Grotii quem hic Spencerus laudat, *communis eſſet opinio in iis ſpiritum includi Divinum*. Illud etiam patet ex iis quæ a Buxtorf. & aliis de Theraphim referuntur, unde nihil refert ſi vocem אלהים Chaldæi multis in locis per voces אנגלי vel מלאכיא exprimant, videndum eſſet an in his duobus locis de quibus nunc agitur ſic illa vox expreſſa fuerit. Et quamvis hoc eſſet, non tamen ſic excuſarentur aut Laban, aut Micha, cum pateat ſaltem eos mediantibus Theraphim Angelos coluiſſe; Aſt hic Spencerum ipſum memorem eſſe velim eorum quæ dixit cap. 4. Sectio 5. ut probaret quoſvis Judæos ſummo τῶν Theraphim affectu & admiratione ductos eſſe; fruſtra vero Spencerus cap. 4. Sect. 2. probare conatur vocem Theraphim aliquando in bonam ſumi partem, nunquam iſtud demonſtrabitur, nequidem authoritate Grotii quem ad hoc citat Spencerus ſect. 3. & 9. Ipſo ſane Spencero teſte, Deus nomen Theraphim in nomen Urim permutare voluit, *eo quod Theraphim nomen eſſet infame & periculoſum*, ſic enim loquitur cap. 5. Sect. 3. quod tamen non concordat cum his quæ idem ait cap. 4. ſect. 3. ad locum Hoſ. 3. 4. *Ibi ſcilicet oraculum Urim voce Theraphim deſignari, illique nomini Theraphim religionem & longos dies gratiam apud populum conciliaſſe, nec Deum magis vetera nomina quam uſum antiquare voluiſſe*: quæ viderit Spencerus qua ratione conciliabit. At his præteritis, an quæſo veriſimile eſt Deum rem ipſam retinere voluiſſe, cum nomen repudiarit? Si nomen illud in bonam aliquando ſumtum fuiſſet partem; quare Deus ab illo ſuum non denominaſſet oraculum? Et ſi Theraphim res fuiſſet non damnanda, quare Deus illi ſimulachro novum nomen Urim dare voluit? Sane ex illa nominis mutatione incerti fiebant Iſraelitæ, an illud quod Deus nominari voluit Urim verum eſſet Theraphim, ſicque non prudenter agebat Deus ut populum ſuum a Gentilium ritibus avocaret, ſuiſque alligaret, quod Spenceri ratiocinia evertit; Si quis vero ultra ea quæ hactenus de Theraphim diximus certo dignoſcere velit illa ſimulacra eorumque nomen Theraphim ſemper in malam ſumi partem, conſulat Leuſden in Philolog. Hebræo-mixto, diſſert. 44. Regerit Spencerus, *Deus quidem antiquum gentium morem reſponſa e Theraphim petendi Iſraelitis reſervavit, at mutatum & reformatum*. Verum hoc effugium nullum eſt; Nam. I. mutationem illam vult Spencerus factam *quoad circumſtantias tantum*, Etenim cap. 4. Sect. 2. dicit. *Veterem a Theraphim oracula petendi ritum, Deum pene invariatum Iſraelitis reſervaſſe, adeoque Judæorum Urim ejuſdem cum Theraphim muneris & figuræ fuiſſe, ſub diverſo tamen nomine, imagunculam*; Et ſect. 5. ait, *ſeculi Moſaici mores ſuaſiſſe ut Deus antiquiſſimum τῶν Theraphim uſum paulo emendatum Iſraelitis conſervaret*; Reformatio igitur quæ hic evenit parvi fuit momenti, cum accidentalia tantum & circumſtantias quaſdam, non ipſius rei eſſentiam ſpectarit, adeoque quod in illorum Theraphim uſu damnandum fuit & noxium, credita illa reformatione ſublatum ac correctum non fuit: Deinde ſi Deus hunc antiquum morem, at reformatum, Iſraelitis reſervare potuit, quidni & alios ritus ac mores reſervare potuiſſet, quibus ſane Iſraelitæ magis addicti erant quam τοῖς Theraphim? Quidni vituli colendi morem aliquomodo ſaltem reformatum iis reſervavit Deus? Quidni mores Deorum Repham Thammuz & Baal-zephon colendi aliquomodo reformatos iis reſervavit? hos enim omnes ex Ægypto hauſerant, imo ex Script. S. patet moribus illis Judæos addictiſſimos fuiſſe, verum eos Deum reprobaſſe atque ſeveriſſime prohibuiſſe notum eſt; Tandem ſi τῶν Theraphim uſus in oraculis reddendis legitimus fuit, legitime etiam privatus quiſque aliquem Theraphim in uſum peculiarem ſibi fabricare potuit (cum præſertim illorum Theraphim forma ac figura populo notiſſima erat) alioquin ſane illorum fabricationem Deus expreſſe prohibuiſſet, ut fecit de oleo unctionis, Exod. 30. 23. & ſeq. At ſi cuique in uſum peculiarem Theraphim fabricare licuit, ſic ſane populus ad Idololatriam facile propellebatur, quod omnino abſurdum eſt. Prælium item inſtaurabit Spencerus, ac dicet; *Theraphim ſub Urim nomine Iſraelitis Deum dediſſe, ut illud oraculum veluti pignus & publicum teſtimonium eſſet, θεοκρατείας & ſacri Imperii quod Deus in Iſraelitas exercebat*, ſic enim ille cap. 2. ſect.

sect. 2. Recte quidem, ingeniose, & ad Israeliticam Rempublicam convenientissime; Illius enim Deus se Regem profitebatur huncque populum suum esse declarabat, populus item Israeliticus pro Rege Deum habebat, imo de hoc gloriabatur atque illud aperte confitebatur illa sicli pro capite pensione qua quisque veluti publico testimonio profitebatur se Dei peculium esse, neque alium habere Regem vel Dominum præter Deum qui se totum ipsis obstrinxerat; unde & status Judaicus simul cum Ecclesia Judaica, præsertim usque ad Regum constitutionem, hoc est per Annos circiter 420. unicum componebant corpus, atque inde factum quod Respublica Judaica regnum Sacerdotale ab ipso Deo dicitur, Exod. 19. 6. unde & Josephus illam Theocratiam nominavit, quia scil. Judæorum leges tam politicæ, quam Ecclesiasticæ, Deum ipsum authorem habebant: Verum, an quæso credibile est Deum a gentibus Idololatriæ deditissimis Imperii sui symbolum mutuatum esse? An nullus alius ipsi præsto erat modus voluntatem suam Regiam subditis suis declarandi, quam loqui per oraculum a diabolo inventum? Et an usus fuisset Deus eodem instrumento quo diabolus sui cultoribus occulta detegebat? Et quidem instrumento quod ut plurimum arte magica fabricabatur? Nimis sane diabolo honorificum fuisset si ab eo quicquam accepisset Deus, juxta effatum Act. 20. 35. præcipue si ex infami diaboli oraculo Deus suum fecisset oraculum; Neque credamus Deum in sacrario suo vile diaboli instrumentum introducere voluisse, atque illud aptare sacro summi sui sacerdotis pectori, nec enim conveniebat illius pectori adhærere impurum diaboli Idolum, in cujus fronte hæc legebatur inscriptio, *Sanctitas Jehova*; Cum igitur nulla sit lucis cum tenebris communio, nulla veri Dei ut nec Christi Cum Belial concordia, nullus sacrosancti Dei Templi, nedum sancti sanctorum cum Idolis consensus, 2. Cor. 6. 14. 15. 16. atque Dagon una cum Dei Arca habitare nequeat, nequaquam putemus eam mentem Deo fuisse ut in eximio atque gravissimo suæ Religionis mysterio ipse quasi cum diabolo consentiret, verum hic obloquetur Spencerus, *Se nequaquam contendere edita fuisse oracula Divina per imagines quas quisque fabricarat, sed eas tantum quæ a Deo huic sacro muneri dicatæ fuerant, idque forsan ipsius immediata opera, quod profanum dici non debet*; sic ille sensum suum explicat, cap. 4. Sect. 11. Verum quid est vitilitigare si hoc non est? Vult Spencerus *Urim fuisse ipsissimum Theraphim, utrumque simulacrum fuisse eadem figura, eodemque munere*, cap. 4. Sect. 2. Hæc igitur solum fuerit differentia inter Theraphim oraculum diaboli, & Theraphim oraculum Dei, quod illi ab hominibus fabricarentur, Theraphim vero Urim dictus, quod a Deo configuratus, sacratus, atque dicatus fuerit; Sane si de consilio & facto ex Script. S. nobis aliquid pateret, nil hic esset quod refragaremur, verum probandum esset illud, quod ipse fecisset omni etiam reluctante ratione: At quoniam de hoc nihil habetur in Script. S. merito rejicitur tanquam sanæ rationi, imo fidei repugnans; Ac sane si valeret Spenceri effugium, potuisset Deus Israelitis concedere vituli cultum, modo a seipso aut a Mose vitulus ille formatus esset, potuisset apud eos tolerari Idolorum Baal-pehoris, Moloch, Dagon, aut aliorum cultus, modo ea Deus ipse confinxisset, quod omnino absurdum, atque impium esse patet: Præceptum enim de Idololatria quod est secundum primæ tabulæ negativum est, quod proinde ligat & semper & ad semper: Ac sicut Deus seipsum negare non potest, ita nec Idololatriæ locum dare, multo minus eam præcipere potest: Per Theraphim sane de futuris sciscitari malum semper fuit, quicquid contra velit Spencerus, neque Deus probasset, præcepisset, imo fecisset ipse quod a plurimis annis fecerat diabolus, eadem scil. simulacra adhibens, atque ad idem munus ad eundemque finem: Perquirere autem quare Deus oraculo suo hæc nomina Urim & Thummim dare voluerit, in hoc non sunt sitæ Reipublicæ opes, & de hoc infra dicetur. Rationes vero de nomine Urim quas adducit Spencerus cap. 5. sect. 2. scil. *nomen Urim Angelis recte convenire atque Deum oracula e Pectorali reddidisse voce ab Angelo formata, indeque Pectoralis oraculum nomen Urim habuisse*, ad ipsius mentem & consilium accommodatæ sunt, & superius demonstravimus nomen Urim nunquam Angelis tribui: Verum etiamsi illas Spenceri hypotheses admitteremus, inde tamen ille intentum non probaret; Urim scil. & Thummim vere simulacra fuisse, nam 1. supponamus vocem Urim Angelis apte convenire, inde tamen non sequitur illa voce semper Angelum designari, cum fateatur ipse hanc vocem *ignes* proprie significare; nec igitur inde sequetur

tur in Oraculo Urim dicto usum fuisse Deum aliquo instrumento quod Angelum repræsentaret; Imo quamvis istud adhuc concederetur, inde non probabitur instrumentum illud fuisse Theraphim, procul enim abest simulacrum, quale erat Theraphim a natura Angelica; Deinde supponamus quod vult Spencer. cap. 4. Sect. 8. & 10. *Deum in respondendo per oraculum Urim viva voce respondisse, eaque mediante Angelo formata*. An hinc probabitur quod illa vox data fuerit per instrumentum aliquod sensibile, ita ut illud esset instrumentum Angeli, Angelus vero instrumentum Dei? Sane potuit Angelus loqui immediate sine ullo mutuato instrumento, ut ex inter Cherubinos loquebatur. At esto, locutus fuerit Angelus per aliquod instrumentum, an illud instrumentum fuerit Idolum quale fingit Spencerus? Nugæ.

Sic tandem ratiocinatur Spencerus; *Spiritus S. eundem semper loquendi modum servat quum de Theraphim, Cherubim, Urim & Thummim loquitur, de iis enim omnibus non præmonito lectore, sed improviso mentionem facit, ut de Cherubinis patet, Gen. 3. 24. de Urim & Thummim, Exod. 28. 30. de Theraphim vero Gen. 31. 14. Imo magnopere observandum Scripturam S. Theraphim, Cherubim, Urim & Thummim, nulla unquam periphrasi, nullisque titulis præterquam celeberrimis illis nobis descripta exhibere. Inde autem hæc colligere licet, I. Res illas sacra quædam esse instrumenta quorum formam & usum Israelitæ sine Interpretis ope satis cognoscebant. II. Res illas in generali conceptu imaginis in usum religiosum sepositæ, convenire, quod in causa fuisse videtur quod nomina iis tributa in Scriptura Sacra earum munera potius quam formas, referant, ne scil. Judæi audito frequenter imaginum nomine, in gentium errores & cultus Ethnicos incauti prolaberentur: Cum apertum igitur sit Cherubim & Theraphim simulacra fuisse, quidni etiam Urim & Thummim in imaginum numerum referemus?* hæc cap. 4. sect. 5. Ad quæ Respondeo I. Ex hoc Spenceri ratiocinio inferre contra ipsum licet, Theraphim & Seraphim diversas omnino fuisse res contra quod supra nobis persuasum voluit: Seraphim enim quum de iis primum in Script. Sac. mentio fit Esai. 6. aliquomodo describuntur, Theraphim vero nullomodo. II. Hinc sequetur etiam Angelorum naturam probe semper cognitam esse, quum enim de illis Script. Sac. primum loquitur, Gen. 16. & 19. illud fit nulla præcedente præmonitione, nec ullibi in Script. Sac. nobis describuntur. III. Incautus sane loquitur Spencerus, cum ait, *Spiritus S. eandem ubique inviolatam legem servare, cum de Theraphim, Cherubim, Urim & Thummim loquitur*, contrarium enim facile patet; De Theraphim sane, ut & de Urim & Thummim improviso lectore loquitur Scriptura Sac. neque has res ullomodo depingit aut describit, verum hinc concludere Theraphim & Urim easdem esse res ejusdemque naturæ, pessimi est argumentatoris: Diversis autem de causis hæc in Script. Sac. non describuntur; Quoad Theraphim, Moses nullam eorum descriptionem dedit, quia scil. illius seculo, & verisimiliter 500. aut circiter annis ante Mosem, nomen illud atque res per nomen designata, in mundo & speciatim apud Judæos, ob eorum in Ægypto commorationem, maxime nota erant, & eadem adduci potest ratio quare plurima gentium Idola quæ Scriptura sacra commemorat, ut Dagon, Camosh, Nergal, Nisroch, Nibchas, & alia, nullibi tamen in ea plenius depinguntur; quamvis enim hæ voces ut & vox Theraphim hebrææ non sint, res tamen per illas designatæ populo Judaico notissimæ erant. De Urim vero & Thummim, alia prorsus est ratio; Cum enim voces illæ pure hebrææ sint, atque significationem rei tractatæ convenientem admittant, modo vox אורים pro igne materiali & sensibili non sumatur; quum eas audivit Moses, ad usum & effectum oraculi statim eas applicare potuit, Deo cor illius adaperiente ad istius mysterii intelligentiam, potuerunt & multi e Judæis harum vocum sensum quodammodo percipere, quamvis res sensibilis quæ illis designabatur eis nota non esset: hic ergo præter rem nequaquam forsan loquemur, si dicamus, noluisse Deum hac in re humanæ curiositati satisfieri, tum quia multa sibi ipsi reservavit quæ hominibus ignota esse voluit, tum quia præsertim τῶν Urim & Thummim cognitio Judæis nullius fructus fuisset, quin potius illa damnum iis afferre potuit, iisque esse peccati incitamentum, cum enim *innatus futurorum scientiæ pruritus ipsis fuit*, ut fatetur Spencer. cap. 2. sect. 1. sane si τῶν Urim & Thummim naturam & formam calluissent, quisque aut saltem multi ex minus piis oraculum sibi ad formam & exemplum illorum fabricare voluissent, quo sic facile & omni tempore occulta & futura digno-

dignoscere possent; Ac eo libentius in eam venio sententiam quod etsi forsan fateri debeamus illud Urim aliquod sensibile fuisse & materiale, (non dictum enim fuit Mosi, *pones Urim*, Exod. 28. 30. quin aliquid materiale tactui & oculis sensibile datum ei fuerit quod in Pectorali posuerit) a nullo tamen homine fabricatum fuit, quod tamen voluit Deus de cœteris omnibus Sacerdotis ornamentis, sed illud dictum Urim Dei solius opus fuit, nusquam enim dicitur *facies Urim*, aut, *fecit Moses Urim*, sed, *Pones Urim*, &, *posuit Urim*, Exod. 28. 30. Levit. 8. 8. unde & Exod. 39. fit quidem mentio vestimentorum Sacerdotalium atque ornamentorum quæ arte humana sunt fabrefacta, imo ibi Ephod & Pectorale plene describuntur: At de Urim & Thummim altum est silentium, neque audiendus Spencerus, qui hic quasi hæsitans loquitur, atque Urim & Thummim hominum opera fabrefacta esse probare contendit, ad quod Codicis Samaritani authoritate utitur, qui duobus in locis scil. Exod. 28. 30. & 39. 22. Mosi & artificibus illorum fabricam expresse tribuit ut ipse refert Spencer. cap. 4. Sect. 6. Nam I. Notum est apud doctos duplicem esse Pentateuchum Samaritanum, unum qui in paucis a textu Hebræo differt, alterum qui in multis ab eo dissentit, & hoc postremum forsan inspexit Spencerus; II. Ad quemvis Samaritanum Pentateuchum respectum habuerit Spencerus, ille fidem non facit, uterque enim, secundus præsertim, corruptus est, neuter authenticus, sed solus Hebræus pro fonte agnosci debet, atque ad illum omnes alii Codices regulari debent, quicquid contra Morinus contendat, qui merito a plurimis false & ridicule cogitasse dictus est quando Pentateuchum Samaritanum verum Mosis Pentateuchum dixit: Hic igitur dixisse satis erit, ab omnibus fere agnosci illud dictum Urim a Deo immediate Mosi traditum esse postquam illud confecisset Deus, Dei enim solius erat fabricare quod a nullo forsan homine cognosci voluit, nec enim fidenter assererem ipsum Mosem perfecte Urim & Thummim agnovisse, audivit quidem Deum de omnibus ad Tabernaculum spectantibus, ut & de omnibus Sacerdotis ornamentis, ipsum sic alloquentem, *facies* hoc & hoc, tali modo, at de Urim audivit solum, *Et pones Urim*: Inde sane Moses agnoscere potuit cum mandatum adeo præcisum de omnibus aliis Deus daret, de Urim vero solum diceret *Pones Urim*, illud Urim quid esse peculiare, quod sibi ignotum esse voluit Deus, unde intellexit nullam disquisitionem de illa re sibi esse faciendam: Atque inde fit quod hæc non accurate descripserit ut fecit cœtera Pontificum ornamenta, imo quod ea tanquam cursim & obiter attingat; Moses autem accepto a Deo Urim & Thummim, illud in Pectorale posuit, ubi semper absconditum fuit, neque unquam forsan postea a mortali quopiam visum, & forsan periit illud (non solum quoad formale, verum etiam quoad materiale) quum hominibus adhuc ignotum esset, Imo quod maxime notandum, nullibi patet ullum hominem etiam inter Judæos de Urim & Thummim locutum fuisse, atque quid illud fuerit quæsivisse, dum in rerum natura fuit; De hoc tantum percontati sunt Judæi, saltem quoad nobis patet ex monumentis quæ supersunt, quando illius defectum agnoverunt, audacium hominum curiositati satisfieri non potuit, & ex ipsius rei testimonio mendacii aut inscitiæ argui non potuerunt qui de hac re aliter quam se haberet loquerentur; Imo Clariss. Buxtorf. histor. Urim & Thummim cap. 1. apposite notavit, *veteres Hebræos parcius hanc historiam tangere, neque hic fœcundos esse in commentariis fingendis, ut sunt in aliis quibusdam: Recentiores vero, ingenium quidem suum hic exercuisse, nullam tamen definitivam sententiam ferre potuisse, sed incertos lectores reliquisse, cum ipsimet essent incerti*. Veteres quidem illi Mosaicum seculum propius attingentes, mysterii veneratione ducti, parce & sobrie illud inspexerunt: Recentiores vero, quamvis audaciores, in hoc tamen infeliciores fuerunt, quod ingenii aciem suo labore hic obtusam viderunt, nihil nisi incertum deprehendentes. Atque hinc patet silentium hoc doctorum Judaicorum circa Urim, perstringi non debuisse a Spencero, ut factum videmus cap. 4. sect. 11. Neque excusandum eorum omnium silentium cum hic de Theraphim nihil memorarunt, ex eo quod mysteriorum suorum ipsi fuerint ignari, multæque eorum historiæ perierint, nam aliqui saltem hoc vidissent mysterium, si Deus hominum scientiæ illud objicere voluisset, & si oraculum Urim dictum τῷ Theraphim ministerio, rei scil. adeo notæ, redditum fuisset, & quamvis multæ perierint historiæ & scripta Judaica, quædam sane monumenta aperta aut traditiones de his nobis superessent, de re enim tam singulari & adeo mirifica aliquid dictum

& re-

& relictum fuisset, verum nihil a Judæis habemus quo Spenceri sententia fulciri possit: hic autem non possum non notare Spenceri oblivionem, ne quid dicam pejus; Quare quæso Judæorum silentium de his Theraphim ad ipsorum ignorantiam refert? cum supra sect. 5. dixerit, *has res*, Urim scilicet & Thummim, *sacra quædam instrumenta fuisse, quorum formam & usum Israelitæ satis cognoverunt*, quod tamen statim aliquomodo destruit, cum ait, *Scriptores divinos sacra illa instrumenta nominibus eorum potius munera quam formas referentibus notasse, ne scil. ille populus audito frequenter imaginum nomine, eas Dei vel veri, vel fictitii symbola somniaret, sicque in gentium errores prolaberetur*: hæc sane, aut dormito, non concordant: Verum insolita non sunt Spencero ἀσύμφωνα, ut plenius in sequentibus videbitur; ut igitur redeat oratio; Dico, τῶν Theraphim quidem, aut τῶν Urim & Thummim, nullam prorsus fieri in Scriptura Sac. descriptionem, ob eas quas deduximus rationes, at non idem dicendum de Cherubim, sane Gen. 3. 24. ubi primum hæc vox occurrit, non explicatur quid sit Cherubim, verum hic notemus, illam vocem Cherubim Adami seculo inauditam forsan fuisse, hic enim Dei factum post hominis ex Edene expulsionem describitur, nulla autem ipsius verba narrantur, unde non est necesse credere Deum tunc formaliter & expresse Adamo dixisse, *Hos Cherubinos instituo ad custodiendum viam arboris vitæ*; Verum supposito quod tunc Adamus eam ipsam vocem, *Cherubim*, audiverit, novit & eodem tempore illa voce Angelos designari, qui enim scientia perfecta in prima creatione a Deo instructus fuerat, istud non ignoravit. Et si Adam primus homo nulla experientia ipsam rerum naturam penitus introspexit, adeo ut cum omnes bestias & volucres ad ipsum adduxisset Deus, ipsis imposuit nomina naturæ ipsorum convenientia, ut videtur Gen. 2. 19. 20. & in multis ostendit Clariss. Bochart. Hieroz. Part. 1. lib. 1. cap. 9. cum Deus in ipsius animum eam scientiam infuderit quæ non nisi longa experientia ab homine addisci potest, non ignoravit sane quid esset Cherubim, etsi de illo verba non audiisset. Sed his missis, animadvertendum venit Mosem hujus narrationis authorem esse, videbat autem hic locum non esse digressionis faciendæ qua de Cherubim amplius loqueretur, ac sciebat se hujus rei faciendæ aniam habiturum, cum Cherubinos Arcæ Dei ipsius mandato fabricatos describeret, quod & fecit Exod. 25. 18. 19. 20. ubi Cherubini aliquomodo describuntur, quæ etiam descriptio fere convenit cum descriptione Cherubinorum quos extruxit Salomon, ut patet 2. Chronic. 3. fateor quidem Cherubinos postea ab Ezechiele visos, ab iis quos fabricaverant Moses & Salomon quoquomodo discrepantes, ut patet Ezech. 1. & 10. inter se collat. unde forsan natæ sunt doctorum Judæorum diversæ circa Cherubim sententiæ, quæ videri possunt apud Clariss. Buxtorf. histor. Arcæ fœderis, cap. 9. Verum ubique conspicuum est Cherubinos semper visos & descriptos fuisse alatos, unde Abarbenel, *Dum dixit Cherubinos per se notum fuit illos debere habere alas*: Ex his autem evidens prorsus est Cherubinorum ut & Seraphinorum formas a τῶν Theraphim forma prorsus alienas esse, illi enim alati fuerunt, non vero Theraphim. His addamus, τῶν Theraphim formam & figuram apud Judæos fuisse notissimam, eorumque exemplaria apud homines dari, quod de Cherubim dici non potest, si Josepho Judæo credamus, is enim histor. Jud. lib. 3. cap. 6. ait, *Animalia esse alata, quorum nulla similitudo ab hominibus unquam visa est*, & libr. 8. cap. 2. dixit ut jam audivimus, *Impossibile esse illorum Cherubinorum formam enarrare*. Ex his igitur concludere licet absurdum omnino esse asserere Angelum Cherubim aut Seraphim sub τοῦ Theraphim forma olim oracula fudisse.

II. Hactenus Spencerum suas partes agentem, ac pro se ipso loquentem audivimus, nunc alios quos in sui gratiam loqui vult audiamus; Ac sane tum Deum, tum homines quosdam suas partes suscipere ostendere conatur; Primo itaque profert locum Hos. 3. 4. quem vult omnino sibi propitium esse; Ibi enim dicitur, *quod per dies multos sedebunt filii Israel absque Rege, & absque Principe, & absque sacrificio, & absque ara* (vel statua) ואין אפור ותרפים *& absque Ephod & Theraphim. Per Theraphim autem*, inquit Spencerus, *hic non intelligenda gentium Idola, sed Urim, nec enim convenit Prophetam qui hic populi Judaici flebilem statum futurum prædicit, inter eorum mala posuisse Idolis destitui, nec etiam textus cohærentia & scopus id ferunt, fuit igitur res per se bona quam Deus minatur se ablaturum populo, alioquin illam auferre non pœna; sed beneficium habendum fuisset; De nulla autem*

tem re bona nisi de Urim Dei Ephodi cohærente Theraphim hic interpretari possumus: Præterea de omnibus in textu nominatis loquitur Propheta tanquam de rebus nullo modo conjunctis, sed plane diversis, singula enim particula disjunctiva אין *separantur. Sedebunt, inquit, absque Rege, absque Principe, absque sacrificio, absque ara (statua) absque Ephode & Theraphim, prætermissa particula disjunctiva* אין *quod sane factum est quia vox Theraphim sumi debet pro re aliqua Ephodi adeo conjuncta, ut ne voce quidem aliqua ab eo sit divellenda; Unde & Ephod & Theraphim quæ sæpius in Script. eodem in loco occurrunt, semper ita cohærentiæ reperiuntur; Adde quod multi hæc de duabus Tribus dici volunt, de iis autem dici non potest quod post regni divisionem Theraphim coluerint & consuluerint; Inde 70. Interpretes hic vocem Theraphim per* δήλων *aut* δηλώσεως *transtulerunt, qua voce etiam usi sunt in traducenda voce Urim, unde & Hieronym. fatente Drusio nomine* δήλων *hic a 70. locato Urim & Thummim intelligit, Aquila etiam & Theodotion hic Theraphim per* φωτισμοὺς *transferunt, quo etiam nomine Urim vertunt Levit. 8. 8. Vulgatus Interpres pro Theraphim hic manifestationes posuit, quo etiam nomine Urim transtulit. Menochius etiam hic per Theraphim intelligit Urim & Thummim. Genebrardus Theraphim sumsit pro immaginibus sacris, Grotius vult Theraphim hoc in loco & Judaico 17. 5. pro Cherubinis sumi* : hæc Spencer. cap. 4. Sect. 3. Quæ sane iis qui res propius non intuentur scrupulos movere possunt, adeo ut ratiocinationibus istis aliqualem verisimilitudinem præ se ferentibus, hacque testium nube super caput nostrum murmurantium, victoriæ palmam reportare videatur Spencerus. Verum ut hæc elidantur testimonia, nubesque in vanum habeat, atque loci hujus intelligentia probe teneatur, hic dico, 1. plurimos Interpretes hæc de decem Tribubus dici velle, sicque captivitatem Babylonicam atque populi Israelitici per varias regiones dispersionem annunciari, hoc autem supposito, vere sic loqui potuit Propheta; Tunc enim *sine Rege & Principe* fuerunt, nimirnm *sine Rege* e gente Judaica nato, cum Regi Assyriorum subjicerentur, nullaque peculiaris πολιτείας forma apud eos conspicua esset. Tunc *sine sacrificio*, adeoque *sine ara* & *Ephod* fuerunt, nulla quippe Religionis nota ipsis supererat, nullus saltem publicus a cæteris populis eos distinguebat, unde etiam *sine Theraphim* fuisse tunc dici potuerunt, quia scilicet nullum numen aperte & in publicum colebant, nec obest quod hic dicit Spencerus, *Non posse dici Tribus decem Ephode privari, cum nullum forsan habuerint Ephod Pontificium, de quo hic agitur*: nam sive hic Ephod sumamus pro Ephode vulgari, sive pro Ephode Pontificio, nihil interest, cum hic sub Ephodis nomine totus cultus publicus subintelligatur; Verum hic designetur Ephod Pontificium, annon verisimile est imo omnino probabile, post regni divisionem nova quasi Religionis forma a Jeroboamo instituta, novisque Sacerdotibus ab eo institutis ut patet 1. Reg. 12. ipsum etiam omnia Sacerdotalia vestimenta & ornamenta, adeoque Ephod suis sacerdotibus dedisse, quo sic impediret quin populus Hierosolymam rediret Deo sacrificandi gratia; Non obest etiam Spenceri allegatum, *non nisi improprie dici decem Tribus privari* τοῖς *Theraphim, cum eorum forsan cultus nunquam ipsis defuerit*. Supposito enim quod quidam in captivitate iis adhuc uterentur, illud publice non fiebat, adeoque dici tunc potuerunt Israelitæ *sine Theraphim*, non secus ac dici possunt Romano-Catholicis nullum habere Religionis exercitium Amstelodami, etsi ibi visatur Missa, quia scilicet illud secreto fit: Dici autem possunt Israelitæ plurimis diebus sic fuisse, per totam scilicet captivitatem, quam Junius in hunc locum vult Annis circiter 680. durasse. Verum supponamus hic loqui Prophetam de duabus tribubus, earumque statum hodiernum a secundi Templi eversione depingere, inde tamen non sequetur Theraphim hic sumi pro Urim: At, inquit Spencerus, *A regni divisione tempore & consilio Jeroboami facta, Judæos Theraphim coluisse iisque usos fuisse non legimus. Hoseas itaque qui multis annis post illam divisionem floruit, non dixerit Theraphim e Judæa sublatos iri, jamdudum enim iis non utebantur Judæi*; Respondeo: At in hoc decipitur Spencerus, cum dicit Judæos post regni divisionem Theraphim non coluisse, Josia enim Hierosolymis regnante, *sublati sunt omnes arioli & Theraphim qui conspiciebantur in terra Juda & Hierosolymis*, ut expresse habetur 2. Reg. 23 24. Hoseas autem Annis circiter 180. Josiam præcessit, tempore ergo Hoseæ habebant Judæi Theraphim, cum sub ipso Josia adhuc in usu essent; Verum etsi Spenceri allegatum concederemus, nihil inde sequetur; Potuit enim Prophe-

ta

ta Judæis annunciare futurum eſſe tempus quo etiam eſſent ſine Theraphim, habita ſcilicet ratione ad tempus jam præteritum quo illis utebantur: At quia eorum captivitatis gravitatem depingere volebat, iis annunciabat eos tunc temporis tam minima fruituros libertate, ut etiam Theraphim colere ipſis conceſſum non eſſet, Theraphim nomine vel omnia gentium Idola, vel ea ſpeciatim quæ hoc peculiari deſignabantur nomine ſignificans. Dico II. omnia ad ſuam ipſius mentem aptare velle Spencerum, quando dicit, omnia iſta quæ in hoc verſu enumerantur, quæque Deus minatur ſe Judæis ablaturum, bona fuiſſe, Theraphim itaque non pro Idolis ſumi; Quin in hoc errat ipſe ſi omnia quæ hic enumerantur bona credat, imo non abs re forſan erit, ſi dicamus; In hac enumeratione tot eſſe mala quot ſunt bona, & bono cuique ex adverſo ſuum opponi malum, שר ſcil. זבח & אפוד erunt bona, at מלך מצבה & תרפים mala erunt, voci igitur מלך reſpondet vox שר quarum prima malum eſt, ſumta ſcil. pro iis magiſtratibus quos petierunt Iſraelitæ, ut deſcribitur 1. Sam. 8. quos malos ſuperius diximus, non in ſe, ſed quia male petierunt illos Iſraelitæ, ſecunda vero vox ſcil. שר, bonum eſt huic malo oppoſitum, quatenus illa ſumitur pro Judicibus & Magiſtratibus quos Moſes Dei decreto populo præfecerat, alioquin ſane ſi hæ voces hoc ſenſu non ſumantur, hic erit Tautologia vana, nec video aliter ſumendas eſſe; Voci autem זבח reſpondet vox מצבה quarum prima bonum deſignat, ſumta ſcil. pro ſacrificiis a Deo inſtitutis, ſecunda vero malum, ſumta in genere pro Idolis quæ gentes Idololatræ colebant, vocem enim מצבה hic pro ara ſumere alienum eſt (niſi pro ara Idololatrarum, qui ut ſua ſacrificia, ſic ſuas aras habuerunt, ſumatur) neque ab omni culpa liberari poſſunt 70. Interpretes, qui hanc vocem per θυσιαστήριον reddiderunt, quod factum videtur ut recte in hunc locum conjicit Druſius, ex eo quod pro מצבה legerunt vel audiverunt מזבח nec enim authenticam dicimus illam verſionem quæ cum cautione ſane legi debet, & veritati Hebraicæ ſemper non correſpondet: Ac ſane vocem מצבה rariſſime in Script. S. ſumi videmus pro ara proprie dicta, fateor quidem illam mox in bonam, mox in malam ſumi partem, verum plerumque pro ſtatua & lapide qui ſtatuitur ad cultum accipitur, vid. Lexic. Pagnin. in vocibus יצב & נצב at his immorari non eſt locus, nec ulla neceſſitudo: Voci tandem אפוד reſpondet vox תרפים quarum prima bonum denotat, & ea deſignantur tum illud veſtimentum proprie dictum Ephod, tum Pectorale, religioſis vinculis Ephodi conjunctum, ut ipſe fatetur Spencerus, tum Urim & Thummim in Pectorali poſitum. Secunda vero malum ſignficat, quia ſumitur pro ſtatua fatidica. Nec dicendum vocem תרפים hic redundare ſi pro Idolis ſumatur & vox מצבה pro ſtatua, hæc enim pro quacunque in genere ſumitur ſtatua, imo pro cippo, columna, ſed rarius pro ara ponitur, illa vero in ſpecie pro ſtatua fatidica, hic igitur per vocem אפוד deſignatur oraculum Dei illiuſque inſtrumenta, per תרפים vero Idololatrarum oraculum, ejuſque inſtrumenta, nam illis Theraphim, ut jam ſatis docuimus, utebantur gentes ut abdita iis pateſierent, atque ſic Idololatrarum erant oracula; Imo dicere poſſumus quoſdam Judæos illis diabolicis inſtrumentis uſos fuiſſe vice Urim & Thummim ſacratiſſimi oraculi a Deo conceſſi, cum enim nec omnibus, nec in omnibus licitum fuerit Oraculum Divinum conſulere, ut tradunt Judæorum doctiſſimi, multi Judæi curioſi in propriis ædibus Theraphim habuerunt quibus uterentur. Atque illud conjicere licet ex iis quæ recenſet Abarbenel ubi agit de variis Idololatriæ ſpeciebus, in diſſertat. ad 2. Reg. 17. quam habemus ex Clariſsim. Buxtorf. traductione, *Quia*, inquit, *ipſorum opinione illorum*, ſcil. Theraphim, *ratio eadem fere erat quæ Urim & Thummim idcirco dicitur ſine Ephod & Theraphim Hoſ.* 3. 4. Item, *Irritabant eum faciendo Theraphim ad ſimilitudinem inſtrumentorum ſacrorum Urim & Thummim;* hæc ille, quæ ſane confirmant ea quæ ſuperius diximus; Verum hinc Spencerus forſan anſam contradicendi ſumet, ac intentum probabit, ſcil. Urim & Thummim ipſum fuiſſe Theraphim, cum hoc ad ſimilitudinem illorum factum fuerit. At hic dicam, ſimilitudinem illam fuiſſe quoad uſum, non vero quoad rem ipſam, τῶν Theraphim ſcil. apud impios idem erat uſus ac τῶν Urim & Thummim in Dei ſanctuario, vel ſi mavis, facti ſunt Theraphim ad ſimilitudinem Urim & Thummim ſcil. ut putabant impii & Idololatræ, non autem ex rei veritate, & illud ipſum innuit hoc loco Abarbenel ipſe, cum ait, *Ita differunt inter ſe*, ſcil. Theraphim & Urim & Thummim, *ſicut res vere ſenſibilis a figuris imagina-*

nariis falſis: Ex his autem omnibus, ſenſus verborum Prophetæ facile capitur, loquitur ſcil. Dei populo, quem ob peccata minatur futurum eſſe tempus quo Deus gravem ei immittet calamitatem, adeo ut Magiſtratus e gente Judaica nati eis non præerunt, non tales quales initio Deus iis dederat, nequidem tales quales ipſi obmurmurantes petierunt, ſed genti extraneæ colla ſubmittent, erunt enim ſine Rege & ſine Principe: Imo eo graviorem eorum ſervitutem fore prædicit Propheta, ut nequidem aliquod numen ab ipſis publice coli patiatur, ſicque nulla Religionis ſive veræ, ſive falſæ, forma inter ipſos conſpicua erit, cum neque cultus a Deo olim iis præſcriptus, atque ſacrificia ab eo inſtituta apud eos locum habebunt, neque Idola ab ipſis olim culta venerari ipſis licitum erit, erunt enim ſine ſacrificio & ſine ſtatua: Tandem tantam fore eorum miſeriam hic ſignificatum voluit Propheta, ut omni undique deſtituantur auxilio, non ſolum enim peculiaris Dei favoris ſigna quibus olim toto orbe fatente & admirante fruebantur, ipſis deerunt, verum etiam aliunde ſolamen non experientur, non ſolum enim oraculum Urim & Thummim quo mediante Dei vocem audiebant, atque futura iis revelabantur ipſis deerit, verum etiam nulla ipſis ſpes erit alio quocunque modo in poſterum futura dignoſcendi, cum etiam ſtatuas fatidicas quibus olim impie uſi ſunt, non amplius habebunt, nec ſolum Deus iis ſilebit, verum etiam diabolus pro eis mutus erit, quia ſcil. erunt ſine Ephode & ſine Theraphim; Atque hunc ſenſum probare videtur Galatin. de arcan. cathol. verit. lib. *9.* cap. *6.* qui etiam confirmatur ex Jonathanis Chald. Paraphr. quam ibidem adducit Galatin. ſic enim hunc locum tranſtulit Jonathan ipſe, ארי יומין מניאין יתבי בני ישראל לית מלכא מדבית דוד ולית דיעביד שולטן על ישראל ולית דבח לרעוא בירושלם ולית קמתא בשומרון ולית אפוד ומחוי hoc eſt, *quia diebus multis morabuntur filii Iſrael in quibus non habebunt Regem de domo David, nec gerentem poteſtatem ſuper Iſrael, nec ſacrificium acceptabile vel placitum in Jeruſalem, nec altare in Samaria, nec Ephod denunciantem*. Hunc autem flebilem ſtatum expertas eſſe dici poſſunt ſive decem Tribus durante captivitate Babylonica, ſive tandem tota gens Judaica a templi ſecundi atque urbis Hieroſolymæ totali everſione. Dico III. Curioſius rimari ſingula verba Spencerum, cum ex particula disjunctiva אין quæ non interſeritur vocibus אפוד & תרפים inferre vult illis vocibus res omnino conjunctas ac nequaquam divellendas deſignari, hoc ſane eſt plus quam Thalmudiſtam agere, quis enim non videt prorſus indifferens eſſe an illa particula אין hic interponatur, aut non? Imo cum toties ea repetita fuerit, non neceſſe erat ut illud fieret in fine verſus, nam ex particula ו quæ voci תרפים præfigitur, particulam אין hic ſubintelligendam eſſe ſatis ſubindicatur, unde & non ſola verſio Anglicana inter voces אפוד & תרפים particulam voculæ Hebraicæ אין reſpondentem, quod notavit Spencerus, inſeruit, verum omnes verſiones Gallicæ quas videre mihi contigit idem faciunt, neque ob eam cauſam dicendi ſunt Interpretes noſtri fontis Hebraici puritatem turbaſſe: At ipſe Spencerus linguæ Hebr. genium parum hic attendit, quod ſi feciſſet, vidiſſet ſane hanc linguam quæ brevitatem amat, inutiles repetitiones fugit, & paucis multa dicit, paucos pleonaſmos at multas Ellipſeis habere, quæ quidem in Scriptura ſacra frequentes ſunt, non ſolum unius literæ, literarum v. g. בכלם verum & unius vocis, cum textus cohærentia illud patitur atque ex illa ellipſis facile dignoſci poteſt, ſic v. g. Exod. 36. 13. קרסי זהב ponitur pro מזהב ac paſſim per totum illud caput præpoſitio מן quæ materiam ex qua denotat, deficit, vid. verſ. 14. 18. *19.* 20. Imo alias hæc lingua admittit Ellipſeis quæ hic ad rem faciunt, ſæpe enim particula negativa deſideratur cum illa ex præcedentibus aſſumi poteſt, ſic v. g. Eſai. 41. 28. וישיבו דבר ponitur pro ואין ישיבו ſimiles Ellipſeis vide 1. Reg. 8. 48. Job. 32. *9.* Pſalm. *9.* 19. Prov. 30. 3. quæ ſane omnes hac ipſa quæ in hoc loco noſtro reperitur magis extraneæ ac abſurdæ videntur; Cum vero Spencerus vitilitigator hunc locum propius inſpiciendi anſam nobis præbeat, ex ipſo loco contra ipſum argumentabimur. Hic enim vox אפוד habet accentum regium Tiphcha, unde patet hæc verba ואין אפוד ותרפים uno halitu legi non debere, ſed hic poſt vocem אפוד ſtationem aliquam faciendam eſſe, accentus enim regii ſpiritum in oratione ſiſtunt, ac ſententiæ membra diſtinguunt, unde voces quæ accentu regio ſeparantur, ut iſtæ, res omnino diverſas deſignant. Iſtud fateor apud Hebræos non eſt perpetuum, ſed hic contra Spencerum omnia infelici curioſitate indagantem locum habere poteſt, cum præſertim

tim omnia quæ in hoc versu enumerantur per totidem accentus regios distinguantur, ut perpendenti manifestum fiet. At, ut inquit Aben Esra, עקר גדול הוא לשמור דרך הטעמים *magnum est momentum observare rationem accentuum*. Hæc igitur verba ואין אפוד ותרפים ut per accentus sunt distincta, idem valent ac si dictum fuisset אין אפוד ואין תרפים Hujus autem loci inspectio Masoretarum nobis detexit oblivionem, ii enim volunt tria tantum esse initia versuum cum Munach ante Legarme, hosque versus recensent, Genes. 1. 20. Genes. 3. 15. Exod. 30. 13. at hic habemus versus initium cum Munach ante Legarme, qui locus ab iis non est notatus, quod obiter observamus ex occasione ineptiarum Spenceri, quas mittamus tempus est, sua enim nimis hic futilia sunt ad hoc ut in iis refutandis tempus teramus, ut igitur rem brevi conficiamus; Dico IV. Non probari a Spencero intentum ex eo quod 70. Interpretes vocem Theraphim hic per vocem δήλων transtulerint, atque eadem voce usi fuerint in translatione vocis Urim. Hic quæ de illa versione jam diximus recoquere non est animus. At quod hunc locum spectat, dico, hos Interpretes eandem vocem usurpantes in transferendis vocibus תרפים & אורים non tam ipsas respexisse voces quam res per illas designatas, earumque munus & officium, Urim ergo considerarunt ut oraculum Dei, Theraphim vero ut oraculum diaboli, quia vero per Urim futura indicabantur, idemque fiebat per Theraphim, inde utramque hanc vocem per δήλων reddiderunt, ab officio scil. quod præstabant, hinc Urim ope Dei, inde Theraphim ope diaboli; Drusius igitur dubitanter nimis in suis in hunc locum conjectaneis loquitur, cum ait, *Cur autem Theraphim ita vertant* (70. scil. Interpretes) *fateor me ignorare, an quia indicabant futura?* nec enim sane illius translationis rationem ignoravit vir doctissimus, cum dicat illud factum fuisse quia Theraphim indicabant futura, unde & statim quasi sui melius conscius scienter loquitur, cum addit, *Jonathan interpretatur eandem vocem per* מחוי *apprime, rectissime*, hæc Drusius, vox autem מחוי idem est quod indicans futura; Aliæ vero versiones quæ hic vocem Theraphim eodem sensu ac 70. Interpretes transtulerunt, eadem mente cum ipsis fuerunt, vel potius sensum, si non verba 70. Interpretum mutuati sunt, quod recte dici potest de Aquila & Theodotione, qui utramque hanc vocem אורים & תרפים per φωτισμοὺς reddiderunt, quorum primus versionem suam Annis plus minus 400. post versionem 70. Interpretum factam adornavit, secundus vero Annis circiter 90. post Aquilam suam confecit translationem. Illæ autem primæ fuerunt versiones Græcæ post Christum natum adornatæ, adeo ut illos duos Interpretes 70. Interpretum ope usos fuisse credere fas sit; De versione Vulgata dicta idem ferri potest judicium, unde non est mirum si Jesuita Menochius hic per Theraphim intelligit Urim, & Thummim, Genebrardus vero hic per Theraphim vult intelligi *imagines quasdam sacras*: fiat, τὰ Theraphim adhibuerunt Ethnici in sua Religione, unde sacræ imagines dici potuerunt, habet enim & sua sacra diabolus, non secus ac Deus; Grotii vero mens non eadem est cum Spenceri mente, si ille Theraphim hoc loco pro Cherubinis sumsit: Verum hæc nulla sunt, cum autoritatibus a Spencero allatis alias opponere possimus autoritates eorum qui hic per Theraphim voluerunt intelligenda esse Idola; Sed hæc missa faciamus, ut aliud testimonium Divinum a Spencero productum perpendamus.

Illud habetur Jud. 17. 4. 5. *Cepitque mater Michæ ducentos argenteos &c. Theraphim de quo hic mentio diversum quid est munere & fortasse forma a sculptili & conflatili, & cum sacra supellectile domus Michæ numeratur, atque cum Ephod proxime conjungitur, unde patet Michæ Theraphim locum τῶ Urim in illius sacris obtinuisse; Non autem putandum eo animo instrumentis hisce ædiculam suam Micham instruxisse quasi a veri numinis cultu secessum meditaretur, & ab omni veritate abest Deum Michæ Theraphim oraculis inde datis decorare voluisse, si a dæmonis responsis impuritatem hausissent*. Hæc Spencer. cap. 4. Sect. 4. Respond. hic perquirere quidnam fuerit illud sculptile atque conflatile necesse non est; Imo parum interest an Teraphim diversum quid esse dicamus ab illo sculptili & conflatili, quod tamen a magnis viris negatur, nec illud nisi hæsitans asserere Spencerus audet, ideoque hæc præterimus; Verum hic nequaquam concedimus Theraphim esse Urim eo quod τῷ Ephod conjungi videatur; Sane si ea quæ particula ו copulantur eadem esse velimus, aut saltem indivise consociari, diem & noctem, lucem & tenebras consociabimus, simulque consistere dicemus, fecit igi-

igitur Ephod Micha atque Theraphim, quia ob eam rerum confusionem quæ in populo Dei conspiciebatur, non solum in temporalibus, verum etiam in spiritualibus, quisque ab hominum obedientia liber, se liberum etiam quasi putabat ab obedientia Deo debita quod innui videtur vers. 6. *Temporibus illis non erat Rex in Israele, sed quisque quod rectum videbatur in oculis suis faciebat*; unde quisque sibi suo proprio Marte Religionis formam fingebat; Non autem dicere velim Micham aut ejus matrem veri Dei cultum deserere in animo habuisse, Spencero facile assentirem, dicenti, *mulierem illam zelo & simplicitate muliebri sculptile & conflatile in veri Dei cultum & honorem consecrasse, & Micham cultus Mosaici zelo, sed minus oculato, ductum, Religionis suæ ad veræ Religionis exemplar adornare studuisse*. Verum ob hæc Spencero magis propitius non ero, nullam enim rationem hæc historia nobis suppeditat qua aut mater aut filius excusari possint; Sculptile & conflatile fecit mater, ea autem quoquomodo sumantur lege Dei expresse prohibita erant, fuerint illa Cherubinorum forma, quod tamen verisimile non est, inde tamen non excusatur, nobis enim non licet Deum in omnibus imitari, voluit ut super Arca fœderis conspicerentur Cherubini, verum ob id non licitum cuique Judæo fuit Arcam & Cherubinos sibi fabricare, atque instrumenta cultus Divini suopte ingenio sibi consecrare; Quoad Micham autem, ab omni culpa eum liberare nollem quando domum construxit cultui Divino distinatam, supposito etiam quod ipsi mens fuerit verum Deum eumque solum colere, de hoc enim nullum habebat mandatum. Nil sane circa hoc aggressus est Moses nisi *juxta exemplar ipsi ostensum*; Et Deus malis innumeris ex privata & sine teste Religione facile oriundis obviam ire voluit, quando *præcepto curavit ne Israelitæ aram struerent, conventus solennes celebrarent, vel victimas mactarent, nisi in eo loco quem ipse præsentiæ suæ sedem renunciaverat*; ut apposite notat Spencerus ipse. Quid igitur ex suo proprio placito operabatur Micha? At in hoc saltem excusari nequit, quod Ephod construxit, præsertim si istud Ephod dicatur Pontificium & ad hoc destinatum ut per illud de futuris atque occultis responsa peterentur, tale enim Ephod gestare cuique licitum non erat, verum soli summo Sacerdoti (non hic quærimus an id quoque Regi decoris gratia aliquoties licitum fuerit, ut vult Spencer. cap. 6. Sect. 2.) At in eo gravius peccavit Micha, quod quia suo Ephodi Pectorale aut saltem Urim adiungere non potuit, quo sic de futuris ipsi responsa darentur, in locum τȣ Urim Theraphim substituerit, sicque cum probe sciret Dei oraculum sibi auxiliari non posse, ad diaboli oraculum confugit, ob hanc igitur causam sibi fecit Theraphim & ob eandem causam Theraphim Ephodi suo hoc in loco quasi conjungitur, quia sc. Theraphim ille quasi τȣ Urim vicem ipsi supplebat, at Urim mediante Pectorali τῷ Ephodi adhærebat, unde Aben-Esra dicebat חשן *perpetuo cohærere cum Ephod, & Urim cum* חשן. Nec igitur ullomodo excusationis prætextum habuit Micha, nequidem ex Ecclesiæ Judaicæ desormi statu, quem in ejus gratiam fingit Spencerus, nullo enim modo cuique privato licitum fuit Deum secundum sui ipsius placitum colere, multo minus Deum simul & Idola, aut saltem Deum per Idola, quod fecit Micha, unde illicitus prorsus & damnandus τῶν Theraphim usus & in ipso Micha, & in Danitis de quibus cap. sequenti. Neque hic obstat quod hi ab illis Theraphim responsum cui conformis fuit eventus, tulerunt, ut habetur cap. 18. vers. 5. Hic enim Michæ sacrificulus proterve Dei nomine abutitur in cultu suo illegitimo, nulla enim ipsi vocatio erat ad hoc ut a Deo responsum peteret, unde hujus responsi origo nequaquam cœlestis putanda est, diabolus enim per oracula sua, Deo sic permittente, justa & vera quandoque responsa dedit, vid. Ezech. 21. 22. 23. Deus enim providentia sua, ob causas sibi notas, non raro vult veritatem a diabolo annunciari, imo Satanæ vim efficacem esse, cum omni potentia & signis, unde & *iis qui pereunt efficaciam mittit erroris, ut mendacio credant*, 2. *Thessal.* 2. 9. 11. Christus etiam ipse pseudoprophetas excitaturos iri nos monet *qui edent signa magna & miracula*, *Matth.* 24. 24. Ac ut loquitur August. lib. 2. de doctr. Christ. cap. 23. *Occulto quodam judicio Divino, cupidi malarum rerum homines, traduntur illudendi & decipiendi pro meritis voluntatum suarum, illudentibus eos, atque decipientibus prævaricatoribus Angelis, quibus ista pars mundi infima, secundum pulcherrimum ordinem rerum Divinæ Providentiæ lege subjecta est; Quibus illusionibus evenit ut istis perniciosis divinationum generibus multa præterita & futu-*

futura dicantur, nec aliter accidant quam dicuntur multaque observantibus, secundum observationes suas eveniant, quibus implacati curiosiores fiant, & sese magis magisque inserant multiplicibus laqueis perniciosissimi errores. Bene igitur quodammodo Theodoret. lib. 10. contr. Græc. ait, *Quod si quando veri inventi sunt in suis prædictionibus ii qui vates appellantur, nullius quidem scientiæ, sed fortunæ opus id fuit.* Hic igitur tum ipsius Theodoreti, tum Seldeni testimonia a Spencero allata ambabus ulnis amplector. Illum probo dicentem, *fecisse Micham Ephod ad imitationem vestis Sacerdotalis, Theraphim vero magicis prædictionibus convenientem;* Hunc vero asserentem *Micham cultum Dei veri & Idolorum miscuisse;* neque ob id verbum meruerat Seldenus defunctus scommatibus vivi Spenceri confici, sustineret sane ac tueretur sui expectationem si in vivis esset Seldenus, qui antiquitatis peritissimus ubique videtur & linguarum fere omnium, Orientalium præcipue, callentissimus; Hic igitur rebus, non verbis, hæreamus, errores confutandi potius quam calumniæ retundendæ. Quædam alia Sect. 5. producit Spencerus testimonia, verum fatetur ipse iis *sententiam suam non astrui nisi argumentis probabilibus, eaque debiliora esse* ingenue profitetur. At si cum suis Achillæis in vanum laboravit, ad quid cum Pygmæis in arenam descenderet? Illis igitur debellatis, hos, ipso volente Spencero prætereo, ut humana testimonia quæ profert expendamus.

Ac primo testimonium Philonis Judæi affert, quem lib. 3. de vita Mosis sic loquentem introducit, *Rationale factum erat quadrangulum & duplum, tanquam basis destinatum, & imagines duarum virtutum ferens, doctrinæ vel manifestationis, & veritatis. Hoc sibi voluit Philo,* ait Spencerus, λόγιον *eo fine duplex factum esse; ut illius fundum duabus imaginibus ferendis inserviret, cap. 4. Sect. 6.* At evidentissimum est Spencerum nullum suæ causæ præsidium invenire, quando tale producit testimonium, Philonis scil. cujus mentem ut plurimum non nisi divinando assequi licet, adeo obscure & ænigmatice loquitur; Verum sine ambagibus ipsius verba perpendamus. Ea protulimus qualia Spencerus ipse ex Heggi Angli, ut ipse dicit, translationem profert, at in versione nostra quæ est Gelenii sic loquitur Philo, *Rationale erat quadrangulum duplicatum, pro basi destinatum ferendis duabus virtutibus, revelationi veritatique;* Ex hac versione quis hoc in loco quæso Theraphim, imo quis imagines inveniat? In eo sane conveniunt hæ duæ versiones, quod secundum utramque, Rationale duas tulerit virtutes, manifestationem scilicet & veritatem, sed aliquomodo diversæ sunt, quod Heggi translatio vult *illas virtutes tulisse Rationale in imaginibus,* Gelenii vero translatio dicit simpliciter *illas virtutes tulisse.* At imagines hoc in loco imaginari velim, an hic intelligentur proprie dictæ & fabrefactæ imagines, simulacra scilicet? Nequaquam, virtutes enim istæ, manifestatio scil. & veritas arte sane depingi non possunt, cum eæ quid abstractum sint, nec sine aliquo manifestato aut vero depingi, imo ne vix quidem concipi possint: Supposito igitur quod Philonis mens fuerit, Rationale illarum virtutum imagines tulisse, intelligendus Philo ad ipsius genium convenienter; Sic igitur locutus est, quia Rationale illarum virtutum ideas dedit, quia per oraculum quod e Rationali prodibat concedebantur Judæis manifestatio ceu revelatio occultorum, & veritas rerum de quibus inquirebant iis annunciabatur, ceu quia per nomina illi Oraculo a Deo ipso indita, designabantur *eximia luminis mensura & vitæ integritas, ceu scientia & virtus quibus summus Pontifex instructus esse debebat,* ut ipse loquitur Spencerus cap. 6. Sect. 3. Verum ut nullum supersit Spencero effugium atque ratiocinium suum quod hoc Philonis loco fulciri vult, in fumum abeat, ipsius Philonis verba propius intueamur, sic autem locutus est, ipso referente Spencero, & ejus verba ista prorsus modo sic distinguente, τὸ δὲ λόγιον τετράγωνον διπλοῦν κατεσκευάζετο, ὡσανεὶ βάσις, ἵνα δύο ἀρετὰς ἀγαλματοφορῇ, δήλωσίν τε καὶ ἀλήθειαν. Hæc autem sic transferenda puto, *Rationale vero quadrangulum & duplum constructum erat, tanquam si basis* (fulcimentum) *esset ut duas virtutes ornamentum ferret, manifestationem scil. & veritatem.* Perpendantur sane singula Philonis verba, & ipsius mentem aliquomodo assecutum esse, confido, dicam, ἄγαλμα autem hic per *ornamentum* transfero, ea enim est propria & genuina illius vocis significatio, ἀγάλλω est *orno, decoro,* ἄγαλμα, *decus, ornamentum,* Ἑτέρῳ δ' ἄγαλμα χαίτη, *alii vero sit decus, coma;* Synes. hymn. 1. unde Budæus ipsum verbum ἀγαλματοφορέω explicat per *orno, illustro;* fateor tamen aliquando sumi pro *simulacro & statua,* sed non est hic vocis il-

illius ſenſus, alioquin ſane, meo quidem judicio, aliter locutus eſſet Philo, fateri tamen velim Philonem hoc in loco obſcure & ænigmatice loqui, quod & ei proprium eſt; Nec ſatis, fateor, video quid ſibi velit his verbis, ὡσανεὶ βάσις, quid enim per βάσιν intelligat ſatis dubium eſt, quicquid ſit, certum eſt Philonem ſi alicubi, hic præſertim πλατωνίζειν, unde certum eſt judicium de ipſius mente ferri vix hic poſſe: Quod & ex variis Interpretum cogitatis maxime patet, alio enim modo traducitur hic locus a Zephyro qui in Moſe enucleato, ad Exod. 28. cum Tabernaculi fabricam ex Philone deſcribit, iſtum locum ſic transfert, *In duplex quadratum conformato* (de Rationali loquitur) *id veluti quædam baſis, duas præ ſe virtutes gerebat, certitudinem & veritatem*; Ac ſane ſequentia legantur ac more ſibi conſueto Philonem locutum eſſe facile deprehendemus, ſemper enim allegorice & ænigmatice loquitur, & quidem tales habet allegorias ſuper Pontificis amictus quarum nullus fere ſenſus eſt, & quæ nullomodo conveniunt, Pontificem enim cum ſuo amictu, quaſi totius mundi imaginem nobis repræſentat, duos lapides, ſuperhumerales, quos ſmaragdos dicit, vult eſſe duo hemiſphæria, Rationale duplicatum eſſe dicit duplicem ob cauſam, quarum alteram in mundo, alteram in homine vult eſſe, quadrangulum vero, quia oportet rationem tum naturæ, tum hominis inconcuſſam eſſe ac ſolidam, duas vero virtutes dictas ei attributas dicit, quia naturæ ratio vera eſt, revelatoriaque omnium, & ea quæ in ſapiente eſt imago illius alterius debet eſſe veriſſima. Quid autem ex his inferri debeat, ſane non video, unde confidenter concludo, Spenceri ſententiam hoc Philonis loco probari non poſſe. Appoſite igitur Clariſs. Buxtorf. hiſtor. Urim & Thummim cap. 2. hunc Philonis locum adducens, ſimul & alterum quem ex lib. 2. de Monarch. deſumſit, dicit, *Philo quid ſenſerit non ſatis clarum eſt*. Item, *Quid per geminum textum hic intelligat, obſcurum*.

Verum audiamus Aben-Eſram quem nobis etiam opponit ibidem Spencerus; *Aben-Eſra*, inquit ille, *referente Majemonide, exiſtimavit Urim & Thummim fuiſſe opus argentifabri, vel aurifabri, & ſimile quid illis figuris quas faciunt Aſtrologi ad ſciendum cogitationem ejus qui interrogat*: unde Spencerus infert ibi, *per figuras quas faciunt Aſtrologi Theraphim procul dubio illum intellexiſſe*; Reſpond. Mirum ſane Spencerum confidentiſſime aſſerere ea quæ nullus ante ipſum vidit, atque audacter mentem autoris explicare quem omnes hactenus, non dico Hebræorum filii, verum ipſorum Hebræorum magiſtri, obſcure admodum locutum eſſe fatentur. Ipſe; Bone Deus? Buxtorfius, quo quis vel Judæus, vel Chriſtanus, duobus ab hinc ſeculis in Hebraicis doctor vixit; hiſtor. Urim & Thummim, cap. 2. Aben-Eſræ locum amplum deſcribit, ubi ſententiam ſuam de Urim & Thummim aperire vult, dicit ipſa fronte Buxtorf. *Aben-Eſram dubitanter hac de re loqui, multoſque nectere ſcrupulos*. Ac tandem, poſt deſcriptum Aben-Eſræ locum, ſic loquitur Buxtorf. *Dicit quidem diſerte ſatis quid ſuo judicio non fuerint, quid vero fuerint ego ex ejus verbis non poſſum eruere*. Merito igitur ipſe Aben-Eſra ibi numeratur inter illos qui voluerunt Urim & Thummim rem incertam & incognitam eſſe; Ac ſane autor ille ſtatim initio loci a Buxtorf. deſcripti, diſerte dicit, *Neſcimus quid fuerint*. Item *Interrogatio fiebat per Urim & Thummim, quæ quid fuerint ignoramus*; Refert quidem Majemonides ex Aben-Eſra, verba quæ adducit Spencerus, at non integra a Spencero adducuntur Majemonidis verba, verum ipſius locum mutilatum, atque truncatum nobis dedit, & quidem tum in principio, tum in fine. Cum autem vel ex hoc ſolo Majemonidis loco manifeſtum ſit, tum Aben-Eſram nil quicquam certi circa hoc argumentum definiviſſe, tum ipſius ſententiam a Majemonide non probari, locum integrum dabimus eo modo quo a Buxtorf. translatum eſt. *Exiſtimavit Aben-Eſra ſe ſapientiam magnam oſtentaturum de Urim & Thummim, & dixit fuiſſe opus aurifabri vel argentifabri, prolixuſque eſt in explicatione illorum, nam exiſtimavit fuiſſe ſimile quid illis figuris ceu inſtrumentis quæ faciunt Aſtrologi ad ſciendum cogitationem ejus qui interrogat; ſed nihil quicquam dixit*: Ad illud autem quod dicit Aben-Eſra, *Si R. Salom. vidiſſet reſponſionem R. Haij non ita ſcripſiſſet* (notandum autem R. Salomonem voluiſſe Urim & Thummim fuiſſe ſcripturam nominis יהוה) reponit Majemonides, *Nos eam vidimus & expendimus, & ſcimus ſententiam Aben-Eſræ non eſſe ei comparandam*. Hæc Majemonid. circa ſententiam Aben-Eſræ de Urim & Thummim, de quibus omnes judicare velim an Spencero faveant.

Tandem utitur Spencerus autoritate Chriſtophori Caſtri, ejus verba proferre ne-

necesse non est, autorem illum videre nusquam mihi contigit, neque illum hactenus ullomodo mihi comparare potui. At hic supponere velim ipsius sententiam a Spencero ingenue descriptam esse, atque utrumque in ea opinione fuisse Urim & Thummim ipsum fuisse Theraphim; Sane ipso narrante Spencero, autor hujus seculi fuit ille Castrus, uterque hoc in seculo somniavit Urim & Thummim fuisse Theraphim iique soli ut hactenus nobis patet, illam propugnare voluerunt sententiam; De Christophoro quidem quibus rationibus motus id fecerit, ignoro, Spencero credamus, referenti, *Ipsum argumenta omnia quæ animum suum huic opinioni devinctum tenuere, præteriisse*; quod sane indicio est ipsi nulla omnino fuisse argumenta quibus sententiam suam tueretur; Verum in eo magis atque libens Spencero fidem adhibeo, dicenti, *Castrum plurima non minus veritate quam cætera probatione destitutum protulisse, atque illum de rebus iis de quibus nihil comperti habere poterat, magna oris fiducia, ratione nulla pene allata locutum fuisse*; Suppeditat nobis ipse Spencerus quæ satis sint ad hoc ut illius Castri de Urim & Thummim sententiam videamus non esse castrum inexpugnabile, atque ita contemnamus. Ipsius igitur Castri mœnium est hæc Spenceri tela retundere. At viderit Spencerus ipse si considerate secum opiniosum ita castigaverit.

Nulla supersunt igitur Spencero quibus non offendat arma. Ac videmus si bene ipsi fuerit suam opinionem quasi dictatorie obtrudere voluisse, de re apud omnes fere cordatos incerta sententiam quasi certam & inhæsitanter recipiendam ferens, quam tamen ipse quodammodo evertit quibusdam testimoniis quæ nobis quasi sunt arma quibus ipsum petamus. Duo sane præclara nobis ipse testimonia suppeditat, quibus patet apud plærosque doctos incertum hactenus fuisse quid fuerint Urim & Thummim; Illa vero apud Spencerum habentur c. 4. Sect. 1. Primum Judæi fœtus est, secundum Christiani effatum, illud ab illo præclaro apud Judæos Grammatico desumitur, R. Dav. Kimchi, cujus verba talia nobis exscripsit Spencerus, *Non satis explicatum est apud nos quid sint Urim & Thummim*; Istud vero Munsteri est, qui de Urim & Thummim verba faciens, sic loquitur; *Quales fuerint nemini mortalium constat*. At hæc circa Urim sufficiant. Breviter dicamus de Thummim.

III. Jam supra monuimus Spenceri sententiam esse *Urim & Thummim numero & officio non secus ac nomine, divisa & separata esse*, quæ c. 4. Sect. 1. 12. probare conatur, quam tamen ipsam sententiam idem evertere velle videtur Sect. 6. ubi ita loquitur, *Ex intimis sentio ipse, Sacerdotis Pectorale unum solummodo divinandi instrumentum, quamvis nomine plurali gaudeat, intus habuisse, ad quid enim Deum hujusmodi organa nulla cogente necessitate multiplicasse crederemus?* En quam parum sibi constet Spencerus, sui immemor, ipsius est hæc conciliare; Ejus autem sententiam qua statuit Urim & Thummim numero, officio & usu revera divisa esse, refellere solicitus non sum, parum enim interest an dicantur diversa, an unum & idem. Unum autem hic non prætereundum, quod Spenceri cogitata circa hoc Dei oraculum sanctissimum atque venerandum absurda, imo ridicula nobis demonstrabit. Ipse enim Dei Sacerdotem oraculum consulentem, quasi histrionem nobis dipingit, cum vult, cap. 4. Sect. 6. *Ipsum Pontificem de Pectoralis concavo Urim in apricum protulisse* (parvam scilicet statuam a pupis quibus virgines in ætate infantili utuntur non multum absimilem) *quæ statua a Pontifice populo adstanti ostentata, omnium oculos luce sua perstringeret; atque tunc interrogata, responsa daret*; Nimirum actio Oraculum consulendi ludus erat mimicus; Histrio erat ipse Sacerdos, Urim vero imaguncula, ceu oscillum erat, *une marionette*, quæ Dei nomine loquebatur, cum e Sacerdotis Pectorali velut e præstigiatoris marsupio extracta esset: Annon quæso hoc est in re maxime seria jocari? Cum enim ex Spenceri mente Urim & Thummim duæ essent statuæ intra Pectoralis duplicationem latentes, nonne Urim consulturus Sacerdos per errorem aut inadvertentiam, potuit extrahere Thummim, & e contra cum Thummim consulendus erat, Urim proferre potuit, atque ita recondendum erat simulacrum quod intempestive deprompserat, ut alterum extraheretur: Hæc omnia sane Dei majestatem, oraculi excellentiam, Sacerdotis gloriam atque gravitatem dedecent, unde potius rideri quam refutari debent; Verum quænam fuerit de Thummim in specie Spenceri sententia videamus, eamque examinemus.

Quod de Urim dixit Spencerus simulacrum fuisse Theraphim olim dictum in Pectorali latens, idem fere de Thummim dicit, simulacrum aliud fuisse, ab

Urim

Urim distinctum, nomine, officio & forma, atque prope illud in Pectorali latens, quod sic probare conatur, *Thummim*, inquit, *a seculi etiam consuetudine aliqua ortum petiit & vocabuli alicujus Ægyptiaci olim in usu sensum & potestatem dissimulavit*. Istud autem elicit Spencerus ex Æliano & Diodoro Siculo; Ex Æliano quidem hunc locum citat desumtum ex histor. variar. lib. 14. cap. 34. *Apud Ægyptios a prima antiquitate qui judicabant Sacerdotes erant, Eorum autem Princeps fuit, qui cæteros ætate anteibat, ille in omnes jus dicebat; Eum autem esse oportebat omnium & justissimum & parcentem nemini; gerebat autem de collo imaginem ex Sapphiro*, καὶ ἐκαλεῖτο τὸ ἄγαλμα Ἀλήθεια, *eaque imago dicebatur veritas*. Diodorum vero Siculum lib. I. describere ait summum Judicem, ἔχοντα τὴν ἀλήθειαν ἐξηρτημένην ἐκ τοῦ τραχήλου *qui haberet de collo pendentem veritatem*, eundemque Diodorum in sequentibus sic loqui ait, *Salaria præbebantur amplissima vero summo Judici, gestabat autem ille in collo ex aurea catena pendens e lapillis pretiosis simulacrum, cui veritas nomen, hoc autem veritatis simulacrum Judiciorum principi aptatum, causas cognoscendi auspicium fuerat*. Post hæc Ægyptiorum Pontificem Judaico Pontifici confert Spencerus, atque vult hujus ritus & mores ab illo mutuatos esse: *Etenim*, inquit ille, 70. *Interpretes vocem* תמים *per* ἀλήθειαν *reddiderunt, quæ vox a genuino vocis Hebraicæ sensu recedit pro ea enim vox* τελειότης *quæ minus coacte vocem Hebr.* תמים *interpretatur usurpari potuit, hujus autem translationis causa probabiliter inde venit, quia probe norunt 70. Interpretes, imaginem Thummim dictam de Pontificis Judaici cervice pendentem, a Pontificis Ægyptiaci simulacro* ἀλήθεια *dicto, originem accepisse*. Hæc Spencer. cap. 4. Sect. 12. Ad hæc autem, dico I. Totum imaginantem & quidem ingeniose Spencerum esse, qui imagines sibi & nobis ubique imaginat: At non consulto ipsum fecisse dum simulacra, eaque ab Ethnicis mutuata in Religionis Divinæ mysterio μυστικωτάτῳ inserviisse vult. Nullomodo sane verisimile est, quin potius a ratione alienum, Deum qui adeo severissime Idola & imagines in Lege sua prohibuit, eorum ministerio de futuris fari voluisse; Ac sane si Deus in oraculis reddendis imaginibus & simulacris quæ diaboli mancipia aut saltem juxta eorum exemplar formata dici poterant, uti voluit, qua ratione quæso de Judaicis legibus dici poterit, *Nihil a ratione dissonum, fabulosum nihil; nihil superstitionem olens in eorum sacris constitutum esse*. Illud Plutarchus de Ægyptiorum institutis asseruit, at Judæorum ritibus, eorumque Religioni convenientius aptari posse vult Spencerus, cap. 5. Sect. 4. Adhæc vult ipse Spencerus, cap. 4. Sect. 1. *Pectoralis angustias ad plura instrumenta, nisi admodum parvula, continendum non suffecisse*: quomodo igitur statuere conatur Urim & Thummim duo fuisse simulacra in ipso Pectorali latentia? Urim enim cum simulacrum esset *ad humanam similitudinem formatum*, ex ipsius Spenceri suppositione, cap. 4. Sect. 2. etiamsi fingeretur ad Puparum quibus utuntur infantes exemplar formatum esse, non adeo parvulum esse potuit, ut intra Pectoralis plicaturas commode recondi potuerit; Thummim autem, ut ut exigua mole fuerit, vacuum adhuc in Pectorali debuit esse, ut ibi collocaretur, Pectorale vero duplicatum factum fuisse credi non debet, ut in eo grandiora reconderentur corpora, duplicatum enim fuit, ornatus præcipue gratia, ac ut duodecim lapides commodius in eo insererentur, duplicatum dicitur, quia assutum textum interius habebat, quo gemmarum sutura occultaretur, & qui prohiberet quin ipsa usu conficeretur, atque ad hoc forsan respexit Philo in loco superius agitato, dicens, *Rationale duplum constructum esse, ut quasi basis esset*; Verum supposito quod duplicatum fuerit, & ab uno latere apertum, ut in eo aliquid inferri posset, quod quibusdam magnis viris placuit: An quæso duæ imagines recondi poterant in illo Pectoralis duplo, cujus longitudo & latitudo palmi unius erant, nisi perexiguæ fuissent. Hic enim notandum non imaginari a Spencero imagines pictas, neque typi mollioris, sed simulacra e ligno aut metallo, aut lapide, aut ex alia quacunque materia fabricata, quam non definit Spencerus. Itaque molem aliquam habebant & locum occupabant illa duo simulacra; Verum ut propius ad rem veniamus, Dico II. Posito illos omnes Ægyptiorum ritus, eorumque Sacerdotum mores quos Spencerus memorat, ab ipsis usurpatos esse, & cum ritibus Judaicis affinitatem habere, inde tamen non inferendum, Judæos suos mores ab Ægyptiis mutuatos fuisse cum illos ab Ægyptiis exerceri observassent dum apud eos commorarentur; Omnia enim Judaicorum Sacerdotum ornamenta, ac præcipue Oraculum Urim & Thummim,

Israe-

Israelitarum excogitationes non fuerunt, aut hominis alicujus inventa, verum omnino juxta Dei præscriptum facta fuerunt, qui sane hic Idololatrarum simia noluit esse, eos enim imitari noluit nequidem in indifferentibus, sed potius populum suum a gentium profanis ritibus quam longissime semper abductum esse voluit, ut recte statuit Ursin. Arboret. Biblic. cap. 2. Sect. 6. ubi ostendit, Mores gentium qui cum Judæorum institutis aliquam habuerunt affinitatem, ex ipsarum gentium κακοζηλίᾳ atque diaboli θεομαχίᾳ ortos esse, cujus rei specimen ibi dat, demonstrans Græcorum Thyrsophoria in honorem Bacchi instituta, a Judæorum more, juxta Dei præscriptum quod habetur Levit. 23. in Scenopegiis observato, ortum duxisse. Eadem hac κακοζηλίᾳ factum dicamus, quod cum summus Hebræorum Pontifex in sacris peragendis multa tintinnabula gerebat, Cybelis etiam Sacerdos cum tinnitu cymbalorum & sonitu tympanorum sacra faciebat. Inde & apud Colchos, Ægyptios, Troglodytas, Æthiopes atque Syros, Circumcisio in usu erat, eaque labes corporum atque eluviones dilui putabant, quam etiam receperant, quia non mediocriter vitæ commodis eam conducere arbitrabantur, vel ut omne arcanum & pudendum facinus invelatum fieri ostenderent. At circa hæc consuli potest Dilherr. in κακοζηλίᾳ gentium. Verum his missis probandum esset Ægyptiorum Sacerdotes hos observasse ritus de quibus Ælianus & Diodorus, atque illis usos fuisse antequam Judæi ex Ægypto egressi essent, alioquin probabile, imo evidens est, suos mores Ægyptios a Judaica Religione mutuatos esse, quæ Grotii & Schefferi, quorum Spencerus nobis testimonia suppeditat, mens fuit, quibus & assentitur Selden. qui de Synedr. veter. Heb. lib. 1. cap. 7. afferit, *Compertum esse Ægyptios mores Judaicos imbibisse, eisque adsuetiores fuisse;* Imo si plerarumque gentium mores & ritus consideremus, multa a Judæis mutuata esse conspicuum nobis erit, recte enim Rivet. Exerc. 42. in Genes. *Ex κακοζηλίᾳ qua mundus in quibusdam solet imitari Ecclesiam, partim instigante diabolo, varia sacrificia & ritus etiam apud Ethnicos observari cœperunt;* Cujus rei probationes peti possunt ex Joh. Fabric. in Cacozel. gent. pag. 2. cap. 1. Saubert. de Sacrific. Voss. de Idololatr. lib. 1. cap. 30. Mares. Refut præ-Adam. quæst. 1. Ea & fuit sententia Sherlogi. Ex quo tamen, ut hic Spenceri scientiam detegamus, videtur ipse Spencerus hanc suam opinionem hausisse, etsi in contrariam iverit sententiam; Ipse enim Sherlog. Antiquit. Hebr. lib. 1. dissert. 4. Sect. 14. ait, *gemmarum quas summus Hebræorum Pontifex in Ephod portabat, nonnullam cerni adumbrationem apud Ægyptios*: Ibidemque loca Æliani & Diodori a Spencero allata citat, ipsumque Christophorum Castrum memorat, quæ omnia sane evincunt, illam de Thummim sententiam Spencero natam esse, cum illum autorem dormitans legeret. Verum ut in specie demonstremus hosce ritus quos Ælianus & Diodorus narrant, ab Israelitis verisimiliter mutuatos fuisse, quo tempore tum Ælianus, tum Diodorus ipse scribere potuerint inquirendum nobis venit; Ideoque ut hæc accurate quoad fieri potest nobis patefacta fiant, omnes hic observare velim; Hermem Trismegistum qui primus Ægyptiis literas dedit, atque primus omnium libros (sacris etiam non exceptis) edidisse merito diceretur, si duo dialogi Pimander & Asclepius, opus suppositium non essent, circa Annum mundi 2000. floruisse, 50. aut circiter Annis post Abrahami nativitatem, & 450. aut circiter Annis ante Legem Mosi datam: Tunc autem, ut verisimile est, nulla aut saltem pauca habebant Ægyptii sacra; Osiris enim ceu Apis, qui & Isidis maritus fuit, atque eum ipsum fuisse qui tempore Josephi vixit a quibusdam creditur, Anno mundi 2200. natus est, ab illis autem Osiride & Iside, pleraque Ægyptiorum sacra originem sumsisse videntur. At Homerus antiquissimus ex Ethnicis scriptor, qui circa A. mundi 3050. floruit, Pherecydes qui de natura Deorum scripsit & A. mundi 3320. floruit, Pythagoras vero egregius Philosophus Anno 346. Herodotus antiquissimus historicus, qui An. mundi 3520. vixit, Thucydides qui A. 3550. Xenophon qui A. 3560. Plato vero qui Divinus cognominatus est, A. 3570. floruit, atque is forsan quædam Judæorum mysteria didicerat, fertur enim sacra Biblia Græce legisse, unde inferri potest quosdam libro sacros (libros forsan Mosis) tunc temporis in linguam Græcam jam esse translatos, quod sane negari non debet, cum aperte doceat Euseb. de præpar. Evangel. per totum librum 12. In Judæorum mysteriis ac legibus ex lectione Mosis Platonem institutum fuisse, quod & evidentissimum fit ex his Aristobuli verbis, quæ habemus apud ipsum Euseb. lib. 13. cap. 7.

Apertissimum quidem est leges & disciplinam nostram diligenter fuisse Platonem secutum, Non enim latet si quis attentius eum legat, perlectam ab eo, & quidem diligenter Scripturam fuisse; Scimus etiam omnes ante Demetrii Phalerei tempora, imo vero ante Alexandrum & Persarum imperium, quinque Mosis libros in Græcam linguam, quamvis non commode, traductos fuisse. Ex hac autem traductione desumi potuisset ab Ægyptiis ritus iste Judaici Sacerdotis, at nequidem nobis patet illum tum temporis ab iis agnitum fuisse, nullus enim prædictorum scriptorum aliquid retulit quod historiæ a Diodoro Siculo & Æliano relatæ ullomodo conveniat; Ac sane hujus rei silentium demiror in Herodoto præcipue; Is enim ut ait P. Phœnix Lutrensis, *quicquid Annis* 240. *præclare a Græcis & Barbaris gestum est, in uno perquam eleganter opere complexus est;* Ille Herodotus sc. lib. præsertim 2. multa de Ægyptiis habet, eorum mores recenset, de eorum Sacerdotibus loquitur, quorum cibos, vestes & consuetudines refert, de hac tamen historia prorsus silet, quo facile persuadetur hunc morem a Diodoro & Æliano narratum, in eorum sacris susceptum adhuc non fuisse: De hoc etiam siluerunt duo præclari historici, Berosus sc. qui floruit A. 3690. & Polybius qui circa A. 3760. antiquissimam historiam Romanam scripsit: Primus igitur qui de hoc Ægyptiorum more locutus est, fuit Diodorus Siculus qui A. mundi 3915. floruit, unde autem quæso fieri potuit quod cum ante Diodorum Siculum multæ per totum orbem floruerint scholæ, quibus mediantibus literæ & scientiæ undiquaque pervenerunt, quod tam præclari scriptores supra memorati qui ante ipsum Diodorum vixerunt, sicque hunc morem alicubi saltem memorare potuerunt, nullibi tamen ante Diodorum illum, saltem quod hactenus nobis sit manifestum, de hoc ritu agitur? Si enim diu ante ipsum Diodorum viguerit hic mos apud Ægyptios, sane non video quare de illo nullum nobis supersit monumentum eo Diodoro vetustius: Cum igitur hic nullus nobis præeat, conjectare nefas non est, nec forsan absurdum erit illud hoc modo facere: Circa Annum mundi 3650. visi sunt Ægyptii admodum curiosi fuisse rituum sacrorum Judaicorum cognitionem acquirendi. Illo enim tempore Biblia Hebræa in linguam Græcam translata sunt, cura Ptolemæi Lagi Ægyptiorum Regis, vel si aliorum sententiam amplecti velimus, cura Ptolemæi Philadelphi Lagi filii circa An. 3700. Tunc autem Ægyptii omnium scientiarum cupidissimi, plurimos Judaicos mores recipere potuerunt, eosque in suis sacris introducere, atque temporis progressu, & forsan transacto multorum Annorum spatio, ritus iste a Diodoro & Æliano memoratus a Judaicis ritibus aliquomodo desumtus in Ægyptiorum Sacris introductus fuit; Atque eo facilius in hanc venio sententiam, quod tunc præsertim Ægyptios scientiis deditissimos, earumque curiosos fuisse credere est, cum Ptolemæus Philadelphus magna cura, magnoque sumtu instructissimam Bibliothecam sibi comparaverit, quadringentis quippe, vel ut vult Ammian. Marcellin. lib. 22. septigentis librorum millibus exornatam. Inter hos autem libros multa proculdubio scripta fuerunt de rebus Judaicis, quod & evidens est ex præfatione Siracidis in suum librum: Is enim sub Ptolemæo Evergete qui Philadelpho successit, Ægyptum profectus, testatur, *Ibi se reperisse exemplar non parvæ eruditionis;* cum quo sane multi alii potuerunt inveniri libri de doctrina & ritibus Judaicis, quibus & sequentibus annis addita fuerunt opera Aristobuli Judæi insignis Philosophi qui circa An. 3780. *Ptolemæi Philometoris hortatu Commentarios in Mosem scripsit*, referente Galatino de arcan. cath. verit. lib. 1. cap. 3. Imo hoc adhuc, eoque notatu dignissimo, firmatur hoc meum dictum, quod circa An. 3810. Onias, Oniæ apud Judæos Pontificis filius, Heliopoli in Ægypto templum condiderit, quod quidem struxit juxta exemplar templi Hierosolymitani, constituitque Sacerdotes & Levitas qui in illo Templo sacra peragerent, ut videre est apud Joseph histor. Jud. lib. 13. cap. 6. unde factum est quod in Ægypto, Alexandriæ præsertim, multi fuerint Judæi qui simul conveniebant, ac ibi in dies augebantur, unde & Ægyptii paulatim ritibus usi sunt Judaicis, ut idem testatur Joseph. lib. 14. cap. 12. Ex his autem inferre licet, Oniam tunc Ægyptios multa Judæorum sacra docuisse, quæ tamen ab ipsis Ægyptiis lapsu temporis, fœde depravata sunt: Nam ex Peuceri testimonio Tract. de θεομαντείᾳ, *Nulla fuit gens amentior & stolidior, nulla in Deum contumeliosior tetrioris Idololatriæ superstitione, quam Ægyptia.* Ac iterum firmatur conjectura mea, hunc morem scil. a Diodoro & Æliano memoratum sero ab Ægiptiis receptum esse, & forsan post tempora Philadelphi, ex eo quod illo se-

seculo lingua Græca apud Ægyptios venacula & popularis fuerit, unde imago illa e collo Sacerdotis Ægyptiaci pendens, vocabulo græco denominata fuit, neque nobis patet illi unquam imagini nomen Ægyptiacum impositum fuisse, quod enim dicit Spencer. cap. 5. Sect. 3. *Nominis Ægyptiaci a veteribus Ægyptiis illi simulacro impositi memoriam periisse*; illud sine ratione, atque sine ulla probatione dicit, adeoque tanquam nugæ a nobis accipitur; Nullomodo sane verisimile est nomen illud Ægyptiacum prorsus contumulatum esse, sed de nomine aut ipsa re aliquod nobis superesset monumentum apud autores qui ante Diodorum floruerunt. Verum, Bone Deus? Quare quæso nullum de hac re monumentum nobis reliquerunt rerum Africanarum historici, aut veteres ut Salustius & Livius, qui circa Annum 3930. floruerunt, Silius Italicus qui A. Christi 85. Orosius qui Christi A. 416. vixit, Aut recentiores, ut Jovius & Leo Afer? Unde etiam illi qui res Ægyptias ex professo tractarunt nihil de hoc memorant, ut præter Herodotum & alios, Strabo, qui floruit circa tempus quo Christus in terris vitam duceret? Unde etiam factum est quod multi præclari historici qui post Diodorum Siculum vixerunt & Ælianum præcesserunt, de hoc Ægyptiorum more prorsus siluerunt; Nil de hoc Pomponius Mela, qui A. Christi 40. floruit, neque Plinius historicus qui A. Christi 70. Imo Plutarchus qui A. 100. post Christum floruit, in Tractatu suo de Osiride & Iside nihil omnino dixit quod ullomodo conveniat ad illud quod a Diodoro & Æliano refertur, cum tamen agatur ibi de Ægyptiorum sacris, quorum *callentissimus fuit*, ut recte annotat Selden. de Diis Syr. Syntagm. 1. cap. 4. Nihil etiam de hoc habent Cornel. Tacitus, & Suetonius, qui A. Christi 110. floruerunt, neque Appianus qui A. 120. vixit. Solus vero post Diodorum Ælianus, qui A. Christi circiter 130. vixit, hoc est integro & amplius post Diodorum seculo, A. scilic. mundi 4045. hunc Ægyptiorum ritum commemorat; Illi igitur duo soli per tot secula scriptores, quod plerique alii non minus diligentes, curiosi aut docti, omiserunt, memorarunt, rem scil. notatu dignissimam, ritum Ægyptiorum sacratissimum, a quo Majestatis & decoris eorum Sacerdotibus multum conciliabatur, per illud sane Diodori & Æliani relatio multum infirmatur, atque probari videtur illam esse fabulosam; Verum horum scriptorum authoritatem elevare nolim, at mihi concessum velim, per hoc omnium authorum præter Diodori & Æliani silentium, evidenter demonstrari hunc Ægyptiorum ritum non adeo antiquum esse, illiusque originem quibusdam solum forsan Annis, seculo velim, Diodorum præcessisse. Post tempora igitur Philadelphi receptus est hic ritus apud Ægyptios, atque in eorum sacris admissus ad oraculi Dei aliqualem imitationem, cujus cognitionem quandam acquirere potuerunt, edocti de illo, sive viva voce, sive librorum sacrorum lectione; Ritum vero Judaicum, ut jam innuimus, misere corruperunt, propensissimi quippe ad Idololatriam Ægyptii, Thummim Judæorum voluerunt esse simulachrum; Ignorantes enim quid vere Thummim esset, illius exemplar fabricaverunt, populi Ægyptiaci indoli valde conforme, cæterisque suis ritibus consonum: Et quia viderunt Thummim Judæorum a 70. Interpretibus ἀληθείαν dici, ignorantes significationem vocis illius Thummim, voce a 70. Interpretibus usurpata usi sunt.

Quod autem reponit Spencerus, *Vocem Hebræam* תמים *apposite explicari potuisse per vocem* πλειότης, *at Interpretes hic usurpasse vocem* ἀλήθεια, *quæ minus commode sensum vocis Hebraicæ exprimit, quia scil. voluerunt illi Thummim sui exemplaris nomen atque titulum retinere*: Illud nullius est momenti. Ad hæc enim respondeo I. Si quis Spencero aliquomodo favere velit, simulque erga 70. Interpretes minus gratiosus esse, dicendum erit; Tempore forsan Ptolemæi, voluisse Ægyptios Sacerdotes suos veri Dei Sacerdotum imitatores, potius simias esse, ex illorum itaque collo suspensum esse aliquid quod ex eorum mente Pectorali Judaico responderet, cum autem 70. Interpretes Ptolemæi authoritate in Ægyptum adducti sunt, illi Sacerdotum Judaicorum quasi umbram in Ægypto conspicientes, atque Regi populoque placere cupientes, in locum vocis תמים vocem ἀληθείαν quæ apud Ægyptios visitata erat introduxerunt; Quod partim forsan in causa fuerit quare hæc versio ab Ægyptiis magni æstimata est, ita ut in Insula Pharo ubi volunt illa translationem factam esse, anniversarium festum in illius versionis adornatæ memoriam, fuerit celebratum: Imo eo confidentius dici possunt illi Interpretes Regis populique moribus inservire voluisse, quod vulgo afferant Judæi, illos 13. loca immutasse,

ſe, ne Regium animum offenderent: ſi autem illos 13. loca immutaſſe in confeſſo eſt, plura ſane immutare ac corrumpere potuerunt, unde & fatentur alicubi Judæi 18. loca ab iſtis Interpretibus immutata fuiſſe, atque inde dicendum erit non ſine cauſa amice & honorifice a Rege Ptolemæo illos exceptos eſſe, ut ex illorum patet hiſtoria; Atque illud placendi ſtudium in Interpretibus illis probabile adhuc fiet ex eo quod tunc temporis multi Judæi per Ægyptum, Alexandriam præſertim, diſperſi erant, ut igitur gratia tum apud Ægypti Regem, tum apud ipſius populum iis conciliaretur, illa potuerunt 70. Interpretes uti indulgentia, quæ tamen non excuſanda: factæ ſunt enim immutationes illæ fatentibus Judaicis gloſſatoribus, ut conſuleretur aut paci, aut famæ gentis. Ita ſane aliquomodo ſolvi poſſet Spenceri argumentum; Verum ut more conſueto ſincere loquamur, hæc mihi non ſatisfaciunt, ut pote fundamentis infirmis fulta, quamvis illorum 70. virorum tum eruditionem, tum pietatem prædicare nolim, ut eruditiſſimus fecit Fuller. qui Miſcellan. lib. 2. cap. illam *præſtantem*, hanc vero *ſummam* dicit. Ac multo minus aſſentiri velim Auguſtino de civit. Dei libr. 18. cap. 43. & 44. ubi de illis diſſerit Interpretibus, de quibus nominatim ita loquitur. *Spiritus qui in Prophetis erat quando illa dixerunt, idem ipſe erat etiam in 70. viris quando illa interpretati ſunt*. Item: *Utraque authoritate utendum putavi, quoniam utraque una atque Divina eſt*. Ut igitur melius Spencero ſatisfiat, reſpond. II. Non hic locum eſſe de verſione 70. Interpretum fuſe diſſerendi, alioquin cum ejus hiſtoria multis fabularum involucris in voluta ſit, ut vel patet ex horis Hebraicis & Talm. doctiſs. Ligtf. in 1. Corinth. in addendis, cap. 7. & ſeq. demonſtrari poſſet ex hac vocis ἀληθέιας intruſione nullam probationem eſſe, præſertim cum illa verſio varie corrupta fuerit, certumque ſit eam vel in totum periiſſe, vel ſaltem ex parte, ita ut qui ei etiam favent, eam adeo vitiatam fateantur, ut omnino alia eſſe videatur, unde vel ſolum patet ex ea probationes firmas erui non poſſe; Quin ſententia eſt multorum ſummorum virorum, verſionem illam Græcam quam præ manibus habemus nequaquam 70. illorum Interpretum fœtum eſſe, ſic inter alios ſenſit Druſius obſervat. lib. 6. cap. 9. dicens, *Innumeros in illa verſione locos eſſe qui ſermonis Hebraici magnam arguunt imperitiam*. Reſpond. III. Non omnino a veritate deſciviſſe Interpretes illos 70. aut alios, quando vocem תמים per ἀληθέιαν reddiderunt: patet enim illos in translatione vocum אורים & תמים ad ſenſum potius quam literam & verba reſpexiſſe: nec enim אורים proprie eſt δήλωσις *Manifeſtatio*, neque תמים proprie eſt ἀλήθεια *veritas*: Illis tamen vocibus uſi ſunt Interpretes, quia illæ res Urim & Thummim dictæ, virtutem habuerunt δηλώσεως & ἀληθέιας, *manifeſtationis* & *veritatis*, veritatem quippe manifeſtarunt: Ad operationem igitur τῶν Urim & Thummim, eorumque uſum ac effectum reſpexerunt, cum eorum nomina accurate explicare non poſſent, quid proprie eſſent ignorantes: Unde etiam paraphraſis Chald. ſaltem cum vox אורים pro oraculo ſumitur, eadem verba retinet mutata ſolum forma, etſi verba pure Hebræa ſint, & explicat ſolum operationem τῶν Urim & Thummim, non eorum naturam, ותתן ית אוריא *Et pones Urim quæ illuminant verba ipſorum, & revelant occulta domus Iſraelis*, וית תומיא *& Thummim quæ perficiunt operibus ſuis Sacerdotem magnum qui per ea quærit doctrinam a Domino*: ſic loquitur Jonathan in Paraphraſ. Chald. ad Exod. 30. 28. At Spencerus ipſe ſuum ipſius argumentum diluit, nam cap. 4. Sect. 13. fatetur *has duas voces* תמים *ſcilic. &* ἀληθέιαν, *proxima ſignificationis ſpecie conſentire*, vocem enim ἀληθέια vult ſumi ethice pro cordis veritate & integritate, ac vocabulum תמים ejuſdem generis veritatem quam אמת. i. integritatem & ab omni injuſtitia immunitatem ſignificare vult, quæ omnia appoſite ex plurimis Scripturæ S. locis ibidem demonſtrat, quin ipſe cap. 5. Sect. 2. expreſſe dicit, *vocem* ἀληθέιαν τȣ̃ תמים *Hebræorum pene ſynonymam eſſe*, & Sect. 3. fatetur, תמים & ἀληθέιαν *proxima cognatione & ſimilitudine conjuncta eſſe*: Spencerus igitur ratiocinium quod ex harum vocum תמים ſcil. & ἀληθέια diſconvenientia formaverat, diluit ipſe, atque hac quidem in parte turdum egit, ipſique imprudenti ratio vera ſurrepſit; Verum circa hæc fuſius conſule Buxtorf. Hiſtor. Urim & Thummim cap. 2.

At inquit Spencerus eodem cap. 4. Sect. 12. *Veriſimile non eſt Ægyptios ab Hebræis ritum hunc accepiſſe, ſat enim conſtat Ægyptios ab Hebræis abhorruiſſe & per conſequens ab eorum moribus; Deinde ſi hic ritus Judaicus in Ægyptiorum ſacris tranſiiſſet, quidam alii ſane ſimul & tranſiiſſent, atque Judæorum imi-*

imitatores ſe præbuiſſent Ægyptii non ſolum circa Thummim, ſed etiam circa Urim, duas itaque ſibi imagines finxiſſent. Reſpond. Si Ægyptii Judæos odio habuerunt, illud odium tempore ſaltem Ptolemæi locum habuiſſe non videtur; Deinde ut ut a perſonis abhorruerint Ægyptii, mores & ritus exiſtimare potuerunt, quod vel ex ſola Ptolemæi cura in verſione Scripturæ S. conſpicuum eſt, de gente vero Judaica propter ejus ritus ea mens plurimis nationibus eſſe potuit quam Moſes Deuteron. 4. *6. 7.* Judæis ipſis proponit; Ac ſane notum eſt quantam exiſtimationem aſſecutus fuerit apud Alexandrum magnum Jaddus, vel ſecundum alios Simeon, ſummus Judæorum Sacerdos, quando ei obviam ivit ſacerdotalibus ornamentis inſtructus. Verum quicquid ſit, an veriſimile eſt Ægyptios magis a Judæorum moribus abhorruiſſe quam Deum ab ipſorum Ægyptiorum moribus? Ideo potius dicamus Ægyptios mores Judæorum ſumſiſſe, quam Judæos vel potius Deum (ipſe enim ſolus author, inventor ac inſtitutor fuit τῶν Urim & Thummim) Ægyptiorum. Fruſtra autem dicit Spencerus, *Ægyptios nullos alios Judæorum mores imitatos eſſe*; unde concludere vult, ne hunc quidem ipſos mutuatos eſſe, ſi enim hic locus eſſet, ſi neceſſitudo aliqua, & ſi Ægyptiorum ſacros ritus perquireremus, iſtud ſane veritati non omnino conforme eſſe demonſtraretur; quin hoc deſtruit Spencerus ipſe quando dicit *Ægyptios & Hebræos præ omnibus aliis moribus ſimillimos fuiſſe*: quod & Kircheri teſtimonio probat, dicentis; *Eorum in ſacris tantam eſſe affinitatem, ut vel Ægyptios Hebraizantes, vel Hebræos Ægyptizantes fuiſſe ſibi perſuadeat*: unde & factum fuiſſe ait Spencerus, *quod apud Romanos ſimul actum fuerit de ſacris Ægyptiis Judaicisque pellendis*: quod quidem Alexand. ad Alexandr. gen. dier. lib. 2. cap. 19. refert. *Piſone ſcil. & Gabinio Coſſ. cum Romani quoſdam Ægyptiorum Deos in Capitolium admiſiſſent, Harpocratem, Serapidem, atque Iſidem exegiſſe, illoſque divinis honoribus coli vetuiſſe, ſæpeque in Senatu actum fuiſſe de Ægyptiorum atque Judæorum ſacris cæremoniiſque pellendis, quod turpium religionum & novarum ſuperſtitionum cauſa & ſeminarium forent.* Quin ut idem refert, lib. 4. cap. 4. *Ædilium edictis cautum eſt ut Judæorum & Ægyptiorum ſacra, ritus & cæremoniæ ex urbe pellerentur & exigerentur.* Atque hic ad rem facit quod Apollo Pythius Hebræos veritatis inventores appellat, ut refert Theodoret. adverſ. Græc. lib. 1. qui & ibid. ait, *Phœnices, Chaldæos ac Ægyptios, multa ab Hebræis didiciſſe;* Ac ſane Moſes qui populo Judaico leges tulit, omnibus gentium hiſtoricis, Poetis atque Philoſophis antiquior fuit, ut notum, ac ipſis Gentibus a Theodoret. lib. 2. exprobratum eſt, & nos ſi Deus velit demonſtrabimus Præfation. in Pentateuchum illuſtratum; Unde ſane clarum eſt Gentium ſcriptores multa a Moſe aut aliis Judæorum ſcriptoribus excerpere potuiſſe, atque Ægyptios multos Judaicos mores ac ritus imitari potuiſſe. Deinde, iſta ſane Spenceri conſequentia nulla eſt, nec enim in omnibus Judæos imitari voluerunt Ægyptii, imo ea præſumtio & ſapientiæ opinio quas Ægyptiis tribuit Spencerus, cauſæ eſſe poterant quare Ægyptii paucos ſolum mores a Judæis mutuari vellent, at illæ non impediverunt quin iſtum mutuati fuerint, utpote venerandum, myſterioſum & hominibus perquam utiliſſimum, quem etiam Ægyptii uſurpantes ita fœdarunt, & adeo extraneis induerunt veſtibus, ut a Judæis illum ſumtum fuiſſe vix dignoſci poſſit, quod diaboli verſutiæ tribui poteſt, aut ſi velis, gentis Ægyptiacæ vanitati & gloriæ, quæ immenſæ ſane fuerunt, unde de illis Vopiſcus in Saturnino. *Ægyptii viri ventoſi, furibundi, jactantes, injurioſi, vani.* Et Plin. in Trajan. Panegyrico, eos dicit *ventoſam & inſolentem nationem.* Eadem & reponimus ad illud quod Spencerus obiicit; *Quod ſc. Ægyptii duo confinxiſſent ſimulacra, ſi iſtud a Judæis ſumſiſſent, quo ſic unum reſponderet τῷ Urim, alterum vero τῷ Thummim*; quibus & addimus, non in ea forſan mente fuiſſe Ægyptios cum Spencero, qui Urim & Thummim diverſa omnimode facit: Illi enim veriſimiliter Urim & Thummim quaſi unum & idem inſtrumentum duobus nominibus diverſa ejus officia diverſoſque uſus indicantibus, nuncupatum, reſpexerunt, & inde unicum finxerunt Idolum. Reponit adhuc ibid. Spencerus; *Deum vetera pene omnia quorum ſumma admiratione & deſiderio in Ægypto Judæi viventes ducebantur, iis conceſſiſſe, atque promtum eſſe conjicere ornamenta pene omnia quæ Sacerdoti ſummo gratiam & Majeſtatem addidere, genere Ethnico nata eſſe, & a Deo ad deliniendos populi animos in ſacrorum ſuorum ordinem adſcripta eſſe; Nam alioquin dici non poſſe quare Deus Pontificem Maximum tam ſplen-*

splendido vestium apparatu onerari voluerit; Ac sane, si hunc ritum Ægyptii a Judæis sumserunt, unde hoc fit quod inter gentium aliarum sacrificulos, nominis & formæ consimilis, ornamentum sacerdotale nullum reperiatur: hæc ille; Ad quæ Respond. Si qui ritus Judaici cum Ægyptiorum ritibus in aliquibus conveniant, demonstrandum esset Ægyptiorum ritus ritibus Judaicis origine priores esse, quod nunquam probabitur, saltem quoad sacratissimos ac mysteriosos ritus: Cum e contra multi populi, tum Ægyptii, tum alii, quosdam suos ritus a Judæis verisimiliter mutuati fuerint, neque Deus voluerit diaboli varia sacra quasi adoptare & probare, verum ad hoc jam satis responsum est; Si autem apud nullas gentes præter Ægyptios visum fuit ornamentum Sacerdotale Pectorali respondens, quod tamen non adeo certum est, quid inde? Ægyptii Judæorum vicini fuerunt, primi fere omnium Ethnicorum literas excoluerunt, præ aliis populis curiosi fuerunt, in rebus ad Religionem spectantibus diligentissimi, utpote falsorum Deorum sacris & cultui deditissimi, unde Judeorum ritus sacros quosdam mutuati sunt, quos aliæ Gentes forsan neglexerunt; Quanquam aliarum Gentium Pontifices, Pontificem Judaicum in quibusdam imitari voluerint, ut cerni potest apud Alexand. ab Alexandr. genial. dier. lib. 2. cap. 8. Imo & hunc ipsum morem de quo hic agimus quodammodo imitati sunt olim in hac nostra Gallia Druides, habet enim Bodinus de Republ. lib. 6. cap. 6. Summum Druidum præsidem e collo pendentem habere gemmam quæ veritatem insculptam habebat, quod recenset ille ex fide Ammiani Marcellini, qui quarto seculo Christiano floruit, ac cujus labore historia nobis superest fideliter ac diligenter conscripta rerum per annos 26. gestarum, qui incipiunt ab Anno Christi 353. aliis ejusdem scriptis quæ ab Anno Christi 97. historiam complectebantur hominum incuria amissis. Quod autem Deus Judæorum Sacerdotem adeo magnifice ornari voluerit, illud non nego factum partim ut illis ornamentis & tantis cæremoniis Judæos carnales & pueriles occuparet ac distineret, verum ea omnia sua habent propria documenta, atque illa prope intuentibus omnino mysteriosa videntur: Ad nauseam autem usque reponit Spencerus, *multos Judaicos ritus Gentium rituum æmulationes esse*: si itaque fides illi sit adhibenda, dicendum erit, ritus fere omnes, ornamenta fere omnia quibus Deus in suo cultu uti voluit, a gentibus mutuata fuisse, at sic sane nulla erunt mysteria quæ per hæc omnia nobis deteguntur, nullæ erunt convenientiæ quas inter Judaicum Sacerdotem & summum nostrum Sacerdotem Christum scil. damus, tandem non vere dixerit Apostolus Hebr. 10. 1. *Legem bonorum futurorum umbram obtinuisse*: si ii legis ritus a Gentium ritibus originem duxerint; At vero notum per totum Leviticum cultum ac præcipue summum Sacerdotem, varios datos fuisse Christi typos, nec dubium quin ad hoc respexerit Deus ipse in institutione τῶν Urim & Thummim, unde & Clariss. Buxtorf. demonstrat, summum Pontificem per Urim & Thummim varie Christi typum fuisse: Is consuli potest Histor. Urim & Thummim, c. 6. ut & Polanus Syntagm. Theolog. lib. 9. cap. 38. Imo illi ritus si Spencerum audiamus, Deum proprie non agnoscent authorem, quod enim in iis mutatum & correctum est, *paululum est*, *circumstantias tantum*, *non ipsarum rerum caput spectat*, uti vult ipse Spencerus, cap. 5. Sect. 3. & 4.

Verum quoniam hunc Spenceri sensum, multos scil. Judaicæ religionis ritus a gentium ritibus desumtos esse, in hominum animis radices agere nolim, supradictis omnibus hæc addere velim quæ ingrata non erunt atque rem elucidabunt: In Ecclesiæ sane Christianæ formatione permisit quidem Deus adoranda sui Providentia ut quidam gentium ritus atque cæremoniæ in Christianam transirent Religionem: Cum enim gentes omnes indiscriminatim in Dei familiam advocaret atque reciperet Christi Evangelium, quædam ex antiqua illarum superstitione retenta quidem fuerunt, sed in melius versa; Quoniam enim τὸ μεταδιδάσκειν χαλεπώτατον *difficillimum est deducendo priora nova docere*, quamvis aliquando verum sit illud,

Est quoque cunctarum novitas gratissima rerum,

Non tamen verum deprehenditur in Religionis negotio, in qua potissimum re consuetum est ac naturale ut omnia nova sint suspecta, atque primo receptas opiniones mordicus retineamus, juxta illud.

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

Unde & factum est quod Ecclesiæ Doctores illam novitatis conconceptam opinionem ex hominum animis eradicare

re voluerint, ut vel patet apud Tertull. in Apologet. advers. gent. & apud August. passim in libr. de Civit. Dei. Inde ut minus a fide averterentur gentes, atque Evangelium lubentius amplecterentur, illorum ritus non in totum deleri voluit ipse Dei Spiritus, sed quorumdam saltem adumbrationes in religione Christiana conspici, atque sic ut ait Beda: *Pertinaci paganismo mutatione subventum est, cum rei in totum sublatio potius irritasset*. Inde & ipsi Christiani exercitus ductores, ac primi Ecclesiæ Christianæ doctores quædam ex Paganis desumserunt, ceu nomina, ceu cæremonialia, quæ Christanis legibus admiscuerunt, quibus ipsi Pagani libentius ad fidem venirent Christianam: Hinc dicamus, Paulum ipsum ex inscriptione Atheniensium aræ quæ ignoto Deo dicabatur, occasionem sumsisse verum Deum ipsis Atheniensibus annunciandi, quo facilius illi ad ipsum ejusque Christum accederent, vid. Act. 17. 22. 23. ubi memorandum venit illud August. lib. de un. baptism. contr. Petilian. cap. 5. *Noluit Apostolus destruere verum quod invenit in lapide Paganorum*; Hinc etiam in primis Christianismi seculis, quædam ab ipsis Paganis sunt mutuata, quod sane bono animo factum, veritati postea damnosum fuit, ac cum illis primis temporibus indifferens saltem haberi posset, subsequentibus malum, noxium ac exitiale patet, pravo scil. hominum usu, cum res quæ initio adventitiæ in religione habebantur, necessariæ factæ fuerint, atque ipsius religionis medulla habitæ, vel cum illud quod initio tolerari poterat ut Christo multos lucrifacerent Evangelii præcones, delendum postea fuit postquam experti sunt illi nullius illa utilitatis esse inter Christianos, unde & sæpe prisci doctores Paganorum ritus servari ægre tulerunt, sicut speciatim ostendi potest de more assidendi post orationem quem improbavit Tertullian. libr. de orat. *Porro*, inquit, *cum perinde faciant nationes vel adoratis sigillaribus suis residendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur quod apud Idola celebratur*. Quoad Judæos vero nulla fuit legitima ratio quare gentium ritus in illorum religionem admitteret Deus, nec enim ille gentes ad religionem Judaicam adducere voluit, atque in fœdus suum recipere, contra durante Oeconomia Mosaica, illas omnino rejecit, Psalm. 147. 19. 20. unde & multoties Judæis ipsis a gentibus quoad mores ac ritus secessionem demandavit, ut jam demonstravimus: unde nec a gentibus aliquid mutuare voluit Deus ut illos sibi lucrifaceret, neque dicerent novam esse Judaicam religionem. Jam enim ab ipso Abrahamo sancitum fuit fœdus cum illius semine, cum scil. vix ulla falsa religio sua statuisset decreta: Quod si Judaicæ religionis initia a lege per Mosem data desumamus, sane quoad moralia non poterant illa a gentibus non probari atque nova dici, cum legi naturali consona sint, Judicialia item ipsarum gentium jura non evertebant, sed potius confirmabant, quoad cæremonialia vero, potuerunt quidem illa multis gentibus esse ingrata ac odiosa, verum nullomodo curabat Deus per totam Mosaicam Oeconomiam ut alia gens præter Judaicam Legem suam amplecteretur.

At hic in transitu notemus quam multa habeat ἀπίθετα Spencerus: Is cap. 4. Sect. 12. dicit *Ægyptios simulacrum* ἀληθείας *dictum semper tenuisse*, *Urim vero tanquam rem novam & ex Hebræorum ingenio natam habuisse*, *atque penitus repudiasse*, Attamen ipse ejusdem cap. Sect. 5. dixerat, *Apud Ægyptios a profundissima antiquitatis memoria*, *usum Serapum obtinuisse*, quos vult fuisse imagines ejusdem muneris, figuræ & nominis cum Theraphim (quos postea Urim dictos vult) eosque Serapos Mosis seculo templa, vicos, angulos, domos, semitas, & omnia vult implevisse; Nimirum de Spencero dici potest, quod ἐματαιώθη ἐν τοῖς διαλογισμοῖς σοῦ, quod sane in multis patet locis, quæ nos brevitatis causa præterimus.

Quoad autem Philonis locum a Spencero allatum, ex quo elici posse videtur Ægyptiorum sacerdotem gemmas tulisse, quæ primam Pectoralis Judaici occasionem præbuisse videntur, is nos non distinebit, quæ fides enim ei debeatur vidit Spencerus ipse, qui satis evidenter hoc pro nugis & fabulis habet, cum dicat *inventum esse in Philonis fabularum sterquilinio*.

Atque hæc quoad Oraculi Urim & Thummim essentialia satis dicta sunto; Multa præterea habet Spencerus quæ attingere non est animus, utpote hac in materia minus necessaria; Verum quoniam ille prolixus est in reddendis rationibus istius oraculi Divini denominationis, ad quod totum caput 5. illudque satis prolixum insumit. Pauca hic annotabimus, Quamvis, ut verum fateamur, parum interest scire quare Deus oraculo suo hæc imponere voluerit nomina, quinimo illud hominibus cogni-

cognitu ut non necessarium, ita nec facile est, hic enim, si alicubi, dicere possumus *ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ?* quis enim cognovit mentem Domini, verum hic modeste & consulto loqui nefas non erit. Spencero assentior post Buxtorfium asserenti vocem אורים *ignes vel luces significare*, תמים vero *perfectiones & integritates*. Multa autem ariolatur Spencerus dum horum nominum rationes reddere conatur, quarum alias primarias, alias vero secundarias dicit; Sane quod ait Sect. 2. illius capitis, *nomen Urim apte convenire Angelis, iisque accomodari*, a veritate alienum est, quamvis enim Angeli si eorum naturam & officium consideremus, אורים aliquomodo sint, habito respectu ceu ad ignem, ceu ad lucem, nusquam tamen in Scriptura S. voce אורים designatur Angelus, ut superius diximus; Angelus igitur aliquomodo est אורים; at אורים non est Angelus, unde Spenceri conseqnentia nulla est: Etsi vero concederetur quod Spencerus ibidem probare intendit, *Deum scil. responsa sua voce e Pectorali ministerio Angeli exeunte dedisse*, quod tamen pauci dabunt, inde tamen non sequetur ab Angelo oraculum illud fuisse denominatum; Quod vero probare conatur vocem Theraphim cum Urim eandem esse, superius confutatum fuit; Multa etiam habet Spencerus, ejusdem cap. Sect. 4. ubi illius oraculi denominationis rationes quas secundarias dicit, reddere vult, quæ primis suis falsis fundamentis innixa sunt, adeoque a nobis prætereuntur, ut hic semel dicamus, huic oraculo talia nomina Urim scil. & Thummim Deum indidisse, ex illius officio, effecto & munere desumta, atque ut sic demonstraretur qualis summus Sacerdos esse debebat: Atque huc nos ducit sententia Talmudicorum, Jonathanis in Paraphrasi Chald. R. Bechai, & 70. Interpretum, quos citatos habemus apud Buxtorf. Histor. Urim & Thummim cap. 2. Quia autem Spencerus, cap. 5. Sect. 1. Thalmudicorum sententiam ridet, quia scil. illorum non concepit mentem, illam uno verbo proponemus, simul & explicabimus; Volunt igitur illi oraculum dictum fuisse אורים eo quod illuminabat את דבריהן *eorum verba*, quia enim nomina duodecim Tribuum insculpta erant lapidibus Pectoralis, eo modo totius Israelis nomina in Pectorali contineri putabantur; At quia in responsis ab oraculo redditis fulgor peculiaris [e lapidibus prodibat, tunc Israelitarum nomina illo fulgore illuminabantur. Dicet forsan aliquis, hic non extare vocem שם, sed vocem דבר at illud non obstat, דבר enim diversimode sumi potest, & non mirum si aliquando Talmudici minus proprie locuti sint; Deinde, quæ habet Jonathan in Exod. 28. 30. meam confirmant mentem, dicit enim ipse דמנהרין מליהון *quæ illuminant voces eorum*; Volunt præterea iidem Thalmudici, Oraculum Thummim dictum fuisse, quia scil. perficiebant דבריהן *verba ipsorum*, sic forsan semper legerunt omnes, at Spencerus in citanda eorum sententia, vocem דרך reponit, qua mente nescio; Inde autem hæc auguror, Codicis Joma locum mendosum esse, & pro דבריהן legendum esse דרכיהן *vias eorum*, is enim sensus hic aptius convenit, præterquam quod enim vocis דבר sic nulla fit repetitio, rectius dicitur oraculum viam Israelitarum perfecisse quam eorum verba, vias scil. eorum perfecit, quatenus eo demonstrabatur eorum vias ceu opera, ac præsertim summi Sacerdotis opera perfecta & integra esse debere, atque hunc puto fuisse Thalmudicorum sensum, ex quo tamen alios sensus rejiciendos nolim, quia igitur Thalmud Hierosolymitanum habet דרכיהן *vias eorum*, ex illo corrigi forsan debet locus Codicis Joma, qui habet דבריהן *verba eorum*: Atque eo firmius sic sentio, quod, ut supra vidimus, Jonathan in Paraphrasi Chald. hunc sequitur sensum, sic enim loquitur ad Exod. 28. 30. *Et pones Thummim* דמשלימין בעובדיהון *quæ perficiunt operibus suis Sacerdotem magnum*; Illa autem Paraphrasis si Jonathan autorem habeat, tum Thalmude Hierosolymitano, tum Codice Joma vetustior est, sed hæc in transitu: Cum his autem autoribus supra nominatis consentire videtur Hieronym. quem citat Drusius, Conject. in Hos. 3. 4. ubi sic loquitur: *Hoc intelligimus, quod in pectore & corde Pontificis ἀληθεία καὶ φωτισμὸι i. veritas esse debeat atque doctrina, ut non solum sciat rectam fidem, sed & quæ noverit possit ore proferre.* Ac sane non multum ab his Spencerus ipse dissentit, quando cap. 5. Sect. 4. fatetur *Urim & Thummim quasi præcones posuisse Deum, quod mensura luminis & perfectionis plane singularis, summo Pontifici esset inprimis necessaria, quodque lumina & perfectiones omnigenæ in Messia, Sacerdote Opt. Max. reconderentur*. Item, *Urim & Thummim supra ipsum Pontificis cordis domicilium requiescere, Deumque hæc iis dedisse nomina, ut luminis & perfectionis illius symbola essent, quibus sacrorum Princeps instrui debe-*

deberet, *eaque signa & symbola fuisse luminum & perfectionum*. Eodemque sensu dicit cap. 6. Sect. 3. *Voces illas*, Urim scil. & Thummim, *non tantum sumendas ut nomina propria instrumentorum oraculi*, *sed etiam ut appellativa*, *ut iis designarentur eximia luminis mensura*, *& vitæ integritas*, ceu ut aliter loquitur, *scientia & virtus quibus summus Pontifex instructus esse debebat*. Quod & ad quemvis virum referri potest, ad demonstrandum scil. cujusque sermonem perspicuum & veracem esse debere, unde & Philo Judæus libro, Quis rerum divinarum hæres, ait *Mosem summum Pontificem claritate ornasse & veritate*, *volentem perspicuam simul & veracem esse viri boni orationem*; At hic varias variorum sententias referre necesse non est, nobis igitur semel dixisse sufficiat, Deum oraculum istud אורים nominasse, quia voluit Israelitas in rebus maximi momenti illo mediante certiores fieri, ac quasi igne lucente, & lumine duci, ut autem inhæsitanter & confidenter illius oraculi ductum sequerentur Israelitæ, persuasi illud infallibile esse, atque ab omni errore expers, illoque omnia necessaria perfectissime demonstrari, ob id voluit etiam Deus תמים illud dici, perfecta enim ac infallibilis erat cognitio quam ex hoc oraculo habebant Israelitæ, unde Deus illud אורים ותמים cognominavit, i. e. *splendores & perfectiones*, ceu *splendor perfectissimus*, more loquendi Hebræis consueto: Hac autem denominatione voluit ipse Deus suum oraculum distingui a dæmonum oraculis, diaboli enim oracula atque responsa quæ ex eis habebantur, ænigmata proprie fuerunt, sermones quippe dubii & obscuri, varios admittentes sensus, quin sæpe omnino falsi, quo sensu intelligendum istud a Porphirio dictum, *Sciendum Deos quoque sæpe mentiri*; Ideoque oracula illa אורים dici non poterant, cum ex iis nulla lux aut perspicuitas habebatur, eadem etiam diaboli oracula etsi quandoque a malo quopiam ea consulentes averterent, in pejus tamen malum sæpius eos præcipites dabant, unde neque תמים dici potuerunt; At Dei oraculum perspicuum erat, nulla enim dubitandi aut ambigendi causa ex ipsius responsis restabat, perfectum etiam erat, plene enim ac omnimode securi fiebant qui illud consulebant, unde אורים ותמים jure merito dici potuit: Hic etiam voluit Deus Sacerdotes suos a diaboli sacrificulis distingui, diaboli satellites ab erroris & tenebrarum moti spiritu, & ad impuritatem, falsitatem & malitiam acti cum essent, atque ad eadem consulentes propellerent, Urim & Thummim non habebant, Dei vero ministri, a Spiritu lucis, veritatis & perfectionis ducti, vere Urim & Thummim gestabant, hac enim oraculi nomenclatione designatum voluit Deus in Pontifice reperiri debere doctrinam Legis ac vitæ veritatem, ceu morum sanctitatem, *doctrina vero est lux & manifestatio veritatis respectu aliorum*, *veritas autem est perfectio hominis in se*, ut habet Cornel. Jansen. ad Exod. 28. 30. Addamus & hic, Deum hac oraculi sui denominatione, plenam fiduciam Israelitarum animis ingessisse, atque qualem erga ipsos sese præstaret demonstrare voluisse, Deum scil. Optim. Max. a quo omnia in ipsos defluerent bona & per quem ineffabili replerentur gaudio, cujus sane rei documentum erat nomen אורים ותמים oraculo impositum, quia enim tenebræ malum & afflictiones in Script. S. designant, vid. Exod. 10. 21. 22. 23. Job. 3. 4. Esai. 5. 30. & 8. 22. Sophon. 1. 15. lux e contra bonum atque gaudium significat, vid. Job. 29. 24. Psalm. 97. 11. Proverb. 13. 8. 2. atque eo majus & perfectius illud est gaudium quo lux illius emblema lucidior est; Inde quando Deus oraculo cujus ipse erat institutor ac author, nomen illud indidit אורים & תמים per hoc significare voluit a se expectanda esse omnigena bona, ac gaudia perfectissima.

IV. Verum ut quoad hæc tandem manum de tabula ponamus, cum hactenus ex iis quæ enarravimus satis superque demonstrata sit Spencerianæ opinionis improbabilitas, imo absurditas; Jam superest ut quid de Urim & Thummim credendum sit disseramus. Ut autem quod jam semel initio locuti sumus hic iterum dicamus, non is nobis est animus plene ac ample de Urim & Thummim dicendi: Illud quippe actum est a Clariss. Buxtorf. qui circa hæc completam scripsit historiam, in qua omnia de his Rabbinorum monumenta collegit, docteque æque ac prudenter locutus est: Ipsum igitur adeat lector, exscriptorem enim agere mens mihi non est. Hic itaque non multus ero in perquirendo an Urim & Thummim duo vere diversa, omnibusque modis distincta fuerint oracula, ut vult Spencerus, an unum tantum & idem fuerit oraculum, duobus nominibus ab effecto & operatione indigitatum; Non magni sane interest utram amplectamur sen-

ſententiam, poſterior tamen veriſimilior eſt, ideoque ei adhæremus; Parum etiam intereſt an dicamus, reſponſa conſulentibus vocalia data fuiſſe, an quovis alio modo. Hic igitur ut mentem aperiam, ſolum dico, Sacerdotem dum oraculum conſuleret, Spiritu ſancto affectum & motum fuiſſe, cujus virtute conſulenti reſponſa certa & infallibilia, eaque vocalia, dabat ipſe Sacerdos: An vero quodam exteriori modo habebat ipſe Sacerdos reſponſa quæ ipſe facturus eſſet, ambigo, nihilque certi affirmare velim; Pauci ſane Judæi exiſtimarunt Sacerdotem reſponſa vocalia ab oraculo accepiſſe, plerique tum Judæi, tum Chriſtiani, ſtatuunt reſponſa data fuiſſe per lapidum lucem & fulgorem, quod diverſimode a diverſis explicatur, ut videre eſt apud ipſum Buxtorf. Hiſtor. Urim & Thummim cap. 2. & 4. Illud tamen mihi compertum non eſt, nec ſane valde probatur. Rem itaque male non aſſequar, ſi dicam, illam opinionem apud Judæos natam eſſe ex eo quod Pectorale multis radiaret gemmis, quibus intuentium oculi religioſo quodam horrore perfunderentur, unde putaverunt multi, per illam gemmarum radiationem futura aperiri, quod tamen ſolius Spiritus S. efficacia fuit, quam ſane efficaciam videntur Judæi in hoc agnoviſse oraculo, quæ & mediante Sacerdote ſeſe exeruit, cum quandoque ſummus Sacerdos pro ipſo ſumitur oraculo, ſic Thalm. Babylon. Sanhedr. fol. 16. אביתר אילו אורים ותמים *Abjathar, h. eſt, Urim & Thummim*. Quod vero hujus oraculi durationem & uſum ſpectat, Spencero facile concederem quod ait cap. 2. Sect. 2. & c. 6. Sect. 3. *Hoc ſcil. oraculum Judæis a Deo conceſſum fuiſſe, ut per illud judicium ferret in caſibus Rempublicam ſpectantibus, publicum itaque pignus & teſtimonium fuiſſe ſacri Imperii, θεοκρατέιας, ceu regiminis quod Deus in populum exercebat*; Inde tamen inferre nolim, cum eodem Spencero, *Oraculum illud ſub Salomone qui primus Principatum jure hæreditario tenuit, penitus deſiiſſe*; Non tantum enim uſque ad Salomonis tempora duravit illa θεοκρατέια, verum illa aliquomodo extendi poteſt uſque ad excidium primi Templi, eo enim durante Judaicum regnum dici potuit Theocraticum, tunc enim Judaici Reges Deum ipſum Legislatorem habebant, neque ulli extraneo Principi ſubjiciebatur populus Judaicus; Neque hic obſtat quod ante Templi primi everſionem, varie oppreſſi a Babyloniis Judæi fuerint, cum Reges Manaſſe, Jechonias atque Sedechias, Babylonem captivi abducti fuerint, ut patet ex 2. Chronic. 33. & 36. Manaſse autem ſeculo integro Templi primi everſionem præceſſit: Etenim totum illud ſeculum tanquam intervallum quo Deus uti voluit ut Judæos ad pœnitentiam invitaret, conſiderari poteſt: Illud enim fecit Deus per Prophetas Jeremiam, Danielem & Ezechielem; Adde quod Manaſſis captivitas ipſum ſolum ſpectavit, addas & velim quoſdam Judææ proceres, tunc enim Judaicum regnum Babyloniis penitus ſubjectum non fuit, imo rediit a captivitate Manaſse, & ſolium iterum conſcendit, atque liberi aliquomodo fuerunt Judæi uſque ad tempora Jechoniæ, ſub quo demum oppugnata Hieroſolyma fuit, atque Judaicum regnum Babyloniis ſubjectum fuit, cum decem annis poſt illam expeditionem populum univerſum captivum fecerit Rex Nebucadnetzar, Urbem, ipſumque Templum everterit, nullamque a captivo Jechonia libertatem habuerint proprie Judæi, Rex enim Sedechias qui Jechoniæ ſucceſſit ab ipſo Nebucadnetzare conſtitutus, ipſiuſque ſtipendiarius fuit, unde & quidam non male Babylonicam ſervitutem a capto Jechonia incipiunt: Ab excidio vero Templi primi, ſi Reges ex ipſa ſua gente habuit unquam populus Judaicus, illi non ſupremam ac abſolutam habuerunt poteſtatem, cum aliquomodo ſubditi fuerint aut Babyloniis, aut Perſis, aut Romanis, unde dici poteſt θεοκρατέια illa una cum Templo finem aliquomodo ſumſiſse; At quod attinet illius θεοκρατέιας pignus & ſignum, Oraculum ſcil. Urim & Thummim, illud finem habuit cum primo Templo, quoad formale ſcilicet, quia illius nullus fuit uſus ſub Templo ſecundo, cum reſponſa non daret; At quoad materiale, ceu inſtrumentum quod huic oraculo inſerviebat, videtur illud adhuc extitiſse, ſaltem per aliquod tempus ſub Templo ſecundo: Atque ſic meo quidem judicio, conciliari poſſunt inter ſe Judæorum Doctores, quorum alii volunt Urim & Thummim defuiſse ſub Templo ſecundo, alii ea ſaltem per aliquod tempus ſub Templo ſecundo etiam extitiſse; Quidam enim etſi ſtatuant ea adhuc ſub Templo ſecundo duraſse, fatentur tamen illa tunc temporis reſponſa non dediſse, perinde itaque fuiſse ac ſi non fuiſsent; Verum circa hoc conſule Buxtorf. Hiſt. Urim & Thummim cap. 5. Joſephus ſane, hiſtor. Jud. lib. 3. cap. 9. vult Urim & Thum-

Thummim defeciſse 200. Annis ante ſua tempora, hoc eſt ante Templi ſecundi vaſtationem, quæ mens ſana fuit, ſi, ut voluerunt multi, nihil aliud fuerit Urim & Thummim quam ipſe gemmarum Pectoralis ſplendor, ſicque per annos circiter 400. in Templo ſecundo fuerunt Urim & Thummim, quod intelligendum reſpectu materialis illius oraculi, at quoad formale, defuit omnino illud oraculum ſub Templo ſecundo, quia ſcil. nulla tunc dedit reſponſa; Unde hic conjecturare nefas forſan non erit: Illius oraculi defectum contigiſſe Anno mundi circiter 3404. Annis 44. poſt Templi primi everſionem. Etenim qui Judaica monumenta penitus non ignorant, ſciunt, Judæos ipſos qui de publicis Dei amoris erga populum ſuum teſtimoniis ultra modum gloriati ſunt, mira narraſſe de Oraculi quodam genere quod volunt ſucceſſiſſe Oraculo Urim & Thummim, illud vocarunt בת קול *filiam vocis*, quia ut habet Tanchuma, erat קול חלושה כרוח המנשבת *vox debilis ſicut ſpiritus flatus*: Illam vocem dicunt e cœlo deſcendiſſe, atque fuiſſe ſpecialis revelationis modum quod non per ſomnia, aut viſiones, aut Spiritus S. inſpirationes, ſed voce articulata, Deus voluntatem ſuam revelabat, atque ejuſmodi vocem volunt quidam Interpretes noſtri fuiſse illam de qua eſt ſermo Joh. 12. 28. Inter quos Ludovic. de Dieu, Druſius, & alii, contra ſentit Gerhard. Commentar. in 2. Petr. 1. 17. An merito non multis quæro; Video tamen vocem illam ſecundum Judæos fuiſse articulatam, atque ſonum certum quid & diſtinctum enunciantem, unde & Syrus verba Eſaiæ a Paulo allata Roman. 10. *16.* vertit, quis credidit לברת קלן filiæ *vocis noſtræ* (Syri autem hic ſcribunt quidem ברת קול ſed eliſo Riſch pronunciant בת קול) Arabes vero hanc בת קול dicunt אלצית מן אללא כאן ואללפטה *vocem ex linguis & pronunciatione*, hæc ſane ſonum denotant articulatum; Nec etiam hic expendo an recipiendus ſit diligentiſſimus Judaicorum monumentorum perquiſitor Ligthfoot, qui hor. Hebr. & Thalmud. in Matth. 3. 17. tradit, omnia quæ de בת קול a Judæis referuntur fabuloſa eſſe; nullamque vocem cœlitus demiſſam inveniri inter datam Legem & baptiſatum Chriſtum, hæc enim non ſunt noſtri penſi; Volunt quidam illo beneficio potitos fuiſſe Judæos etiam ſub Templo primo tempore Salomonis, imo dicunt aliqui longe ante Salomonem, plerorumque tamen ſententia eſt quam habet Picus in propoſitionibus ſuis, *Sapientes poſt ceſſationem Prophetiæ per Spiritum, prophetaſſe per filiam vocis*. Quidam autem Prophetiæ ceſſationem atque obſignationem, ac in ejus locum בת קול filiæ vocis ſubſtitutionem ad dictum Annum 3404. referunt, cum ad illum Annum oraculi Urim & Thummim defectus referri debeat, defectus vero Prophetiæ & τῆς בת קול ortus rejici debeant in Annum 3540. paulo poſt Malachiam Prophetam; Atque ita hic facta eſt confuſio, quandoquidem defectus reſponſionis per Oraculum Urim & Thummim male ſumtus fuerit pro defectu Prophetiæ, etſi Prophetia & illud Oraculum res fuerint valde diſcrepantes. Defuerunt igitur Urim & Thummim ſub Templo ſecundo, atque ſiluit in illo Dei Oraculum, quia ſcil. illi Templo adeſſe debebat Chriſtus Dei vivens Oraculum, qui mundo vera Urim & Thummim, luces & perfectiones omnimodas allaturus erat; Oriens quippe ex alto atque Sol ille juſtitiæ, cum brevi in noſtrum conſpectum ſeſe daturus eſſet, diſſipatæ ac fugatæ ſunt umbræ, quo ſic locus concederetur illi in quo ſcientiæ & ſapientiæ omnes reconditi ſunt theſauri, Coloſs. 2. 3. per quem fructuoſa admodum fuit illius oraculi jactura & cujus cauſa dixit Propheta, *Domus poſterioris majorem futuram eſſe gloriam domus prioris*, Agg. 2. 10. Quin ſi vera ſint omnia quæ de בת קול referuntur, dicamus, ceſſaſſe Dei oraculum, ac mox in ejus locum ſucceſſiſſe illam Dei populo ſuo mediante בת קול miram communicationem, quia ſcil. Dei Verbum eſſentiale intra paucos ſeculos adventurus erat, ac illius quaſi prodromus fuit ſonus ille vocalis qui e cœlo prodibat, quo attenti fierent homines ad verbum ſalutare quod Deus in terram miſſurus erat.

Jam vero ſupereſt, quod & rei cardo eſt, ut quid fuerint Urim & Thummim quoad τὸ materiale ſcil. dicamus; Varie autem varii hic ſunt locuti: Quidam nullam materiam nhilque reale & ſenſibus obvium videntur hic ſubintelligere, ſic Zephyrus in Moſe enucleato ad Exod. 28. hæc verba, *Pones in rationali judicii doctrinam & veritatem*, ſic ſumit; *Quid igitur hæc?* inquit, *intelligentiam puto, cognitionemque ſignificare, qua ſummus Pontifex ex eo indumento cœlitus afflabatur a Spiritu S. procedentem*; quibus ſane verbis videtur Zephyrus Urim & Thummim ſumſiſſe proprie pro donis Spiritus S. quibus

Deus Pontificem Judaicum instruebat; Verum cum illa reale quoddam ac sensibus incurrens fuerint, ut ex ipsa patet Scriptura S. hæc mihi non probatur sententia, dictum est enim *Pones*, quod aliquid sensibile denotat, atque sic omnes fere Interpretes opinati sunt. Quidam volunt hæc ipsissima verba אורים ותמים posita fuisse in rationali, sive inter lapides, sive etiam ad latera eorum, sicut laminæ frontali summi Sacerdotis insculpta erant hæc verba, קדש ליהוה sicque designatum fuisse, Pontificem indutum Rationali accipere a Deo Urim & Thummim, claram doctrinam & perfectam veritatem dubiorum de quibus consulebatur. Hæc fuit sententia Cornel. Jansen. in Exod. 28. 30. Tirini in eundem locum, Sherlog. Antiquit. Hebr. lib. 1. differtat. 4. Sect. 14. Verum hoc frigidum ac parum verisimile videtur, nec enim hæc verba אורים ותמים sive illa materialiter, sive formaliter sumantur adeo mystica sunt ut voluerit Deus ex illis ipsissimis verbis oraculum suum, grande sc. mysterium, si unquam ullum fuit, constitui; Neque illorum verborum inscriptio tanti fuisset momenti ut Judæos latuisset, cum neque nomina, neque illorum significatio apud illos ignorarentur. Alii volunt Oraculum istud ipsas fuisse duodecim Pectoralis gemmas, quæ per lucem & fulgorem protuberantem summo Sacerdoti futura, de quibus consulebatur Oraculum nota faciebant, sicque senserunt quidam Judæorum Doctores, & quidam Christiani, ut videre est apud Buxtorf. Histor. Urim & Thummim, cap. 2. Verum præterquam quod ex hac sententia oraculum istud unum & idem cum duodecim Pectoralis gemmis esse statuitur, quod Script. Sac. probe convenire non mihi videtur, atque absonum esse satis aperte probat Spencerus cap. 4. Sect. 1. Istud notandum venit, Quod in duodecim Pectoralis gemmis, quæ duodecim Tribuum nomina insculpta habebant, omnes Alphabeti Hebraici literæ non continebantur, adeoque non sufficiebant illa duodecim nomina ad hoc ut omnia & quævis verba in responsis quæ fiebant, formarentur; Verum hic succurrit lepidum Rabbinorum commentum, *Ad caput*, inquiunt, *nominum duodecim Tribuum, scripta fuerunt nomina tria* אברהם יצחק ויעקב *Abraham, Isaac & Jacob, in fine vero nominum Tribuum, hæc legebantur verba* שבטי יה *Tribus Jah, atque sic omnes Alphabeti literæ ibi extabant*: hæc apud Buxtorf. cap. 1. Verum pace doctissimorum virorum qui huic sententiæ calculum dederunt, illa a me probari nequit, neque verisimilis mihi videtur, unde & R. Asarias qui vult Urim & Thummim ipsas fuisse Pectoralis gemmas, illud tamen quasi hæsitanter proponit, atque cuique circa hoc liberum judicium relinquit, ut videre est apud eundem Buxtorf. cap. 2. Ac sane satis obscurum quomodo summus Sacerdos per lapidum fulgorem responsa accipere poterat, resque erat admodum intricata, præsertim quando ad responsum dandum plurima requirebantur verba, unde Spencerus cap. 4. Sect. 8. hanc opinionem tanquam Thalmudicum figmentum merito mihi videtur rejecisse: Deinde non probabile est post inscripta duodecim lapidibus Pectoralis, 12. Tribuum nomina, satis adhuc loci superesse in ipsis lapidibus ad hoc ut illa memorata verba iis adhuc inscriberentur; Tandem nomina duodecim Tribuum omnes Alphabeti literas continent, his quatuor tantum exceptis יצחק unde necessaria non fuit additio quinque memoratarum vocum, sed ex his quatuor literis vox יצחק formari potuisset, quæ duodecim Tribuum nominibus addita, omnes Alphabeti literæ in Pectorali visæ fuissent, unde cum de harum vocum additione nullibi mentio fiat in Scriptura S. neque probabile sit Deum Pectoralis scripturam sine necessitate multiplicasse, hæc merito tanquam Judaica commenta rejiciuntur. His addo quod si hæc recipienda sit sententia, nihil novi mandavit Deus Mosi quando dixit Exod. 28. 30. *Pones in Pectorali Urim & Thummim*, sed sola erit hic præcedentium repetitio; Jam enim versibus 15. 16. 17. 19. 20. & 21. illud descripsit Pectorale in quo inseri debebant 12. lapides quorum ordo declaratur & quibus inscribi debebant nomina 12. tribuum Israelis; Jam vero si Urim & Thummim nihil aliud fuerint quam illi 12. lapides de quorum tum ordine, tum positione jamjam mandatum acceperat Moses, ad quid statim dicitur, *Pones in illo Urim & Thummim*, nisi Urim & Thummim sit quiddam novum ac distinctum ab ipsis gemmis? Quare dictum fuerit, *Pones Urim & Thummim*, si Urim & Thummim sit ipse gemmarum splendor? Gemmæ enim splendor ab ipsa gemma distinctus ac separatus non est, ac splendorem non habet gemma ex hominis arbitrio: Ac sane gemmæ illæ ipsum pectorale constituebant, vere quid distinctum fuit ab Urim & Thummim, ut patet Levit. 8. 8. Ergo gemmæ ipsæ distin-

distinctæ fuerunt ab Urim & Thummim; Quas autem adducunt rationes illius sententiæ fautores levissimi sunt ponderis, neque sane examen mereri mihi videntur; Inter illas firmiorem puto illam quæ ex ה emphatico quod vocibus תמים & אורים præfigitur cum primum de illis sermo habetur Exod. 28. 30. infert ibi agi de re jam nota & cujus jam facta fuerit mentio: At nulla est consequentia, Etenim ה emphaticum non semper quoddam notum denotat de quo jam dictum fuerit, ut patet Gen. 1. 1. in vocibus השמים & הארץ sed sæpissime rem aliquam præstantem & excellentem denotat; Imo ut habet Clariss. Buxtorf. thesaur. grammat. lib. 2. cap. 5. *sæpe sine emphasi adhibetur & quidem non raro per Pleonasmum elegantem.* Ex his omnibus quæ compendiose adducuntur, non possum ab illa opinione non dissentire unde aliud quærendum.

Alii tandem volunt Urim & Thummim fuisse nomen Tetragrammaton יהוה intra Pectoralis duplicationem positum, quo mediante Sacerdoti futura revelabantur; Hanc quidem sententiam nullus, quod sciam, Christianus diserte amplexus est, nisi forsan eam tenuerit Fullerus, quod augurari licet ex Miscellan. lib. 2. cap. 4. ubi ait, *Israelitas habuisse Urim & Thummim, arcanum quoddam ad occulta Dei consilia retegenda instrumentum*: Viguit tamen illa apud multos eosque antiquissimos Judæos; Eam tenuerunt autor libri Zohar antiquissimus, & magni apud Judæos pretii Jonathan in Paraphras. Chald. R. Solom. R. Levi ben Gerson, Moses Nachamnides, & alii quorum verba & sensum habemus apud Buxtorf. histor. Urim & Thummim cap. 2. & 4. Hæc autem sententia meo judicio propius vero consonat, nihilque incommodi habet, unde & admitti potest, modo hic non admisceantur fabulæ Judaicæ ac superstitiones; Sic igitur rem concipio: Deus Israeliticæ Reibublicæ autor, illius Leges tum Ecclesiasticas, tum Politicas ipse sancire voluit, quia vero circa omnia futura constitutione fieri non potuerunt, cum alioquin infinita fuisset Legum multitudo, viditque Deus multa oriri posse circa quæ Israelitæ dubii ac perplexi forent, hoc eis Oraculum concessit, ad quod in rebus dubiis confugerent: Istud oraculum Urim & Thummim dixit, ob rationes antea allatas: Illius autem Oraculi quasi medium & instrumentum constituere voluit certam quandam materiam quam definire non aggredior, cui nomen mysticum יהוה ipse scripsit aut insculpsit modo forsan mirando atque hominibus incognito, illamque Scripturam ipsi Mosi tradidit, ut eam in Pectoralis duplo reconderet, quoties autem summus Sacerdos Pectorale induebat Oraculum consulturus, Deus qui hac Scriptura quasi medio ac sacramento hic uti voluit, ipsius Sacerdotis animum & intellectum affecit, suoque Divino Spiritu occupavit, adeo ut post quæsitum a Sacerdote factum, cum in ipsum Pectorale oculos devote defixos haberet, certo & infallibiliter Spiritu Dei operante, cognovit quid ad interrogata respondendum esset.

Nihil autem absurdi in hac sententia reperire est; Nam præter rationes autorum supra memoratorum quarum summarium hoc est. I. Omnia vestimenta Sacerdotalia ac omnia vasa sacra ad Tabernaculi ministerium necessaria, accurate imo non tantum semel descripta sunt, tum quoad materiam, tum quoad formam, imo eorum artifices nominibus propriis designantur; de Urim & Thummim vero nullomodo declaratur quæ aut qualia sint hæc, neque quoad materiam, neque quoad formam, nulli artifici demandatam videmus horum fabricam, sed circa ea mandatur Mosi tantum, non quidem ut *faciat* ea, sed ut *indat* vel *ponat* intra Pectorale, unde sequitur illa non fuisse opus humanum, sed ipsius Dei, ac Divinum quid & mysticum, quid vero sanctius ipso Deo, ac nomine quo ipsius Essentia proprie declaratur? II. Statim ac de illis sermo habetur, præfigitur ה emphaticum, quod non adhibetur cum agitur de aliis vestimentis sacris, illo autem ה designatur peculiaris præstantia ac excellentia rerum quas illud demonstrat, quid vero præstantius illo sacrosancto nomine? III. Quando Exod. 39. describuntur vestimenta sacra ab operariis facta, nullus habetur sermo de Urim & Thummim, unde infertur illa non fuisse ab operariis confecta, sed post Pectorale confectum ac Aharoni appositum, inditum fuisse intra illud Urim & Thummim, ut habetur Levit. 8. 8. Ergo opus divinum illud fuit, non humanum. IV. In confesso est duplicatum fuisse Pectorale ex Exod. 28. 16. ac volunt fere omnes intra illam duplicaturam aliquid mysticum inditum fuisse, quid vero tale præter sacrosanctum illud nomen? Sed hæ rationes fusius declarantur in locis autorum quæ refert ipse Buxtorf. histor. Urim & Thummim cap. 2. & 4. unde & peti pos-

poſſunt. Præter illas igitur rationes, hic adhuc animadvertendum damus, I. Sacroſanctum nomen יהוה μυςικώτατον eſſe atque tale ſemper habitum fuiſſe ab omnibus Judæis, qui ad ſuperſtitionem uſque illud venerati ſunt, unde probatione omni non caret ſi dicamus, Oraculum iſtud Divinum cum Judæis fuerit conceſſum ad hoc ut voluntas Dei nota fieret illis, cumque Deus hic immediate reſpondere nollet; voluit quippe varie ſeſe manifeſtare, diverſoſque ipſum conſulendi modos apud Judæos ſtatuere; In iſthoc oraculo nomine ſuo uti voluiſſe; eoque nomine quo peculiari modo ipſius deſignatur Eſſentia, ut apud omnes comprobatum; Cum enim vidiſſet Deus varia in mundo conſtituta fuiſſe dæmonis oracula, ſub variis nominibus, Oraculum populo ſuo dare voluit, illudque per nomen ſibi peculiare, quo a fictitiis Diis diſtingui voluit, per nomen de quo ipſe dixit, *Illud eſſe nomen ſuum*, *atque memoriale ſuum*, Exod. 3. 15. Qui Judæorum venerationem in nomen יהוה dignoſcere volet, adeat Buxtorfiis Lex. Hebræorum in rad. הוה quæ ſane veneratio non ſine aliquo fuit fundamento: Notum quippe fuit illis nomen illud ipſiſſimam Dei Eſſentiam denotare, illud nomen non probe fuit illis cognitum, ut nec Oraculi Divini circa quod verſamur ratio. Hinc & apud Gentes quæ Judaica myſteria aliquantulum deguſtarunt, non omnino ignotum fuit nomen illud, ut demonſtrant Fuller. Miſcell. lib. 2. cap. 6. Selden. de diis Syr. Syntagm. 2. cap. 1. & habet Scalig. de emendat tempor. not. in fragment. pag. 37. quæ ſane tum ex nominis illius propria ratione, tum ex ejuſdem uſu ſacro, de quo aliquid populi a Deo alieni odorari potuerunt, orta ſunt; Neque tamen ex hac mea ſententia inferatur velim, ineſſe verbis aut characteribus ex ſe vim aliquam, ſed non eſt abſurdum dicere, Deum illo verbo, quo nullum unquam fuit magis myſterioſum, cum Dei intimam declaret Eſſentiam, uti voluiſſe in Oraculo ſacratiſſimo ſuo, ſicut abſurdum non fuit eundem Deum uti voluiſſe circumciſione, actione pudenda, qua ſignificaretur ipſius adoptio, ac in ſuum fœdus inſitio; Nolim etiam hic de me dici, quod ſubſcribam omnibus Judaicis commentis quæ circa nomen יהוה delirarunt Thalmudici, nequidem illis quæ de illo habet Reuchlin de Cabbal. lib. 3. ſed ſuperſtitione demta abſurdum non eſt nomine illo uti voluiſſe Deum quo in Oraculo voluntas ipſius mirando modo populo ſuo pateſieret, ac non abſonum ſi dicam; poſito, quod Deus ipſe nomen illud alicui rei inſcripſerit, nihil in rerum natura, ſi Chriſti Servatoris corpus humanum excipias, æque eſſe mirandum ac myſterioſum, quemadmodum Sacroſanctum quid erant Legis Tabulæ quas Deus ipſe inſcripſerat, quarum & fragmenta religioſe aſſervata fuerunt in arca fœderis, ut multis placuit, quod cernere licet apud Clariſſ. Buxtorf. hiſt. arc. fœder. cap. 5. II. Ex hac ſententia aliquomodo Spencero concedi poterit quod affirmat ille cap. 4. Sect. 1. ſcil. *Urim & Thummim res quaſdam fuiſſe cognitas diu antequam ea in ornamentorum Sacerdotalium locum & ſanctitatem vocaſſet Deus*: Nomen enim יהוה aliquomodo ſaltem Judæis omnibus cognitum erat, nomen quippe Dei proprium & eſſentiale, cujus notitiam acquirere cupiebant omnes Judæi, unde & Meir Aldabi שם בן ד׳ אותיות חכמים מוסרים אותו לבניהם ולתלמידיהם פעם אחת בשבוע *Nomen quatuor literarum ſapientes docebant filios & diſcipulos ſuos ſemel in hebdomada*, ut refert Gaulm. in not. ad tract. Rabbinicum de vita & morte Moſis lib. 2. cap. 8. unde ſane patet abuſive inter Judæos introductum eſſe morem illum quo ubi vox יהוה reperitur, in illius locum ארני legunt, nec enim videtur hæc praxis primis Eccleſiæ Judaicæ ſeculis locum habuiſſe neque probatur illa ex loco Levit. 24. 11. ſi enim ibi vox Hebr. נקב per Chaldaicum פרש *explicavit*, *protulit*, transfertur; Illud intelligendum, quod Iſraelita ille nomen Dei ſacroſanctum cum indignatione atque minori cum reverentia protulerit, in quo graviſſime Dei majeſtatem violavit, cum nomen Dei characteriſticum, quo ſe a falſis Diis diſtingui voluit, contemſerit, eoque leviter atque ad exprimendum animi ſui motus, uſus eſt: Quare autem quæſo Judæi illud non pronunciaſſent nomen quod ſæpius ipſe Deus ore ſuo pronunciavit, אני יהוה dicit ipſe, Exod. 6. 8. Imo Exod. 3. 15. dicit expreſſe יהוה eſſe nomen ſuum לעלם *in æternum*, quam vocem Judæi hic miſere fœdare vellent, pro לעלם legentes לעלם ad *occultandum*; Non probatur ergo mihi illorum inter Chriſtianos ſententia qui volunt nomen illud יהוה ἄῤῥητον & ἀνεκφώνητον eſſe, a principio non fuit ita, quod & aliquomodo agnoſcit ipſe Clariſſ. Buxtorf. in diſſertat. de nominibus Dei theſ. 20. 21. 22. 23. 24. 25. quan-

quam

quam velit ille pro יהוה legendum esse אדני; Compendiose dico illius nominis pronunciationem licitam sine dubio olim fuisse in veteri Ecclesia Hebræa, at post pio studio, ne vilesceret sacrosanctum nomen, communis, ordinaria, ac quotidiana prolatio in Sanctuarium revocata est, ac tandem in superstitionem versum est illud, qua factum est illud nomen ἀνεκφώνητον: At hæc obiter dicta sunto: Per hæc autem, quod superius diximus minime convelletur, sc. *Oraculum istud Judæis forsan omnibus Mose excepto ignotum esse*, nimirum quoad ejus intima, caput & summam, quasdamque ipsius appendices, nominis enim יהוה vera pronunciatio & perfecta expositio paucissimis Judæis notæ erant, unde dicitur Moses moriturus Josuam & Synedrium ad se vocasse, eosque illam pronunciationem docuisse, ac sicut habet liber. historiar. קרא לסנהדרין ואמר להם לכו כתבו לכם שם המפורש וקבעו על לבבכם *Vocavit Sanhedrin ac dixit, ite scribite nomen ineffabile, ac pectori vestro imponite*, referent. Gaulm. loc. cit. Verum potuit nomen illud יהוה Oraculi quasi instrumentum esse nescientibus Judæis, saltem demum materia cui nomen illud inscriptum erat illiusque inscriptionis modus, omnibus Judæis, Mose forsan excepto, res erant ignotæ. Unde etsi concederemus nomen illud יהוה a principio ἀνεκφώνητον fuisse, inde nostra sententia fulcimentum accipiet, ex eo quod enim nominis יהוה vera pronunciatio ac scriptura apud Judæos ignorabatur hinc oraculi natura probe non erat cognita, ac illud plebem Judaicam latebat; Ex eo quod etiam nomen illud יהוה oraculi instrumentum erat, hinc Deus nomen illud plebi abditum esse voluit, ne scil. de tali oraculo ad usus proprios sibi confingendo, cogitaret plebs Judaica, quod nefas erat. III. Volunt omnes fere Judæi Oraculum Urim & Thummim sub Templo secundo saltem quoad formale, hoc est quoad virtutem & efficaciam defecisse, iidemque statuunt tunc etiam periisse nominis יהוה cum suis expositionibus usum & notitiam, defuit igitur Oraculum quando defuit nominis illius usus & notitia scil. in Sacerdote magno, qui nominis illius notitiam perfectam habebat a Spiritu S. cujus virtute reddebantur oracula: Quod si hinc inferre quidam velit Oraculum igitur istud demum tantum defecisse sub Simeone Justo, in quo, ut volunt quidam Judæi, defecit nominis יהוה vera pronunciatio, adeoque me falso supposuisse Oraculum istud omnino defuisse sub Templo secundo: Dicam, gratis a Judæis dictum fuisse nominis hujus veram pronunciationem in Simeone Justo demum periisse, vel si hoc admittendum, inde tamen non probabitur intentum; differunt enim vera nominis יהוה pronunciatio & illius expositio perfectaque notitia, potuit Simeon ille nominis יהוה veram pronunciationem callere, & tamen ab illius perfecta notitia alienus esse, ea enim nulli forsan unquam comperta fuit homini, si Mosem ac summos Sacerdotes excipiamus. Deinde inferre nolim nominis יהוה pronunciationem imo perfectam notitiam, Oraculi quasi animam esse, ceu per illam notitiam futura revelari de quibus consulebatur Oraculum: Dico potius Spiritus S. efficaciam qua quis nominis יהוה perfectam notitiam habebat, diversum quid esse ab illa ejusdem Spiritus efficacia qua futura in Oraculo consulendo revelabantur, unde necesse non fuit hanc illam comitari; Potuit Deus primo a suo populo subtrahere Spiritus sui efficaciam qua Oraculum consulentibus futura revelabantur, etsi nihilominus nominis יהוה pronunciationem & notitiam aliquibus adhuc concederet, quas tamen etiam temporis successu deleri voluit; Atque sic responderi potest ad illud quod R. Asarias contra hanc objicit sententiam, quod refertur a Clariss. Buxtorf. histor. Urim & Thummim cap. 2. IV. Volunt multi Judæorum Doctores nominis יהוה scripturam a Mose duplicationi Pectoralis inditam fuisse, illaque scriptura fuit ex sententia Abarbanen. עצם האורים והתומים *ipsa substantia τῶν Urim & Thummim*, ut refert Buxtorf. cap. 5. Sic autem explicare videntur Judæi præceptum Mosi datum Exod. 28. 30. *Indes in pectorali Judicii Urim & Thummim*, scriptura itaque nominis יהוה ipsum fuerit Urim & Thummim, alioquin, præter præceptum Dei fecisset Moses, si nominis יהוה scripturam in Pectorali indidisset, Dei intentionem non rigide secutus esset, si aliud quam Urim & Thummim in ipso reposuisset Pectorali; Imo hoc Dei præceptum aperte infregisset, *Vide facias hæc juxta exemplar tibi ostensum in monte*, Exod. 25. 40. An autem abs re fuerit si dicamus, Deum istius sui nominis peculiarem concessionem, atque per Oraculum istud singularem manifestationem Mosi quodammodo promisisse, quando dixit Exod. 6. 2. *sæpius quidem apparuisse* אל שדי *nomine, nomen vero suum* יהוה *notum non fecisse*: Ex hoc enim sane

ſane colligi non debet nomen יהוה Patribus prius inauditum fuiſſe, contrarium enim ex Geneſ. 12. 8. & 14. 22. & 15. 2. 7. plane evincitur. Promittitur igitur hic Moſi peculiaris nominis יהוה ſignificatio, illiuſque expoſitio: Tacite potuit hic nunciare Deus ſe nominis יהוה miram efficaciam demonſtraturum per Oraculum ſuum, unde R. Solom. qui hunc locum ſic tranſtulit, *Et non notus fui illis in nomine* יהוה felicius hic rem concepit quam Onkelos Paraphraſtes, qui hunc ſenſum huic loco dedit, *Et non notum feci illis nomen* יהוה. V. Ex hac noſtra ſententia concedi etiam poterit quod volunt plerique, ſcil. reſponſa ab oraculo data fuiſſe per lapidum fulgorem, non tamen eo prorſus modo quo fabulantur Judæi qui ſomniarunt Pectoralis lapidibus aliud inſculptum eſſe præter duodecim nomina Tribuum Iſraelis, quod abſurdum eſſe ſupra diximus, ſed dici poteſt lapidum fulgore ſpeciali ac extraordinario teſtatum eſſe Deum ſe Iſraelitarum votis annuere, quem inſolitum fulgorem habebant lapides ex virtute illius Scripturæ, Deo ſic inſtituente, ac virtutem illam communicante, quod voluerunt quidam Judæi ut videre eſt apud Buxtorf. hiſtor. Urim & Thummim, cap. 4. Hanc tamen meam ſententiam circa Urim & Thummim dictatorie & tanquam abſolute recipiendam non profero; Byzeni hic libertate non utor, ſed quæ mihi probabilia videntur effero, quæ tanquam probabilia tantum accipi velim, hoc enim oraculum definire per quam difficile eſſe agnoſco, nomina ſane non ſunt ambigua, at res per illa ſignificata in ſacro contextu non eſt explicata, unde ſatis incertum quid materialiter fuerit illud oraculum, cum de illo nihil quicquam ſcire poſſimus niſi per Scripturam S. aut Hæbræorum traditiones: Scriptura autem S. iſtius oraculi naturam nullomodo nobis explicat, Judæi vero hic admodum ſobrii ſunt, ita ut vere dici poſſit, nullum omnino ex ipſis de hoc oraculo confidenter locutum eſſe; *Quid igitur certi* (ut cum ipſo Spencero loquar) *in re tantæ vetuſtatis percipere quis valeat, pene omni litterarum qua ſacrarum, qua profanarum luce deſtitutus?* Hic ſane illud Socratis pene valebit, *Unum ſcio, quod nihil ſcio*: Nil mirum igitur ſi hic materiam cui nomen יהוה inſculptum erat non definio, neque ſi de modo illius ſcriptionis aut ſculpturæ prorſus ſileo, de qua tamen ſculptura haberem quod differerem, ſi Rabbinorum figmenta ſuper mirandam ſcripturam Legis Moſi a Deo traditam me moverent: At bene Auguſtin. quæſtion. ſuper Exod. 117. ad hæc verba, *Et impones ſuper rationale Judicii*, loquitur: *Quid ſibi hoc velit, vel in quali re, vel metallo poneretur ſuper Rationale demonſtratio & veritas, quoniam talia dicit fieri in veſte Sacerdotis quæ corporaliter ſiunt, difficile eſt invenire*. Hic igitur Spencerus cautior & moderatior eſſe debuit dum circa Urim & Thummim ſuam dedit ſententiam, ac quidem eam ſententiam quæ, ut ipſe novit, vix a paucis admitteretur: Vellem itaque ipſum attendiſſe ad illud monitum quod ipſe ex Ciceron. lib. 1. de natur. Deor. nobis retulit cap. 4. Sect. 6. *Quid tam temerarium tamque indignum ſapientis gravitate atque conſtantia, quam aut falſum ſentire, aut quod non ſatis explorate perceptum ſit & cognitum, ſine ulla dubitatione defendere*; Hæc ſane non inſpexit Spencerus, quando ſententiam adeo fidenter ſuam de Urim & Thummim tulit, in qua ſane explicanda, verum iſtud eſſe nobis apertum fecit, *Unuſquiſque ſuum ipſius crepitum malo ſuaviorem exiſtimat*; Circa hanc igitur quam agitamus materiam decet nos Academicos eſſe, nihilque certi affirmare, niſi incertum eſſe, an ullus unquam homo præter Moſem (ſi is adhud excipi debeat) hæc ſcite agnoverit, nihilque quod iſtud oraculum ſpectabat ipſius ſcientiam fugerit; *Quæ oracula ſunt, ea ſunt Domini, quæ vero revelata ſunt ea ad nos pertinent*, Deut. 29. 29. Si enim Moſes perfecte ſcivit quid fuerit Urim & Thummim, nulli homini illud unquam detexit: Illud quippe ei non licuit ſicut nec ei licuit multa verba quæ Deus ad ipſum in monte locutus eſt populo narrare, non ſecus ac Paulus 2. Corinth. 12. 4. ait ſe in ſuo raptu audiviſſe ἄῤῥητα ῥήματα, *infanda verba*, hoc eſt, quæ dici non debent, ἃ οὐκ ἐξὸν λαλῆσαι, *quæ non licet eloqui?* Neque mirum ſane ſi voluerit Deus hujus oraculi penetralia hominibus abſcondere, cum enim voluerit ſuam ipſius ſapientiam eamque σοφωτάτην, ἐν μυστηρίῳ eſſe pro multis hominibus, quamvis ipſius cognitio ad ſalutem abſolute neceſſaria eſſet; ſic quippe demonſtraturus ſuam ſapientiam οὐκ τοῦ αἰῶνος τούτου nequaquam eſſe, myſterium etiam grande, Oraculum ſcil. ſuum, noluit plene hominibus patefieri, illius quippe reticentia in Deo nullomodo damnanda, ejuſque ignorantia hominibus nullomodo damnoſa, cum ſic ſalutis negotium nequaquam impediretur.

Atque hinc ſane factum eſt quod multi præ-

ti præclari viri istud Oraculum præcise definire noluerunt, atque quid esset illud pro dubio ac incerto habuerunt; Sic R. Dav. Kimchi, R. Abrah. Seba, Aben-Esra, sic ipse Clariss. Buxtorf. ut videri potest apud ipsum cap. 2. Atque illud est in portu navigare, & ab omni abesse periculo; De me sane, in eorum numerum ascribi quidem velim, si sententia ultimo proposita recipienda non videatur, ac si in illa amplectenda tantillum sit periculi aut incommodi: Si enim Oraculum Urim & Thummim, nomen יהוה eo modo quo explicuimus non fuerit, nescio, fateor, quid fuerit; Talis enim sententia præ omnibus aliis maxime probabilis mihi videtur. De illa vero quam adduxit Spencerus, tantum abest ut ei a me palma deferatur quin potius illam præ omnibus aliis reiiciendam existimo, ut absurdam omnino ac apud omnes tum Judæos, tum Christianos, hactenus inauditam. Verum cum hæc pro nostro sufficiant consilio; Ut tandem finem dicendi faciamus, in illis quæ nobis de hoc Oraculo nota esse voluit Deus acquiescamus, illius semper memores, *Scrutator majestatis opprimetur a gloria*; Quandoquidem vero Oraculum istud cessasse voluerit Deus, neque illud per hæc nostri Christianismi secula nobis adhuc conservare, videamus interim quanta præcellentia nos Christiani præ Judæis gaudere hac in re possimus, quæ sane κατὰ πάντα τρόπον magna est; Non solum enim vera Dei λόγια habemus, Scripturam scilicet tum Veteris, tum Novi Testamenti, quæ nobis loco Urim & Thummim esse potest; Illa si quidem *vera lux est*, Psal. 119. 105. Imo lux nostræ luci, *oculos quippe nostros illustrans*, Psal. 19. 9. *Ea integra est* Psal. 19. 8. nos quippe potest σοφίσαι εἰς σωτηρίαν, 2. Tim. 3. 15. Quinimo ipsum Deum Λόγον habemus, Christum scilicet, qui cum sit ipsa lux omniumque rerum τελέωσις, quin παντελέωσις ipsa, ab eo luces perfectissimas omnesque perfectiones accipiemus, ipse demum Dei infallibile Oraculum nobis fuit, præter quod aliud nobis quærendum non est, cum omne Dei consilium, nobis patefecerit. Ad ipsum igitur attendamus, ipsum audiamus, atque veluti solem heliotropium, sequamur, donec ille fidei nostræ τελειωτὴς nos quoque perfectos reddat, cum nosmet ipsi unum in Deo erimus, atque Deus omnia in omnibus erit.





BENED. DAVID CARPZOVII
DISSERTATIO
DE PONTIFICUM HEBRÆORUM VESTITU SACRO.

CAPUT I.

De Vestimentis aureis.

I. Cogitanti diu multumque, quid præcipue argumenti futuræ Dissertationi seligerem, obtulit se, nescio quo casu, Pontifex Hebræorum Maximus; cujus, & minorum Sacerdotum divinum plane atque augustissimum vestitum admiratus, dignum profecto duxi, quem non tam exprimerem vivis luminibus, quam ductis saltem lineis adumbrarem. Solet vero, ut inde ordiar, a Doctoribus Hebræorum in tres quasi ordines tribui tota illa, quæ Josepho appellatur, στολὴ ἀρχιερατική. Ita enim inquit *R. Moses ben Maimon* cap. VIII. כלי המקדש בגדי כהונה שלש מינים בגדי כהן ההדיוט ובגדי זהב בגדי לבן: Ad horum ordinum primum quæ pertinebant vestes, tam Pontifici summo, qui כהן הגדול dicitur, quam gregario cuique, quem illi כהן ההדיוט nuncupant; quæ secundi ordinis erant, soli Pontifici, & semper; quæ tertii, eidem semel tantum in anno, festo scilicet Expiationum, quo Sanctum Sanctorum ingrediebatur, induendæ fuerunt.

II. Primi ordinis erant hæ quatuor: כתנת ומכנסים ומגבעת ואבנט, *tunica*, *subligacula*, *pileus*, & *baltheus*. *Tunica* erat ποδήρης, & strictis manicis, arcteque corpori adhærens, quales olim camisiæ militares. Ideo כתנת appellatur, ex Æthiopum כתן quod est *tegere Luc. IV.* 20. a tegendo proxime claudendoque corpore, ut *L. Dieu* notat. *Subligacula* ferme ut braccæ hodiernæ; sine tamen scissura. *Josephus lib. III.* ἀρχ. *cap. VIII.* Πρῶτον μὲν περιτίθεται τὸν Μαναχασὴν λεγόμενον. Βύλεται δὲ συνακτῆρα μὲν δηλῶν. Διάζωμα δ' ἐστὶ περὶ τὰ αἰδοῖα ῥαπτὸν ἐκ βύσσου κλωστῆς εἰργασμένον, ἐμβαινόντων εἰς αὐτὸ τῶν ποδῶν ὥσπερ ἀναξυρίδας. ἀποτέμνεται δὲ ὑπὲρ ἥμισυ καὶ τελευτῆσαν ἄχρι τῆς λαγόνος περὶ αὐτὴν ἀποσφίγγεται. *R. Dav. Kimchi* l. Radic. p. CCXXIX.

CCXXIX. edit. Venet. קראו מכנסים בלשון שנים והוא בגד אחר לפי שיש לא שתי כנפות : *etsi* מכנסים *non nisi una vestis est, formatur nihilominus in numero duali; eo, quod ei sunt duæ alæ.* Confer. *Hieron.* Ep. ad Fabiolam. *Pileus* ita contextus, non ut caput statim includeret, sed prolixa tænia, quam XVI. cubitorum faciunt Magistri, sæpius circumplicata obnuberet. Ἄκωνον insuper fuisse, καὶ ὅλῳ τῷ κρανίῳ ἐπίπεδον docet *Josephus*. Erantque vestes illæ omnes ex bysso purissima, & cui nihil admixtum lanæ. Quod imitati postea simii Judæorum sunt Gentiles. *Martialis* de Isidis Sacerdotibus lib. XII. Epigr. XXIX.

Linigeri veniunt calvi sistrataque turba.

Lanam enim esse vestitum profanum putabant Ægyptii, eosque secuti haud dubie Orpheus & Pythagoras, *Apulejo in Apolog.* auctore. Equidem diserte cautum erat lege divina, ne quis Judæorum gestaret בגד כלאים שעטנז, h. e. vestem ex variis speciebus heterogeneis confectam, Lev. XIX. 19. Quod Deut. XXII. 11. de lana & lino inter se contextis exponitur. De voce שעטנז vide *Talmud. Tr. Nidda cap. XIX.* Dixi vestes Sacerdotum fuisse pure byssinas; quod secus erat in *baltheo*. Hic enim dicitur מעשה רקם h. e. opere ῥαβιδευτοῦ seu acupictoris confectus. Quod nihil aliud erat, quam pictura textilis, filis ex lana purpurea, hyacinthina & coccina, bysso intermistis; latitudine IV. digitorum, ut Josephus tradit; a quo tamen abludunt Magistri. Idem floribus picturatum scribit hoc cingulum fuisse; sæpiusque circa pectus revolutum defluxisse ad pedes: ubi vero sacris ministrandum fuit, super humerum lævum rejici solitum. Additque Ἀβανὴθ vocari a Mose. Ἡμεῖς δὲ, inquit, παρὰ Βαβυλωνίων μεμαθηκότες Ἐμίαν αὐτὴν καλοῦμεν. Plura de his Judæi: quos adi, *R. Aben Esram, R. Salomonem, R. Is. Abravanelem* & alios *ad Ex. XXVIII. Gemar. Babylon. Tr. Joma cap. VII. R. Mos. Maimon.* כלי המקדש *cap. VIII. Jo. Seldenum de Success. Pontif. lib. II. c. VII.*

III. Vestes illas tam Sacerdotes gregarii, quam Pontifex Maximus gestabant, cum sacris operarentur, nullo quo ad *subligacula & tunicam* discrimine, ut Rabbinorum complures & cum illis Seldenus volunt; quod tamen quoad baltheum & pileum intercedebat. *Baltheum* enim Pontificis auro tradunt & lana coloria exquisitius intextum. *Pileum* vero seu מצנפת ita formatum Pontifici, ut superius caput involveret instar tiaræ Turcicæ, (sic enim inter alios *R. Bechai* in Pentat. f. CV. col. 4. edit. Venet. המנהג המושלים והמלכים בארצות ישמעאל שיתעטפו בה הצואר והראש: *Mos est magnatum & Regum in terra Ismaelitica, ut eo collum & caput tegant*) neque tamen inferius descendebat, ne laminæ foret impedimento fronti præfigendæ. Contra ea cæterorum המגבעות undique caput galearum in morem inclusisse. Unde & כובעים dicuntur in Targum Onkelos. Vide etiam Scholiasten Maimonidis R. Abr. ben David ad c. VIII. כלי המקדש. Mire tamen inter se discrepant, quando telæ circumplicatæ, quæ cidarim Pontificis constituebat, figuram exponunt. Aliam enim Rabbini faciunt, aliam Josephus lib. III. ἀρχ. cap. VIII. aliam alii. Quorum opiniones pulcre inter se componit *Seldenus*, loco citato.

IV. Sed videntur nec Sacerdotum gregariorum כתנות seu lineæ cum Pontificia in omnibus convenisse. Omnes equidem erant byssinæ; puræ tamen Sacerdotum gregariorum: Summi Pontificis inoculata. Unde appellatur כתנת תשבץ, quam multi *tunicam strictam* seu inclusionis interpretantur, quippe quæ arcte adhæserit cuti, περιγεγραμμένη τῷ σώματι. LXX. χιτῶνα κοσυμβωτόν. Cæterum id nondum apparet, quemadmodum conveniat cum comm. XXXIX. cap. XXVIII. ושבצת הכתנת שש. Est enim שבץ proprium verbum τῶν ποικιλτῶν seu plumariorum, qui notis aureis vel purpureis vestimenta illudebant, quas Latini *plumas; signa, clavos*; Græci veteres κέγχρους, ἥλους, σημεῖα, σφραγῖδας, ἀσπιδίσκους, citeriores ταβλία & πλουμία dicunt. Ars ea *plumaria* vel ποικιλτικὴ τέχνη, Ebræis תשבץ & שבצה appellatur. De qua fuse differit *Claud. Salmasius ad Vopisc. pag. CCCCCVII. seqq.* Vere itaque non minus, quam pulcre, qui כתנת תשבץ vertunt *tunicam ocellationis* Montanus, Buxtorffius, alii. Nam *oculandi* vox ejus artis propria. *Tertullianus* I. de Pudic. c. VIII. *Sed enim plerosque interpretes parabolarum idem exitus decipit, quem in vestibus purpuram oculandis sæpissime evenire est.* Ubi *vestes purpura oculare* est plumare vel ἐμποικίλλειν; ab oculorum similitudine, quos referebant signa illa vestium. A qua & maculæ pantherarum orbiculares, Plinio *oculi*. Oppianus libro III. Κυνηγ. suavissime vocat μελανομμείας ὀπωπάς. Quin & pavonum pennis tribuit ὀφθαλμοὺς *Achilles Tatius* lib. I. de amor. Leucipp. & Clitoph. Sic *tunica ocellationis*

est oculorum quibusdam intextis figuris & quasi frustis variata. Unde *R. Bechai* f. 105. col. 3. הוא כתנת פסים האמור ביוסף ועשה לו כתנת פסים: Locus est Gen. XXXVII. 3. Ubi LXX. χιτῶνα ποικίλον. Latinus: *Polymitam.* Proprie vertas: *Tunicam frustorum*. Ea frusta oculis similia. Consentit Arabs, qui עיון legit, quod est, *oculatam*. R. Kimchi I. Radic. f. 288. תרגם אותו רבינו סעדיה זל ענון בארבי והוא מעשה הרקמה עשוי ענים ענים. Chaldæus: כתנת מרמצא *polymitam*. His oculorum notis illusa mantilia in Belgio *perdicum oculos* vocari scribit *Arias Montanus*. Qui tamen, quando plumatam Pontificis tunicam cum Romanorum scutulatis contendit vestibus, cum grano salis est accipiendus. Quas ille forsan a scutorum intextis effigiebus nominatas putabat. Idemque sensisse *B. Hieronymus* videtur, dum Comm. in Ps. XLV. scripsit, sponsas Hebræorum gestasse vestem scutulatam, dictamque *vestem clypeatam*; eo, quod clypei in ea acupicti essent, inque singulis clypeis singulæ majorum imagines. Atqui *scutulata* sunt, quas Græci ῥαβδωτὰς, Latini alias *virgatas* dicunt, quod plurimis transversim decussatimque distinctæ virgis, ac veluti reticulatæ forent. Eæ *scutulæ* dictæ, ex Græco Σκυτάλη. Prudentius: *Scutulis perfundere corpus*. His ita ductis, quadratæ in medio notæ relinquebantur, quales in operibus reticulatis visuntur: quas Democrito Ephesio ῥόμβους vocari apud Athen. I. XII. docet Salmasius. Diodoro Siculo πλινθία: unde & *laculatæ vestes* Isidori. Ex his apertum est, quid ab oculatis differant scutulatæ vestes. Quæ in eo quidem conveniunt, quod, sicut scutulatæ continuos πλινθίων ordines, scutulis inclusos, haberent: ita Pontificia hæc tunica oculorum, eaque haud dubie Montani mens fuit: cæterum neque illi quoad figuram commune quicquam cum scutulatis erat, neque intextæ scutulæ, quæ se invicem penetrantes, quadratum quid vel ῥομβοειδὲς in medio relinquerent. Quanquam certum sit, verbum שבץ de quadratis quoque vestium notis, sive, ut Salaminii vocabant, κύβοις usurpari. Annulorum sane palæ, quas ut plurimum quadratas fuisse constat, משבצות dictæ, ut mox apparebit. *R. Salomo Jarchi*: המשבצות הם כמין גומות העשויות בתכשיטי זהב למושב קביעת אבנים טובות ומרגליות H. e. *ocellationes istæ sunt quasi foveæ quædam ornamentis aureis incisæ, quibus infixæ gemmæ ac margaritæ*. Inde משבצות זהב dicuntur & illa vestium ποικίλματα, sive oculari sive quadrata figura. Vide Ps. XL. V. 14.

V. Secundi ordinis vestes, solique Pontifici Maximo, gestari solitæ sunt: מעיל ואפוד וחשן וציץ *pallium, amiculum, pectorale, & lamina*. *Pallium* erat vestis laxior, hyacinthina tota, tunicæ superinduta Μεθὲρ καλεῖται, inquit Josephus, κατὰ τὴν ἡμετέραν γλῶσσαν. Peculiari cinctum baltheo addit, auro intexto; de quo tamen cum taceat Scriptura, nos quoque nihil certi affirmamus. Relictum in summo foramen, exserendo capiti, quod פי ראשו dicitur, limbo, ne rumperetur, prætextum. Chaldæus: כפי תחרא *sicut os loricæ*. Hieronymus *capitium* vocat; forte a capiendo collo. De hoc adeundi Josephus l. c. Bechai f. 107. Abarbenel, f. 200. col. 2. alii. Ab inferiori margine per circuitum erant suspensa mala punica ex hyacintho, purpura & cocco; quorum præcise LXXII. numerant Autor טורים, S. Hieronymus, Isidorus & alii: totidemque tintinnabula ex auro; quæ a forma mespilorum, ut ex vi vocis Hebrææ פעמנים colligit Montanus, nomen sortiuntur, malisque punicis alternatim permixta, pallium ambiebant. Vide Syr. XLV. 11. Putant Hebræorum nonnulli a tinnitu ipsorum excitatum fuisse רוח הנבואה *spiritum Prophetiæ*, eoque trahunt locum Psal. LXXIV. 3. ut tradit Kimchi Rad. p. 398.

VI. Etsi vero hæc vestis dicatur מעשה ארג seu *opere textoris* confecta; qua tamen ratione tota esse inconsutilis potuerit, ut nonnullis videtur; equidem haud apparet. Nisi si *inconsutilem* dicamus ἄχιστον & quæ nullis ex utraque parte fibulis stringeretur, ut cætera Orientalium & Græcorum pallia συμπορπητὰ καὶ ἐρραμμένα. Nam *sutum* aliquando est idem, quod fibulatum. Svetonii locus, indice Salmasio, id docet, Augusto: *Sumenti virilem togam tunica lati clavi resuta ex utraque parte ad pedes decidit*. *Resutam* dixit refibulatam, nodis solutis. Vestes enim scissilles, quæ duabus plagulis constabant, ne defluerent, necesse erat, superioribus plagularum oris acu fibulatoria commissis, in humeris subnecti. Quod in more priscis etiam Germanis fuisse, Tacitum: Orientalibus, Rabbinos legenti paret. Græci eas fibulas περόνας & πόρπας, Callimachus ἐνέτας appellat. De quibus tum alii egerunt complures; tum imprimis *V. CL. Jo. Rhodius lib. de Acia cap. V.* Dicuntur etiam ῥαφαὶ & ῥαφίδες. Hesychius: Συμπορπητὸν, τὸν ῥαφαῖς συνειλημμένον κατὰ τοὺς ὤμους χιτῶνα. Idem: περόνη, ῥαφίς.

Et

Et συῤῥάπτειν περόναις dixit Lucianus dial. ἔρωτις. Quæ cum observaret *Ill. Salmasim ad Hist. Aug. p.* 401. *seqq.* adductis eam in rem plurimis Auctorum testimoniis: princeps omnium præclare docuit, quo pacto Salvatoris nostri tunica dicatur in S. Johannis Evangelio ἄῤῥαφος ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλε: in qua explicanda multum se antea, sed frustra exercuisse doctissimus Baronii Exercitator videbatur. Ἄῤῥαφος enim vocatur, non quod nulla sui parte acum sarcinatricis experta esset; sed quod nullam ex utraque parte scissuram haberet, nullisque ῥαφαῖς seu fibulis adstringeretur. Quæ autem vestium partes ita conceptæ acu essent, filis occultatis & intus retractis, ut una textura continuæ ac συμφυεῖς viderentur: ὑφαντὰς eas & artem ὑφαντικὴν vocari: Idem se in notis ad Novum Test. pluribus ostensurum, Vir Nobilissimus alibi pollicetur. Judæi hanc artem vocabant איחטי אלכסנדרי *suturam Alexandrinam*. Neque absurdum fuerit, per מעשה ארג eam hic intelligere. Quod si ergo pallium Pontificis, seu verius tunica, inconsutilis dicatur quod sola textoris ope confecta esset, nulla accedente sutura; qua id ratione fieri potuerit, intelligi non potest. Itaque inconsutilis est, quæ nullam ex utroque latere scissuram haberet, ut Ephod: sed esset ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλε, plane ut Salvatoris nostri & Pontificis summi, cujus ille in V. Test. typus erat. Et hoc idem voluit opinor Josephus. Ἔστι δ' ὁ χιτὼν ἔτος, inquiens, ἐκ ἐκ δυοῖν περιτμημάτων, ὥστε ῥαπτὸς ἐπὶ τῶν ὤμων εἶναι καὶ τῶν παρὰ πλευρὰν. φάρσος δ' ἐν ἐπίμηκες ὑφασμένον.

VII. De *Ephod*, quod על שם החגירה h. e. a *cingendo* sic dictum, ut R. Kimchi Rad. pag. 40. notat, sciendum est, non uno ubique modo id accipi. Principio lineæ sacerdotum gregariorum imo & Levitarum sic vocantur, 1. Sam. II. 18. & 1. Sam. XXII. 8. Sic enim *Don. Is. Abarbenel* פי' ad 1. Sam. II. f. XLII. edit. Constantinopol. de Ephod Samuelis: וזכר שעם היותו לוי היה חגר אפוד בד והוא היה מלבוש פשתן עשוי כדמות האפוד המיוחד לכהן הגדול שהיה התכונה אחרת והיו לובשים אותו כלל הכהנים: H. e. *meminit Scriptura, Samuelem, quod esset de tribu Levi, cinctum fuisse Ephod lineo. Hæc erat vestis ex lino, facta ad similitudinem amiculi Pontificii; fuit tamen figura ejus alia, & vestiti eo erant omnes in universum sacerdotes*. Deinde Ephod dicitur totum illud aggregatum ex amiculo, pectorali, & Urim, 1. Sam. XXX. 7. *R. David Kimchi*: הוא כלל החשן והאורים והתומים. Denique propria τὸ Ephod est & hujus loci acceptio pro solo amiculo humerali, ἑλληνικῇ ἐπωμίδι προσεοικότι; ex auro, hyacintho, coccino & bysso intertextis: cujus תבנית vel *simulacrum* ex contextu satis liquido intelligi non posse, fatetur *R. Salomo*. Unde tot Interpretum dividiæ: quibus nos missis tamen, quid propius absit a vero, dispiciemus. Videtur Ephod R. Salomoni figuram habuisse tunicæ muliebris, quæ duobus loris hæret in scapulis. Ea lora vel zonæ justæ latitudinis erant, opinor, & quæ latitudini humerorum responderet; vocanturque כתפות *humeralia*. Cætera solutum erat ex utroque latere Ephod & σχιστὸν seu ῥαπτόν; cum pallium esset ἄσχιστον seu ἄῤῥαφον, ut modo diximus. Solebant veteres aliquando vestes fibulatorias, ne diffluerent, non in humeris tantum, sed a summa usque ad imam oram fimbriatas, nodis ex utroque latere constringere. Has commissuras Lycophron χροοσωτὰς ῥαφὰς usurpat. Hic vero mentio fit artificiosissimi cinctorii, quod sub axillis adstrinxerit amiculum corpori, ne diffflueret, sicut idem, ne deflueret, humeralia sustinebant. Vocatur חשב אפדתו אשר עליו. Et Lev. VIII. 6. חשב האפר Bechai f. CVI. col. 4. חשב האפוד היה קשור על לבו תחת החשן. Etenim is, de quo supra retulimus, baltheus solam tunicam talarem cingebat; ac, nisi fallor, in sacerdotibus gregariis patebat aspectui quidem; non item in Pontifice, superindutis pallio & amiculo. Secus, quam putabat *Montanus*: qui ex ordine induendi Lev. VIII. descripto, abunde refellitur. Ubi חשב האפר & אבנט aperte distinguuntur, baltheoque cingitur tunica; & sic demum tam מעיל, quam אפוד induitur. Erat igitur ad Ephod alio opus cingulo; quod cujusmodi fuerit, sciri equidem exacte nequit: illud tamen certum est, fuisse primo ממנו *de ipso* h. e. pertinuisse ad Ephod, tanquam pars ipsius, non aliunde ipsi, ut baltheus tunicæ, accessisse; eamque causam esse reor, quamobrem non, ut baltheus, peculiarem vestem constituat: deinde, fuisse כמעשהו h. e. *conforme operi* ipsius amiculi, quippe ex eadem materia, auro, hyacintho, purpura, cocco, & bysso retorta, exquisitissimo Barbaricarii artificio, a quo nomen acceperit, contextum atque picturatum. Sed lubet hactenus dicta confirmare testimonio *R. Abravanelis*, qui, cum diductius egisset de figura Ephod,

ea

ea tandem, quæ dixerat, in tale compendium cogit פי' תורה fol. CXCIX. col. 4. edit. Venet. ואמנם צורתו היתה כמו שאמר האפוד תלוי מאחורי הכהן ורחבו היה כרוחב גב הכהן מכתף לכתף כדי שתהיין הכתפות מכתפות לו והוא היה תלוי למטה מהכתפות כנגד בית השחי והכתפות מחוברות לו ונכפלות לפני הכהן מעט וכנגד הלב היה יוצא מהאפוד כמו חגורה משני צדדיו והוא חוגר בה על מעיל האפוד כמו שיתבאר: H. e. Ephod, cujus latitudo respondebat latitudini tergi Pontificis ab humero ad humerum fuit infra axillas ab humeralibus suspensum: prodiit vero e regione cordis cingulum, a duobus lateribus quod amiculum ad pallium stringebat, sicut declaratum est.

VIII. In utroque humero erant משבצות זהב h. e. bina *inclusoria sive obstrigilla aurea*, quæ annulorum videntur palis non absimilia fuisse. Horum duplex officium; unum, ut essent σφραγιδοφύλακες, & inclusos asservarent lapides alterum, ut περονίδων instar, extremitates catenularum, a pectorali aptarum sustinerent. Nam inclusas his palis gemmas duas portabat in humeris Pontifex in quibus nomina XII. Israelitarum, sex in una totidemque in altera incisa visebantur; & quidem scalpta verius, quam sculpta, h. e. non, ut poculorum signa, quæ a protuberantibus colliculis גביעים vocantur, opere anaglyphario seu ἐντύπῳ: sed ἐκτύπῳ & καταγλύφῳ elaborata. Ita enim Hebræa veritas: מעשה חרש אבן פתוחי חתם תפתח את שתי האבנים: Præcipit Deus opere sigilliariorum exicidi ea nomina debere. At picturæ sigillorum cavæ sunt & lacunatæ; ob eamque rem ἐντυπώματα Græcis; & qui eas exarabant, seculo labente, cavatores, & cavitarii, Καβιδάριοι. *Vide Jo. Meurs. Glossario*. Vetus Marmor: Cabatores De Via Sacra. Glossæ: καβιδάριος, *Cabidarius*. Palladius Hist. Laus. Macario Seniore: Ἦν γὰρ ἐν νεότητι αὐτοῦ λιθουργὸς, ὃν λέγουσι, καβιδάριον. Hoc est, חרש אבן seu cavator lapidis. Proprium חרש eorum, qui sic, quasi in agris sulcos, picturas in gemmis exarant. His oppositi ἀναγλυφάριοι *Macario* Hom. XVI. Papias Magister: *Anaglypharius*, *Sculptor*. Sic Vet. Scholiast. Juven. Sat. IX. Unde Sidonio lib. XIII. Ep. IX. *anaglypticum metallum* est cælaturis eminentibus asperum. Similem oppositionem instituunt Rabbini inter צורות משקעות & ציורים בולטים. Sed illuc redeamus.

IX. Gemmæ, quibus inscalpta Jacobitarum nomina, אבני שהם appellantur Quæ vox habetur prætera Gen. II. 12. שם הבדלח אבן השהם. Plerique Hebræorum *onychem* vertunt; exponuntque lapidem majusculum, album, ex quo magnatum vasa soleant cavari. Vide *R. Salomon Aben Melech in Michlal Jophi* ad h. l. Et multus hujus lapidis usus ad vasa unguentaria & alabastros, apud Romanos etiam. Horatius:

Nardi parvus onyx eliciet cadum.

Plinius lib. XXXVI. cap. VIII. de onyche, de quo superius egerat: *Hanc aliqui lapidem Alabastriten vocant, quem cavant ad vasa unguentaria*; Videatur ὁ πάνυ *Salmasius*, ad Solinum. Ita, inquam, plerique Rabbinorum. *Sic R. Sahadia*, אבן יקרה לבנה והיא צחה. Sic vertunt & *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotio*, *Pagninus*, alii LXX. λίθον πράσινον Chaldæus: בורלא Cui *Epiphanius* adstipulatur, Quod est βηρύλλιον. Qui lapis Arabibus, teste *Kimchio*: אל בלור *Al Belor* dicitur. Ita *Syrus*: ܒܘܪܠܐ *Aben Esra* fatetur, qualis lapis fuerit שהם, non liquere. Utut sit, Rabbinorum expositio videtur stare non posse. Nam, quem illi memorant onychem, lapis est non usque adeo pretiosus, qui aut in sola Chavilah reperiatur, aut videri possit ad stolam Pontificiem adhibitus. Itaque malebat *Jo. Hopkinsonus*, egregio libello de Paradiso, Anno MDIIC. Lugduni Batavorum edito, cum Josepho *Sardonycha* interpretari. Est vero Sardonyx vel Sarda gemma coloris rubei & subcandicantis, de qua Plinius, Solinus, alii. *V. Fr. Rueum* I. II. Gemm. c. VI. Quanquam & illorum tolerari expositio potest, qui *onycha* reddunt; ita tamen ut onyx pro marmore ne accipiatur, sed gemma, cujus est species Sardonyx. Harum gemmarum dextra, si Josepho lib. III. ἀρχ. c. 9. fides, quoties litaretur, mirando persperssa jubare corruscabat, αὐγῆς ἀποπηδώσης ϗ τῆς πορρωτάτω φαινομένης, οὐ πρότερον ταύτης ὑπαρχούσης τῷ λίθῳ. Portavit autem eas Pontifex non eo fine, ut Deus justitiæ Judæorum recordaretur, uti Rabbini delirant, sed in memoriam trium, quorum *unum* ad populum, *duo* ad ipsum Pontificem pertinebant: ut sc. Populus videns nomina Patrum ne a virtute ipsorum degeneraret; sacerdos vero ut & vitam sibi eorum sequendam meminisset, & tribus ex iis natas orationibus & sacrificiis Deo commendaret. *Dionys. Carthus. in Exod. fol.* 217.

X. Porro pectorale sic fere amiculo aptabatur. Quadratum erat: itaque, ne dimoveretur, quatuor sui extremitatibus, qua in angulos desinebat, adjun-

ctos

ctos habebat quatuor טבעות זהב h. e. *annulos* vel *circellos aureos*; binos in utraque superiorum extremitatum: in inferiorum totidem. Scribit *Josephus*, relictam in amiculo circa pectus medium lacunam quadratam, cui ejusdem figuræ insertum pectorale fuerit, cumque amiculo aureis commissum annulis. Quod probandum Josepho remittimus: at ne sic quidem firmiter satis hærebat pectorale. Igitur superioribus duobus annulis erant insertæ duæ שרשרת גבלת מעשה עבת זהב טהור id est, *catenulæ terminationis*, *opere contortili*, *ex auro puro*. Quæ, quod æquali longitudine exirent, שרשרת גבלת appellantur. Harum una extremitas inserta, ut dixi, annulis in pectorali superioribus, altera sursum adducta versus humeros, inclusoriis aureis aptabatur. Inferioribus insertus annulis ex utraque parte *funiculus*, *hyacinthinus*, deorsumque infra axillas reductus, לעמת מחברות h. e. ubi commissuræ amiculi erant, binis & ibi e regione junctis aureis circulis indebatur, atque ita, ne dimoveretur pectorale, sed arctissime adhæreret, a circulis suis ad amiculi circulos, qui מלמטה seu deorsum sub axillis erant siti, stringebat. Vide *R. Bechai* fol. CVI. col. 4. De ipso pectorali paulo post plura.

XI. Restat quartum ex secundo vestium ordine ornamentum: *Lamina frontalis*, quam S. Codex ציץ vocat; forte, quod ex auro mundissimo, opere bracteario diducta, folium floris πλατυφύλλυ referret. Unde & Grecis πέταλον χρυσῦν Glossæ Arabico-Latinæ, *Petalum*, *aurea lamina in fronte Pontificis*. Eusebius Hist. Eccl. lib. III. cap. 31. Ἰωάννης ὁ ἐπὶ τὸ στῆθος τῦ κυρίυ ἀναπεσών, ὃς ἐγενήθη ἱερεὺς, τὸ πέταλον πεφορηκὼς καὶ μάρτυς καὶ διδάσκαλος. Adde *Philonem* libro III. de vit. Mosis. Πέταλα sunt proprie τὰ ἀναπεπταμένα καὶ πλατέα φύλλα τῶν δένδρων, *Eustach.* Odyss. T. Ab horum similitudine aurum in bracteas extensum, πέταλον dicitur. Hebræi רקעי פחים dicunt. *Josephus* hanc laminam τελαμῶνα χρύσεον appellat, ἱεροῖς γράμμασι τῦ Θεῦ τὴν προσηγορίαν. Vocatur insuper Ex. XXXIX. 30. נזר הקדש *corona sanctitatis*. Neque enim audiendi sunt, qui præter cidarim & laminam auream nescio quas coronas comminiscuntur. Adversus quos differentem vide doctissimum *Seldenum* Succ. Pontif. lib. II. cap. VII. Equidem נזר הקדש memoratur etiam Ex. XXIX. 7. Et Lev. VIII. 9. את ציץ הזהב נזר הקדש. Verum ibi posteriora appellatio est ἐξηγητικὴ prioris, & corona sancta eadem cum lamina auri. Deinde legitur quidem apud *Vulgatum* Ex. XXIX. 25. *Et mitras cum coronulis suis ex bysso*. Sed ex voce פארי *ornamenta* simpliciter vertendum. Nam ibi פארי המגבעות שש sunt *decora mitræ e bysso*. Denique nihil nobis obstat *Josephus* lib. III. cap. VIII. Si sui temporis habitum eum describere dicamus non Mosaici, quando & alium ex hyacintho pileum priori impositum, & hunc aurea corona triplici ordine circumdatum, refert, aureis calyculis Hyoscyami similibus exornata. Et videtur, quod ipsam cidarim attinet diversis ea temporibus varie circumplicata, proindeque variam nacta figuram fuisse; neque alia re מצנפת Pontificis a מגבעת sacerdotum vulgarium distulisse. Vide *Hieronymum* Epist. CXXVIII. ex quo Hemisphærii figuram in cidari Pontificia agnosces. Sane ita fuisse comparatam opido probabile est, ne ultra frontem lamina præcinctam descenderet. Inscriptum vero laminæ ipsis קרש ליהוה *sanctitas Domini*. Vid. Syr. XLV. 14. *Aristeas* de LXX. Interpretibus: ἐπὶ δὲ ταύτης τὴν ἀμίμητον μίτραν, τὸ καθηγιασμένον βασίλειον, ἐκτυπῦν ἐπὶ πετάλῳ χρυσῷ γράμμασιν ἁγίοις τὸ ὄνομα τῦ ΘΕΟΤ, κατὰ μέσον τῶν ὀφρύων δόξῃ πεπληρωμένον. *R. Bechai* f. CVII. col. 2. כך היה מעשה הציץ ועשה טס של זהב רחב שתי אצבעות ומקיף מאזן לאזן וכותב עליו שני שטין קרש ליי' קדש למטה ליי' למעלה והיו האותיות בולטות: H. e. *Fecit bracteam ex auro*, *latam duos digitos*, & *pertingentem ab aure ad aurem*, & *inscripsit ei duo hac verba*, Sanctitas *inferne*, Jehovah *superne*, *erantque literæ prominentes*. Errant g. qui eam depingunt instar Lunæ sursum arcuatam, habentemque in medio aureum annulum, tiaræ insertum, ut ex Historia Scholastica tradit *Dionysius Carthusianus* in Exod. art. LV. f. 217. Beneficio hujus gestaminis auferebat Aaron iniquitatem rerum sacrarum, & Dei benevolentiam Israelitis conciliabat. Quo indicatum fuit, in Jesu Christo nostram esse justitiam & reconciliationem. *Constant*. *Imperator* ad ὁδοιπ. Kimch. p. 206.

CA-

CAPUT II.

De vestimentis Albis.

I. VEstium illarum octo, quas hactenus resensuimus, quæque partim communes Pontifici cum Sacerdotibus gregariis, partim propriæ fuere, neque ampliandus numerus neque contrahendus erat. Unde ad ravim usque in libris Magistrorum inculcatur: כהן הדיוט בארבעה בגדים כהן גדול בשמנה Adi *Bechai* fol. CV. col. 4. & CVII. 2. *Thomam de Aquin.* I. secund. q. 102. artic. 5. ad 10. Qui plures vel pauciores gestaret, ei sacris operari non magis licebat, quam alicui de plebe, quem tale quid præsumentem capitis damnat lex divina. Vid. *R. ben Maimon* Hal. הבחירה cap. IV. & Hal. כלי המקדש cap. X. qui & ibidem ostendit, quemadmodum singulas vestes confieri oportuerit. Quas omnes בגדי זהב *vestes aureas* nominant Rabbini. Non sane quod intextum omnibus aurum foret; sic enim neque subligacula, neque mitras, neque pallium hac appellatione venire oporteret: sed quod essent exquisitiori opere effectioresque illis, quæ ad harum differentiam בגדי לבן *vestes albæ* a Talmudicis vocantur. Quæ distinctio & *Philoni* placuit, qui *lib. de Somniis*, expresse vestes Pontificales tribuit in ποικίλας, quæ sunt Hebræorum בגדי זהב: & διαλλάκτους, quæ בגדי לבן. Erat enim præter hactenus enumeratas, tertium earum genus, quæ a cæteris usu partim, partim qualitate differebant. *Usu* quidem: nam & a Pontifice solo nec nisi semel in anno gestabantur, cum piaculare sacrum faciens, adyta Sanctuarii ingrederetur. Deinde *qualitate*: quippe quibus non modo linum accedebat minoris pretii, sed nec baltheo pictura textilis. De his aperte locutum ostendit Seldenus, *Fl. Josephum* lib. V. ἁλωσ. cap. XV. miraturque Viros doctos, in his *Sigonium* de Rep. Hebr. lib. V. cap. II. & *P. Cunæum* lib. II. cap. I. ita citare Josephum, ut affirmare faciant, Epomidem & rationale tum saltem gestata Pontifici fuisse, cum interioris foret admissionis. Recensentur vero hæ vestes in *Gemar. Hierosolom.* tit. Joma cap. VII. & ex ea Maimonidi כלי המקדש c. VIII. Verba sunt ista: בגדי לבן הם ארבעה כלים ששמש בהן כהן גדול ביום הכפורים וארבעתן לבנים ומין הפשתן לבדו הן כתנת ומכנסים ואבנט ומצנפת; Hoc est *Vestes albæ fuerunt indumenta quatuor, quibus induebatur Pontifex in die jejunii: & erant albi coloris, & ex lino tantum: Tunica, subligacula, Baltheus & cidaris.*

II. Locus de his, ad quem digitum intendunt Judæi, Solis radio scriptus est *Levit. XVI. comm. IV.* Ubi inter alia, quæ festo Expiationum, die decimo mensis Tisri, observanda præscribuntur, de indutu harum vestium diserte præcipitur. Atque ut easdem esse cum primi generis vestibus ne quis putet, singulæ dicuntur vestes בד seu *lineæ*. Quæ confer sis cum Exod. XXIIX. 39. & XXXIX. 27. seqq. & manifestum discrimen deprehendes. Ubi & subligacula & tunica & cidaris ex שש h. e. bysso confici; baltheus insuper acu phrygionia pingi præcipitur.

III. Esse vero insigne discrimen inter בד & שש nemo nescit. Nam בד vulgare linum est, & λιτότερον: sed שש longe subtilissimum, & gossypii haud absimile. Ægyptium esse, & eximii candoris, nec unquam coloratum, scribit *R. Aben Esra* ad Ex. XXV. 4. Quo pertinere ὀθόνια illa delicatissima Ægyptiorum, quæ אטון מצרים in Proverbiis, fidem faciunt, quæ ad eum locum notavit non ita pridem Vir Excellentissimus, & omni bono de nobis meritus Præceptor *Dn. L. Martin. Gejerus*. Chaldæus Hebræum שש vertit בוץ, quæ vox reperitur & in Codice Hebræo, I. Par. XV. 27. Unde Græcorum βύσσος, quod Hellenistæ adhibuerunt Alexandrini. Hujus pretium fuisse *Plinius* l. XIX. c. 1. tantum retulit, ut quaternis denariis scriptula ejus permutarentur. In deperditorum refert numerum *G. Pancirollus*. Cum vero albissimum fuerit, nescio qua ratione *Hesychius* potuerit πορφυρὸν interpretari. Quamvis enim infecta muricis veneno bombycina legantur, unde, qui purpuram faciunt, in Glossis Isidori *Bombycinatores*: hoc tamen de bysso ægre quis probaverit, quam colorari solitam negat Aben Esra. Quantum vero differant Byssus, & Bombycinum sericumque, ut maxime ab Autoribus, ipsoque, ut arbitror, Hesychio confundantur: dudum est, cum ostendit *J. Lipsius* ad Annalem II. Taciti. Laudata præ cæteris in bysso filorum firmitas. *Paullinus*, Nolæ Episcopus, ad Cytherium:

Nam fila byssi fortiora & sparteis
Feruntur esse funibus.

Adi V. *Nobiliss. C. Barthium* lib. XXXII. Adv. cap. III. Itaque adhibitam ad sacras vestes tradit *Hieronimus* Ep. cit. ad Fabiolam. *Ob decorem*, inquit, *& fortitudinem*. Ex quo intelligitur, quid sit שש משזר. Nimirum, cujus fila sunt dupli-

duplicia & bis torta. Judæi חוריץ שזוריץ vocant. Intorquebantur enim bis, majoris firmitatis ergo. *Venantius Fortunatus* lib. VIII.

> *Veste superposita bis torta purpura bysso.*

Quare *byssus* etiam aliquando pro serico grossiori ac fortiori, *Eucherio* ad Salon. c. III. Vid. *Jo. Savaronem* ad Sidon. lib. VII. Ep. VI. p. CCCCXXX.

CAPUT III.

De Choschen.

Supersunt expedienda de Choschen, quæ de industria in peculiare caput conjecimus. Quod *pectorale* alii, alii *rationale* transferunt. Quid significet proprie, vix est, ut dicamus; cum de ipsius etymo altum sit apud omnes silentium; Kimchi sane in libro Radicum nullam adfert vocem, cui vel originem debeat חשן, vel qua significatio ejus illustretur. Eum veluti oves arietem sequuntur Lexicographi, Avenarius Schindlerus, Buxtorfius. Johannes v. Forsterus Kimchium deseruit, odio forsan, quo omnes Rabbinos prosequitur. Deducit enim Choschen a חשה *tacuit*, *siluit*, & sic dictum putat, *quod mysteria Dei ibi comprehensa essent & inde depromerentur*. Sed nondum se hæc probat eruditis derivatio, uti petenti in conflictu demonstrabimus. *Josephus*, Hebrææ retinens vocis, Ἐσσὴν vocat: σημαίνει δὲ τοῦτο, inquiens, κατὰ τὴν Ἑλλήνων γλῶτταν λόγιον. Sic Interpretes Alexandrini, & Syracides, c. XLV. 17. λογεῖον κρίσεως. Variant enim Codices, habentque alii λόγιον, alii λογεῖον: Sensu eodem. Posteriori modo legit *Suidas*, cujus sunt ista: λογεῖον τὸ μάντευμα ὅπερ ἐφόρει ὁ ἱερεὺς, ἐν ᾧ ἦσαν ἐγκεκολαμμένοι οἱ ιβ' λίθοι. Haud temere tamen legas alibi λογεῖον, hoc significatu: λόγιον contra quam sæpissime pro oraculo vel enuntiato divino. Unde λόγια τοῦ Θεοῦ Rom. *III.* 2. *Syrius*: ܡܡܠܠܐ ܕܐܠܗܐ Confer. 1. *Petr. IV.* 11. *Act. VII.* 38. Appellanturque Græcis vates, per quos Deus oracula edit, λόγιοι. *Plutarchus* in Sulla: Τυῤῥηνῶν δὲ οἱ λόγιοι μεταβολὴν ἀπεφαίνοντο ἀποσημαίνειν τὸ τέρας. Idem λογιωτάτους dixit, eadem notione. Est enim *oraculum* nihil aliud, quam *voluntas divina*, *hominis ore enuntiata*, ut finit Seneca. Cæterum ut consentiunt omnes, Choschen esse ornamentum pectorale in amiculo Pontificio: ita λόγιον dixisse Græcos perspicuum est, pro pectorali, ex quo edebatur oraculum μετωνυμικῶς. Quod non est insolens, usique eodem sensu oraculi voce Latini sunt. Quibus nihil frequentius, quam Apollinis Delphici vel Jovis Hammonis statuam *oraculum* dicere. Septuaginta secutus videtur *Vulgatus* esse; licet aliter sentiat *Corn. a Lapide*, &, inspecto Codice Hebræo, loco חשן per metathesin נחש, quod vatem significat, legisse velit. Sic vero ille: *Rationale judicii*. Multi erroris arcessunt hanc versionem. Conciliare tamen videtur *Cunæus* voluisse, cum scribit: *Choschen sive Rationale dicebatur propterea, quod cordis rationisque sedem, hoc est, ipsum pectus cingeret*. Quid si, ut Græci λόγιον, ita rationale Vulgatus dixerit pro pectorali, ex quo *rationes*, hoc est, λόγοι, consilia, responsa, oracula peterentur? Etenim, quia sine ratione consilium nequit inveniri: idcirco positam sæpe pro consilio *rationem* esse, ostendit non uno exemplo *V. Cl. Aug. Buchnerus* in recognita & aucta nuper Fabri editione p. *MCLXXXVII. C. Nepos*, Miltiade: *Cujus ratio etsi non valuit, tamen magnopere est laudanda*. Quæ quidem sic satis speciose dici possent, nisi vereri subiret, ne non satis congrue pro consilio vel oraculo divino diceretur.

II. Porro, quemadmodum id pectorale confieri DEUS voluerit, luculenter describitur *Ex.* XXVIII. 15. seqq. & XXIX. 8. seqq. Materia eadem, quæ amiculi. Longitudo & latitudo זרת seu III. palmorum vel XII. digitorum. Figura quadrata. De modo stringendi illud per annulos & catenas, antea dictum. Tum etiam jubetur fieri כפול h. e. διπλοῦν. Cujus rei causam hanc assignat *Raschi* ad Ex. XXVIII. 30. הוא כתב שם המפורש שהיה נתנו בתוך כפלי החשן. H. e. *scripsit Moses Schem Hamphorasch, & posuit illud in medio in duplici pectorali*. Quo loco sciendum, R. Salomonem in ea esse hæresi, ac si Urim & Thummim, quæ indenda erant pectorali, fuerint nomen illud, quod Judæi המפורש appellant. Quod a Mose perscriptum, ut eo aptius inseri posset, pectorale fuisse duplicandum. Enim vero, Judaismum redolere hanc opinionem quis non videt? Nobis sane hoc credere detrectantibus irasci non possunt Judæi, quippe quorum cordatiores ipsi hic, scriptura tacente, hæsitant. Sic enim in *Michlal Jophi* commentator scribit: י״א כי נגזר מענין אורה ולא נתברר אצלינו מה הם האורים והתומים כי

כי ידמה כפי הפסוקים שהם דבר אחר זולתי אבן החשן ורש״י פי׳ שהוא כתב שם המפורש שהוא נותנו בתוך כפלי החשן שע״י יהו היה מאיר את דבריו ומתמים דבריו ולא נודע האמת *Sunt qui Urim a lucendo derivant. Sed nobis non liquet, quid Urim & Thummim fuerint. Textus sane videtur innuere fuisse aliud quid, quam pectoralis lapides. R. Salomo ait fuisse Schem Hamphorasch, quod inter pectoralis partes abditum fuerit, & per illud fuisse verba illustrata & perfecta. Sed enim an se res ita habuerit, non constat.* Rectius igitur dixerimus, geminatum ideo pectorale fuisse, ut obstrigilla gemmarum aurea seu πυελίδες, quæ משבצות זהב dicuntur, aut, ut exponit ipse Raschi, גומות *foveæ* seu *fundæ* recipiendis lapidibus eo melius excidi possent. *Josephus* ἕλικας appellat: χρυσὸς δ' αὐτὰς ἐμπεριέρχεται τὰς ἕλικας, ἐνηθεὶς τῷ ὕφει πρὸς τὸ μὴ διαρρεῖν οὕτως πεποιημένος. Erat itaque duplici plagula ac velut lamella compositum pectorale, quarum superior duodecim foraminibus seu palis, æquali a se invicem intervallo remotis, affabre inocellata, gemmas totidem recipiebat; inferior plana & nullis foraminibus pertusa, easdem basis instar sustinebat.

III. Gemmis vero ipsis, quadruplici ordine apte inter se atque concinne dispositis, ita, ut unus הטור vel *ordo* tres gemmas haberet, nomina XII. φυλάρχων artificio sigillario inscripta, facile est existimare, quam divino & admirando jubare coruscarint. Quarum appellationes singulas ac mysteria recensere, longum foret non modo, sed neque careret insigni difficultate; cum pleræque ne ipsis quidem Judæis cognitæ satis explicatæque sint. Quæ tamen propiora veritati ex collatione Versionum elici poterant, habes apud *Lud. de Dieu*, Animadv. ad Exod. 28. & 39. p. LXI. seqq. Est & de XII. illis Lapidibus libellus *S. Epiphanii*, Salaminæ Episcopi, Tom. II. Operum, edit. Petavii. De שהם quæ quarti ordinis secunda gemma, humerisque etiam ornandis adhibita, dictum supra est. Illud forsan prætermitti non debet, quod de שבו, quem tertii ordinis secundum lapidem, plerique *Achatem* reddunt, (Syrus tamen ܟܪܟܕܘܢܐ *Charchedonium* transtulit,) prodidit *R. Isaac Abarbanel* פי׳ in Ex. 27. reperiri videlicet, qui magnetem dicant, cujus ea virtus, ut alliciat ferrum. Sane & *Targum Hierosolym.* transtulit ברזלין *ferreum* seu *ferrugineum*. Hæc si vera sunt, necesse est, ut jam illis antiquissimis temporibus non ignotæ fuerint magnetis virtutes. Id quod de σιδηροσπαστικῷ concedit probatque; sed de πολοδείξει negat, præclaris inductus ratiociniis, Vir Summus *Athanas. Kircherius lib. I. Art. Magnet. part. I. cap. V.* Postremo, quæ non modo fuerit lapidum illorum, sed & totius στολῆς ἀρχιερατικῆς arcana significatio, profundioris est indaginis: cujus etiam certum est vel solam custodiam tanti habitam fuisse, uti, quæ soli Pontifici competebat, Ethnici quanquam homines, Judæis in potestatem redactis, sibi vendicarint. Nam post Herodem, qui harum sibi vestium adservandarum jus, in turri Antonia repertarum, sumserat, earundem Romanis usque ad Vitellii præsidis, sub Tiberio tempora, custodia fuit perpetua; donec eam denique recuperarent Judæi. Vide *Joseph. lib. XVIII. ἀρχαιολ. cap. VI.*

IV. Antequam hinc abeamus, non est prætermittendum, quamobrem pectorale Pontificis dicatur *Judicii*, sive, ut Hebræa veritas habet, חשן המשפט Luth. quando Ex. 28. & 39. *Das Ambtschildlein*, Syr. XLV. 13. *das Machtschildlein*, transtulit, non est dubium, quin ibi ad ministerium, quod obibat Pontifex: hic ad eam, qua pollebat, ἐξουσίαν oculos intenderit. Est vero genuina appellationis ratio, quod consultus Pontifex, induto pectorali, in quo Urim & Thummim erant, respondere demum potuerit infallibiliter *de Jure & Judicio*. Uti enim *Abravanel* recte docet ad Deut. XXXIII. 8. רוח הקדש מגיע לכהן בהתל בשותו באורים ותומים h. e. *SP. S. afflatum sensit Pontifex, cum indueret Urim & Thummim*. Etsi vero a Juris potissimum dubiis casibus solvendis Choschen Hammischpath vocatum, *autori Michlal Jophi* videatur, his verbis: קראו כן לפי שהיו עליו האורים ותומים שהיו מודעים משפט האדם כשהיו שואלים בהם: H. e. *vocarunt ita pectorale Judicii, eo, quod in eo erant Urim & Thummim, quæ interrogantes jus, quod homini conveniat, docebant*: quo nomine etiam quarta pars *libri Ritualis* שלחן ערוך a Judæis hodie vocatur חשן המשפט quod inde *Controversiarum forensium* decisionem petere liceat: negari tamen nequit, ad alia quoque cognoscenda adhibitum fuisse. *R. Aben Esra ad Ex. XXVII.* 30. sic commentatur: טעם משפט דיני השם וגזירותיו העתידות: *Mischpath significat Judicia DEI & decreta ipsius futura*. Et *R. Abravannel* f. 200. col. I. in Pentateuch. non male כדי שהאומה בעת הצורך לא תהיה חסרה

חסרה מידיעת העתיד לבא עליה לכן המציאה ההשנחה האלהית המעשה הזה מהאורים ותומים כדי שבכל עת יוכלו לדעת בו מה פעל אל: *Ut populus urgente necessitate, quid se futurum esset, scire posset, ideo divina providentia hoc medium Urim & Thummim ordinavit, ut identidem cognoscere possent, quid DEO decretum esset*. Nempe non subinde præsto erant Prophetæ, qui consulerentur. Quin לא היתה הנבואה שורה על הנביא בכל עת שירצה: *Prophetiæ donum non semper habebant Prophetæ, ut, quoties vellent aliquid prædicere, possent*, uti ex 2. *Sam. VII.* 3. 4. patet. Defectum igitur illius supplevit sæpius Urim & Thummim שלא יחסר להם מציך מהשיהיה ויצטרכו לבקש מנחש ומעונן ומכשף: *ne, si eos deficeret rem futuram prædicens, declinarent ad Augurem vel præstigiatorem*. Respondit autem Deus tunc maxime, si per Sacerdotem sciscitans DEUM peccatis suis non irritasset. Unde 1. *Sam. XXVIII. 6.* legimus, DEUM Sauli neque per *somnium* respondisse, neque per *Urim & Thummim*, neque per *Prophetas*. Sed nec illud silentio præteriri debet, quod *R. Abravanel* amplius monet יעוד מהאורים ותומים בלתי חוזר h. e. *promissionem ab Urim & Thummim progressam non esse conditionalem vel revocabilem*; cum tamen, ut *Scholiastes in Beth-Israel* scribit, גזירת נביא חוזרת כגזז של יונה בן אמיתי: *Prophetica prædictio revocari posset, ut Jonæ, filii Amithai*. Deinde, שהיה משפט האורים בלבד בדברים שיהיו תכף ובמעט זמן כאלו תאמר הארדף אחרי הגדוד הזה האשיגנו ודומיהם: *Urim saltem in rebus adhiberi solitum esse, quæ jam imminerent aut statim fierent, quasi dicas* (1. Sam. XXX. 8.) *persequarne illud agmen? num attingam illud? & similiter*: sive ut dictus *Scholiastes* loquitur, שהיה הדבר נחוץ ואין שהות להמתין *ubi celerato opus erat vel periculum in mora*. Contra per Prophetas res aliquot centenis annis post demum futuras DEUS prædicebat.

V. Quandoquidem in sacris literis expressum non est, quid Urim & Thummim fuerint, ceu jam ante audivimus; nomina illa penitus evolvenda sunt, & Rabbinorum quoque, qui ex traditione aliquid se hausisse profitentur, sententia in medium afferenda Sciendum igitur, illa sic dicta videri Judæis על שם פעלתם *ab effectu illorum*. In *Talmud Massechet Joma cap. VIII.* hæc leguntur verba: למה נקרא שמם אורים והתמים אורים שמאורים את דבריהם תומים שמשלימין לדבריהם: *Eccur vocantur Urim & Thummim? Urim dicuntur, quia verba illorum illustrant; Thummim, quia verba illorum perficiunt*. Prius igitur *a Luce* nomen habuit, quod ad quæsita indicanda extraordinariam lucem acciperet, & quasi miraculose fulgeret. Posterius *ab effectione vel executione lucis vel consilii divini*, quod per Urim designabatur. *Luth.* reddidit: *Licht und Recht*. Vulgatus: *Doctrinam & Veritatem*. *Bellarminus*, ut tueretur, hunc locum, *lib. IV. de P. R. cap. III. pagin.* 211. omnium Hebræorum neglecta hic auctoritate, non ab אור & תמם sed ירה & אמן voces eas deducit. Quæ originatio tam inaudita & monstrosa est, ut merito in stuporem dare aliquem possit. Vid. *Sixtin- ab Amama, Antibarb. Bibl. lib. II. pagin.* 567. qui Cardinalem exagitat. *Aquila & Theodotio* φωτισμοὺς καὶ τελειώσεις reddendo, ad Hebraicam veritatem accedunt proxime.

VI. Quandoquidem vero forma *Urim & Thummim* cum ipso usu illorum ex notitia elapsa censetur, & uti *R. Gerundensis* putat, אפשר שאחרי שנתן משה בחשן השמות הקדשים של אורים ותמים היו נודעים במסורת ממנו לגדולי חכמי ישראל: *Fieri potest, ut, postquam Moses pectorali nomina Sancta Urim & Thummim indidit, ex traditione Sapientibus Israelis aliquid de isto opere innotuerit*: videamus licet, quid tandem Rabbini & veteres Hebræi, quos ob solam antiquitatem non prorsus contemnendos censet *Schickardus*, isthac de re senserint. Sic ergo *R. Bechai Comm. in Pentateuch. fol. CVI. col. 4. & f. CVII. col.* 1. edit. Venetæ: כלל הדבר באורי' ותומים שהיו שמות קדושים מכחם ידע הכהן העתיד וישמיע לכל שואל הבאות' והשמות האלה שני חלקים האחד מכחם יאירו אותיות השבטים הקבועים באבני החשן והם הנקראים אורים בהיותם מאירי' לעיני הכהן והשני מכחם יבא בלב הכהן שידע להצמיד ולחבר האותיות השאלה ולהוציא התיבה מהם כדי שיהא מכוין בתשובה ומכח השמות האלה יהיה לב הכהן תמים בידיעת האותיות וברוח הקדש שבו יבא בלבו כי זה חבורן וסדרן והם הנקראים תומים ושני חלקי השמות הקדושים האלה הנקראים אורים ותומים על שם פעולתם היו כתובים בין כפלי החשן כי על כן היה כפול ואחרי שהלביש משה לאהרן האפוד והחשן אחרי כן היה נותן בין כפלי החשן האורים והתומים והוא שכתוב ויתן עליו את האפוד ונומ' וישם עליו את החשן ויתן על החשן את האורים ואת התומים והענין היה מדרגת ממדרגות רוח הקדש למעלה מבת קל למטה

למטרה מן הנבואה : h. e. *Omnis ratio τῶν Urim & Thummim conſiſtebat in nominibus ſanctis , ex quibus Pontifex , quid futurum eſſet , cognoſceret , & interroganti referret . Erant vero nomina illa in duas claſſes diſtincta; in quarum una illuminatæ tribuum lapidibus pectoralis inciſarum literæ , quod illuſtrarent oculos Pontificis, Urim vocabantur : altera in pectore Pontificis poſita efficiebat , ut ſciret copulare & conjungere literas , & extrahere ex illis voces , cum eſſet reſponſioni ad propoſitam quæſtionem intentus. Hæc enim nomina perficiebant cor Pontificis in intelligentia literarum , & in SP. S. qui ſuper ipſum veniebat , ut conjungere literas , & concinne inter ſe ordinare poſſet. Hæc Urim & Thummim ratione ſuorum effectuum ſic dicta , intra duplicitatem pectoralis erant inſerta , [quod ideo duplicatum erat ,) unde poſtea demum Moſes , cum Aaronem Ephode & pectorali amiciret , duplicitati pectoralis Urim & Thummim indidit. Et hoc ipſum ſcriptum eſt Lev. VIII. 7.* Et dedit ſuper eum ſuperhumerale &c. *v.* 8. Et poſuit ſuper eum pectorale: Et dedit in pectorale Urim & Thummim. *Erat vero hic modus unus e gradibus SP. S. eo, qui Bathkol dicit , ſuperior, inferior vero prophetia .* Confer *R. Iſ. Abravanelem f. CXCIX. col.* 3. qui his tradit gemella.

VII. Magno porro conſenſu docent Hebræi, *ἀμέσως* tradita Moyſi *Urim & Thummim* fuiſſe ; quod eorum ab artifice conficiendorum nulla plane hic fiat mentio, quæ tamen vaſorum & veſtium ſatis crebra injiciatur . Sic enim *Don. Iſ. Abravanel* loc. cit. ולהיות בחשן האורים והתומים מעשה שמים ולא מעשה חרש לכן לא נזכרה בהם לשון עשיה כשאר הכלים והבגדים ונזכרו בהא הידיעה למעלתם וכמוהו וישכן מקדם לגן עדן את הכרובים ולא יזכרו הכרובים קודש לכן וכמו שכתב הרמבן : *Quia in Choſchen erant Urim & Thummim , opus plane divinum, non artificis, ideo , ut reliqua vaſa & veſtes , non dicuntur facta eſſe : ad indicandam etiam prærogativam He notificativum occurrit , quemadmodum in* הכרובים *Gen. III. 24. atque idcirco ſanctum eſt, uti Gerundenſis ſcripſit.*

VIII. Modum conſulendi oraculi tradit cum *R. Maimonides* Hilcoth כלי המקדש *c. X.* tum *R. Bechai* l. c. perſpicue enarrat his verbis : ומי שבא לשאול את הכהן באורים ותומים כך היה הענין היה הכהן עומד פניו כלפי הארון והשואל עומד מאחרי הכהן ולא היה שואל בקול רם הלא מהרהר בלבו אלא כאדם שמתפלל בינו לבין עצמו והיה מוציא הדבר בפיו ומיד היה הכהן מתלבש ברוח הקרש ומביט בחשן ורואה בו כמראה הנבואה עלה או לא באותיות שהיו בולטות מן החשן כנגד פניו ואין שואלים אלא צבור ומלך כדאיתא במסכת סוטה : *Veniente aliquo ad Pontificem conſultum per Urim & Thummim , ſic res agitur. Stat Pontifex facie ad arcam converſa ; Conſulens a tergo Sacerdotis ; qui non utitur voce nimis elata , nec nimis ſummiſſa & intus immurmurante , ſed qualis eſt hominis ſecum orantis. Statim igitur ut ore ſuo rem profert, SPIRITU S. indutus Pontifex , oculis in pectorale defixis , videt in eo viſione prophetica : ASCENDE , aut , NE ASCENDE , literis e pectorali protuberantibus . Non poſſunt vero conſulere oraculum hoc niſi vel cœtus vel Rex.* Argumentum quæſtionis erat דבר כולל לכל ישראל לא מעשה איש פרטי inquit *Abravanel*, hoc eſt *talis res in qua totius populi fortunæ eſſent poſitæ. Saltem non hominis privati.* In *Talm. Maſſech.* יומא *c.VII.* hæc legimus: אין נשאלים בהם להדיוט אלא למלך ולבר ולמי שצורך הצבור בו: H. e. *non conſulebantur illa in negotio hominis privati , ſed vel Regis vel Synedrii , vel ejuſmodi hominis , quo opus habebat cœtus.* Conf. *Beth Iſrael f.* CIIX. *col.* 4. Sed hic dubium oritur: Si literæ e nominibus tribuum prominulæ rem faciendam aut omittendam indicare debuere; ſequitur, omnes literas Hebraicas in iis fuiſſe contentas . Sed poſterius non eſt . E. nec prius. Reſp. ad hoc Veteres, in *Beth. Iſrael f.* 109. *col.* 1. הא לא כתיב צדי אמר שמואל בר יצחק אברהם יצחק ויעקב כתיב שם הא לא כתיב טית אמר רב אחא בר יעקב שבטי ישורון כתיב שם: *Ecce! litera Zade ibi exulat : dixit Samuel F. Iſaac , ſcriptum ibi eſt ABRAHAM, IIZCHAK & JAKOB. Ecce ! deſideratur ibi Theth: dixit Rab Acha F. Jacob , Schibthe vel tribus Iſraelis ibi ſcriptum erat. R. David Kimchi* Talmudiſtarum alias placitis haud ita deditus cap. 20. Jud. יב שבטים היו כתובין בהן ואמרו רזל שגם אברהם יצחק ויעקב נכתבו בה והנה כל האתיות בהם : *Tribus* XII. *inſcriptæ erant in illis: præterea ajunt Dd. noſtri b. m. ſcripta in illis nomina* Abraham , Iizchak , Jacob ; *ut, ecce! adeo omnes literæ Alphabeti ibi extiterint .* Sic illi quidem , ut obtineant ipſarum literarum fulgore rem indicatam fuiſſe docent, & addita trium Patriarcharum nomina contendunt . Quæ tamen ſententia non omni prorſus videtur carere dubio . Cum enim Scriptura S. duodecim duntaxat tribuum commemoret nomina,

mina, & Deum reſpondiſſe in genere referat; non expreſſo eo, an *voce* audita, an *viſione* aliqua exhibita, an vero peculiari *illuminatione* SP. S. Pontifex voluntatem Dei ſit edoctus: omni vacabit culpa temeritatis, qui dixerit, modum illum revelationis tam exacte, & certo ſcire poſſe neminem.

IX. Duodecim tribuum numero reſpondiſſe totidem pretioſos lapides, conſtat ex ſupra dictis. Theologi tamen Judæorum, quos *Cabbaliſtas* appellant, altius aſcendunt, & aliud nobis arcanum pandere ſatagunt. Sic vero illorum mentem aperit *Don. Iſ. Abravanel fol. CC. col. II.* המקבלים כתבו שהיו יב̇ אבנים מפני שהשם הגדול מ̇יוד ק̇ה̇ וו̇או ק̇ה̇ יש לו̇יב̇ צירופים לא יותר ואלו הם ידוד יההו יוהדה הוהי הויה ההיו והיה וההי ויהה ההוי היהו היוה כשכמלו וכל הצירופין האלה מורים על ההויה וסוד מציאות הש̇י כדכתיב אני ה̇לא שניתי מה שאין כן בשאר השמות כי בהיפוכן תמצאם לפעמים הוכנין הכווכה סימן לדב הם קנאנוני בלא אל כל ומר שהיו מהפכין ועשין מאל לא ויאמרו לא הוא וכנגד אלו ה̇יב צירופין באו שנים עשר אבנים לשנים עשר שבטים כל שבט היה לו חותם בצירוף אחד מאלה ה̇יב כדכתיב כי שמך נקרא על עירך ועל עמך Hoc eſt: *Cabbaliſtæ ſcribunt, ideo fuiſſe XII. lapides, quia magnum DEI nomen* יהוה *totidem combinationes non plures habeat, has nempe:* ידוד יההו יוהדה הוהי הויה ההיו והיה וההי ויהה ההוי היהו היוה: *quæ omnes docent eſſentiam divinam & ejus exiſtentiæ myſterium, ſicut ſcriptum eſt, Mal. III. 6. Ego DOMINUS non mutatus ſum. Quale quid in reliquis nominibus non occurrit, quia ſi illa convertuntur, contrarium quandoque repræſentant, ut Deut. XXXII. 21. Zelare me fecerunt* בלא אל *i. e. in non DEO q. d. quod vertant* אל *in* לא, *dicantque non eſt. Et juxta* XII. *illas combinationes veniunt* XII. *lapides ad* XII. *tribus referendi, quarum quælibet habuit unam ex illis: ſicut ſcriptum eſt Dan.* IX. 19. *quia nomen tuum eſt invocatum ſuper civitatem tuam & populum tuum.* Sed hanc expoſitionem Judæorum, quibus hæc talia mirum in modum abblandiuntur, ſuo autori relinquimus.

X. Diſputant præterea Eruditi, utrum ſacerdotalis iſte ornatus mediumque divinam voluntatem cognoſcendi, ad ſolum pertinuerit Pontificem, an vero alii, urgente maxime neceſſitate, uti eo potuerint? Poſterius affirmant Viri Clariſſimi, *H. Grotius lib. de Jure ſacro cap. VI. p.* 126. & *P. Cunæus lib. I. de Rep. Hebr. c. XIV.* qui, ut poteſtatem Regum Hebræorum circa ſacra eveherent, tam longe progreſſi ſunt, ut ſtatuerent, Davidem in Regem unctum uſurpaſſe decus Archieraticum, indutoque amiculo, num copias in hoſtem auſpicato foret educturus, ex Numine quæſiviſſe. Eadem opinio arridet quoque *Simoni Epiſcopio*, cujus integrum diſcurſum adſcribere, nobis non erit ſenio, ex *lib.* III. *Inſt. Theol. ſect.* IV. *cap.* XVII. *fol.* 196. *Si idem*, inquit, *plane Ephod fuiſſe velimus, & verba iſta* 1. *Sam.* XXX. 7. *non interpretari cum quibuſdam, Et attulit Abjathar Ephod* Davidis cauſa, *ſed prout videntur poſtulare*, Davidi, *oraculum ſc. conſulere volenti; tum dico, veſtem hanc non fuiſſe Pontifici propriam, ut ea nulli, nullo unquam caſu, liceret uti, ne Regi quidem, Deum conſulere volenti, ſed fuiſſe veſtem propriam quidem Pontifici adyta ingreſſuro, cæterum vel communem omnibus oraculum conſulentibus, vel ſaltem Regi ſpeciali privilegio conceſſam, ut ea pro re nata ad honorem Dei & Reip. bonum uteretur, tanquam Sacerdotibus & Prophetis omnibus major digniorque, in primis quando oraculum divinum conſulebat.* Sic ille cum aliis ea aſſerit, quæ non Hebræorum ſcitis modo, ſed & Scripturæ, decus hoc *Deut.* XXXIII. 8. ad tribum Levi reſtringenti, imo *Syr.* XLV. 16. ſolis Pontificibus tribuenti, dilucide refragantur. Adducunt quidem fulciendæ ſententiæ locum 1. *Sam.* XXX. 7. ויגש אביתר את האפוד אל דוד ex eoque colligunt, Davidem, accepto Abiatharis amiculo, immediate oraculum conſuluiſſe. Cæterum, etſi *Cunæus* ad omnes literarum Hebraicarum peritos provocare, eoſque judices ferre non dubitet: nihil tamen veremur plane contrarium aſſerere, atque adeo affirmare, textum id non evincere, quod doctiſſimus J. Ctus, & alii exinde inferre conati ſunt. Dicitur ibi Abiathar attuliſſe Ephod ad Davidem. At num propterea illico, ut indueret Rex? nihil minus. Sed, ut conſuleret Dominum per Pontificem veſte illa induendum. In verbis Davidis: הגישה-נא לי האפוד ex particula לי parum efficitur, quæ ibi eſt pure expletiva, hominis imperantis quam & alibi ſæpius adhiberi ſolitam, exemplis docet *R. Bechai fol.* CLXII. *col.* 3. Veriſſima etiam ſunt, quæ ad c. XX. Judic. commentatur *Abravanel*: מצות אורים ותומים היה בכהן גדול כמ̇ש ולפני אלעזר הכהן יעמוד שהיה כהן גדול *Præceptum de Urim & Thummim ſpectabat Pontificem, ſicut dictum eſt Num.* XXVII. 19. 21. *& coram Eleazare ſacerdo-*

cerdote stabit, qui erat Pontifex. Adde Syr. XLV. 16. Nec verisimile fit, præsente Pontifice, id sibi muneris sumturum fuisse religiosissimum Davidem, quem non latebat, eam vestem non nisi Pontifici convenire.

XI. Super tempore, quo cessaverint Urim & Thummim, non convenit *Josepho* cum Hebræis. Ita namque ille ἀρχ. III. 9. Ἐπαύσατο μὲν οὖν ὅτι Ἐσσὴν καὶ ὁ Σαρδόνυξ τοῦ λάμπειν ἔτεσι διακοσίοις πρότερον, ἢ ταύτην ἐμὲ συνθεῖναι γραφὴν, τοῦ Θεοῦ δυσχεραίνοντος ἐπὶ τῇ παραβάσει τῶν νόμων. Absolvit Josephus eos libros, ut ipse refert, anno Domitiani XIII. qui est Æræ Christianæ circiter XCIII. Necesse est igitur, ut vix centenis ante Christum natum annis desiderit hoc oraculum. Id quod λίαν μέγα αἴτημα est, & quod nemo facile Josepho, Viro cæteroquin magnæ in his autoritatis, dederit, ne Judæorum quidem. Diserte *Don. Is. Abrabanel fol. CC. col.* 1. לא היה הכהן בכל זמן בית שני משיב באורים ותומים H. e. *toto illo tempore, quo secundum templum stetit, Pontifex non respondit per Urim & Thummim.* Pergit ibidem: וזה לשתי סבות האחת מפני שלא היו שם כל שבטי ישראל כי אם שבטי יהודה ובנימן בלבד כי שאר השבטים כבר הגלם מלך אשור ולכן לא היה מגיע לכהן גדול הרוח הקדש שהיה שורה עליו בזכות יב̈ השבטים בהיותם על ארמהם. והשנית מפני שכתבו שם המפורש הקדושים שנתן משה בין כפלי החשן כבר לא היו בידם כי נגנזו בחשן הראשון שעשה משה והם היו עצם אורים והתומים. ולכן היה העיקר חסר מן החשן ובעבור זה לא היה משיב. ואולי שלזה כיון יתברך באמרו למשה ונתת אל חשן משפט את האורים ואת התומים כי הוא עליו השלום יהיה הנותן אותו ולא אחר: H. e. *Et hoc duas ab causas: prior est, quia non erant tum ibi omnes tribus Israelis; cæteras enim, exceptis duabus, Juda videl. & Benjamin, abduxerat jamdum Rex Assyriæ, & propterea non fuit super sacerdote SP. S. qui solebat occupare Pontificem, ob dignitatem tribuum, quamdiu erant in terris suis. Altera ratio est, quia* τοῦ *Hamphorasch sacra scriptio, quam Moses pectorali incluserat, non amplius in potestate illorum erat, utpote, quæ in primo pectorali a Mose confecto, latebat abstrusa. Et quia hæc de essentia* τῶν *Urim & Thummim erat, ideo præcipuum pectoralis eos deficiebat, & Pontifex non poterat respondere. Forsan etiam huc Deus Ter. Opt. Max. respexit, cum Exodo* XXVIII. 30. *ad Mosen* dixit: Et dabis in pectorali judicii Urim & Thummim *quia ille, super quem sit pax, daturus erat illa ibidem, & non alius.* Prior ratio probabilis esse videtur, cum verisimile sit, ex quo tribus, quarum nomen pectorale præ se ferebat, in exilium sunt deductæ, usum etiam τῶν Urim & Thummim cessasse, quia, ut *Abravanel* iterum scribit, הושמו בו יב̈ שבטים להגיד שזאת ההגדה הנבואיית מיוחדת בבני ישראל *Idcirco XII. tribuum nomina posita sunt in pectorali, ut indicarent, hunc modum ratiocinandi spectare Israelitas.* Posteriori vero rationi parum tribuimus, quippe quæ nititur Hypothesi admodum incerta, nec omnibus Judæis probata.

XII. *Abravaneli* jungimus *Josephum Gorionidem*, qui *lib. I. cap. V. fol. XV. edit. Cracov. col. IV.* refert, Alexandrum M. cum Deum de bello Persico consuli peteret, isthoc responsi tulisse a Pontifice: מיום גלות הבית הזה וגלות בבל נעלמו ממנו האורים והתומים H. e. *a die exilii domus hujus in Babel abscondita sunt a nobis Urim & Thummim.* Quanquam etiam post captivitatem Babylonicam eorum restitutionem expectatam fuisse ex *Esdr. II, 63. & Nea. VII, 65.* videri queat, ubi Hattsirta dixisse legitur, caverent, *ne comederent de sanctitate sanctitatum,* עד עמוד כהן *donec veniret sacerdos cum Urim & Thummim*: in usu tamen ea iterum fuisse, nuspiam docent S. Literæ. Ebræi quoque non uno loco jacturam hujus Oraculi deplorant. Vid. *Gem. Hierosol. c. II. f. 32. col. 1. Massech. Joma cap. I.* item *Mass. Sota c. IX. fol.* 48. *col.* 2. Id quidem fatentur, quod simulacrum pulcerrima imitatione effictum, atque adeo ἀνάλογον quoddam Pontifices gesserint; unquam autem responsum divinum tunc auditum esse, ad unum omnes pernegant. Sic enim post alios etiam *Maimonides* loco sæpius citato: עשו בבית שני אורים ותומים כדי להשלים שמנת בגדים ואעפ̈ שלא *Fecerunt tempore templi secundi Urim & Thummim, ad complendum numerum vestium octonarium, etiamsi veteri non respondebat.* Plura addere cum ne volentibus quidem liceat: veniæ securi, quam nemini πρωτοπείρῳ denegandam veteres censebant, pedem figimus.

HEN-



HENR. ANDREÆ TOEPFFER
DISSERTATIO
DE TIARA SUMMI SACERDOTIS.

§. I. INTER omnes corporis humani partes ſive uſum ſpectemus, ſive ſtructuram non ullum ſane datur quod caput animæ iſtam excellentiſſimam ſuperet ſedem adeo, ut haud immerito ad illud, tanquam ad præcipuum corporis humani membrum ſollicite attendendum ſit. Non enim ſolum modo, ſupra omnes reliquos idem iſtud eminet artus, ac in celſiſſimo corporis loco conſtitutum eſt, ut haud exigua hominis præ brutis inde dignitas eluceat, quod DEUS

> *Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri*
> *Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.*

OVID. *Metam. Lib.* I. v. 85.

Verum ipſa etiam cranii, cerebri, aliarumque partium, ſtructura, texturaque, tam admirabile, profecto prodit artificium, ut non poſſit non animum, in ejus naturam inveſtigantis, ſummopere, percellere, immo ad ſtuporem ſummum etiam adigere. Prolixius itaque in amœniſſimum hunc, veſtigiiſque ſapientiæ, & bonitatis divinæ luculentiſſimis, longe pleniſſimum exſpatiari campum, jam nunc ego poſſem, niſi & inſtituti ratio ad alia me avocaret, & *Anatomicorum*, ſigillatim, WILLISII, MALPIGHII, RUYSCHII, JOSEPHI de la CHARRIERE, cujus *Anatomia nova Capitis Humani*, Pariſ. 1703. idiomate gallico prodiit; ANTONII PACHIONI *Regienſis*, qui de *Duræ Meningis fabrica*, & *uſu* Diſquiſitionem Anatomicam, *Romæ*, 1701. evulgavit, aliorumque induſtria omnia fere, quæ hic, proponi poterant, ita in aprico dudum poſuiſſet, ut ad pleniorem qualis hac in imperfectione ſperari poteſt, hujus rei cognitionem pauca admodum deeſſe videantur.

§. II. In cauſſa hoc ipſum eſt, cur homines omni omnino tempore primas capiti deferre, & in eo conſervando ac cuſtodiendo, præter cetera occupari voluerint. Utut enim ſingula membra, ita ſint informata, ut & peculiari cura foveri, & ab imminentibus præmuniri periculis debeant; (idquod vel *Ægyptii* veteres inprimis nos edocere voluerunt, quando hi ipſi, ut HERODOTUS *Lib.* II. cap. 84. auctor eſt, ſingulis membris horumque morbis, ſingulos etiam adſignabant medicos:) maximam tamen, & id non ſine injuria, curam ſibi vendicat ipſum caput, utpote ex quo ſpiritus animales ſive ſuccus, ut vocari ſolet nerveus in omnes reliquas corporis particulas diſpenſatur, atque diffunditur. Circumſpecte igitur in ſubſidium vocatæ ſunt veſtes, quibus hoc primarium membrum in tuto in primis conlocaretur, & ab omnibus tempeſtatum injuriis, qua fieri poterat, cura,

ra, atque studio defenderetur. Legimus ita quod, antiquissimis jam tum temporibus, perigrinantes *Petaso* caput tegere consueverint, eum sine dubio potissimum in finem, quoniam idem istud, tanquam suprema hominis pars, eo in statu, pluviis, æstui, aliisque coeli injuriis maxime esset expositum. Erant enim *Petasi*, lata quadam umbella circumdati, ut non caput tantum, contra pluvias, sed faciem etiam contra æstum solis communirent. Suo hoc ipsum PLAUTUS comprobat suffragio, quando is *Jovem*, & *Mercurium*, *Amphitryonis*, ac *Sosiæ*, ex bello redeuntium imaginem ferentes, *Petasatos* introducit. AMPHITR. Prol. 142. seqq.

> *Nunc internosse ut nos positis facilius,*
> *Ego has habebo huc usque in Petaso pinnulas.*
> *Tum meo Patri autem torulus inerit aureus sub Petaso:*

SUETONIUS, AUGUSTUM *Cæsarem*, *domi* quoque *non nisi petasatum*, *sub divo spatiari solitum fuisse*, commemorat. Ad nautas autem sigillatim, quod attinet, istis hunc in finem *Causiæ* olim potissimum, inserviebant. Erat vero καύσια, secundum SUIDAM, εἶδος πίλου βαρβαρικοῦ, ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, ἢ τὸ πάροιθε Μακηδόσιν εὔκολον ὅπλον, καὶ σκέπας ἐν νιφετῷ, καὶ κόρυς ἐν πολέμῳ: *Pilei barbarici genus, quod in capite gestatur, & olim Macedonibus fuit expeditum instrumentum, & tegumentum, in nive, aliaque tempestate, & in bello Galerus*. conf. infra §. IX. sub fine. Atque hinc est, quod, idem PLAUTUS, inter ornatum nauclericum *Causiam* quoque referat, quando in MIL. GLOR. Act. IV. Sc. 4. v. 14. seqq. ita fatur:

> *Facito ut venias ornatus huc ornatu nauclerico,*
> *Causiam habeas ferrugineam, culcitam ob oculos laneam,*
> *Palliolum habeas ferrugineum, (nam is color thalassicu' st.)*

Ipsi *Romani*; praeterquam quod hoc quoque pileorum genere usi fuerint, capite interdum tecto, solebant incedere, vel ad coeli injurias evitandas, vel in *Saturnalibus*, (quorsum illa *Martialis* haud incommode trahit ANSHELMUS SOLERIUS de *Pileo*, p. 163. sq.

> *Permitti, puto, pileata Roma.*

&

> *Dumque decent nostrum pilea sumta Jovem.*

Erat enim pileus apud *Romanos*, libertatis insigne, quod *Saturnalibus Diebus* maxime convenire credebatur) aut *Festis Diebus* aliis; vel etiam in gravi luctu, quem hoc potissimum indicio Viri significare volebant. Utebantur autem eum in finem, superiore togæ parte, quæ humero incumbebat sinistro, in caput retracta, id quod contra *Lipsium*, qui inferiori togæ lacinia tectum fuisse caput arbitratur, adstruit OCTAVIUS FERRARIUS, de *Re vestiaria*, *Lib.* I. c. 10. p. 32. sqq. cujus sententiam veteres quoque Nummi Lapidei adprime corroborant. Aliud insuper tegumenti genus, quod *Palliolum* vocabant, quove caput obvoluere, frigusque arcere solebant, apud istos obtinuisse *Cl.* SALMASIUS, ad *Vopisci Aurel.* c. 45. commonstrat, ubi ex RUTILIO *Lupo* de *Figuris Sententiarum*, sequentia adlegat: *Soleatus præ lectulo, palliolo frigus a capite defendens*. Paria inculcat PETRONIUS, quando *Trimalcionem* suum senem introducens, p. 8. *Fragm. Pallio*, inquit, *coccineo adrasum incluserat caput*. Haec autem cum recte ita sese habeant, haud præter rem puto, OCTAVIUS FERRARIUS, l. c. C. XI. p. 36. *Lipsium*, qui ægrotos saltim viros palliolis fuisse usos adseverat, deseruit. Utut enim negari nequeat, quod aegrotorum potissimum caput palliolo involutum fuerit, posteaquam OVIDIUM ita canentem comperimus:

> *Sæpe fac ægrotum simules, nec turpe putaris*
> *Palliolum nitidis imposuisse comis:*

Extra tamen morbum, idem tegumentum similiter usurpatum fuisse satis opinor, clarum est, ac apertum, ex iis, quæ SALMASIUS etiam ad TERTULLIANI *Pallium* adnotavit, licet ceteroquin ad VOPISCI *Borosum*, c. 16. ipsemet cum *Lipsio* sentire, non dubitaverit. Ipsum vero hocce palliolum, muliebre potissimum, capitis tegumentum fuisse, probatiores Scriptores certatim adstruunt. Mulieres enim apud *Romanos*, æque ac apud *Græcos*, extra luctum, tecto capite, involutoque incedere solebant, eo quod istiusmodi corporis habitum pudori foemineo maxime congruere, consentaneum videbatur, ut ANSHELMUS SOLERIUS de *Pileo*, c. 5. p. 87. conjectat. Ad *Nummos* si, & hoc in negotio recurrere velimus, frequenter in iisdem occurrunt AUGUSTORUM imagines, capite, facieque operta, adjecta inscriptione: PUDICITIA. Illud interim notari me-

ri merebitur, quod praeter palliola, quæ usui isti communiter prostabant, vilioris inprimis & deterioris conditionis, homines cucullis etiam incedere consueverint.

Illa, (ut scribit Ivvenal. Sat. VI. v. 389.) *jubet sumto invenem properare cucullo*. Pleniorem horum cucullorum, quæ capitis atque humerorum tegmina densa, & villosa erant, quæve ad frigus, imbremque arcendum, sumebantur, descriptionem qui desiderat, eum ad *Octav. Ferrar.* de *Re Vest.* P.II. Lib. I. c. 20. p. 40. seqq. ablegamus. Milites præterea in castris constitutos, capita galeis, ut ictus evitarent, contexisse, notius est, quam ut inlustratione uberiori ulla indigeat. Omnes autem propemodum *Barbaros*, & sigillatim quidem *Persas* quondam pileis fuisse usos, antiquorum monumenta *Historicorum* abunde satis evincunt. Non enim profanæ solummodo personæ *Tiaris*, quæ proprium fere *Persarum* tegumentum erant, capita redimire solebant; sed sacræ etiam sive Sacerdotes, id quod vel ex Hesychii istis: Περσῶν μὲν ἴδια κανδὸς, καὶ ἀνάξυρις, καὶ τιάρα, κυρβασία, κίδαρις, καὶ πῖλον καλοῦσι, conlectu erit facillimum. Ipse ceteroquin *Hesychii* locus procul dubio corruptus est, & ex Polluce emendandus, qui Lib. VII. c. 13. de *Kyrbasia* ita commentatur: Κυρβασία, ἣν κίδαριν καὶ πῖλον καλοῦσι, *Kyrbasia*, *quam Cidarim*, *& Pileum vocant*. Sensus enim Hesychii verborum non alius, quam sequens esse videtur: *Persarum capitis etiam tegumenta propria sunt Candys*, *& Anaxyris*, *& Tiara*, *ac Kyrbasia*, *quam etiam Cidarim*, *aut pileum vocant*; quod a Jo. Braunio, qui tamen utrumque locum adduxit, non animadversum fuisse, miror. *Græcos* insuper quandoque capite tecto incedere, & ipsos consuevisse, atque eum in finem, peculiaria quædam vestimentorum genera excogitasse, illud nisi aliunde notissimum, jam tum esset, vel ex solo pilei nomine, quod origine *Græcum* esse infra docebimus, quodammodo evinci poterat. Fortius porro argumentum suppeditant *Galeræ Thessalicæ*, ab Adriano Junio, *Lib.* II. cap. *6.* similiter introductæ, quibus *Macedonicas Causias*, quarum modo facta est mentio, ex mento suo adsociamus. *Lacedæmonios* autem pileatos in pugnam contendere solitos fuisse tam certum est, ut *Castori*, & *Polluci* inde nomen *Fratrum Pileatorum* tributum fuerit. Stricturam, quam Achilles Statius adornat, cum pileorum ista historiam insimul inlustret, hic, transcribere non pigebit. Tenor illius sequens est: *Pileos Castori*, *& Polluci*, *dederunt antiqui*, *quia Lacones fuerunt*, *quibus pileatis pugnare mos est*. Fest. Pomp. *At*, Mart. *etiam Parthos pileatos dicit*. *Lib.* X. *Ad Parthos procul ire pileatos*. Arnobius *Lib. VI. adversus gentes*, *pileum etiam Vulcano tributum significat*: *Cum pileo*, *inquit*, *Vulcanus*, *& malleo*.

§. III. Tantum autem abest, ut mos hic fuerit Catholicus, atque universalis, ut aperto potius plurimum Veteres capite incesserint, & illæ quidem cumprimis gentes quæ regiones, præ ceteris, calidiores incoluerunt. Ægyptios sane non nisi in gravissimo luctu, caput opertum præ se tulisse, extra illum vero casum, nudos semper in publicum quoque processisse, auctor est Herodotus *Lib.* III. cap. XII. Mollis quippe, ac effeminati animi esse putabant indicium, si quis obvolueret caput, unde in *Persis* ritum huncce summopere isti reprehendebant, & a capitum suorum denudatione, caussam duritiei craniorum suorum, gloriabundi, derivabant; cum contraria ex parte, *Persarum* crania eo quod capita contecta essent, adeo mollia esse, ut facillimo frangi possent negotio, arbitrarentur. Alexander ab Alexandro, *Genial. Dier. Lib.*II. C.19. hoc super negotio, mentem suam ita exprimit: *Detecta capita*, *contra vim algoris*, *calorisve*, *haud dubie firmiora esse*, *& ad valetudinem maxime proficere*, *multi censuere*. *Inde Ægyptii*, *quod detecto sunt capite*, *habentur firmiores*; *Persæ vero*, *quod cum mitra*, *& pileo*, *debiliores*; *adeo*, *ut levi ictu*, *findantur capita*. Subiicit his deinceps Hannibalis, Masinissæ, *Numidiæ* Regis, *Hadrianique*, & *Severi*, capite detecto, sive sol, sive imber esset, incedentium exempla. Catonem, *Uticensem*, Cæsarem, aliosque hujus etiam ritus observantissimos fuisse, monumenta *Veterum* similiter commonstrant. Patet, exinde, quod non intra solius Ægypti terminos, mos, aperto capite eundi, substiterit, sed quod in aliis quoque Gentibus, idem iste viguerit; vel ut in maximo inprimis solis æstu, aliquid inde caperent refrigerii; vel etiam, ut mature capita, variis cœli injuriis, quibus in bello milites exponuntur, perferendis, obdurarent, ut docet Just. Lipsius, de *Amphith.* c. 19. sqq. ubi plura adhuc ritum hunc inlustrantia, Vir Celeb. subministrat. Apud *Græcos* eundem morem similiter obti-

tinuisse, vel inde conligi potest, quoniam ab his ad *Romanos* ille demum traductus est, id quod disertim indicat Eustathius, *Homeri* Interpres, observante Kirchmanno, de *Funerib. Rom. Lib.* II. c. 16. Viri igitur *Romæ* extra Sacra, Luctum, Saturnalia, Ludos, aliasque festivitates, nudo prodibant capite, nisi cœli tempestates aliud quid postularent; ita tamen, ut tenui quadam vitta, caput religarent, ne crines, undequaque ac sine ordine, circumfluctarent.

§. IV. probe vero hic tenendum est, quod in sacris res prorsus aliter sese habuerit, siquidem in iisdem, omnia tecto fere capite fieri adsolebant. Non enim Sacerdotes solum, capita obvolebant sua, sed ii quoque qui sacrificia curabant offerri, viri pariter ac fœminæ; immo promiscue omnes isti, qui sacris intererant. Veritatem adserti hujus vel varia ista, scilicet, *Apicis tutuli galeri*, aliorumque capitis tegminum Sacrificulis usitatorum nomina, quorum frequens in *Veterum* monumentis mentio injicitur, commonstrant. Ex innumeris, quæ non manu sed sacco, spargi, hic poterant testimoniis, unicum saltim, quod Alexand. ab Alex. in *Gen. Dier.* Lib. II. C. 22. circa finem exhibet adducam, quod ita informatum est: *Hoc quoque*, inquit, *annotare non pigebit, quod cum in reliquis sacris, qui rem divinam facit veteri instituto, capite velato immolet, & adorantes vestem ad aures usque attollant, ut se humiliores exhibeant Diis, vel ne quid inter sacrificandum, triste auribus aut oculis accipiant*: *Saturno tamen* &c.

§. V. Ne quid, vero temere hic reticeamus, certum omnino est quod & iste ritus, quo capite tecto sacra facere consueverunt Veteres, & qui apud plurimas Gentes, in usu, ac consuetudine fuit pro universali habendus non sit, siquidem a Scriptoribus istiusmodi, quoque sacra commemorantur, in quibus caput operire nefas ducebatur. Documento hic nobis esse poterit Ara Maxima, *Herculi* sacra apud quam aperto capite sacra administrare oportebat, ut testatur *Cornelius Balbus*, apud Macrob. *Saturn. Lib. III.* C. VI. p. 398. quando, ἐξηγητικῶν Libro *octavo decimo*, prior inquit: *Apud Aram Maximam observatum, ne lectisternium fiat. Custoditur, in eaedem loco, ut omnes capite sacra faciant aperto, hoc fit, ne quis in æde Dei habitum ejus imitetur; nam ipse ibi operto est capite*. Idem adnotat Alex. ab Alexandro, *Genial. Dier. Lib.* II. C. 22. præterea quoque observans, quod in *Saturni*, *Honoris*, ac *Opis* sacris idem ritus floruerit. *Saturno tamen*, ajens, *sacra facientes, velut veritatis cultori capite aperto, immolant, & invelato. Honori quoque & Opi, ex veteri dum sacrum fit instituto, aperto semper capite ac sine velamento, sunt*. Quod de *Saturni* sacris, adseveraverat Alexander, suo quoque calculo insuper confirmat Festus, posteaquam apud hunc, *Saturnii* occurrunt, *qui castrum, in Civo Capitolino incolebant, ubi ara dicata ei Deo ante bellum Trojanum videtur, quia apud eum supplicant, apertis capitibus*. In caussas autem hujus ritus, quando *Veteres* inquirere instituunt, varias istarum adlegare solent, quas & Plutarchus, in *Quæst. Romanis*, quodammodo excutere suscepit. Plerique in eo consentiunt, quod ante adventum Æneæ in *Italiam*, capite nudo sacra communi ritu fuerint peracta, quæ ipsa etiam consuetudo subsequenti tempore in quibusdam retentus fuerit. Primum autem *Æneam*, capite adoperto, immolasse, Varro, Festus, Alexand. ab Alexandro, alii magno plausu adfirmant. Bacchi quoque sacra *Bistonides, Thraces*, solutis crinibus, olim celebrasse, ex *Porphyrione*, Horatii *Scholiaste*, docet Braunius, cujus verba sunt: *Bistonides, Thraces sunt, quæ cum in sacris Liberi patris crinibus solutis, versantur, angues & in capite, & in manibus gestant*.

§. VI. Sed pedem studiose refero, & prolixius in præsenti, de ritibus hisce non dispicio, cum sufficere nobis possit, quod demonstraverimus, utrumque Veteribus usurpatum fuisse. Capite autem cumprimis cultum Numini debitum, prisci vel eam ob caussam, significare voluerunt quoniam inter membra omnia excellentissimum istud est, & ita informatum, ut subjectissimam animi religionem, per idem istud, DEO commodissime, testari posse arbitrarentur. Quodsi autem utriusque ritus, conlationem curiosius quodammodo inter se instituere velimus, non desunt argumenta bene multa quæ pro utroque militare queant. Quum enim maxima in sacris requiratur devotio, quæ ipsa tamen pro varietate objectorum, in oculos incurrentium, mentemque non parum sæpius distrahentium facillimo disturbari potest negotio; in eam proculdubio opinionem quidam perducti sunt, ut existimarent, quod caput, ut cogitationes magis fixæ, & ad cultum *Numinis*, unice directæ essent, obvelandum sit; maxime cum & hodienum nosmet ipsi in sacris, orantes pileo faciem

ciem non alium in finem tegere soleamus; quam ne quid nobis obveniat, quod mentem, ad Deum directam a debita attentione abstrahere queat. E contraria vero parte quemadmodum communi fere Gentium, etiam antiquissimarum, introductum fuerat consuetudine, ut nudatione capitis observantiam, submissionemque suam Viris inlustribus ac præter ceteros bene meritis, & honoratis, testarentur; ita vero etiam videtur omnino esse simillimum, quod Veteres quoque tegumenta e capite in sacris non aliam ob caussam detrahere voluerint, quam ut præsenti *Numini* honorem reverentiamque exhiberent debitam, ac subjectionis, & obedientiæ hoc ipso ritu, certissima suppeditarent documenta. Universum igitur hocce negotium, ad solas Gentium consuetudines referendum esse, haud frustra forsan hariolor eo, quod, *Jure Naturæ*, cultus quidem externus luculentissime sit præceptus; ritus autem, & cerimoniæ quibus ille exhiberi debeat, præcise non sint definitæ; atque ita definiri etiam plane non possit; Utrum capite aperto, an tecto potius sacra facere præstet? Et hæc quidem atque alia ubi æqua mecum lance perpendo, pronus in eam abeo sententiam, quod lites Superiori Seculo in Belgio, inter quosdam *Theologos*; De Capite in sacris a *Verbi Ministris* nudando, & crinibus quidem præcipue præcisis; magna contentione agitatæ tanti non fuerint, ut per complures Synodos discuti istæ atque dirimi, debuerint, maxime cum mandatum divinum, sive ad *Jus Naturæ*; sive ad *Scripturam S.* nos referamus hoc super argumentum expressum, ullibi reperiamus. Conf. Schelguigius, de *Capillamentis* p. 57. seqq.

§. VII. Quantum autem sigillatim ad *Hebræorum* attinet *Sacerdotes*, istis inter alias, quas observare tenebantur, cerimonias, & hanc iniunxerat Summum Numen, ut non nisi capite tecto, ad sacra ministeria in *Tabernaculo*, aut *Templo*, obeunda venerabundi accederent. Reliquos etiam *Hebræos* omnes capite obvelato, orare precesque fundere, solitos fuisse ab Eruditis dudum observatum esse comperimus. Movet me, non gravi absque caussa, hæc res ut sponte, ac citatis quasi passibus in eorum jam nunc transeam sententiam, qui ab sacra *Hebræorum* gente, ad reliquos *Orientis* populos ritum hunce derivatum fuisse, autumant. Posteaquam enim de plurimis *Orientis* incolis, proditum est memoriæ, quod inter sacra sua, *Tiaras*, & *Pileos*, in capitibus suis, gestaverint; dubium amplius restare videbatur nullum, quin ab *Hebræis* mos iste, cum pluribus aliis, ad eosdem quoque dimanaverit. Equidem non ignoro, quod inter probatissimos ceteroquin Scriptores, non pauci reperiantur, qui ab Ænea, & eam quidem ob caussam, derivare istum sustinuerunt, quoniam illo Autore in *Latio*, primitus iste florere olim inceperit. At enim vero quis nobis non monentibus, sponte non intelligit quod cum ex *Phrygia* Æneas in *Italiam* transierit incunabula, quoque ritus hujus non ad ipsum *Æneam*, aut *Phrygios*, sed ad *Hebræos* potius a quibus isti illum acceperant, reducenda sint. Ipsis autem *Hebræorum* Sacerdotibus, a quibus sermo noster paullulum digressus est, observatio hujus ritus adeo necessaria erat, ut capitis pœna in eos a summo *Numine* sancita fuerit qui illum negligere, ac susque deque habere non erubuerint. Disertis enim verbis Moses *Aaroni*, hujusque filiis, legem divinam, *Levit.* X. v. 4. sub hisce verbis, promulgat; *Capita vestra ne nudate*, & *vestes vestras ne lacerate*, *ne moriamini*, & *toti cœtui irascatur Deus.* coll. *Ex.* XXVIII. 43. & *Levit.* XXI. 10. Insigne autem vel hinc etiam κακοζηλίας diabolicæ depromi poterat documentum, quod cum Tiaræ, atque Pilei *Hebræorum* Sacerdotibus egregium quondam adferrent ornamentum; Diabolus Dei simia suos Sacerdotes istiusmodi quoque ornamento destitui noluerit, sed variis potius pileorum generibus, quos in sacris adhiberent, & quibus nobilissimum ipsis quoque decus conciliaretur, alterque ab altero commode distingueretur istos instruere voluerit.

§. VIII. His ad argumenti, in quo jam nunc occupamur, elucidationem, prælibatis, ad ipsam *Summi Sacerdotis* Tiaram propius contemplandam, nosmet convertimus. Injicit illius præcipue mentionem Moses, *Exod.* XXVIII. v. 4. 37. & 39. siquidem Deus isti in mandatis ibidem dat ut inter alia vestimenta sacra Aaroni, Fratri suo, confici quoque curaret מצנפת *Tiaram*. Natales hujus vocis, e *Radice* צנף quæ *volvere*, *involvere*, *circumvolvere*, *circumdare*, *circumire*, *involvere se*, denotat repetendos esse, apud omnes in confesso est. Propullularunt autem ex hac origine צנפה *circuitus versio*, *volutio*, *involutio*, *convolutio*, item צניף, & nostrum מצנפת *Cidaris*, *Corona*, *Diade-*ma,

ma, *Tiara*; Pl. צניפות. Chaldæis *involvere* similiter est צנף; *Cidaris* etiam *Vitta*, & *Tiara* צניף צניפא & מצנפא quod ultimum dum non tantum *Paraphrastus Chaldæus*, sed & *Syrus*, cujus similiter ܡܨܢܦܬܐ est, hic locorum adhibent; autenticam vocem Isti non exponunt, sed immutatam potius atque integram conservant. Illud vero plane hic reticendum non est, quod inter vocabula צנף צפן & ספן quædam detur convenientia quoniam in *Hebraica Lingua* ejusdem organi literæ facile permutantur atque transponuntur. Posteaquam autem posteriores duæ notiones, *tegendi*, *abscondendi*, *occultandi*, *recondendi* significatus sustinent; inde forsan non sine magna probabilitatis specie conligi posse videtur, quod emphasis vocis צנף eo potissimum redeat ut denotet *obvoluendo tegere*, & *abscondere*; quod ipsum cum propter ea quæ paullo inferius a nobis disputabuntur, Pontificis Maximi *Tiaræ* optimo conveniat jure, aptius vix aliud quoddam nomen quam quidem מצנפת adsignari eidem potuisse arbitramur. Quodsi ulterius conjectando progredi velimus, statuere etiam quodammodo poteramus quod ab ipso hocce צנף derivatum quoque fuerit *Arabum* بنط בנט *banata*. Utut enim primo quidem intuitu, hæc nostra meditatio longius petita esse videatur; rationes tamen præsto nobis sunt, admodum speciosæ quæ eidem, non parum patrocinari poterant. Constat quippe inter omnes, quod *Lingua Arabica* pro filia *Hebreæ* habenda sit; ipsos autem ceteroquin, *Arabes* longius subinde ab *Hebræorum* pronunciatione eam potissimum ob rationem recessisse, ut nimirum rerum harum imperitioribus fucum eo facilius faciant & facto quasi ipso evincant, quod linguam suam *Hebraicæ* acceptam referre non debeant, & istud quidem ex communi *Orientis* sigillatim populorum æmulatione qua unusquisque gloriam, & præstantiam antiquitatis præ altero, adserere, ac tueri adnitebatur. Accedit quod & *Analogiæ Grammaticæ* hæc originatio non repugnet, maxime si supponamus quod *Arabes*, ordine inverso literas rad. צנף hic usurpaverint, elementum פ mollius pronunciaverint, & ex צ sibilum, quo pereunte remanet ט, sustulerint, quale quid in צור quod *Chaldæis* טור est, & innumeris aliis, videre est. Insuper ac imprimis quidem urgemus, etiam significationis convenientiam siquidem בנט *banata* proprie est *Ligare*, quæ notio etiam in ipso *Hebræorum* אבנט, quod *Balteum Sacerdotalem* tunicam stringentem, ac ligantem qui sæpius circa pectus volui debuit, significat, comparet. Quando autem *Autenticum* מצנפת *Latine* nos per Tiaram exposuimus illud, non aliam quidem ob caussam a nobis factum esse contendimus, quam quod vocis illius interiorem vim, atque significationem commodiori quodam vix exprimi posse vocabulo arbitrabamur. Quodsi enim vera est *Latini* hujus vocabuli ab *Hebraico* עטר *circumdedit*, *circumcixit* derivatio, quam præter alias Ludovicus Thomassinus in *Glossario Univers. Hebraico* p. 701. & Christ. Beckmannus, de *Orig. Lat. Ling.* p. 1106. suppeditant, *Tiara* sane capitis istiusmodi proprie notabit tegumentum, quod caput sæpius ambiendo illud ipsum tegit, atque ab injuria aeris defendit.

§. IX. Postæquam ita in תּ מצנפת significatum & valorem genuinum pro instituti ratione inquisivimus; bonæ methodi ratio a nobis jam nunc requirere videtur ut super *Materia* quoque ex qua Summi Sacerdotis *Hebræorum* Tiara confecta erat tantisper dispiciamus. Veteres quidem varia in adornandis capitis tegumentis materia fuisse usos antiqua dum excutimus, animoque nobiscum reputamus, documenta monumentaque deprehendimus. Ex istis autem cum nostris statim oculis se objiciant pilei ex lana coacti, ipsum sane pilei vocabulum materiam ex qua compositi fuerunt isti, abunde satis arguere videtur, siquidem non aliunde quam ex *Græcorum* voce πῖλος *pilei* notio derivari poterit. Πῖλος autem *Græcis*, teste Aristophanis *Scholiaste* τὸ ἐξ ἐρίων ἐργασμένον *id quod ex lana conficitur* denotat planeque cum eo quod πιλωτὸν, πίλημα vocari solebat coincidit. Sic πιλιταὶ quoque istiusmodi effigies ad pellabantur, quæ vel etiam fœminarum, speciem ex communi Veterum usu præ se ferebant. Est enim πιλεῖν *premere*, *cogere aut densare*. πιλοποιὸς vero, *Coactiliarius*, sive istiusmodi *Artifex*, qui opera ex lana coacta conficit, ac per mercaturam, questum ex iisdem facere adsolet. *Latinis* enim illi vocabantur *Coactiliarii*, vel etiam *Lanarii Coactiliarii*, ut in vetusto Lapide, cujus Salmasius, ad *Capitolini Maximinum*, & Balbin. C. V. meminit: M. L. LARISCUS LANARIUS COACTI LIARIUS qui lanam tractabant. Plures autem ceteroquin etiam artifices repertos fuisse, qui *Lanarii* nomen sibimet vindicaverint, vel inde manifestum est quod etiam

etiam PECTINARII, quos *Græci* κτενιςὰς adpellant, reperti fuerint qui a pectendis lanis hujus quicquid est nominis indepti fuerunt, adeo ut inter *Lanarios*, & *Pectinarios*, nullum propemodum discrimen intercesserit. Suo illud inprimis firmat suffragio *Schol.* Apollon. ad *Lib.* IV. p. 257. ubi scribit: λανηςοὶ καλῦνται οἱ κτνιςαὶ, *Lanarii vocantur Pectinarii.* Quemadmodum autem, πῖλος de omnibus quæ ex lana coactili olim conficiebantur, operibus communiter usurpabatur; ita calceamentorum quoque aliquod dabatur genus, ex lana confectum, quod πῖλος adpellitare consueverant. Testimonium Pollucis super hoc negotio sequens est: ὐ μόνον δὲ ὁ ἐπὶ τῶν κεφαλῶν ἐπιτιθέμενος πῖλος ὕτως ἐκαλεῖτο, ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῖς ποσὶν, ὡς δηλοῖ Κρατῖνος ἐν μαλακοῖς, λέγων, λευκὺς ὑπὸ ποσὶν ἔχων πίλυς. *Nec, tantum capitis tegumentum* πῖλος *vocatur verum etiam id quod pedes circumvestit, uti Cratinus indicat in Molliculis dicens: Albos sub pedibus habens pileos.* Hæc autem verba cum in se perspicua admodum atque clarissima sint, mirari satis non possimus, quod Jo. Banius, de *Vestitu Sacerd. Hebr.* Lib. II. C. IV. p. 503. dubium super eo concipere sibi potuerit. Annon forsitan fascias crurales, quibus & pedes, & caput, involvere Veteres fuerint soliti, intelligere Pollux potuerit? cum adducta *Cratini* verba curatius introspecta plane aliud nos edoceant. Fascias enim crurales crura saltim circumdedisse ægrotorum, aut eorum, qui mollitie laborabant effeminata, illud Quintilianus loco supra excitato adseverat *Palliolum* scribens *& fascias quibus crura vestiuntur & focalia & aurium ligamenta sola excusare potest valetudo.* A *Cruralibus* hisce interim *fasciis* probe discriminandæ sunt *Pedales* utpote quibus non crura sed pedes circumligabantur, quæ & inde a *Græcis* πόδια, h. e. εἰλήματα ποδῶν *involucra pedum* nominabantur. A *Pedalibus* insuper *fasciis* πίλυς quoque ut probe distinguamus necessum est, quoniam pedem hi instar soleæ aut calcei, includebant quibus exteriores demum superinducebantur calcei. Testem hujus rei advoco Hesiodum qui ἔργ. v. 539. sequentia habet:

> Ἀμφὶ δὲ ποσσὶ πέδιλα βοὸς ἶφι κταμένοιο
> Ἄρμενα δήσασθε, πίλοις ἔντοσθε πυκάσας.
> *Circum vero pedes calceos bovis fortiter occisi*
> *Aptos ligato pilis intus condensans.*

Vult autem Hesiodus, *Persea* fratrem ipsius calceos, ex pellea tabula, apte cosutos induere, hyberno tempore, ac præterea intra calceos adonibus munire pedes ne frigus, aut humores nimii, aut aquæ niveæ istos læderent. Atque hinc Cratinus quoque per verba: λευκὺς ὑπὸ ποσὶν ἔχων πίλυς: nonnisi illud calceorum genus intelligit, quod, a *Latinis Udo* nuncupabatur, quo ipso vocabulo soccos, ex lana coactili concinnatos, & intra calceos gerere solitos denotare voluerunt, utut interdum in ædibus puta ac intra cubiculum calceamentorum vicem & isti præstiterint, cui usus ob singulare, quo confecti erant, artificium satis etiam adcommodati fuisse videbantur, ut narrat Salmasius, l. c. Recentiores *Græci* ἀρτιέλια vocarunt πίλυς ejusmodi, quos ὑπὸ ποσὶν ἔχων introducitur a *Cratino*, ex quo ipso ad oculum patescit, quod fascias crurales ibidem iste non intellexerit. Braunius itaque quando monet, quod Veteres, fascilis cruralibus, caput quoque involvere consueverint, paradoxam prorsus, atque contradictoriam sententiam fovere videtur, quoniam per facias istas quæ crura vestiebant, caput amicri non poterat. Vocabantur autem *Crurales Fasciæ* similiter πῖλοι, eo quod ex eadem materia, qua capitis integumenta, conficiebantur istæ quoque adaptatæ fuerunt. Spectant huc Hesiodi ista quæ, post superius dicta, paucis interjectis, expromit.

> Κεφαλῆφι δ' ὕπερθε
> πῖλον ἔχειν ἀσκητὸν ἵν' ὄατα μὴ καταδεύη.
> *Supra caput autem,*
> *Pileum habeto, bene compactum,*
> *ne aures humefiant.*

Dubio enim res vacat, quod hic per πῖλον ἀσκητὸν pileum is intellexerit, ex lana coacta studiose, confectum probeque compactum, cujusmodi pileum usus requirit agricolarum, ad quem Hesiodus indicem quasi digitum extendit ne aures scilicet, atque caput, per pluvias infestarentur. Idem quoque ex Pindaro ulterius probari poterat, quippe qui *Isthm.* Idyll. IV. commentatur:

> Λάμβανέ οἱ στέφανον
> Φέρε δ' ἔμαλλον, μίτραν,
> Καὶ πτερόεντα νέον,
> Σύν πέμψον ὕμνον.

Hoc est, vertente B. Schmidio:

> *Accipe ei coronam,*
> *Ferque laneam, ac villosam mitram.*
> *Et alatum novum*
> *Una mitte hymnum.*

Subjungimus his Eustathium, doctissimum *Homeri* Explanatorem, qui *Pau*-

siam

ſiam Macedonum voçat, κάλυμμα κεφαλῆς Μακεδονικὸν ἐκ πίλȣ ὡς τιάραι. *Tegumentum capitis Macedonicum, ex lana coacta Tiaræ forma.*

§. X. Quamvis autem lana materia fuerit pileorum communior, tantum tamen abeſt ut pro unica, & ſolitaria eandem reputemus, ut ex aliis etiam materiis pilei effabricati fuerint. Ex ovium enim pellibus, capitis tegumenta confecta fuiſſe, illud Athenaeus diſerte adſtruit, *Lib.* VII. πίλȣς perhibens ταῖς κεφαλαῖς περὶ κείμεθα προβατείων δερμάτων δασεῖς, *pileis capita operta, ex ovium pelle villoſis.* Et iſtiuſmodi quidem generis tegumenta hodienum adhuc *Gentibus* maxime *Borealibus*, aliiſque hyemali cumprimis, tempeſtate in uſu eſſe, *Itinerariorum Scriptores* ubertim adnotant. *Pannones* ſpeciatim hoc pileorum genere plurimum olim delectatos fuiſſe, vel inde haud gravatim conligi poterat, quod Vegetius *Lib.* III. c. 5. de *Re Militari*, pileos ejuſmodi *Pannonios* nuncupet. Præterquam etiam quod Servio *Galerus* ſit pileus ex pelle hoſtiæ cæſæ efformatus; Iſidorus quoque pileum quaſi pilleum dictum arbitratur, eo quod ex pelle hoſtiæ effictus fuerit. Ad militum autem quantum attinet Pileos, atque Galeas illas ex corio plurimum adornatas fuiſſe, hæc Xenophontis de *Tranſitu Cyri*, dubitare nos non ſinunt: Ἐπὶ τῇ κεφαλῇ κράνη σκύτινα, οἷα περὶ τὰ παφλαγονικὰ κρώβολον ἔχοντα κατὰ μέσον ἐγγοτάτω παραδῆ *In capite habebant galeas ex corio, Paphlagionicis ſimiles, quæ cincinnum habebant in medio, in modum Tiaræ.* At enimvero utcunque etiam hæc ſeſe habebant, certum omnino eſt, quod linum apud Veteres in ſummis fuerit deliciis utpote ex quo, tanquam ex materia nobiliſſima veſtimenta omnis generis, varia ratione miroque ſæpius artificio, fuerunt confecta. Utut enim plane non inficiemur, quod laneis, quoque veſtimentis *Laici* æque ac *Sacerdotes*, ſacra operaturi, quandoque induti fuerint, prælatæ tamen iis fuere veſtes lineæ ſiquidem, ob ſingularem quam præ ſe ferebant puritatem, hæ ipſe maximopere ſe commendabant, & omnium plauſum, ex merito ſuo promerebantur. Et ſane ſi ad Alex. ab Alexandro, *Gen. Dier. Libr.* V. c. 16. circa finem attendere hic tantiſper velimus, *Ægyptios* inprimis linum in ſui amorem tantopere olim abripuit ut tum viris tum etiam fœminis ſevere injunctum fuerit, ut veſtimenta non niſi linea ſibi adplicarent. Fieri itaque aliter non potuit quam quod *Ægyptus*, cujus tellus ad hanc fruticem alendam in ſe, ob *Nili* fœcunditatem aptiſſima erat, lini potiſſimum etiam feraciſſima fuerit. In Alexandria autem urbe lini fabricam adprime quondam floruiſſe vel ex Flavio Vopiſco in *Saturn.* c. 8. diſcimus, ſiquidem inter Opifices *Alexandrinos*, Linyphiones quoque, h. e. λίνυφȣς *Linteones*, itidem introducit. Joſephus ſane Jacobi *Patriarchæ* Filius cum ab *Ægypti* Rege maximo adficiendus eſſet honore inter cetera pretioſa non minus quam magnifica ornamenta, linea quoque induebatur veſte ut ex *Gen.* XLI. v. 43. percipimus. Falſum igitur, & ab antiquitatis veritate prorſus alienum eſt, quod obiter adnotare liceat quod apud Plinium *Lib.* VI. c. 56. & Philoſtr. *Vit. Apollon. Lib.* II. c. 9. relatum legimus quaſi ſcilicet, Pythagoras pro primo lini inventore habendus ſit. Braunius, quidem ut hanc ſententiam quodammodo temperet, conjectare inſtituit, quaſi inter *Græcos*, minimum primus is extare potuerit, qui lino uteretur. At enim vero cum circa Elim in *Achaja*, quod vel ex Pauſaniæ *Eliacis*, Plinio aliiſque conſtat, præſtantiſſima byſſus genita quondam fuerit; vero omnino vix videtur conſentaneum, quod *Græci* præſtantiſſimam hanc plantam negligere, eandemque in uſum ſuum non convertere voluerint, maxime cum diu ante *Pythagoræ* tempora, ab Ægyptiis e quibus multi trajecerunt in *Græciam*, didiciſſe eundem iſtum potuerint. Quicquid autem hujus rei ſit, ſufficit, hic locorum nobis, quod lineis veſtimentis Veteres maxime fuerint delectati adeo ut calceos quoque ex lino confectos, ut probatiſſimi memorant Scriptores, geſtare inſtituerint. Suffragatur hoc in negotio inprimis nobis Herodianus, quando in *Lib.* V. c. 6. præfectos militum victimarum exta, Heliopoli in *Hecatombis*, ferentes ita adlegat, ut inſuper commemoret, quod *Phœnicum* more non tunicis ſolummodo talaribus & manuelatis & linea in medio purpura induti ſed etiam, ὑποδήμασι λίνȣ πεποιημένοις ἐχρῶντο, *calceis lineis inſtructi fuerint.*

§. XI. Ad Summum vero *Hebræorum* Pontificem, ut noſtra redeat oratio, iſtius ſane Pileus non ex alia, quam ex lino, concinnatus erat materia. Ita quippe DEUS, apud Moſen, *Exod.* XXVIII, 39. ועשית מצנפת שש, *& conſici curabis tiaram lineam.* Equidem inter *Interpretes*, ceteroquin etiam celeberrimos, *Judæos* æque, quod maxime mireris, æque ac *Chriſtianos*, non de-

desunt, qui תּוֹ שֵׁשׁ, *sericum* intelligendum esse, magno conamine contendunt. Ipse Luth. ne quid reticeamus, תּוֹ שֵׁשׁ, similiter reddit, per Seiden, ipsamque adeo Summ. *Pontificis* Tiarum ex *Serico* confectam esse, palam, profitetur. At vero cum antiquissimi *Paraphrastæ*, unanimi consensu תּוֹ שֵׁשׁ, per *byssum*, quod ex summorum Criticorum mente, ut ex §. 12. uberius patescet, non tam *gossypii*, quam potius *lini* delicatissimi, & pretiosissimi genus fuit, hic exponant atque ita Chaldæus suum בוצא, Syrus ܒܘܨܐ, & LXX. *βύσσον*, sive potius *κίδαριν βυσσίνην* nobis exhibeant; in conficiendis Sacris his *Ebræorum* vestibus, quod pace Summi Viri dixerimus, *Serici* aliquem fuisse usum plane nos inficiamur. Nec difficile, opinor fuerit sententiam *Paraphrastarum* adductorum, solidioribus quibusdam aliunde petitis argumentis aliquanto fusius hucdum comprobare. Utut enim inter *Judæos* quidam reperiantur, ut Saadias apud *Aben-Esram*, ad *Exod.* XXV. & Abarbanel ad eundem locum, qui pro *serico* pronuncient; bene tamen est, quod, ex Contribulibus non pauci in os quasi iisdem obloquantur. Spectat huc inprimis constans *Talmudistarum* traditio, quæ hujus est tenoris: אין הכהנים לובשים לשמש בבית המקדש אלא צמר ופשתים *Sacerdotes non vestiuntur ad ministerium peragendum in Sanctuario, nisi lana, & lino.* Quemadmodum autem falsissimum est, ipsique Scripturæ S. manifesto adversum, quod lana induti fuerint Sacerdotes; ita certissimum omnino est, ut ex infra dicendis clarius patescet, quod præter linum nulla alia, ad vestimenta sacra adparanda, fuerit adhibita materia. In eo tamen audiendi sunt *Talmudistæ*, quod sericum & ipsi ab hoc negotio, prorsus removeant. Cum his itaque transigant Verpuli, qui sericum hic nobis obtrudere conati sunt. Sed ut argumento huic inlustrando tantisper hucdum immoremur, ex Temporum etiam Historia opinionis adversæ falsitatem, pro instituti ratione, succincte, ut demonstremus, necessum est. Monemus itaque ante omnia, quod *Serici* usus sero admodum innotuerit, & quidem ob rationem satis manifestam, atque apertam. A Seribus etenim ultimis *Indiæ* populis, ad reliquas nationes demum pervenisse *Sericum*, Sacra æque ac Profana aperte indicant Monumenta. Servius sane ad illum Virgilii, *Georg.* Lib. II. versum:

Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.

sequentia adnotat: *Apud Indos, & Seres sunt quidam in arboribus, vermes, & bombyces appellantur, qui in aranearum morem tenuissima fila deducunt, unde est sericum.* Inter *Græcos* autem, & *Romanos*, per longum temporis tractum prorsus, ignoti hi fuerunt vermes siquidem nonnisi immensis sumtibus Serica ex *Oriente* tandem advecta fuisse edocemur, adeo ut Aureliani *Imperatoris* ævo uti auctor est Vopiscus, in *Vita* Ejus cap. 46. *libra auri*, *libra serici* fuerit. Et hujus, quidem caritatis caussa in ipsa sane raritate quærenda est. Quamvis itaque *subserica* ante Heliogabulum, inter *Romanos* etiam usu obtinuerint, ut Lampridius in *Vita* Ejus, testatur; primus tamen ipse fuit Heliogabalus, qui *Holosericam vestem* sibimet adplicuit. Aliqualem interim serici notitiam Augusti demum ævo ad *Romanos* penetrasse, Braunius haud frustra forsitan, Lib. I. c. 8. conjectat. Ratio autem hujus rei inde potissimum derivanda est, quod rariora cum *Seribus* exstiterint commercia, posteaquam hi ipsi coetus atque congressus hominum, *Alex.* ab *Alex.* autore, summopere reformidarent. Sub Justiniani minimum regimine, *Serici* culturam tam apud *Romanos*, quam apud *Græcos*, ad quos duo *Monachi* ex *India* reversi, artem hanc transportasse dicuntur, florere incepisse, Procopius adseverat. Neque vero quicquam his obstat, quod Aristoteles, Lib. V. *Histor. Animal.* c. 19. & Plinius, *Lib.* XI. c. 23. adstruant, quod in Insula Co *Bombycina* dudum antea fuerint confecta, cum nihil inde conligi queat amplius, quam quod artificium aliquod ex Serico texendi in dicta insula citius quodammodo innotuerit. Accedit quod fortassis etiam rariora illic istiusmodi fuerint *Bombycina*, aut *Subserica*; cum ceteroquin neque tam cara neque tam rara, Aureliani ætate adhuc esse potuerint, id quod præter cetera Cl. Salmasius etiam ad Tertull. *Pall.* inculcat. Quemadmodum vero per hactenus disputata ad liquidum istud perductum esse arbitramur, quod propter rara cum Seribus ultimis illis *Asiæ* Gentibus instituta commercia sero admodum in reliquorum hominum notitiam sericum pervenerit; ita pronum omnino est ut credamus, quod idem hocce sericum ad ipsos quoque Judæos haud multo tempestivius traductum fuerit. Secus enim si res hæc se habeat, & serici usus apud *Judæos* sub antiquissimis statim temporibus obtinuisset, ad ipsos quoque *Romanos* atque *Græcos*, mul-

multo citius idem iſte translatus fuiſſet. Urgeri inſuper hic poteſt, quod ex *Scriptura Sacra* nullus adduci queat locus ex, quo probari poſſit contrarium, cum ne Salomonis quidem tempore, qui ad ſummum tamen felicitatis opulentiæ, ac ſplendoris faſtigium pervenerat, commerciiſque in longe diſſitas regiones inſtitutis non parum gloriæ ſibi adquiſiverat, *Serica* in Palæſtinam advecta fuerint; e contraria autem potius parte mercaturæ lini *Ægyptiaci* clariſſima mentio, 1. *Reg.* X, 28. iniiciatur. Ad illam interim dubitandi rationem, quam Cl. Nic. Fullerus, *Miſcell. Sacr. Lib.* II. c. 10. Avenarius, & Moynius, (in *Diſſert.* ad *Jer.* XXIII, 6.) in medium proponunt, quaſi ſcilicet Eſaias c. XIX. 9. *ſericum* introducat, ut tantiſper attendamus, neceſſum erit. Verba, *Prophetæ* ſunt ſequentia: ובשו עבדי פשתים שריקות ואורגים חורי *Et pudeſient ii, qui lina probe carminata* (vel ut alii malunt, *flaveſcentia ac ſubtilia*) *exercent*, *&* *retia texunt*. Illi enim, quibus *carminandi* ſignificatus hic adridet potiſſimum ſe recipiunt ad Rad. שרק, *pectere carminare*, atque ita conjectant, quod פשתים שריקות, *lina ſint probe carminata*. Suo verſionem hanc inprimis calculo muniunt Judæi, & ex his nominatim Raſchius quando ſcribit: שריקות פשתים שסורקן אותן ואורגין מהם מצודי דגים הרשתות שהן עשויות חורין *Schericth ſunt lina quæ pectunt*, *& ex quibus conficiunt retia piſcina*, *quæ ita facta ſunt ut habeant multa foramina*. Sentit cum Raſchio ipſe quoque Kimchius ſequentia hic adnotans: שריקות כלומר שמסרקין הפשתן במסרק והטוב והיפה שבו עושין ממנו רשתות *Sericoth*, *quaſi diceretur; qui pectunt linum pectine*, *& ex optimo*, *& pulcherrimo*, *faciunt retia*. Qui autem cum Bocharto, *Hier.* P.I. L. II. c. 7. שרירות ט׳, nomen *coloris* eſſe nolunt, vocem hic locorum per *gilua*, *flava*, *ſubflava*, ſcil. *lina* exponunt, quam ipſam criſin ſummopere quoque probat Cl. Vitringa in erudito ſuper Eſaiam, *Commentario Leovardiæ* An. 1714. impreſſo, ita tamen ut inſimul ipſemet harioletur, quod per שריקות, genus etiam quoddam lini præſtantioris, quale erat *Ægyptium* intelligi queat, p. 560. ſeq. Nemo itaque ut putamus amplius dubitabit, quin Viri CLL. ſupra citati mera convenientia vocis, quæ tamen admodum exiguam probandi vim habet, re curatius ſecum nondum perpenſa, decepti fuerint. Non deſunt etiam, qui in משי, quod apud Ezechielem, C. XVI. v. 10. extat *Sericum* ſe ſimiliter deprehendiſſe ſibi viſi ſunt, inter quos Junius, & Tremellius quoque quod mireris, reperiuntur, quandoquidem & ipſi ט׳ משי, per *Sericum*, interpretantur. Utut vero ſententiæ hujus patroni recentiores etiam *Judæos*, qui *Sericum* per משי vulgo exprimunt pro ſe adlegare valeant, parum tamen iſtis inde præſidii accedit, poſteaquam Chaldæus, in ט׳ משי locum לבושי צבעונין *veſtimenta diverſorum colorum*; Syrus ſuum ܫܐܠ; Arabs, الرشي; & ita porro ſubſtituunt. Alius ut Vulgatus, generatim *Autenticum*, per *ſubtilia* exponunt. Cum tot autem, quum tota res conflictetur difficultatibus, ſufficiet nobis, quod pretioſiſſimum aliquod veſtimenti genus, qualecunque demum illud fuerit ab Ezechiele hic locorum indigitetur. Ex hactenus autem in medium ita propoſitis abunde ſatis arbitror conſtabit, quod iſtorum ſententia, qui ט׳ שש per *Sericum* interpretantur lubrico admodum fundamento ſuperſtructa ſit. Taceo, quod omni tempore apud *Romanos* cumprimis viris ſigillatim effeminati molliſque ingenii nota inuſta fuerit, quando ad *ſericum* ſe recipere eodemque ſuperbire conſtituebant. Notatu maxime digna Taciti hic iſta eſt narratio per quam indicat, quod a *Senatu* Lex ſub Tiberio promulgata fuerit: *Ne ſcllicet veſtis ſerica viros fœdaret*. Conf. Braun. c. 8. *Lib.* II. Sed, nihil attinet diutius ut in his deducendis immoremur cum teſtis omni exceptione major ſit ipſa *Scriptura S.* quæ Ezech. C. XLIV. v. 17. 18. lana prorſus excluſa linum ſolummodo huic negotio adſignat, ut ſuo paullo poſt loco illud commonſtrabimus.

§. XII. Super illorum autem ſententia qui ט׳ שש per *Xylium*, aut *Goſſypium*, explicandum eſſe arbitrantur, ut aliquantum etiam diſpiciamus neceſſum erit. Patrocinium opinionis iſtius in ſe ſuſcipiunt Junius, Tremellius & Seringhamius ad *Joma*, alii Arabem procul dubio ſequuti qui ſuum قطن קיטן *Autentico* ſubſtituunt. Ad rationes vero quæ pro hac interpretatione quodammodo dimicare videntur, ſi animum pauliſper convertere velimus, facile comperiemus quod omne earum robur in eo unice propemodum ſitum ſit quod Judæi ט׳ שש communiter per בד interpretentur, hoc autem ipſiſſimum בוץ *Chaldæorum* ſibilo ſaltem neglecto, exhibeat; בוץ autem & βύσσος, eadem ſint; ac βύσσος inſuper ex Veterum conſenſu ut arbitrantur, *Xylinon* repræſentet; *Judæi* præterea quoque שש de *Ægy-*

Ægyptiaco lino explicent, *linum* autem *Ægyptiacum* Plinio teste *Goſſypium*, ſive *Lana arboris* ſit in *Ægypto* genita. Et ex hactenus quidem allatis, ſic ſatis firmiter concludi poſſe arbitrantur, quod per שש non niſi *Goſſypium* nobis ſuppeditetur. Ita rationes propemodum ſubducit Sheringhamius, quo cum Cl. Oldermanus etiam in *Diſſert.* de *Veſtibus Byſſinis Pontif. Max. Helmſt.* 1717. habita, conferri merebitur. Equidem non inficiamur, quod *Judæi* τὸ שש per בוץ & בד ſubinde explicent ſiquidem Aben-Eſra, ad *Exod.* XXV. 4. hoc ſuper argumento, ita pronunciat: שש הוא הבד מן ממיני פשתים ימצא במצרים לבדו: *Scheſch idem eſt quod Bad, ſpecies quædam lini quæ in Ægypto ſola naſcitur*. Succenturiatur huic Maimon. Hal. *Kle bam*, *mik* c. 8. adſeverans: בכל מקום שנאמר בתורה שש או בד הוא הפשתים והוא הבוץ *ubicunque in Lege dicitur* שש *aut* בד *ſemper intelligitur linum & quidem byſſus*. Dehinc vero, licet tantiſper quoque elargiamur quod בוץ cum *Græcorum* βύσσῳ concordare videatur; nemo tamen judicamus præfracte adfirmabit quod βύσσος ubivis, *Xylinum* aut *Goſſypium* indigitet. Nonnunquam enim illo etiam in ſignificatu uſurpari in aprico & ab aliis dudum evictum eſt. Ceterum, ut eam quam ſemel animis ſuis ἀπὸ τῆς ἀγαπῆς, conceperant ſententiam, vi cujus βύσσος nonniſi *Xylinum* ſive *goſſypium* repræſentare debebat, formoſiori quodam fuco inlineant, recipiunt iſti in primis ſe ad Pollucis illa quæ Lib. VII. c. 17. ſuppeditat: Βύσσος, *ſcribens*, λίνου τι εἶδος παρ Ἰνδοῖς. Ἤδη δὲ καὶ παρ Αἰγυπτίοις ἀπὸ ξύλου τι ἔριον γίγνεται ἐξ οὗ τὴν ἐσθῆτα λινῷ ἂν τις μᾶλλον φαίη, προσεοικέναι πλὴν τοῦ πάχους ἐστὶ γὰρ παχυτέρα, κ. τ. λ. *Byſſus lini quædam ſpecies eſt apud Indos. Nunc autem apud Ægyptios, ex arbore lana quædam fit, ex qua veſtem confectam, lino maxime ſimilem eſſe quiſpiam dixerit, ſola denſitate excepta, ſpiſſior enim eſt*. Sed quis nobis non monentibus, ſponte non comprehendit quod *Lana* quam in *Ægypto* ex arboribus olim conlectam eſſe Pollux quoque hic locorum pronunciat; a *Lino* cujus ſpeciem apud *Indos* byſſum eſſe idem iſte adſeverat, plurimum diſtincta ſit, maxime cum diſerte etiam adſtruat quod *Lana Ægyptiaca* lino denſior ſit & ita aliqualis ſaltim inter utrumque ſimilitudo intercedat. Quando vero ulterius iſti urgent quod apud *Indos* iſtiuſmodi linum quod a *Goſſypio* diſtingui poſſet, repertum non fuerit; atque ita Pollucis βύσσος neceſſario pro *Goſſypio Indico* habenda ſit; regerimus quod nodum exceptio hæc non ſolvat ſed arctius potius adſtringat, cum his ſemel admiſſis, verba Pollucis a contradictionis macula liberari plane non poſſint. Utut autem liberaliores quodammodo hic eſſe atque largiri velimus, quod Pollux etiam per βύσσος hoc in loco *Goſſypium* deſignet; nondum tamen inde conſequeretur, quod βύσσος apud omnes promiſcue *Græcos* Scriptores eundem obtineat ſignificatum. Immo ſi etiam qua hoc momentum, herbam adverſæ parti, tantiſper nos porrigere velimus; confici tamen vel inde etiam firmiter nondum poterit quod בד, & שש *Hebræa* goſſypium ſimiliter ſubminiſtrent. Præterquam enim quod probatiſſimi quique *Lexicographi* τὸ בוץ, & בוצא per *Linum* candidiſſimum ſubtiliſſimum & præſtantiſſimum Ægyptium interpretentur; Aben-Eſra ſane diſerte adfirmat; quod שש ſpecies quædam lini ſit quæ apud ſolos *Ægyptios* proveniat, cum *Goſſypium* e contra apud *Indos* quoque, *Æthiopes*, *Judæos*, atque alias Gentes, olim atque olim prognatum fuiſſe comperiamus. Indicem itaque digitum quaſi extendit circumciſus hicce Doctor ad lini ſtricte accepti ſpeciem & niſi nos fallunt cuncta ad *Peluſiacum Linum*, utpote quod maxime celebratum a Veteribus & in plures regiones tranſvectum eſt. Utcunque autem hæc demum ſeſe habeant, illud minimum ex hactenus adlatis conligi abunde poterat quod *Græca* notio βύσσος maxima laboret ambiguitate, incertuſque adeo ejuſdem ſignificatus ſit, poſtæquam non LXX. *ſeniores* tantum in locum τῶν בד, & שש quas notiones *linum* denotare demonſtravimus, vocabulum βύσσος ſubſtituunt; ſed ipſe, etiam *Chaldæus* atque *Syrus* ſuum בוצא & ܒܘܨܐ quod non Buxtorffio ſolummodo in *Lex. cit.* ſed Carolo Schaaff. etiam in *Lex. Syr. Concordan.* Lugd. Batav. a. 1708. in IV. edito *lini optimi, & candidiſſimi quod in Ægypto conficitur genus* eſt; ubivis fere pro iiſdem adhibeant. Ad alterum vero, quo Sheringhamius uſus eſt, argumentum quantum attinet, mirari omnino ſubit, quomodo Vir ceteroquin eruditiſſimus tam apertam ἀσυλλογιστίαν committere potuerit. Conlectio enim iſtius huc potiſſimum redit quod cum Judæi adſeverent, שש, & בד *linum Ægyptiacum* eſſe; Plinius autem Lib. XIX. ſtatuat quod *Superior* Ægypti *Pars Arabiam* vergens, gignat fruticem quam quidam *Goſſypium* nuncupent, plures, ve-

vero *Xylon* unde *Lina Xylina* effecta fuerint; tuto adstrui posse existimet, quod per linum de quo *Judæis* sermo est, non nisi *Xylinon* nos intelligere oporteat. At enim vero tum demum genuina atque vera hæc esset concludendi ratio, si præter *Gossypium*, cui *lini* quandoque nomen *Scriptores* quidam tribuunt, aliud quoddam linum in *Ægypto* productum non fuisset; id quod tamen falsum & a nullo unquam qui æqua rem lance perpendet, demonstrari poterit.

§. XIII. Ut autem paullo clarius huc dum elucescat, quod uti ad omnia vestimenta sacra conficienda, ita quoque sigillatim ad Tiaram *Summi Pontificis* adornandam non alia quidem materia quam *Linum* stricte acceptum, fuerit adhibita, ad ipsam *Scripturam S. Cynosuram*, & *Normam*, uti credendorum ita & rerum, ad *Antiquitatem Hebraicam* spectantium longe exactissimam potissimum, jam nunc quoque provocabimus. Hæc enim, Ezech. XLIV. 17. 18. sanctissimum *Numen*, disertis explicatisque verbis loquens ita introducit, ut non alia quam quidem Linea Vestimenta *Sacerdotibus* suis. Idem concedat. Verba in hanc rem facientia ita fluunt: *Quando ingredientur* (Sacerdotes) *portas atrii interioris* בגדי פשתים ילבשו *Vestibus lineis induentur*: & v. 18. פארי פשתים יהיו על ראשם *Pilei linei erunt super caput illorum*. Eandem itaque materiam quam Moses per τὸ שש subministraverat, Propheta noster per vocabulum פשתים declarat, id quod manifesto nobis est documento, quod non nisi linum stricte sic dictum Tiaræ quoque *Sacerdotali* materiam subministraverit. Quod enim פשתים *lanam*, aut *Gossypium*, significatu etiam suo importet, illud statuere velle, & peregrinum propemodum esset, & *Criticorum* probatiorum placitis prorsus contrarium; posteaquam nullum e *Tabulis Sacratioribus* unquam excitari poterit oraculum, in quo iste vocis usus obtineat. Quamvis vero hæc in se satis sint manifesta ita ut vix ulteriori probatione ulla indigere videantur; Non desunt tamen qui aliter hic sentiunt, & id non aliam quidem ob caussam quam ut istum cui semel se mancipaverunt, significatum mordicitus defendant. Arbitrantur enim hi ipsi, quod vocabulum פשתים generale sit, quo apud *Hebræos*, variæ lini species, atque ita etiam ipsum *βύσσος Gossypium* denotari possit. Hanc vero suam crisin inde quodammodo colorare atque exornare adnituntur, quod ex *Græcorum* æque ac *Latinorum Scriptorum* usu lini quoque notio generalis sit & plures species, *asbestinum* scilicet, *byssinum cannabeum*, alias sub significationis suæ ambitu complectatur. At vero nullius roboris aut nexus hanc argumentandi rationem esse vel inde sufficienter comprobabimus, quod infinita circa vocum significatione dubia, eo modo adcumulari, & *Interpres* ad istiusmodi incitas ubivis fere adigi queat, ut in quo pedem tuto conlocet vix reperiat. Nemo enim qui vel prima sanioris *Philologiæ* salutavit limina, eo delabetur unquam, ut adfirmare sustineat quasi diversarum *Linguarum* in uno significatu sibi invicem respondentes notiones in aliis etiam adeo adcurate conveniant, ut idem ambitus ibidem quoque iis attribui queat. Insuper pro generali vocis hujus significatu illud quodammodo urgeri etiam hic poterat, quod ab ipsis *Judæis* plures *Lini* species ad פשתים reducantur, siquidem Aben-Esra quoque l. c. מיני פשתים *specierum Pischtim Lini* mentionem iniiciat. At enim vero telum hoc aerem non autem nosmet ferire vel inde manifestum est, quod sæpenumero vocibus Biblicis ejusmodi significatus a *Judæis* adsignentur, qui a stilo *Scripturæ Sac.* toto quod dicitur cœlo summoti sunt: Ipsum autem ceretoquin *Judaici* hujus *Doctoris* effatum firmo suo talo inniti inde adprime constabit, quod lini stricte ac proprie sic dicti variæ revera enumerentur species. Hæc & similia, cum luce sua ita radient, ut adversæ sententiæ patronis, quod vel speciose istis opponant vix suppetat; instant tamen & κρησφύγητον in eo potissimum quærunt, quod פשתים in ipso quoque sacratiori *Codice* de *Gossypio* nonnunquam usurpetur, & inprimis quidem Jos. II. 6. ubi Rachab *Exploratores* a Josua emissos בפשתי העץ *in linis ligni* abscondisse commemoratur. Hic itaque deprehendisse sibi cum Masio, & Arnoldo Bootio *Linum Xylinum* videntur, eo quod *Hypallage* quæ inepta plane sit & in *Scripturis Sacris* minus usitata hic quoque locorum admitti non debeat. Sed enim vero hic fulgor inanis & ex plevi est, cum nos neque *Hypallagen* neque *Linum* etiam *Xylinum* admittendum hic esse arbitremur. Simplicissima enim τῶν פשתי העץ interpetatio est, ut *Lina Ligni* vel *Lina culmorum* sive *Stipularum* ista indigitent. Vocabulum עץ enim non tantum *Arborem* sed & *Lignum* designat, siquidem & de *junco* usurpatur; immo *byssopus* etiam quæ in parietibus nascitur, inter *ligna* vel *arbores*

res recensetur 1. *Reg.* IV. 33. Senes LXX. usi sunt vocabulo λινοκαλάμη, quo linum a calamo suo nondum decussum significare videntur. Stipulæ enim decussæ, ut Drusius ad h. l. docte monet, insolari non solent. Non aliam itaque ut conjectamur ob caussam, *Lina ligni* hic introducuntur, quam ut *Scriptor Sacer* sapienter commonstret, quod non tam *Stipulis lini*, quam ipso potius *Lino lignoso* de quo cortices, & stipulæ per stiparium malleum atque carminationem nondum decussæ depexæquæ sunt, Rachab *Exploratores* abscondi curaverit. Notum enim est, quod *Lina* antequam a stipulis separentur aut commode separari queant, soli exponi soleant ut exsiccentur, quoniam hac ratione facilior lini redditur tractatio. Ipsa igitur Rachab in tecto, quod more *Orientis* planum atque apertum erat ardori Solis exposuisse videtur *Lina*, quæ adhuc in stipulis suis hærebant, & פשתי העץ, quas voces Chaldeus per טעוני כתנא *Manipulos lini* exponit, nuncupabantur. Et hujusmodi sane lina *Exploratorum* absconsioni magis erant adcommodata, quam *Linum Xylinum*. In caussa hoc est cur ipsi etiam *Judæi*, unanimi consensu, & citatis, quasi passibus in nostram abeant sententiam; Raschius inprimis, & R. David Kimchius, qui ad locum *Jos. cit.* ita commentatur: בפשתי העץ ר״ל שהיו עדין הפשתים בגבעיריהם והעלתם הגגה ויבשם והטמינה אלחם בתוכם *i. e. In linis ligni h. e. erant tunc lina adhuc in caulibus suis, & adduxerat illa in tectum ut siccarentur. Sub his itaque abscondit eos.* Hæc igitur interpretamenta cum negotium omne ut arbitramur rite conficiant, nil quicquam caussæ amplius habebimus, ut vel ad *Hypallagen*, vel ad *Linum Xylinum* nos recipere velimus. Immo si animi caussa tantisper etiam concederemus, quod in adlegato Josuæ loco, *Ligna Xylina* intelligenda sint; inde tamen nondum confici poterat, quod פשתים absolute etiam positum *Xylinum* denotare queat. Nisi enim quis fallaciam A *dicto secundum quid*, turpiter hic committere velit, nunquam poterit illam significationem, quæ voci cuidam cum addito competit, eidem quoque absolute positæ vendicare. Vocem enim quamlibet absolute positam, pro famosiori principaliorique significatu semper stare apud omnes in confesso est. Hæc enim nisi sobrie semper supponantur, tollatur necessum est omnis interpretationis certitudo, neque etiam unquam in quocunque demum Scripturæ S. oraculo, τὸ פשתים occurrat, certus esse poterit *Lector*; Utrum per *linum* an vero potius per *Gossypium* idem istud exponere debeat. Reliqua, quæ ad contrariam sententiam pingendam adferri in medium vulgo solent, levia fere sunt & ita comparata, ut istis, quæ hactenus recensuimus solide destructis, sponte & illa concidant. Accedit quod nostri quoque instituti ratio non permittat, ut omnes minutias scrupulosius refellamus atque in istis recensendis, & excutiendis tempus frustra conteramus. Perstat igitur nostra, cui sub veritatis præsidio & propter clarissimum Ezechielis *Vatis* adsensum semel subscripsimus, sententia, quod nimirum per שש non alia materia, quam *Linum* concipienda sit. Addimus his, quod *Gosypium* vile admodum & abjectum fuerit in *Orientis* olim regionibus, utpote in quibus maxima istius copia semper prostabat adeo, ut in vulgaribus quoque vestimentorum generibus concinnandis istud fuerit adhibitum. Posteaquam autem uno omnes *Judæi* quantum memini ore profitentur, quod pretiosissima materia ad sacras *Ebræorum* vestes adornandas sollicite conquiri, & comportari debuerit; sponte inde fluere videtur, quod pro *Lino* eodemque præstantissimo atque subtilissimo, quod in *Ægypto* proveniebat, pronunciare hic nos oporteat. Et sane cum omnis omnino lana *Sacerdotibus* in Ezechielis oraculo supra adlegato interdicta fuerit; *Xylinum* etiam, cujus constitutio plus de lana quam de lino alias quoque participet; atque ab ipsis *Judæis*, qui per nomina צמר גפן illud subinde determinant, haud obscure ad lanam illud ipsum reducatur, insimul vetitum fuisse censendum est.

§. XIV. Et hæc ita ad inlustrandam Tiaræ *Summi Pontificis* materiam adduxisse cum sufficere possint, ordo nos ulterius manu quasi ducere videtur ad istius *Formam*, ut hujus quoque qualecunque examen in nosmet recipiamus. Præterquam autem quod albus color lino quasi proprius, & a natura inditus sit; varios tamen alios etiam colores in Veterum capitis ornamentis, conspicuos fuisse, edocemur. Inprimis autem inter illos tum quoque temporis eminebat Purpura, quæ ut *Regibus Principibusque* semper propria fuit; ita illorum sigillatim *Diademata* ista potissimum summopere exornabat. Adlegamus hanc in rem Ovid. *Met.* XI. 181. ubi de *Mida* aures lente gradientis aselli induto, ita fatur:

Ille quidem celare cupit turpisque pudore,

Tempora PURPUREIS *tentans velare* TIARIS.

Et hoc sane colore tantopere *Imperatores* maxime, atque *Principes*, & cumprimis Romani delectati fuerunt, ut *Purpuram sumere* idem apud *Scriptores* probatiores quam *Imperio potiri*, denotet. Quanquam enim ante Cæsaris tempora promiscuus fere ejus apud *Romanos* extiterit usus; Cæsar tamen intra certos eum coegit limites, cujus vestigia cum Nero arctius deinceps legeret, *Primatibus* eundem prorsus ademit. Atque hinc est, quod *Purpura* inter Imperii insignia demum relata fuerit, atque passim etiam in Veterum monumentis βασιλικὴ πορφύρα, nuncupetur. Et hoc ipsum a sequioris ævi *Imperatoribus* similiter observatum quoque fuit, adeo ut calcei etiam, & integumenta cruralia eodem hocce colore tingi debuerint. Testem hujus rei adduco Fl. Cresionium Corippum Africanum, in *Panegyrico*, in laudem Justini Aug. *Minoris*, cujus hæc sunt:

> *Purpureo suræ resonant fulgente* COTHURNO,
> *Cruraque* PUNICEIS *induxit regia* VINCLIS.

Purpureum vero huncce colorem albo interdum interdistinctum fuisse, vel Darii *Diadema* apud Curtium probat, quale ipse Alexander M. deinceps usurpare etiam instituit vid. Alex. ab Alexandro L. I. *Gen. Dier.* c. 28. Variis insuper coloribus *Diademata* & *Fascias* quoque quibus *Coronæ* in capitibus constringebantur condecoratas fuisse; vel inde sufficienter conligi potest, quod διαδημάτων ποικίλων; vel etiam ταινιῶν ποικίλων, mentio apud Veteres sæpe injiciatur. *Scholiastes* Pindari: Μίτραν ἔνδοθεν τῶν στεφανῶν, καὶ διαδήματα ποικίλα εἰώθασι συνδεῖν. *Mitras intra coronas, & variegata diademata conligare solent.* Festus *Vocem Lemnisci*, inquit, *i. e. Fasciolæ coloriæ dependentes ex coronis, propterea dicuntur, quod antiquissimum fuit genus coronarum lanearum.* Maxime autem variegatis capitum tegumentis *Mulieres* plurimum delectatas fuisse, præter ceteros Plinius, quoque *Lib.* XXXV. c. 9. commemorat. Hæc autem, utut recte sese habeant sæpiuscule tamen albo quoque colore tegmina capitum instructa fuisse, *per Veterum Fastos* similiter edocemur. Imperatorum sane *Diademata* maximam partem alba fuisse, tam certum est, ut *Fascia alba* etiam aliquando ad imperii insignia referri consueverit. De Pompejo ita legimus relatum, quod postea quam *Fascias Candidas*, sive *Creatatas* cruribus suis alligasset, imperii adfectati suspicionem incurrerit. De *Tribunis Plebis* refert Svetonius, quod rumore ad istos perlato, quod *Statuæ* Cæsaris coronam aliquis *Fascia candida* præligatam imposuisset, *Fasciam* detrahendam, hominemque in vincula conjiciendum esse, decreverint. Suo quoque adsertum suffragio firmat Lucianus, quando is in *Dial. Alex.* & *Diog. Tom. I.* edit. *Basil.* p. 277. Alexandrum M. διαδεδεμένον ταινίᾳ λευκῇ τὴν κεφαλὴν, *capite albo diademate cincto* introducit. Combinamus cum hoc Ammianum quoque Marcellinum, qui *Diadema Regium* Lib. XII. per *fasciolam candidam Regiæ Majestatis insigne*, circumscribit.

§. XV. A profanis Pileis ubi ad Sacros *Veterum Gentilium* Pileos nos convertere velimus, deprehendemus, quod & hi ipsi variis coloribus insigniti fuerint. Purpuram vero cumprimis locum & in his invenisse, vel per ista, quæ Virgilius *Æn.* III. 404. seqq. proponit edocemur:

> *Et positis aris jam vota in littore solves;*
> *Purpureo velare comas adopertus amictu,*
> *Ne qua inter sanctos ignes, in honore Deorum,*
> *Hostilis facies occurrat, & omnia turbet.*
> *Hunc socii morem sacrorum hunc ipse teneto,*
> *Hac casti maneant in relligione nepotes.*

Porro v. 545. huc quoque spectans, ita habet:

> *Et capita ante aras Phrygio velamur amictu.*

Per *Phrygium* enim *amictum* non alium quam *purpura* tinctum in ultimo etiam hocce commate *Poetam* indigitasse, dubitare nos non sinunt antecedentia; siquidem idem iste amictus qui in priori loco *purpureus* vocatur, in posteriori per *Phrygium* nobismet proponitur. Immo, si Svetonio fides habenda est, peculiare quoddam purpuræ genus ad *Sacerdotum* vestimenta tingenda in subsidium olim evocatum fuit. Inlustrant hæc potissimum, ea quæ ad Virgilii *Æneid.* VII.

> *Ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino,*

adnotavit Servius doctissimus *Poetæ* explanator: Svetonius *in librum de Genere Vestium dicit tria esse genera; Trabearum unum Diis consecratum quod est* tan-

tantum de Purpura; aliud Regium quod est Purpureum, & habet tamen album aliquid; tertium Augurale de purpura, & cocco mixtum. Similis quoque color in *Sacerdotum foeminarum* tegumentis olim usurpabatur. Erat enim *Rica*, teste Festo, *vestimentum quadratum, fimbriatum purpureum, quo Flaminicæ, pro pallio mitrave utebantur*. Non desunt tamen qui album huic vestimento colorem adpropriant, inter quos apud eundem Festum *Ditimmius* eminet, utpote cui *Rica est, ex lana succida alba vestitus*. Alii iterum cæruleo illud colore infectum fuisse perhibent, siquidem teste eodem Festo, *Alii dicunt pallium esse duplex, quod conficiunt virgines ingenuæ, patrimæ, matrimæ, quod cæruleo colore infectum lavatur aqua pura*. Ipse autem hic auctorum dissensus super eo potissimum nos informat, quod vestimenta hæc re ipsa fortasse diversa, & in variis sacris usitata fuerint; uno tamen eodemque nomine insignita, utque adeo lis illa super significatione nominis potius, quam super ipsa re exorta fuerit. Sufficit nobis, quod luculenter exinde patescat, quod in tegumentis quoque sacris apud Priscos varius similiter color obtinuerit. Præter ceteros autem in summis apud illos deliciis erat color albus, quippe quem Sacrorum puritati castitatique mentis, quam in Sacris potissimum *Gentes* quoque curatius custodiendam esse arbitrabantur, adprime respondere existimabant. Suis morem hunc exemplis comprobant Ægyptiorum, atque Atheniensium *Sacerdotes*, quando non albis solummodo vestibus, sed calceis etiam albis amictos fuisse, *Scriptores*, & ex iis sigillatim Braunius de *Vestitu Sacerd.* Hebr. L. I. C. XI. adnotant. Eadem ista consuetudo in antiquioribus etiam *Gallorum* sacris dominabatur, quoniam & in his *Sacerdotes* albis amicti vestibus comparebant, ut refert Plinius *Lib.* XIV. C. 43. Apud *Romanos* quoque Virgines *Vestales* nonnisi albis indutas fuisse, auctor est Suidas, sequentia de istis in *Numa Pompilio* observans: ὐ μύρῳ ὐκ ἄνθεσιν ὐχ ἱματίῳ χρῆσθαι συνεχωρῦντο, πλὴν λευκῦ. *Nec unguento nec floribus nec veste nisi alba, uti ipsis concessum fuit*. Ad *Cereris* etiam Sacra rite perficienda albas saltim vestes introductas fuisse, Ovid. *Fast. Lib.* IV. adseverat scribens:

> *Alba decent Cererem, vestes Cerealibus albas*
> *Sumite, nunc pulli velleris usus abest.*

Hæc uti latus exequitur Braunius, l. c. ita generatim insuper observamus, quod Hostiæ, quæ *Diis superis* offerebantur, albæ esse alboque etiam vestitu illi qui sacra faciebant, vestiri debuerint; cum e contraria parte non *Sacrificia* tantum *Inferis* immolanda *nigra*, sed *Vestes* etiam quas sacra peracturi induebant, nonnisi *atras* fuisse comperiamus. Sic enim Apollonius Rhodius *Lib.* III. *Argon.* hoc super argumento pronunciat:

> Ἕπτακι δὲ Βειμὼ κουροτρόφον ἐκαλέσασα,
> Βειμὼ νυκτιπόλιν χθονίην ἐνέροισιν ἄνασσαν,
> Ἀυγαίη ἐνὶ νυκτὶ σὺν ὑρφάνοις φαρέεσιν.
>
> *Tunc alma Primo stans terque quaterque vocavit,*
> *Primo nocturnam terrestrem, quæ imperat umbris,*
> *Induta obscuram per noctem vestibus atris.*

Quemadmodum vero Bellonæ quoque eo forsitan quod funesta sint belli Opera, atrum vestitum adscribit Tertullianus de *Pallio*; ita consentaneum omnino erat, ut lætioribus sacris capitum quoque redimicula læta, sive alba induerentur. Adludit huc Silius Italicus *Lib.* III. de *Herculis Gaditani* Sacris, ita canens:

> *Tempora multiplici mos est defendere lino,*
> *Et Pelusiaco præfulget stamine vertex.*

Infulam præcise *Sacerdotem* non alio, quam albo colore, coruscasse, ISIDORUS, etiam, *Orig. Lib.* XIX. CXXI. ubi illam sequentem in modum depingit, adseverat: *Infula est fasciola Sacerdotalis alba, in modum diadematis, a qua vittæ ab utraque parte dependent, quæ infulam vinciunt*. Jungimus huic A. GELLIUM *Noct. Attic. Lib.* X. c. 15. qui *Flaminem Dialem* album *Galerum* gestasse auctor est his verbis: *Is solus album habet galerum vel quod maximus est, vel quod Jovi immolata hostia alba fieri oporteat*. Neque etiam alio, quam albo colore, *Summi Pontificis Hebræorum* TIARAM insignitam fuisse, haud gravatim vel inde tuto nos conligere posse arbitramur, quoniam ex lino eadem ista conflata erat. Posteaquam itaque τὸ שש vocabulum κυρίως, & principaliter istiusmodi *Linum*, quod nativo colore eoque puriori innocentius superbit, in *Re Vestiaria Hebræorum sacra* constanter designat; aliter inde concludere non possumus, quam quod nullo quoque alio colore tinctum illud linum

num fuerit, ex quo TIARA *Summi Sacerdotis* confecta erat; sed quod nativam omnino albedinem retinuerit. JOSEPHUS equidem *Antiq. Jud. Lib.* III. cap. *9.* pag. *86.* & de *Bello Jud. Lib.* VI. cap. 15. pag. *920.* auctor est quod hyacinthum quoque *Summi Sacerdotis* TIARA præ se tulerit, quando posteriori loco commentatur: τὴν δὲ κεφαλὴν βυσσίνη μὲν ἔσκεπε τιάρα, κατέστεπτο δὲ ὑακίνθῳ, *Caput autem byssina tiara tegebat, hyacinthis coronata*. Sed cum & *Scripturæ Sac.* quæ ceteroquin *Vestitum Sacerdotalem* adcurate delineat, & *Judæorum* quoque *Doctores*, qui his de rebus plus justo alias solent esse solliciti, prorsus hic sileant; a nobis vix impetrabimus, ut in unico hocce JOSEPHI testimonio tuto delitescamus, eodemque omne negotium, maxime cum & alias ab omni errore *Scriptor* hicce *Judaicus* immunis non sit, confici posse existimemus.

§. XVI. His pro instituti ratione ita expositis, bonæ methodi lex a nobis exigit, ut ad ipsam constructionem, aut uti loqui vulgo amant, *Formam* Tiaræ S. P. nos convertamus, & isti aliquantum contemplandæ nunc quoque immoremur. Hoc autem dum perficere studemus, nostrarum & hic putamus esse partium, ut investigare ante omnia conemur; Utrum scilicet *Tiaræ* nostræ ex pileorum istorum, quibus Gentilium *Sacerdotes* usi quondam sunt, contemplatione lucis aliquid fœnerari queat. Ut vero verba in compendium & hic contrahamus, ex latissimo qui hic se nobis aperit, & in quem longius exspatiari nunc poteramus campo, ne a scopo nimium dilabamur, ὡς ἐν παρόδῳ, unum saltim atque alterum decerpemus florem, postea quam *Critici* Celeb. argumentum hocce dudum occupaverunt atque ex profana antiquitate non pauca, quæ lectu & notatu maxime digna sunt ac sufficienter illud inlustrant, ante nos in medium propoluerunt. Illud interim observari cumprimis hic merebitur, quod quatuor *Pileorum Sacrorum* genera apud *Veteres* quondam obtinuerint; Apex nimirum, Tutulus, Galerus, atque Infula, super quibus pro negotii indole tantisper & hic dispiciendum erit. Et ad *Apicem* quidem quantum attinet, illum Svetonius apud *Servium* per *Pileum subtile circa medium virga eminente* circumscribit. Servius quoque ad *Aen.* VIII. *664.* fuisse eum dicit, *Pileum in quo erat brevis virga desuper habens lanæ aliquid*. A brevi autem ista virga nomen huic *Apici* inditum fuisse illud communi fere Eruditorum calculo comprobatur, nisi quod Isidorus hariolatur, quasi Apex *ab apiendo, id est alligando, eo quod virgula*, ut monet, *quæ in pileo erat contexebatur filo, quod fiebat ex lana hostiæ*, originem suam arcessat. Aliam nominis hujus rationem in medium protulit Cl. Salmasius, quando hic non a *Virga*, quam oleagineam fuisse tradunt Veteres; sed a *Forma* potius illud derivat, quia nimirum *Apex* altus, & in formam coni acuminatus fuerit. Sed hanc originationem rejicit Isidorus, cujus meditationem antea adductam ceteroquin suo quoque suffragio roborat Festus, quando hic *Apex*, inquit, *Sacerdotum est insigne dictus ab eo, quod comprehendere antiqui vinculo apere dicebant, unde aptus is, qui convenienter alicui junctus est*. In horum castra quoque secedit, qui & alias in argumento hocce enodando multum laboris atque studii conlocavit, Phil. Rubenius *Elect. Lib.* II. c.25. Nos ut litem hanc, quæ ut judicamus parum in recessu habet, non dirimimus, sed aliis, quibus illud volupe erit plenius dijudicandam relinquimus; Ita sufficere hic quidem nobis poterat quod ex hactenus dictis *Figura Apicis* prono quasi alveo fluere sponteque innotescere videatur. Fuit nimirum Apex istiusmodi fastigiatum acuminatumque, quoddam Pilei genus cui in summitate virgula oleaginea recta, & aliquid lanæ gerens adnexa erat. Et hanc figuram similiter quoque adprobat Dionysius Halicarnasseus de *Saliis Lib.* II. scribens: Καὶ τὰς καλουμένας ἄπικας ἐπικείμενοι ταῖς κεφαλαῖς, πίλους ὑψηλοὺς εἰς σχῆμα συναγομένους, κωνοειδεῖς, οὓς Ἕλληνες προσαγορεύουσι κυρβασίας. *Et apices uti vocantur capitibus imponebant, pileos scilicet altos in modum coni, quos Græci Kyrbasias vocant*. Est autem, Κυρβασία, πῖλος ὀξὺς, *Pileus acuminatus* a *Græco* vocabulo, Κύρβις, quod *Tabulam Triangularem*, in modum *Pyramidis* cui Leges antiquitus inscribebantur, Hesychio, & Suida testibus denotabat. Prior enim Κύρβιν, inquit esse στήλην τρίγωνον ἢ ξύλινον ἄξονα, ἐν ᾧ τὸ παλαιὸν οἱ νόμοι ἐγράφοντο; *Triangularem columnam aut ligneam tabulam* cui *olim Leges inscribebantur*; Posterior autem sacras leges iis insculptas fuisse insuper asseverat; Κύρβεις docens τρίγωνοι πίνακες, ἐν οἷς οἱ περὶ τῶν ἱερῶν νόμοι ἐγγεγραμμένοι ἦσαν πολιτικοί. *Tabulæ triangulares quibus Leges Politicæ, de rebus sacris erant insculptæ*. Quum itaque harum tabularum similitudinem externam exactius referre videretur Apex, *Græci* Dionysio sigillatim duce Κυρβασίαν illum adpella-

pellaverunt. Ipsam ceteroquin materiam *Apici* pelles ovillas suppeditasse vel eam ob caussam supra excitatus Phil Rubenius erudite conjicit, quoniam apud illum Larensius, quem *Romanum* Laurentium vocant, qui inter *Pontifices* aut *Romanos Sacerdotes* reperiebatur, inquit: πίλους ταῖς κεφαλαῖς περικείμεθα τῶν προβατίων δερμάτων δασέων. *Pileos capitibus imponimus e pellibus ovillis hirsutos*. Ex ejusmodi autem pellibus cum Apex, modo recte hæc sese habeant, consutus fuerit; pronum omnino est ut credamus, quod fuerit *Apex* Tegumentum „ quoddam capitis, sacrum, sutile ex „ hirsutis ovium pellibus, fastigiatum, „ conique aut pyramidis figuram refe„ rens, & ex superiori parte virgulam „ oleagineam lana adnexa præ se fe„ rens. Quemadmodum vero figuram *Apicis* præter alios Phil. Rubenius ænea tabula expressam oculis *Lectorum* l. c. subjicit; item etiam Anselmus Solerius, libello de *Pileo*, edit. *Amstel.* form. min. de An. 1672, ut nummos, in quibus passim ista similiter conspicitur, taceamus: Ita idem Rubenius duplicem fuisse *Apicem* arbitratur; alterum scilicet, *Flaminum*, alterum vero *Pontificum* aut aliorum quoque *Sacerdotum*. Cum autem idem hicce *Apex* noster *Virgulam* in summitate filo laneo adnexo conspicuam habuerit, istius rei caussam Servius per sequentia nobis manifestare adnisus est. *Verum festis diebus*, ut commentatur ad *Æneid.* VIII. n. 664. *filo deposito pileos necesse erat accipere* (Flamines nimirum) *qui secundum alios ad ostendendam sacerdotii eminentiam sunt reperti: sicut columnæ mortuis nobilibus superponuntur ad ostendendum eorum culmen. Alii dicunt; non propter eminentiam dignitatis hoc factum, sed quia cum sacrificarent apud Laurolavinium, & eis exta frequentes aves de vicinis venientes lucis abriperent, eminentia virgarum eas terrere volebant. Exinde etiam consuetudo permansit ut apud Laurolavinium ingentes haberentur virgæ non breves, ut in urbe*. Et hunc eundem in finem lanam quoque ut nimirum avibus terriculamento hæc ipsa esset, insuper istis alligatam fuisse apud probatiores qui hoc in argumentum curatius inquisiverunt, *Scriptores* in confesso est.

§. XVII. *Apicem* excipit Tutulus cujus descriptio a Suetonio Tranquillo subministrata, & a Servio l. c. conservata est. Is autem cum Tutulum *Pileum lanatum metæ figura* esse ibidem nos edoceat, præter *Materiam Formam* etiam hujus pilei sufficienter satis indigitat. Ex lana enim cum *Tutulus* confectus esset, *Pileus* quoque *lanatus* inde nuncupabatur. Qua figuram autem suam longum istum & in fastigium aliquod porrectum fuisse, metæ figura quæ eidem quoque adjudicatur, abunde indicat. Consona his inculcat etiam Festus, quando præterea *Tutuli* usum exponit atque monet, quod Tutulus *Pileus lanatus & forma metali figuratus sit, quo Flamines & Pontifices utuntur*. An vero *Tutulus* hujus quicquid est nominis, inde præcise promeruerit, *quod tuendi caussa capilli fiebat, sive ab eo quod altissimum in urbe ea res tutissima quoque sit*, quæ Varronis *Lib.* VI. *de LL.* glossa est: Eam quidem litem nostram non facimus sed in medio potius relinquimus. Illi vero *qui in Sacris in capitibus habere solebant ut metam* (scilicet *Tutulum*) docente eodem Varrone Tutulati nuncupabantur. Fulgentius quidem ad *Chalcidium*, teste Anselmo Solerio p. 240. ait Tutulum *fuisse pallium quo Sacerdotes ad sacrificium accedentes caput tectabant, quod ipsum ex Numæ Pompilii Pontificalibus desumtum est*. Non desunt qui *Tutulum* hunc & *Amictum Phrygium* cujus mentionem supra ex Marone injecimus, unum idemque fuisse fidenter adstruunt, quos inter Adrianus Turnebus *Adversf. Lib.* XXV. c. X. & Lil. Gregor. Gyraldus *Histor. Deor. Syntagm.* 17. inprimis eminent. Hoc si verum esset, ex ornatu *Attidis* qui in Veterum aliquot nummis conspicitur, docente Laurentio Pignorio in *Magnæ Matris* DEORUM & *Attidis* initiis, adcuratior ejus idea haud difficulter efformari posset. Sufficit interim hic nobis quod TUTULUS fuerit Pileus in altitudinem aliquam adsurgens, & *Flaminum* ac *Pontificum* capita tegens. Alius vero ab hoc *Tutulo* denuo erat GALERUS, a *Galea* ita dictus quod Pileus esset rotundus in modum *Galeæ*. Posteaquam autem SUETONIUS apud *Servium* Pileum illum ex pelle hostiæ cæsæ adparatum fuisse indicat; una cum *Materia Formam* quoque ejus idem iste satis aperte subministrat. Solus interim FLAMEN DIALIS *Galero* non nisi *albo*, & eam quidem forsitan ob rationem instructus erat, quoniam JOVI *Hostiæ* saltim *albæ* ex quarum pellibus *Galeri* istiusmodi adornabantur, immolari debebant, ut Autor etiam est GELLIUS *Noct. Att. Lib.* X. c. XV. INFULAM demum quæ restat, SERVIUS ad *Virg. Aen.* X. 583. per *Fasciam in modum diadematis a qua vittæ ab utraque parte dependent quæ plerunque lata est, plerunque tortilis de*

albo

albo & cocco repræsentat. Cum his si FESTI descriptionem quæ ita habet: INFULÆ *sunt filamenta lanea quibus Sacerdotes & Hostiæ Templaque velabantur*: composuerimus; tum non de *Materia* tantum atque *Forma* sed de *Usu* etiam atque *Fine* INFULARUM quantum hic sufficere poterat, nobis constabit.

§. XVIII. Ut igitur e diverticulo in viam nunc redeamus, ulterius quoque nobis super *Forma* Tiaræ quam propius contemplandam suscepimus, dispiciendum erit. Breviter autem ut sententiam nostram hic exponamus, arbitramur, quod *Fascia longior ex lino, subtilissimo confecta & sæpius repetitis vicibus caput Sacerdotis summi obvoluens* ista fuerit. Supra enim §. VIII. quando *Etymologiam* vocis מצנפת investigabamus, abunde jam tum monuimus, quod nihil aliud significatu suo ista involuat, quam ejusmodi qualem jamjam exhibuimus Fasciam quæ a sæpius iterata circa caput revolutione quod *Hebræis* est צנף, nomen suum indepta fuerit. Quousque autem præcise longitudo Fasciæ hujus sese extenderit, super eo momento licet ipsa Scriptura S. plane nos non informet; *Judæorum* tamen *Magistri* unanimi consensu ad sedecim ulnas eandem extendunt. Testem ex iisdem & hac in parte inprimis adlegamus Maimonidem cujus in *Hal. Kle Hammik.* C. VIII. §. 19. sequentia huc spectant. המצנפת שי׳ כהן גרול או הריוט ארכו ששה עשר אמות *Longitudo Tiaræ tum Summi Sacerdotis, tum Gregariorum sedecim ulnas exæquat.* Eandem sententiam, ut R. Joseph. Karo in כסף משנה observat, ita quoque Ramban propugnat, ut & ipsemet eidem suffragari ut non dubitet. Ad altitudinem vero Fasciæ hujus quantum attinet, eam non *Scriptura S.* solummodo non determinat sed ipsa etiam *Synagoga* qua late ista patet, nil quicquam de eadem pronunciat. Sufficere itaque hic nobis debebat quod Tiara hæc *Sacerdotis Summi* si tantæ, ut *Judæi* referunt, fuit longitudinis, caput sæpius istud ambiendo, non parum communiverit. Explicatis id ipsum quoque *Judæi* verbis, & ex his potissimum Maimonides loco modo excitato adfirmat, scribens: מקיפי ומחזירי כרך על גי כרך *circumvolucre solent, & ligare volucrum supra volucrum*; Immo paullo post simili aliquo modum ligandi inlustrans, insuper docet: מצנפת צונף בה כמו שלופף על השבר *Tiara cingit se* nempe Sacerdos, *haud aliter, quam is qui membrum fractum involuit.*

His prorsus gemina reliqui etiam *Judæorum Commentatores* ad *Exod.* XXVIII. suppeditant, Josephus, qui & ipse in istorum castris versatur, *Antiq. Jud. Lib.* III. C. 8. p. 84. de מצנפת sequentia proponit: τῇ δὲ κατασκευῇ τοιοῦτος ἐστὶν, ὡς στεφάνη δοκεῖν ἐξ ὑφάσματος λινέας, ταινίας πεποιημένη παχεῖα, καὶ γὰρ ἐπιτυσσόμενον ῥάπτεται πολλάκις. *Tali quidem ratione fit ut videatur corona, ex tela linea confecta, in modum fasciæ densæ; Etenim sæpius in orbem replicatur, ac consuitur.* Hujusmodi enim formæ Diademata illis, quæ *Orientem* incolebant, Nationibus non olim solummodo usitata fuerunt, sed hodienum quoque *Turci-Persæ* aliique populi, eodem fere amictu capita sua vestire atque exornare adsolent. De Veteribus præter ceteros nos informat Cornelius Tacitus, quando hic *Annalium Lib.* VI. Parthorum *Diademata* cum *Euphratis* fluctibus componit: *Nunciavere*, inquit, *accolæ Euphratem nulla imbrium vi sponte in immensum attolli: simul in albentibus spumis, in modum Diadematis sinuare orbes.* In hunc autem usque diem per *Orientem*, eundem caput operiendi modum dominari nemo nisi rerum peregrinarum prorsus ignarus sit, temere inficiabitur; Neque vero ipsum etiam, nomen Tulbans, quo tegumenta istiusmodi hodie insigniri solent, adeo recens esse videtur, cum a *Radice Arabica* נבט quam arctiori cum צנף nexu conjunctam esse supra evicimus, haud incongrue, derivari istud queat, aptiorque ita vel inde etiam *Tiaræ Sacerdotis*, cum hodiernis *Diadematibus* convenientia reperiri quodammodo, possit.

§. XIX. Duplex apud Veteres Tiararum quibus *Orientis* incolæ quondam utebantur, genus deprehenditur, siquidem aliæ *Depressiores* erant; aliæ vero magis *Fastigiatæ*. Et has ultimas quidem Persarum potissimum *Reges* sibimet adpropriasse, cum reliqui fere omnes depressioribus, quales in modum *Galeæ* efformatæ erant, contegerentur, memoriæ proditum est. Vocabatur autem istiusmodi *Tiara* πῖλος ὀξὺς, vel, τιάρα ὀρθὴ, *Pileus acuminatus, Recta Tiara:* ut Xenophon. de *Expeditione Cyri L.* II. adnotat: τὴν μὲν γὰρ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τιάραν βασιλεῖ μόνῳ ἔξεστιν ὀρθὴν ἔχειν. *Tiaram in capite Rectam gerere soli Regi licet.* Idem etiam *Scholiastes* Aristophanis inculcat per verba: πᾶσι γὰρ πέρσαις ἐξέστε τιάραν φορεῖν, ἀλλ' οὐκ ὀρθὴν ὡς Κλέταρχος ἐν τῇ δεκάτῃ, μόνοι δὲ οἱ τῶν περσῶν βασιλεῖς ὀρθαῖς ἐχρῶντο. *Omnibus quidem Persis licebat Tiaram gestare*

non

non autem rectam, ut Clitarchus Libro Decimo auctor est. Soli enim Reges Persarum erectis utebantur. Clarius hocce discrimen *Tiararum* indigitat Suidas, quando scribit: Τιάρα κόσμος ἐπικεφάλαιος, ἣν οἱ βασιλεῖς μόνοι ὀρθὴν ἐφόρουν παρὰ Πέρσαις, οἱ δὲ στρατηγοὶ κεκλιμένην. Tiara *est ornatus capitis quam soli Reges apud Persas Rectam gestant, Milites autem inclinatam habent. Regiam* ipsam vero *Tiaram* peculiari insuper Fascia quam *Diadema* vocabant, instructam fuisse, ut nimirum capiti arctius illa ita adstringeretur, vel sequens, etiam Xenophontis ex *Cyropæd. Lib.* VIII. locus nos edocet: ἐπὶ δὲ τούτοις ἤδη αὐτὸς ἐκ τῶν πυλῶν προυφαίνετο ὁ Κῦρος ἐφ' ἅρματος, ὀρθὴν ἔχων τὴν τιάραν, καὶ χιτῶνα πορφυροῦν μεσόλευκον (ἄλλῳ δ' οὐκ ἔξεστι μεσόλευκον ἔχειν) καὶ περὶ τοῖς σκέλεσιν ἀναξυρίδας ὑσγινοβαφεῖς, καὶ κάνδυν ὁλοπόρφυρον. Εἶχε δὲ καὶ διάδημα περὶ τῇ τιάρᾳ. *Posthæc autem ipse Cyrus adparebat, ex portis super currum Rectam Tiaram habens, & Tunicam purpuream albo distinctam, [aliis vero albo distinctam ferre non licet] & circum crura Subligacula colore hederaceo tincta, & totum purpureum candya. Habebat etiam Diadema circa Tiaram.* Quod autem *Recta* hæc *Persicorum Regum* Tiara a Κυρβασίᾳ, ad quam supra provocavimus, admodum non discrepaverit eam rem suis quoque suffragiis non pauci confirmant. Suidas ita in Κύρβασις hæc speciatim adnotat: Κύρβασις: ἔνιοι μὲν τιάραν ἣ οἱ μὲν βασιλεῖς τῶν Περσῶν ὀρθῇ ἐχρῶντο, οἱ δὲ στρατηγοὶ ἐπικεκλιμένῃ. *Kyrbasia quam quidam Tiaram vocant, Reges Persarum utebantur Recta, Duces autem inclinata.* Quodsi itaque quid de *Summi Sacerdotis* Tiara hac quoque in parte pronunciandum sit, fateri jam nunc nos ingenue oporteat utique non dissimulamus, quod veritati omnino maxime consentaneum esse videatur statuere, quod *Recta* ista, atque *Fastigiata* extiterit. Posteaquam enim quod supra etiam ubi de *Apice* exposuimus, monebamus Veteres manifestum quoddam dignitatis fastigiique indicium in altis quoque ejusmodi *Tiaris* delitescere arbitrabantur; haud frustra forsitan hariolabimur, quod ad istam quoque dignitatis eminentiam, qua reliquos *Sacerdotes* Summus plurimum superabat, exteriori quodam signo apertius declarandum; hujus Tiara præter ceteras magis *acuminata* esse debuerit. Suppetias huic conjecturæ ipsum etiam מגבעות quod *Minorum Sacerdotum* Tiaras subministrat, quodammodo ferre videri poterat, quoniam originationis intuitu, per idem istud talismodi *Tiaræ*, quæ in clivi modum *depresiores* erant, quales *Sacerdotum* dictorum *Tiaræ* fuerunt, indigitabantur; cum e contra *Summi Sacerdotis* Tiara acutiora montium quasi cacumina schemate suo exhibuerit. Facere etiam hanc in rem quodammodo poterat Josephi testimonium, quo supra albam *Tiaram* hyacinthinum quoque *Pileum* Summum Pontificem gestasse adstruit. Utut enim dubitandi rationes quibus verba hæc laborare videntur, ut ex jamjam dicendis clarius patescet, præsto nobis sint non paucæ; Illud tamen minimum ex his evinci poterat, quod Josephus eam foverit sententiam, quod nostra hæc *Summi Sacerdotis* Tiara *Pileis* ceterorum *Sacerdotum gregariorum* altior omnino fuerit. Addimus his quod Lamina ista Avrea quam ציץ nominant Hebræi capiti *Summi Sacerdotis* similiter adaptari debuerit, id quod tamen commode vix perfici potuisset, si majori mole, & frequentioribus volucris *Tiara* circa caput diffusa fuisset, ut Braunius existimavit. Plurimos interim Tiaræ *Summi Sacerdotis* a *Minorum Sacerdotum* Tiaris differentiam in eo posuisse, quod prior depressior; hæ vero altiores, & ad figuram collis fuerint Hadr. Relandus quoque in *Antiquitatibus Sacris Veterum Hebræorum Part.* II. §. 9. p. 146. adnotat. At enimvero cum præter ea, quæ jam tum monuimus, Chaldæus τὸ מגבעות *Minorum Sacerdotum Pileos*, per כובעין *Galeas*, quæ depressiores erant; Josephus autem per πίλους ἀκώνους *Pileos acumine, & vertice altiori destitutos*, eosdem istos depingat, Summique adeo Sacerdotis *Pileus* in istorum oppositione dubio procul acuminatior fuerit; priorem sententiam de throno suo nondum dejectam esse, sed huc dum potius tantisper, & donec robustiora in medium contra nos afferantur argumenta, triumphare existimamus.

§. XX. Ipsa ceteroquin Josephi verba quibus Tiaræ *Summi Sacerdotis* alium adhuc, & eum quidem *hyacinthinum* Pileum impositum fuisse pronunciat, *Antiq. Jud. Lib.* III. C. 8. in *Codice Græco* p. 86. ita se habent: πῖλος δὲ ἦν μὲν ὁ καὶ πρότερον αὐτῷ παραπλησίως εἰργασμένος ἕτερος δὲ ἐξ ὑακίνθου πεποικιλμένος περιέρχεται δὲ στέφανος χρύσεος, ἐπὶ τριστοιχίαν κεχαλκευμένος. θάλλει δὲ ἐπ' αὐτῷ κάλυξ χρύσεος, κ. τ. λ. *Porro Pileo quali cæteri Sacerdotes utebantur: Super quem extabat alius consutilis, ex hyacintho variatus. Hunc aurea corona tripli-*

triplici ordine circumdabat, in qua ſpectabantur calyculi aurei. etc. Pluribus locum hunc excutere non vacat, maxime cum Fortunatus Schaccus *Sacror. Eleochr. Myroth.* III. C. 40. & 41. inluſtrare eundem, atque explicare ſibimet ſumſerit, qui propterea hoc in negotio potiſſimum conferri merebitur. Nobis interim admodum videtur dubium; Utrum hac in parte Joſepho *Sacerdoti Hieroſolymitano*, & Viro ceteroquin etiam doctrina celebri, ut *Italus* Cl. l. c. illum circumſcribit, fides tuto haberi queat; cum quod ſupra etiam quando circa Tiaræ *colorem* occupabamur; jam tam urſimus; neque *Scriptura S.* neque *Judæi* hyacinthini illius Pileoli mentionem ullibi injiciant, & e contraria potius parte *Tabulæ Sacratiores* non duos ſed unum tantum Pileum confici debuiſſe dilucide adfirment. Utut itaque plane nos non inficiemur, quod ſub ipſis Joſephi temporibus iſtiuſmodi capitis tegumento, quale ipſemet l. c. exhibet *Sacerdos Summus* ſacra peragens incedere potuerit; nondum tamen inde conſequitur, quod tegumentum quoque iſtud *Moſaico* undequaque conforme atque conſonum fuerit; cum uti doctrinæ ita etiam rituum ratio a veteri puritate atque nitore ſuo priſtino Joſephi maxime ætate plurimum deflexerit. Quæ autem de *Corona* ſigillatim *Aurea* adnectuntur, ea vel de *Lamina* iſta, quæ ציץ vocabatur capienda ſunt, quæ Braunii quam *Lib.* II. C. 22. exponit, conjectura eſt; vel quod ob additas varias circumſtantias vero magis ſimile eſt, falſa in ſe prorſus ſunt, atque conficta.

§. XXI. Quod autem porro idem Joſephus l. c. tradit, quod tela quædam inſuper & eum quidem in finem *Tiaram* contexerit, ut ſpirarum atque volucrorum commiſſuræ commode, ne in oculos incurrerent, abſconderentur; illud dogma, ſi juſtis ſuis limitibus includatur, admittendum quadantenus eſſe, exiſtimamus. Ait autem: ἔπειτα σινδὼν ἄνωθεν ἐκπεριέρχεται διήκουσα μέχρι μετώπου τήν τε ῥαφὴν τῆς ταινίας καὶ τὸ ἀπ' αὐτῆς ἀπρεπὲς καλύπτουσα. Quæ ex Gelenij verſione hoc ſibi volunt: *Tiaram ſuperne alia tela tegit, uſque ad frontem deſcendens & per ſuperficiem verticis ſuturarum deformitatem occultans.* Conſona his fere iſta ſunt quæ ex *Hieronymo* adducit Braunius. Ita enim Præſul iſte: *Eſt autem byſſinum, & ſic fabre opertum linteolo ut nulla acus veſtigia entrinſecus adpareant.* In poſteriori autem hocce ſuffragio cum acus mentio injiciatur, tantum abeſt ut admitti hic iſta queat ut ſummopere potius improbanda ſit, cum *Tiara* noſtra non acubus, ſed textoris opere adparata fuerit. Ipſum e contra Joſephi effatum (ſi modo per *compages* atque *commiſſuras ſpirarum*, iſtud interpretemur, quales ipſe ſine dubio, uti recte Braunius monuit, intellectas diſcupit, poſteaquam eo in teſtimonio, quod §. 18. adduximus vocabulum ῥαπτέσθαι, de volucrorum per ligaturam conjunctione uſurpat,) nihil incommodi hac in parte in ſe continere certum eſt. De *peculiari* interim & diſtincto quodam a Tiara *Linteolo* ſi quis *Telam* ab eodem adlegatam accipere velit; iſte & a veritate & ab ipſa quoque *Auctoris* mente longius forſitan aberrabit, quum ut Braunius quoque indicat, per Telam iſtam nonniſi extremam illam *Faſciæ*, quæ Tiaram conſtituebat, partem ad involuendas varias iſtius plicaturas adhibitam ipſe Joſephus hic nobis ſubminiſtret.

§. XXII. In *Veterum* autem *Pileos*, atque *Mitras* ubi curatius quodammodo adhuc introſpiciemus, in iiſdem ſigillatim certas quaſdam Vittas deprehendemus, quas ſibi adjunctas & eam quidem ob cauſſam habuerunt, ut ita ne ſcilicet facile deciderent, commode adſtringi poſſent: præter ea vero quæ cum de *Perſarum Regum Tiaris* commentabamur, hanc in rem jam adducta ſunt, conſederendus hic inprimis erit Virgilius quando canit:

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Non in *Profanis* autem ſolummodo ſed in *Sacris* quoque Vittarum iſtiuſmodi, uſum olim atque olim ſimiliter obtinuiſſe vel inde dijudicatu erit facillimum, quoniam *Sacra*, in quibus Apex *Sacrificulo* decidebat, prorſus inlegitima erant. Luculentiori rem hanc documento ſuo comprobat Sulpitius, poſteaquam hic ipſe, cum Apex inter ſacrificandum ipſi decidiſſet Sacerdotii dignitate plane exutus fuit. *Sulpitio*, inquit Valerius Maximus *Lib.* I. c. 1. *inter ſacrificandum, Apex a capite prolapſus ſacerdotium abſtulit.* Firmiter itaque ut *Apex*, *Titulus* & ita porro capiti adhærerent, adnexa habebant amenta ſive offendices, quæ ſub mento, ne capitum tegumenta deciderent, religari debebant. Erant enim Offendices juxta Titium apud Feſtum, *nodi & amenta quibus apex retinetur & remittitur.* Quod autem in *Sacra* Hebræorum *Tiara* iſtiuſmodi redimicula locum pariter obtinere potuerint, immo potius revera etiam obtinuerint; ipſa

Scri-

Scriptura Sacra duce intrepide nos adfirmare posse autumamus. Expresis enim DEUS verbis severe Mosi *Exod.* XXI. 9. injungit, ut Sacerdotum Capitibus *Tiaras* arctissime adliget וחבשת להם מגבעות *& adligabis ipsis Tiaras*: Hæc autem utut firmiori sua basi ita omnino inniti videantur; inter Eruditos sigillatim tamen Braunium offendimus, qui a *Tiara* nostra amenta quæcunque summovet atque per ipsam tantum fasciam sine ullo alio ligamento *Tiaram* adligari potuisse existimat. At enim vero solertissimum ceteroquin *Antiquitatum Hebraicarum* indagatorem hac etiam, in parte aliquid humani passum, atque lapsum fuisse, vel inde ut credamus, pronum est, quoniam concipi plane non potest, quomodo Fasciarum extremitates si amenta prorsus absint, debite constringi, atque firmari, potuerint. Ipse JOSEPHUS, ne ad hunc scopulum incauti adlideremus, nos commonefacit, quod *Sacerdotum* TIARA ἥρμοσται δὲ ἀκριβῶς ὡς ἂν μὴ περιῤῥυῇ πονοῦντος περὶ τὴν ἱερουργίαν *adaptetur adcurate, ne inter sacrificandum diffluat*; & hoc quidem quod omnino hic supponendum est Vittarum potissimum ministerio. Colorem autem similiter album hasce quoque præ se tulisse ipsorummet vestimentorum, quæ *Alba* nuncupabantur, conditio ut credamus, nobis & hic imperare videtur utut ceteroquin nos non fugiat quod quantum ad *Vittas* Laminæ Aureæ quæ *Cidari* cum Inscriptione קדש יהוה prætendebatur, & quæ in *authentico Textu* ציץ; in *Lexico* autem *Græco-Hebraico* Origenis πέταλον, & ἱλαστήριον nuncupatur, attinet in *Gem. Hier.* Joma XLI. 3. item in Megilla LXXI. 4. *Hyacinthinus color* iisdem attribuatur. Sed cum de *Lamina* hac, & speciatim quoque ejusdem *Vittis* commodior differendi atque commentandi occasio alibi nobis propediem forsitan suppeditabitur argumentum, hoc in medio jam nunc, & intactum relinquimus.

§. XXIII. Tandem & antequam felicem operi colophonem imponimus, strictim hucdum observamus, quod quantum ad usum nostræ *Tiaræ* attinet, iste non promiscuus & communis sed ad *Sacra* reliquarum Albarum Vestium ad instar similiter restrictus fuerit. Cum Vestibus enim Sacris in publicum *Sacerdotes* prodire non debuisse sed in *Tabernaculo* & *Templo* operantibus solummodo easdem prostitisse; nemo arbitror qui ad *Constitutiones Mosaicas* & hac in parte rite attenderit unquam ambiget. Neque vero nobis quicquam obstant ea, quæ *Judæi* ad Jom. VII. m.1. in *Gemara Babyl.* tradunt, quod nimirum בגרי כהונה ניתנו ליהנות בהם *vestes Sacerdotales datæ sint ut usum aliquem ex iis perciperent Sacerdotes*; Siquidem hic ipse usus ex *Gemaristarum* quoque mente extra *Templum* se extendere non debebat, utut extra ministerii tempus in ipso *Templo* tantisper cum istis incedere illi potuerint. Ex Templo interim egredientes *Sacerdotes* ad Vestiarium sive illud *Conclave* in quo Vestes sacræ asservabantur, se recipere sacrumque suum cum quotidiano vestitum statim iterum commutare ibidem oportebat. Aliter plane res cum Flamine Diali apud *Romanos* olim sese habebat, posteaquam huic per *Legem* expressam injunctum fuit, ne sine *Apice* in publicum prodiret. Ipsa Lex quam hoc in negotio, A. Gellius *Noct. Att. Lib.* X. c. 15. nobis conservavit; ita informata erat; SINE. APICE. SUB. DIVO. ESSE. NEFAS. ESTO. SUB. TECTO. UTI. LICET. In caussam hujus rei operosius nos non inquirimus, sed ad solertiores *Rituum Gentilium* indagatores, negotio hocce dimisso, qualem qualem quam super *TIARA SUMMI SACERDOTIS*, adornare nobis integrum fuit, commentationem, B. C. D. jam nunc concludimus.

HENR. ANDREÆ TOEPFFER DISSERT. PHILOLOGICA DE TIARIS MINORUM SACERDOTUM.

§. I. POsteaquam Summi apud Hebræos Sacerdotis מצנפת ſive Tiaram contemplati ſumus, ad reliquorum quoque Minorum ſcilicet Sacerdotum Tiaras ſive *Pileos*, attentiori aliquantiſper conſiderationi noſtræ ſubjiciendos, jure meritoque ſuo jam nunc nos convertimus. Quemadmodum enim ſacri muneris dignitate reliquos ſuperaſſe Pontificem inter omnes ſatis conſtat; ita ſplendidori quoque ornatu Sacra eum feciſſe non Scriptura ſolummodo, verum *Judæi* etiam magno conſenſu comprobant. *Minores* ſane *Sacerdotes* quatuor ſaltim veſtimentis induebantur; cum e contra Pontifex octo, quas בגדי זהב *Veſtes Aureas* vocant, veſtitus, ſacra ſua munia peregerit. Quatuor horum, ut *Femoralia*, *Tunica*, *Balteus*, & *Tiara* Summo Sacerdoti cum Gregariis erant communia; reliqua vero *Pallium* nempe *Ephod*, *Pectorale*, & *Lamina* Pontifici propria. Teſtem hujus rei inprimis advocamus Moſen Maimonidem, qui per ſequens teſtimonium in *Hal. Kle Ham.* cap. VIII. §. 1. negotium ita declarat: בגדי כהונה שלש מינים בגדי כהן הדיוט ובגדי זהב ובגדי לבן בגדי כהן הדיוט הם ארבעה כלים כתנת ומכנסים ומגבעות ואבנט בגדי זהב הן בגדי כהן גדול והן שמנה כלים הרבעה של כל כהן ומעיל ואפוד וחשן וציץ בגדי לבן הם ארבעה כלים שמשמש בהן כהן גדול ביום הכפורים כתנת ומכנסים ואבנט ומצנפת *Veſtium Sacerdotalium tres ſunt ſpecies, Veſtes Sacerdotis Gregarii, veſtes aureæ, & veſtes albæ. Veſtes Sacerdotis Gregarii ſunt quatuor Tunica, & Femoralia, & Pileus, & Balteus. Veſtes aureæ ſunt veſtes Sacerdotis Magni, quarum ſunt octo. Quatuor quæ omnibus Sacerdotibus communes ſunt; præter has, autem etiam Pallium, & Ephod, & Pectorale, & Lamina aurea. Veſtium albarum ſunt quatuor, quibus indutus miniſterio defungitur Sacerdos Magnus in die Expiationis, Tunica, & Femoralia, & Baltheus, & Tiara.* Hoc autem cumprimis obſervatu dignum videtur, quod quando Pileum *Gregariis Sacerdotibus*, cum Pontifice communem fuiſſe dicitur, hoc non de omnimoda intelligi debeat convenientia, ſiquidem ipſa *Scriptura Sacra* haud obſcure aliquod utriuſque diſcrimen indigitat, quando ſub diſtinctis illos nominibus repræſentat. Non enim niſi rariſſime *Sacerdotum* generatim ſpectatorum Pilei nomine מצנפת veniunt; cum alias conſtanter מגבעות, iſti vocitentur; מצנפת autem nunquam plane מגבעות nomine inſigniatur. Noſtri igitur inſtituti ratio illud inprimis a nobis exigit, ut in præſenti de diſcrimine Tiaræ Sacerdotalis a Tiara Pontificali paulo curatius diſpicamus.

§. II. Ad ipſam vero vocem מגבעות cujus ſingularis מגבעה eſt forma quantum attinet neminem *Hebraicarum Literarum* cognitione vel leviter tinctum fugere poteſt, quod incunabula iſtius a radice גבע repetenda ſint. Quamvis vero ipſum hocce thema in *Hebræo Codice* nullibi deprehendatur; ex iis tamen quæ ex eodem ſuam ducunt originem, vocabulis, ſignificatio quoque iſtius dijudicatu erit facillima. Occurrunt ita in *Sacris Literis* גבעה, & גביע notiones, quarum altera *collem*, *levem* ſcilicet *aliquam ex terra eminentiam*; altera autem *Scyphum* aut *Calicem* denotat; Unde ſponte & prono, quaſi alveo fluere videtur, quod גבע, nihil aliud quam *leviter attolli*, ac *elevari* indigitet. Roborat hanc meditationem ipſum etiam cognatum גבה, quoniam hoc inter atque גבע, nulla alia videtur intercedere differentia, quam quod illud quando de altiſſimis uſurpari ſolet montibus *eminentiam altiorem*, hoc vero *depreſſiorem* deſignet. Et ex his quidem tuto me concludere poſſe autumo, quod מגבעה *Mitram aliquantum depreſſiorem, nec nimis faſtigiatam*, quales erant *Galeæ* Veterum, exhibeat. Magnam enim inter גבע & כבע intercedere convenientiam, ex uſu *Linguæ Hebrææ*, vel inde ſatis dilucide adparet, quod *Literæ unius Organi facile inter ſe permutentur*. Eſt autem a כבע כובע *Galea*. Ipſam vero *Radicem* כבע in *operiendi abſcondendique* ſignificatu uſurpatam legi, auctor quoque eſt Ludovicus Thomaſinus in *Gloſſar. Univerſ.* pag. 460. Quæ ſi vera eſt ſignificatio, non ut arbitror aberravero ſi מגבעה, originis ratione habita, *operimentum capitis*

pitis leviter supra caput elevatum, Nobismet exhibere, adseveravero. Chaldæus autenticum per כובעין; LXX. per *κιδάρεις*; Vulgatus semel & quidem *Ex.* XXVIII. 14. per *Tiaras*; alibi vero constanter per *Mitras*; Luth. per *Germanicum Hauben*; Belgæ, teste *Braunio* per *Mussen*; Angli, & Jo. Diodati *Italus*, (qui in locum τῆ מצנפת *Mitre* & *Benda*, substituunt) per *Bonnets*, & per *Capucci*; Josephus vero per *πίλον ἄκωνον*, reddiderunt. Nos *Tiaræ* notionem vel eam ob caussam hic quoque elegimus, quod nomine isto non tantum *Tiaræ Rectæ*, & cum *Apice*, quales ad Summi Pontificis apud *Hebræos* exemplar, qui in *Theocratia* sigillatim Regem & ipse repræsentabat, *Gentilium* Reges gestabant; sed & *Tiaræ* sine *acumine*, quales מגבעות erant, & qualibus apud Gentes *Sacerdotes* incedebant, suppeditentur. Conf. Seneca *Lib.* VI. *de Beneficiis* cap. 36. Xenophon *Lib.* II. *Cyrop.* item etiam Vossius *Lib.* IV. *Instit. Orat.* pag. 475.

§. III. Ad materiam autem harum *Tiararum* sive *Pileorum* quantum attinet, eandem prorsus eam cum illa, ex qua Tiara Pontificalis confecta erat, adeoque linum præstans fuisse ipsa testatur *Scriptura S.* quando *Ex.* XXXIX. 28. nos edocet, quod Bezaleel, & Ahaliab inter alia utensilia sacra etiam את פארי המגבעות שש *ornamenta mitrarum*, i. e. *decoras Tiaras*, sive *Pileos lineos* confecerint. Utut enim vox פארי seorsim posita ipsos pileos denotare interdum soleat, quoniam speciatim isti ipsi multum *Sacerdotibus* adferebant ornamenti; hic tamen, nisi *ταυτολογίας* vitium *Scriptori sacro* tribuere velimus, ista significatio locum non invenit, sed Hebraica potius per *Ornamenta Tiararum* sive *Pileorum* h. e. *Tiaras ornatui inservientes*, ut Mosis mentem rite assequamur, exponenda sunt. Illud notari, insuper hic merebitur, quod cum מגבעות sive Tiaræ *Minorum Sacerdotum* ex שש similiter fuerint adornatæ, istarum materia quoque linum subtilissimum & præstantissimum fuerit; id quod in priori Dissertatione fusius jam tum demonstravimus, unde adeo consequitur, quod utriusque *Tiaræ* sive *Pilei* una eademque materia extiterint.

§. IV. Hoc autem minime hic silentio prætereundum esse puto quod linum illud, si quidem *Judæorum Magistris* fides adhibenda, non aliam ob causam, שש appelletur quam quod ex filo sexies duplicato, quoniam שש *sex* denotat idem istud extiterit. Movit hæc res *Judæos* ut illud discriminis inter בר & שש intercedere statuminent, quod prius sive בר ex *uno* simplici *filo*; posterius, autem sive שש ex *sex* confectum fuerit. Generalem enim hancce proponit regulam Maimonides, *Hal. Kle. Ham. c.* 8. כל מקום שנאמר בתורה שש או שש משזר צריך שיהיו החוט כפול ששה ומקום שנאמר בר אם היה חוט אחד לבדו כשר *Ubicunque, in Lege dicitur* שש *aut* שש משזר *necessario intelligendum est linum e sex filis contextum. Ubicunque autem dicitur* בר, *si unius saltim fili linum intellexeris bene se res habet*. Hisce prorsus sunt gemina, quæ Abarbanel ad *Gen.* c. XXV. observat hunc in modum scribens: שש הוא פשתן מצרי שהוא משבח מאד במינו וכשהוא כפול ששה חוטים ניחיד נקרא שש או שש משזר וכשהוא חוט אחד לבדו נקרא בר כי בר מורה על היחידים כמו שש שמורה על ששה ושם הדבר בעצמו היה הפשתים או בוץ *Schesch est linum Ægyptiacum quod in suo genere est laudatissimum, quando vero illud constat sex filis in unum retortis, vocatur* שש *aut* שש משזר. *Si vero ex unico saltem filo texatur vocatur* בר. *Quia Bad res singulares significat*, שש *autem & שש משזר numerum senarium respicit. Nomen autem rei ipsius in se spectatæ est* פשתים *aut* בוץ *i. e. linum, & byssus*. Ex his autem verbis modo rite ita excutere velimus, illud ulterius deduci atque confirmari omnino poterat, quod non *Gossypium* aut *Xylinum* per שש intelligi debeat, sed *linum* stricte sic dictum, quia nusquam fortasse argumento quopiam comprobatum est, aut comprobari quoque unquam potest quod fila ex *Gossypio* aut *Xylino* ducta sexies repetita fuerint, cum in se ipsa hæc fila satis jam sint spissa atque adeo in rebus subtilioribus texendis, duplicatio toties repetita locum, ut alibi jam tum docuimus, vix inveniat.

§. V. Quemadmodum itaque ut arbitror ad liquidum res perducta est, quod *Tiaræ Sacerdotales* cum Tiara Pontificali communem habuerint materiam & utrisque insuper usus idem fuerit; ita, vero admodum quoque videtur esse simile quod utriusque longitudo forte etiam latitudo una eademque extiterit. De longitudine minimum certiores nos reddere voluit Maimonides per verba in priori quoque *Dissertatione* allegata quæ ita habent: המצנפת של כהן גדול או הדיוט ארכו ששה עשר אמות *Tiaræ Pontificalis & reliquorum gregariorum Sacerdotum Longitudo fuit sedecim ulnas.*

§. VI. Nec minus admodum nobis videtur esse probabile quod eadem quo-

que

que in utraque *Tiara* textura adhiberi debuerit. Judæi quidem ad unum omnes plane hic ſilent, & cum *Scriptura S.* quoque hoc ſuper negotio nil quicquam adnotet, cuncti qui in eruendis hiſce antiquitatibus occupantur, quos nobis quidem conferre licuit, rem hanc prætermittunt & nil quicquam ſuper eadem determinant. Utut autem ut nos judicamus, textura in utraque *Tiara* plane ſimilis comparuerit, tantum tamen abeſt ut peculiaris texendi modus aut ſingulare artificium in conficiendo hoc tegumento fuerit adhibitum, ut vel ex ipſo hoc tam *Sacrorum Fontium* quam etiam *Scriptorum Rabbinorum* ſilentio contrarium potius quodammodo elicere valeamus. A veritate igitur haud alienum fore exiſtimo, ſi adſeverare ſuſtineam quod *Sacerdotalis* Tiara ſimpliciſſimo texendi genere & ita ullo abſque ſingulari artificio, ſive *Phrygionico* ſive *Polymito* quod מעשה ארג *opus textoris* Ebræi vocant, concinnata fuerit.

§. VII. Porro & illud ubi ad harmoniam utriuſque *Tiaræ* tantiſper adhuc attendere velimus, tenendum hic erit, quod cum *Utraque* Faſciam XVI. ulnas, ut *Synagoga* docet, longam ſibimet vendicaverit; plurimis volucris atque plicaturis caput iſta circumcinxerit; quæ res etiam *Ebræorum Magiſtros* inſuper moviſſe videtur, ut nullo prorſus adhibito diſcrimine utramque *Tiaram* ſub מצנפת nomine indigitare conſueverint. Hæc enim demum notio omnium commodiſſima iſtis videbatur, per quam obvolutionem illam, qua caput multis revolutionibus *Tiara* tegere atque circumcingere debebat, indigitarent. Ita enim ſcribit *Rabbi* Moſes Bar Nachman, in ביאור על התורה *Elucidatione ad Legem*: שהמגבעת כמו המצנפת ולכן יזכרו חכמים תדיר בכהן גדול והדיוט מצנפת *Quia* מגבעת מצנפת שׁד *ſimilis eſt*, *propterea ſapientes de utroque Pileo* tam *Pontificis Summi* quam ceterorum *Sacerdotum*, vocabulum מצנפת uſurpant.

§. VIII. Obiter tandem & vel tribus præter hactenus allata adnotamus, quod cum & *Gregariorum Sacerdotum* Tiaræ ſive Pilei capiti quoque, ita ut firmiter iſti adhærerent, nec inter miniſtrandum deciderent, adaptari debuerint; illæ etiam redimiculis quibuſdam (quales in *Pontificali Tiara* conſpicuas fuiſſe ſupra docuimus) ut ſanior minimum ſuadere videtur ratio, inſtructæ fuerint. Imo & illud præterea affirmare haud dubitaverim, quod *Faſciæ* etiam hujus pars ultima expanſa ad obtegendas *Tiararum* hujuſmodi plicaturas fuerit adhibita. Præter Joſephum ſane ipſe Hieronymus quoque loco mox allegando nobis ſuffragatur, quando ſcribit: *In occipitio vitta conſtricta eſt ut non facile labatur ex capite. Eſt autem byſſinum & fabre opertum linteolo, ut nulla acus veſtigia, extrinſecus adpareant.*

§. IX. Atque hæc ita quantum ad iſtam, quæ inter utrumque *Tiaræ* genus intercedebat, attinet convenientiam cum in medium hic adduxiſſe ſufficere poterant; miſſo hoc argumento mentem noſtram dirigimus ad ipſum illud diſcrimen, per quod *Tiara Pontificalis* a *Tiara Sacerdotali* quondam diſtinguebatur. Prolixiori arduum hoc negotium ſtylo proſequi atque inluſtrare jam tum conatus eſt Braunius *Lib.* II. *Cap.* III. §. 15. ſeqq. & *Cap.* XXI. §. 2. ſeqq. qui tamen eo tandem delabitur, ut exiſtimet, quod *Pontificialis Tiara* inſtar dimidiatæ ſphæræ frontem vix texerit; ad formam autem capitis maxime adaptata depreſſior atque humilior quam quidem *Migbaoth*, ſed latior tamen inſimul, & circa tempora ampliori mole inſtar alicujus rotæ propemodum diffuſa fuerit. Cum e contra *Pilei* inferioris ordinis *Sacerdotum* paulo altiores quam caput fuerint, atque huic profundius impoſiti ſuperne inſtar *Galæe* in mucronem exierint. At enim vero ubi hæc, & hiſce gemina animo nobiſcum paulo altius reputamus, plane non comprehendimus quare tam anxie hoc ſuper diſcrimine diſpiciendum, atque in eo demum detegendo tantopere laborandum ſit, poſteaquam *Scriptura S.* momentum hoc nullibi attingit, omniſque adeo ſuper iſto inſtituta criſis firmiori, atque ſolidiori ſua baſi deſtituitur. Si tamen conjecturæ & hic aliquid eſſet tribuendum, vero omnino, quod ipſe etiam Braunius ſupponit, videtur eſſe conſentaneum, ut arbitremur, quod *Summus Pontifex*, ob eminentiorem qua plurimum coruſcabat, dignitatem, etiam qua *Tiaram* ſuam a reliquis Sacerdotibus multum diſtinctus fuerit. In quo autem ceteroquin præciſe Tiararum *Pontificalis* ſcilicet & *Sacerdotalis* differentiæ fundamentum quærendum ſit in eo, ob rationes jam tum adductas a Braunio, nos tantiſper diſcedimus, & ingenue potius fatemur, quod ad eminentiam Sacerdotis S. ſigno etiam externo & in oculos incurrente quadantenus indigitandam, Tiara iſtius præ reliquorum *Sacerdotum Tiaris* altior fuerit, & in faſtigium aliquod notabile ſurrexerit; contraria autem ex par-

parte *Minorum Sacerdotum* Tiaræ in conditionis eorundem inferioris indicium depreſſiores aliquantulum humilioreſque extiterint.

§. X. Et ſane ut rationes, quas in hac atque ac priori Diſſertatione ad confirmandam hancce conjecturam noſtram ſparſim hinc atque inde, jam tum allegavimus, in compendium quaſi contrahamus, ante omnia probe hic notandum erit, quod dignitas totius *Ornatus Pontificalis* capitis hocce ornamento augeri inprimis atque amplificari debuerit. Jam vero ſi *Tiaram Pontificalem* a Braunio fuſius deſcriptam atque depictam cum *Tiara Sacerdotali*, quam idem ille ſiſtit, curatius paulo quis contemplabitur, plus puto decoris iſte in *Gregariorum Sacerdotum* Tiaris ſive *Pileis* utpote faſtigiatis, & quadantenus acuminatis, quam quidem in ipſa Summi Pontificis Tiara depreſſiori, & omni acumine deſtituta ſponte atque haud gravatim reperiet. Admodum itaque e contraria parte vero videtur eſſe ſimile, quod Pontifex, in dignitatis auctoritatiſque, quibus plurimum ſemper florente inprimis *Judæorum* Republica apud ſuos valuit argumentum, Tiara non niſi faſtigiata, & in conum aliquem exſurgente contectus; cæteri vero *Sacerdotes*, qui *Pontifici* ſubjecti erant, depreſſioribus uſi fuerint ut nimirum vel hoc ipſo etiam ſuam & humanitatem, & ſubjectionem *Pontifici S.* teſtatam facerent. Et ſane hæc dum meditor, negotium ut arbitror omne ita diſpono, ut nil quicquam, quod vel improbabile vel a moribus *Orientalium* populorum alienum ſit in medium proponam. De *Perſarum* enim *Regibus* relatum ita ſigillatim legimus, quod in majeſtatis ſuæ ſignum, τιάραν ὀξὺν *Tiaram acutam* in capitibus ſuis ſoli geſtare conſueverint, atque hanc eandem etiam ob cauſam omnibus regimini ſubjectis, qui depreſſioribus uti debebant ſevere, & ſub capitis pœna ne Acuminatas ſive Rectas, uti vocantur, unquam fortean adhiberent, per expreſſam quandam ſanctionem publicam injunxerint. Quin imo ipſis, quoque *Romanis*, qui in omnibus negotiis ordinem adcurate, & alias obſervare ſolebant, eam omnino ſediſſe opinionem, ut *Pileum*, & hunc, quidem faſtigiatum ſingulare decus atque dignitatem capiti conciliare arbitrarentur; vel ex eo etiam ſat dilucide adparet, quod rationem redditurі, cur Flaminis Dialis *Pileus* Apice eſſet exornatus; *ad Sacerdotii eminentiam oſtendendam* illos eſſe repertos, *ſicuti columnæ mortuis nobilibus ſuperponantur ad oſtendendum eorum culmen*: palam ut alibi jam tum quoque monuimus Servio ad *Æn. Virg.* VIII. v. *664.* teſte profiterentur.

§. XI. Cumprimis vero ipſa vocis מגבעת *Etymologia* non parum nobis favet, ſiquidem vel ex hac eadem conjicere nobis haud obſcure licebit (id quod una cum *Judæis* ipſe etiam Braunius ingenue fatetur;) quod *Galearum* ſimilitudinem quoque *Tiaræ* noſtræ præ ſe tulerint. Quodſi autem *Antiqua* inſuper *Monumenta*, *Nummos* item atque alias vetuſtatis reliquias tantiſper conſulere hic velimus; ſuper accuratiori *Galearum* forma penitius ſtatim iſtæ nos informabunt, poſtquam indicio nobis ſunt clariſſimo, quod leviter illæ a capite fuerint elevatæ, adeo ut paullulum ſupra altitudinem dimidiatæ *Sphæræ* aſcenderint. Altiora enim capitis tegumenta & illa quidem inprimis, quæ ex ferro chalybe, & alia materia ponderoſa conſici debebant, majorem omnino militibus propter nimiam gravitatem attuliſſent moleſtiam, quam ut hanc eandem in hoſtilibus potiſſimum congreſſibus ſuſtinere potuiſſent. Et ſane niſi me omnia fallunt, ipſi quoque *Ebræi*, quando *Galeas* ſuas nomine כובע, quod cum גביע magnam habet cognationem, inſigniunt, procul dubio leviorem illam, qua communiter inſtructa erat, eminentiam curatius ante omnia manifeſtare voluerunt. Quemadmodum enim collis leviter adſurgit; ita figura etiam *Galearum*, qualis in vetuſtioribus Monumentis huc dum conſpicua eſt, levem omnino, & vix ſenſibilem eminentiam nobis ſuppeditat. Hunc autem potiſſimum in modum ſpiras & volucra hujus Faſciæ circa caput in conſtituenda מגבעת obvoluta fuiſſe, ut *Galeæ* ſimilitudinem adprime iſta repræſentaret, illud ſuis quoque ipſimet *Judæi* ſuffragiis abunde comprobant. Speciminis loco unicum ſaltim R. Moſis Bar Nachman denuo jam nunc excitabo, quod ita informatum eſt: בכהן הדיוט אמר הכתוב מגבעות ואף היא מצנפת אלא שקושר בה כל ראשו ומעלה הכפלים עליו כעין מגבעת שהוא כובע בדברי אונקלוס כי מגבעת כמו מקבעת כאשר אמרתי בחלופי הגימל והקוף *Quando de tota Sacerdotum turba quæſtio eſt, tunc dicit Scriptura* מגבעות *ſed & ipſum eſt* מצנפת, *niſi quod eo totum caput obnubant, atque ita ſpiras, & volucra obducant, ut referat ſpeciem* מגבעות, i. e. *galeæ ſecundum Paraphraſin Onkeloſi. Ita* מגבעת *diceretur, quaſi* מקבעת *uti diximus de tranſmutatione litterarum*: ג & ק. Hæc autem utut admodum ſpecioſa,

imo

imo adeo clara in se, atque manifesta esse videri poterant, ut dubium vix ullum amplius restet; Braunius tamen l. c. p. 519. illud potissimum adhuc urget quod cum certas quasdam, quæ altiores quodammodo fuerint, apud Veteres quoque obtinuisse comperiamus; *Judæi* ad ultimum hocce *Galearum* genus indicem quasi digitum extendant. Sed cum communior *Galæ* significatus apud hos quoque tamdiu donec per firmiora argumenta specialior demonstretur obtinere debeat; quivis nobis non monentibus sponte percipit, quod laudatus *Belga*, non alium in finem, quam ut ὑποθέσει δουλεύῃ, opinionemque semel præconceptam, quasi nimirum מגבעות altitudine sua *Tiaram Pontificalem* non parum superaverint, distinctionem hancce in subsidium evocare voluerit.

§. XII. Pro nobis interim Josephi militat autoritas, cui licet in omnibus, quæ ad *Judæorum* ritus pertinent, tutior fides ob immensam, cui obnoxia ejusdem scripta fuere, corruptionem, fides adjungi nequeat; tamen cum Braunius in testimonio istius tantopere glorietur, summo quoque jure adversus Braunium saltim eodem illo uti nos posse arbitramur. Quemadmodum itaque iste *Pileum Sacerdotalem* nullo fastigio insignem fuisse *Antiq. Jud. Lib.* III. c. 8. ita scribens: ὑπὲρ δὲ τῆς κεφαλῆς φορεῖ πῖλον ἄκωνον οὐ διικνούμενον εἰς πᾶσαν αὐτὴν, ἀλλ' ἐπ' ὀλίγον ὑπερβεβηκότα μέσης. *Super caput autem gestat Pileum non fastigiatum neque totum caput comprehendentem sed paulo plus quam medium*; aperte declarat; ita Pontificis e contra ornatum delineans hunc in modum ad *Pileum* digreditur, mentemque suam exponit: Πῖλος δὲ ἦν μὲν, ὁ καὶ πρότερος αὐτῷ παραπλήσιος εἰργασμένον τοῖς πᾶσιν ἱερεῦσιν ὑπὲρ αὐτὸν δὲ συνερραμμένον ἕτερον ἐξ ὑακίνθου πεποικιλμένον. *Pileo quali ceteri Sacerdotes utebatur super quem extabat alius consutilis ex hyacintho variatus*. Falli quidem hic Josephum *quando hyacinthinum Pileum vulgari pileo superimposuisse Sacerdotem adseverat*: in *Dissertatione* priori, §. XX. evincere & nos annisi sumus; id quod tamen non impedit, quo minus ex erronea & falsa hac descriptione sententiæ nostræ veritatem κατ' ἄνθρωπον & contra Braunium sigillatim sic satis fortiter tutari valeamus. Ita vero, Vir Cl. ut caussam erroris a Josepho commissi detegat, *Lib.* II. c. 21. p. 795. differit: *Fortassis Josephus aut quis quis ille sit qui verba illa addidit, mentionem fecit de hyacintho, quia lamina aurea vitta hyacinthina capiti alligata erat ut docet Moses, Exod.* XXVIII. 36 *Cum autem lamina ista triplici vitta alligata fuerit fronti, ita quidem ut totum caput, aut si mavis totam Tiaram & circa tempora & in occipite & in vertice cingeret, ut vult Zanchius, non adeo mirum esset, si aliquis diceret mitram hyacintho tectam fuisse*. Quod si igitur *Vitta* illa, quæ *Laminam auream* ad Tiaram adstringebat, *Tiaram* ita cinxit, ut novum quasi quendam *Pileolum* Tiaræ impositum a Pileis ceterorum *Sacerdotum* distinctum exhiberet; Pontificalem sane Tiaram *Pileo* Vulgarium *Sacerdotum* altiorem fuisse fateamur necessum erit. Roboris non parum huic adserto ex eo etiam accedit, quod idem Josephus *Gregariorum Sacerdotum* Pileum ἄκωνον i. e. *non fastigiatum* fuisse insimul pronunciet. Quando autem Braunius *Josephi* mentem ita porro mitigare conatur, quasi dicere is voluisset, quod altior explicatio ista contradictoria & tum demum vera erit cum fastigia sine altitudine & altitudines, absque fastigio reperiantur, id quod autem ad *Calendas* for- *Græcas* ab eodem probabitur.

§. XIII. Ulterius vero cum in sententiæ suæ subsidium *Hieronymi* quoque auctoritatem advocet Braunius, partium mearum existimo ut in illam quoque paulo curatius introspiciam, maxime cum eadem ista nobis favere, Braunio autem (utut vehementer laboret, quo Scenæ scilicet inserviturus, verba ejus in suam detorqueat sententiam,) non parum adversari videantur Verba ipsa *Hieronymi in Epist. ad Fabiolam*. Ita sunt concepta: *Quartum genus vestimenti est rotundum pileolum, quale pictum in Ulysse conspicimus, quasi sphæra media sit divisa, & pars una ponatur in capite. Hoc Græci & nostri* τιάραν, *nonnulli Galerum vocant, Hebræi Mitznephet. Non habet acumen in summo, nec totum usque ad comam caput tegit: Sed tertiam partem a fronte inopertam relinqui, atque ita in occipitio vitta constrictum est, ut non facile labatur ex capite. Est autem byssinum, & sic fabre opertum linteolo, ut nulla acus vestigia extrinsecus appareant*. Agit autem Hieronymus hic locorum de *Pileo* omnium *Sacerdotum*, siquidem ante monuerat, quod quatuor illa, de quibus exponit vestimenta, omnibus *Sacerdotibus* fuerint communia. Idem vero cum Braunius similiter sentiat imo disertis explicatisque verbis suis confirmet eo lubentius nos in hocce, istius suffragio acquiescimus; quo majus sententiæ nostræ robur istud conciliat. Quum enim Hieronymus diserte adstruat,

ſtruat, quod fuerit *Pileus* hic, quaſi ſphæra quædam media diviſa, cujus pars una in capite reponatur; pro noſtra ſane ſententia concludit Braunius, quando ſequentem iſte collectionem inde elicit: *Ergo non eſt Recta Tiara*; & deinde addit; *ut hoc rectius conſtaret, adjicit: Non habet acumen in ſummo, i. e.* ἄκωνον, *non faſtigiatum erat, ut habet Joſephus*. Et ex his quidem ſat dilucide, ut puto apparet, quod depreſſior, & ſine ullo faſtigio *Sacerdotum Vulgarium*, Galerus extiterit. Suo hoc ipſum quoque comprobat calculo Hieronymus, quando docet, quod Pileus hic illi, qui in *Ulyſſe* depingi ſoleat, fuerit ſimillimus. Reſpicit autem *Pater Venerandus* procul dubio ad Veterum plicaturas, quæ *Ulyſſem* pileatum repræſentant, utpote ex quibus omnino adparet, quod idem iſte nobiſcum hoc quoque in argumento, ſenſerit. Rubenius quippe de *Re Veſt. Lib. II. c.* 14. pilæ cujuſdam antiquæ ex marmore in foro Catanenſi injicit mentionem, in qua hiſtoria *Ulyſſis* ſculpta ipſemet autem Ulyſſes cum *Pileo*, quem Rubenius teſte Braunio vocat rotundum, *quaſi ſphæra media ſit diviſa*. Producit inſuper ipſe Braunius nummum aliquem argenteum, in cujus altero latere caput *Mercurii* pileatum adparet; in adverſa vero parte Vir Pileo tectus & baculo curvo innixus cum cane conſpicitur, hac adjecta inſcriptione: C. MAMIL. LIMETAN. Hunc autem Virum ipſummet *Ulyſſem* eſſe partim exinde probat quod C. Mamil. Limetanus ex *Ulyſſe* & *Circe* fuerit oriundus; partim etiam ex baculo illo curvo cui iſte innititur & ex cane adſtante. Excitat hunc in finem potiſſimum Homeri loca, ex *Odyſſ.* P.

> Δὸς δέ μοι εἴ ποθί τοι ῥόπαλον τετμημένον ἐστίν,
> Σκηρίπτεσθαι ἐπεὶ φατ' ἀρισφαλὲ, ἔμμεναι οὐδόν.
>
> *Da autem mihi ſicubi baculum inciſum eſt,*
> *Ut innitar quia, dicitur valde lubricam eſſe viam.*

Et:

> Ὁ δ' ἐς πόλιν ἦγεν ἄνακτα
> Πτωχῷ λευγαλέῳ ἐναλίγκιον ἠδὲ γέροντι
> Σκηπτόμενον τὰ δὲ λυγρὰ περὶ χροῒ εἵματα ἕστε.
>
> *Hic autem in civitatem duxit Regem,*
> *Pauperem triſti ſimilem & ſeni,*
> *Pauculo viventem: mala autem circa veſtimenta indutus erat.*

De Cane vero ſequentia in medium proponit:

> Ἔνθα κύων κεῖτ' Ἄργος, ἐνίπλειος κυνοραιστέων,
> Δὴ τότε γ' ὡς ἐνόησεν Ὀδυσσέα ἐγγὺς ἐόντα,
> Οὐρῇ μέν ῥ' ὅγ' ἔσηνε, καὶ οὔατα κάββαλεν ἄμφω.
>
> *Illic canis jacebat Argus plenus ricinorum,*
> *Jam tunc ſtatim ut agnovit Ulyſſem prope euntem,*
> *Cauda quidem hic adulatus eſt, & aures dejecit ambas.*

Eadem hæc deinceps quoque pluribus confirmat, quando inprimis quod a Veteribus *Pileus* Ulyſſi attributus fuerit, operoſius commonſtrare annititur. Quum igitur hæc bene noſtro quidem judicio ita ſe habeant & in ipſo quoque *Nummo* pileus leviter ſaltim faſtigiatus, & dimidiatæ ſphæræ ſimilis ſuper *Ulyſſis* capite compareat, ſatis manifeſto vel inde etiam conſtare judico quod Hieronymus non Braunio ſed noſtræ potius ſententiæ ſubſcribat.

§. XIV. Ulterius vero dum progreditur Braunius & p. 795. ad Rabbinorum quoque provocat auctoritatem, par erit ut teſtimonia *eorundem* paucis hucdum excutiamus. Maimonidis ad quem cumprimis Vir CL. & hic attendit in *Hal. Kle. Ham.* c. 8. ſunt ſequentia: מצנפת האמור באהרן היא המגבעת האמורה בבניו אלא שכהן גדול צונף בה כמו שלופף על השבר ובניו צונפין בה ככובע ולפיכך נקראת מגבעות *Tiara de qua mentio fit; ubi de Aharone agitur eadem eſt quæ & filiorum ejus: Niſi quod ſummus Pontifex ea involuat caput inſtar alicujus membri fracti, ſed illius filii ſacerdotes, quippe minores involuunt inſtar galeæ.* Excitat præterea etiam Abrahamum Ben David & Aben-Eſram ad *Exod.* XXVIII. quos paria inculcare exiſtimat. Sed enim vero cum *Judæi* ſaltim per ratiocinationes, aut conjecturas ſuper iſtiuſmodi rebus ſuum communiter ferre ſoleant judicium; tum demum eorundem teſtimoniis firmiter inniti nos poſſe arbitramur, ſi aliunde probari nequeat contrarium. Hoc autem cum per ſuperius allata ſufficienter, ut judicamus, præſtitum a nobis fuerit, tantum abeſt, ut propter adductorum *Rabbinorum* teſtimonia a ſententia noſtra dimoveri nos patiamur, ut conſtans potius iſtius patrocinium hucdum in noſmet recipiamus. Imo quando Maimonides conjectat, quod caput Summi Pontificis *Tiara* inſtar membri fracti ligatum fuerit, male inde noſtro qui-

quidem judicio concludit Braunius: *quasi volucrum volucro impositum fuerit in orbem circa caput tantum, ut eo non altius assurgeret, eodem modo, quo vulnus, aut membrum fractum ligari & linteo obvolui solet in eo loco tantum ubi est vulnus, & quidem variis volucris sibi impositis.* Neminem enim ita in Chirurgicis hospitem esse crediderim, qui ignoret quod vulnera ita ligari soleant, ut partes contiguæ, per ligaturas insimul, etiam obtegantur. Ipsum autem Abrahami Ben David testimonium plane contrarium esse Braunio, vel inde elici poterat, quoniam Iste hoc super negotio ita se exprimit: *Ego dico alterum alteri non esse similem. Mitznephet valde longum erat, & convolutum multis volucris instar volucrorum Turcicorum. At opus Migbaoth erat instar nostrorum pileorum, scilicet acuti superne, & breviores erant.* Illa enim, si Abrahamo non fuit mens, quod Migbaoth sine plicaturis caput cinxerint, quod omnino falsum esset, nostræ utique conjecturæ iste favet dum disertis explicatisque eas breviores fuisse verbis pronunciat, quo sensu mentem ejus Cunæus quoque exponit de *Republica Hebræor. L.* II. c. 2. cui Braunius qua par erat soliditate nondum satisfecit. Aben Esræ quod attinet suffragium modo subaccuratius idem istud examen per instituti rationem revocare nobis liceret, istiusmodi haud difficulter etiam includi poterat limitibus, ut illud quoque parum nobis officere videri poterat.

§. XV. Ceterum ne quid reticeamus, inter Criticos recentiores repertus quoque est Gussetius in *Comment. L. Hebræorum* p. 719. qui isti, quam hactenus convellere instituimus opinioni, calculum adjicere non dubitavit. Ita enim suam hic expromit sententiam: מצנפת *accipit a sua radice* צנף *vim compingendi in formam rotundam undique, saltim quantum fieri potest, ita ut aures etiam ipsas continuisse, & ad genas maxillasque caput ambiisse videatur. Ad* מגבעות *vero quod attinet, figuram collis imitari censebantur, & adeo magis acclives & fastigio quodam extante non nihil a rotunda capitis forma recedentes, prout nec ad malas quod attinet eas complecti, se produnt dominatione sua.* Sed enim utut magnam veri speciem hæc præ se ferre, & ingeniose admodum excogitata esse videantur; tamen cum multis adhuc dubiis illa verbi צנף qua *in formam rotundam undique compingere*, denotare dicitur significatio subjecta, & hæc eadem a Gussetio nondum satis comprobata sit, nostræ tamdiu nos inhærebimus conjecturæ, donec certiora rem omnem in tuto magis collocantia argumenta in medium producantur.



CHRI-



CHRISTIANI LUDOV. SCHLICHTER
DISSERTATIO
DE LAMINA AUREA PONTIFICIS M.
EJUSQUE MYSTERIO.

SECTIO I.

§. I. INter vestes sacras quibus Pontifex Max. (τῶν μεγίςων πραγμάτων κύριος ut Dionysius *Halicarn. lib. II.* loquitur) sive sacris in templo operaturus sive Deum per Urim & Thummim in Sanctuario consulturus induere se tenebatur atque exornare, lamina aurea fronti ejus per vittas hyacinthinas applicata locum occupabat omnino non infimum. In lingua Sancta appellatur ציץ, quæ vox omnem cœteroquin *florem* & quidem *apertum* designare solet. Ratio hujus nominis autem ex ipsius laminæ figura peti debet, cum fuerit כמין טס זהב *instar folii aurei*, ut Doctores Hebræorum in *Gemara Succa* fol. 5. 1. scribunt. Interpretes quoque Græci idcirco πέταλον verterunt, id est *folium in amplitudinem expansum* quod *Eustachius* a πετάζειν *aperire pandere* derivat; licet usum illius vocis latiorem haud ignoremus: nam πέταλον aliquando est folium aureum & bractea aurea imo ab Arabibus, Coptis & Chaldæis pro cingulo, ornamento, folio aureo, & auro ipso sumitur, unde etiam Paraphrastes *Chaldæus* voce פטלון pro כתם utitur Job. 28. 16. 19. & 31. 24. vid. *Steph. le Moyne* Varia Sacra tom. II. p. 26. Porro lamina Pontificis נזר הקדש *corona Sanctitatis* dicitur Exod. 29. 6. Levit. 21. 12. sicuti quoque JOSEPHUS antiquit. VII. 2. ςεφάνω *coronam* eam appellat. Neque omitti debet nomen prorsus singulare, quando in lexico græco-hebræo *Originis* ἱλαςήριον audit. Occasionem sine dubio dederunt verba Spiritus S. Exod. 38. 8. unde lamina hæc *expiare* quædam dicitur in *Gem. Hier.* JOMA 39. 1. docente RELANDO Antiq. S. *veterum Hebr.* Part. II. cap. I. §. 10. add. ZEBHACHIM 8. 12. & *menachoth.* 3. 3. Et certe laminam gerebat Pontifex M. cum peccatorum remissionem impertiretur iis, qui sacrificia Deo obtulerant. Itaque *adire laminam Sacerdotis Summi* nihil aliud erat, quam peccatorum remissionem petere. Videtur autem creditum, laminan splendore suo singulari remissa peccata indicare, qui nullus vel obscurior erat præsentibus impiis, ut observat *Jo. Alb.* FABRICIUS ad Cod. *apocr.* N. T. tom. I. p. 77. Quod posterius tamen suo relinquimus loco, simile quid de responsione per Urim & Thummim data a qui-

quibusdam pronuntiari solere haud ignari. Lege sodes BUDDEUM Hist. Eccl. V. T. tom. 1. p. 562. HOLMIUM de *Scriptura* seu *Scriptione* c. 2. §. 28. 29. apud CRENIUM in analect. *philolog. hist. crit.* p. 423. sq. atque loca KIMCHII & aliorum ab *Acolutho* p. 423. diligenter adducta.

§. II. Materia*, ex qua lamina illa conficiebatur, est זהב *aurum* quod claritate & splendore suo oculos hominum præstringit. Apud Arabes enim verbum זהב denotat *oculos habere præstrictos*, proprie ex auri fulgore unde etiam pro *claritate cœli* nomen זהב usurpatur Job. 37. 22. vel ut ABENESRA ad hunc locum scribit: pro זוהר השמים הדומה לעין זהב *fulgore cœli, qui auri splendori similis est*, & pro הרוח שהיא זכה כזהב *aere, auri instar puro*. [2] Cum tamen vox זהב latioris sit significationis, & plurimæ ubivis inveniantur auri species, hinc ne aurum ignobilius in laminæ nostræ materiam cooptatum esse, quisquam existimet, epitheton illud טהור emphatice adjectum legitur. LXX. per καθαρος reddunt. In literis S. nec non in scriptis Hebræorum de auro igne purgato occurrit. vid. Exod. XXV. 11. & ABARBANEL in comm. ad leg. qui aurum מזקק שבעתים *septies purgatum* explicat. Alii intelligunt aurum quod licet in ignem denuo conjiciatur, tamen de pondere suo nihil perdit, ab omnibus scoriis jam liberum. Imo tanta utriusque vocis vis est, ut rem impermixtam denotent, unde καθαρος cum ἄρκατος, ἀμιγης & ἀκήρατος copulatur, atque טהור sumitur de suffitu, cujus puritas in eo consistebat, ut nihil a quoquam adderetur, præter id, quod in lege sancitum, neque ut a quoquam quid subtraheretur, imo imprimis ut caveretur, ne quid, quod lege immundum erat declaratum, maxime mel, ipsi admisceretur; nec non de candelabro, quod absolute dicitur המנורה הטהורה, non ideo, quia a Sacerdote quotidie purum reddebatur, ut RASCHI censet ad Levit. 24. 4. sed quia aurum ejus cum alio metallo non debebat esse permixtum, uti Clar. *Opitius* recte pronuntiat. Confer, si lubet, *decimas meas Sacras* observ. XI. §. 1. & adde auctoribus ibi excitatis *Jo. ab Hamm* de *ara inter*. P. I. c. 2. §. 5. *Jo. Drusium* observ. lib. IV. cap. 15. & *Christianum Brunigium*, Virum doct. cui nuper ex schola *Crucenacensi* ad ministerium S. Ecclesiæ Reformatæ *Manheimensis* evocato, largam a summo Numine benedictionem apprecamur, in diss. de *Propitiatorio* p. 9.

§. III. Formam laminæ quod attinet, de ea codex S. nihil habet. Magistri Hebræorum in *Gem. Succa* fol. 5. 1. scribunt eam fuisse דומה כמין טס של זהב ורחב ואורך שני אצבעות ומוקף מאזן לאזן instar *folii aurei, duorum digitorum latitudinis & longitudinis, ab aure ad aurem*. add. Gem. שבת fol. 63. 2. Et *Josephus*, testis αὐτόπτης, adeoque fide dignus addit triplicem ordinem caliculorum aureorum non frontem, sed partem capitis posteriorem ambientium, quales videntur in herba, quæ σάκχαρος vocatur. Græci ὑοσκύαμον appellant: antiquit. lib. III. cap. 8. Mentem ejus in tabula accurate delineavit *Hermanus van de Wall*, Theologus apud Amstelodamenses eruditissimus, in libro supra jam memorato. Atque hæc delineatio mihi semper verior visa est figuris aliis, minus accurate expressis, qualis est illa, quæ in versione Gallica Josephi cernitur, & quam oculis nostris etiam subjecit *Bernh. Lamy* in opere laudato fol. 371. Notari hac occasione meretur error singularis variorum Interpretum, qui laminam apici tiaræ Pontificis applicare solent, cum tamen frontem ejus tegere debuerit: nam tiaræ apex non vocari poterat frons Sacerdotis, neque hac ratione lamina frontale dici potuisset, si fronti non adhæreret; quid? quod ipse *Maimonides* in libro de *vasis Sanctuarii* scribit Sacerdotis summi capillum inter laminam & tiaram comparuisse, quod fieri non potuisset, nisi fronti illa lamina fuisset applicata. Cui suffragantur R. *Levi Ben Gerson* & alii apud *Theod. Dassovium* in diss. de *imaginibus rerum Hebræarum, quæ nostra ætate circumferuntur*. Thes. VII. p. 16. ex quo varia repetit *Theoph. Amelius* ad *loca diffic. V. T.* Part. II. p. 282. sq. in notis.

§. IV. Singulari attentione vero digna sunt verba illa קדש ליהוה, quæ inscriptionis loco laminam Pontificis M. exornarunt. Doctores Hebræorum quoad inscriptionis modum in diversa abeunt, quibusdam in *Gem. Hierosol. Joma* fol. 41. 3. contendentibus verba illa unica tantum serie laminæ fuisse inscripta, aliis in *Gem. Succa* fol. 5. 11. *Gem. Schabb.* & alibi, pro duplici linea pugnantibus, & quidem ita, ut יה׳ occupaverit finem lineæ superioris, & קדש ל׳ initium inferioris, hoc modo:

יהוה
קדש ל׳

Id quod non satis observasse videtur Cl. *Braunius*, dum verba illa perpendiculariter

riter supra se invicem ponit, eam ob rem notatus a *Dachsio* ad Cl. *Succa* p. m. 13. Verum nos lites illas superfluas non moramur, haud ignari, eas superstitiosæ nominis יה venerationi originem suam debere; nam ut Cl. *Relandus* in libro de *spoliis Templi Hierosol.* p. 133. recte observat, verba hæc ordine præpostero scripta fuisse, quidam autumant, ut nomen Dei sanctissimum obtineat primum & supremum locum. Neque parum superstitionem illam evertit testimonium R. *Eliezeris*, filii *Jose*, qui, imperante Hadriano, cum R. Akiba floruit. Ita autem scribit testis hic fide dignissimus: אני ראיתיו ברומי וכתוב עליו קדש לה' בשיטה אחת *ego vidi* (hanc Romæ laminam) *cui unica tantum linea inscripta erant verba* קדש לה'. in *Gem. Succa* fol. 5. 1. Significationem emphaticæ hujus inscriptionis quod attinet, Viri docti ob varium לְ apud Hebræos usum, quo vel genitivum, vel dativum indicare solet, non uno modo eam explicant. Plurimi cum *Luth. Piscatore*, *Belgis*, *Lundio* & *Lampio* genitivum amant. Sunt tamen alii, quibus Dativus non displicet: v. g. *Jo. Ligtfootus* Opp. tom. 1. fol. 682. & *Steph. le Moyne* in diss. de *Jehovah justitia nostra* ad Jer. 23. 6. p. 90. *Sanctitas Domino*. Godwinus: *Sanctum Domino* Mos. & Aaron. lib. I. cap. V. §. 5. *Arias Montanus* in *Aarone*, sive de vestibus S. *Sanctus Domino* Bibl. crit. tom VI. p. 638. Ven. *Jo. Henr. Michaelis* in bibliis *Halensibus* ad hunc locum: *Hic Deo sacratus*. Et *Uhlenbergius* in versione germanica: *Heilig dem Herrn*, alios ut taceamus. Nostro quidem judicio, sive hunc sive illum sive utrumque elegeris casum perinde erit. Sensus utrinque congruus est atque fœcundus; imo haud ineptam nec textui S. inconvenientem censemus interpretationem in ablativo casu: *Sanctitas a Jehova* ut doceatur Deum esse unicum omnis Sanctitatis fontem adeoque ab ipso solo eam expectandam esse atque indesinenter expetendam. Est enim notio hæc ל non solum apud Syros maxime usitata verum etiam Chaldæis & Hebræis non peregrina, quemadmodum ex *Salomone Glassio* & *Ludov. de Dieu.* docet *Dilherrus* dissertatt. eadem tom. II. p. 120. sq.

§. V. Ut autem memoria inscriptionis hujus perennis esset, verba illa קדש לה' insculpta erant *sculpturis sigilli.* Ex. 28. 36. quæ locutio etiam invenitur Ex. 28. 11. ubi nomina duodecim filiorum Israelis binis lapidibus onychinis, qui humeris Pontificis M. alligandi erant, hac arte insculpta leguntur. LXX vertunt γλύμμα σφραγῖδος, *cælaturam sigilli*. Onkelosus: *scripturam distinctam secundum cælaturam sigilli*. Jonathan: *sculpturam impressam*, & *distinctam similiter, ut sculptura sigilli*. Huc etiam spectat interpretatio R. *Salomonis* ad Ex. 28. 36. *incisæ erant literæ*, *quemadmodum incidunt sigilla annulorum*, *hoc est*, *annulos sigillaritios*, *quibus obsignant literas scriptura nota* & *explicata*. vid. *Zornius* in *bibliotb. antiq. exeg.* p. 334. Tota ergo phraseologia tum firmitatem & duritiem, tum elegantiam sculpturæ indicare videtur. Ad firmitatem respicit verbum פתח, quod in multis verba *findendi* imitatur. Sic Jes. 28. 25. dicitur יפתח וישדר ארמתו *aperiet* (proscindet) & *offringet terram suam*, ubi פתח primam arationem, multo labore conjunctam, שדר autem secundam designant, unde *Raschius* ad hunc locum scribit: בתחלה הוא עושה תלמים רחבים וסוף הוא עושה תלמים קטנים; *initio facit sulcos latiores*, *postea vero minores*: conf. *Christ. Schœtgenii* antiquitatt. trituræ p. 84. Cant. VII. 12. occurit de uva prima, quæ flore decidente apparere solet, פתח סמדר *fidit grossulus*, id est prorupit, locutione Arabibus usitata. Denique Zach. XIII. 1. de fissione vel ebullitione fontis ex petra, sive ex loco saxoso usurpatur, ubi Messias dicitur *fons apertus*, id est fissus & scaturiens. LXX. διανοιγόμενος. Quem significatum confirmat usus Arabum in voce aliqua, quæ exponitur, *aqua ex fonte manans*, docente *Alb. Schultens* in *animad. philol.* ad h. l. imo uberius eum explicare in diss. de *fonte Siloab* c. IV. promisit doct. *Olpius* in dissert. de *Jeschurune* Deut. XXXII. 15. pag. 47. in notis. Ad elegantiam refero vocem חותם, quæ annulum significat signatorium, vel potius sigillatorium, qui ornatus caussa in dextra gestabatur. Propius ad hanc elegantiam facit usus vocis hujus apud Arabes, utpote qui rem longe excellentissimam ea exprimere solent. Sic Galenum, *Principem illum Medicorum* & *Criticorum Antesignanum*, judice *Jo. Faes* in obelo peregrinitati communionis peregrinæ Clar. *Tilemanni* fixo p. 2. Bremæ 1694. (8). Vocant *sigillum medicorum*, id est, excellentissimum, & Mahomedem *sigillum Prophetarum* & *Apostolorum*, id estj maximum, qualis post ejus excellentiam non amplius extiturus est, ut eleganter observat cel. *Schultens* animadv. philol. ad *Job.* IX. 7.

§. VI. Usus laminæ aureæ erat varius. Primarium, qui ad expiationem

pec-

peccatorum ſpectabat, ſupra §. I. indicavimus. Huic autem ſubjungi poſſunt plures, ex emblemate auri, nec non ex divina ipſius laminæ inſcriptione dimanantes, ut videlicet qualitates, in Pontificis M. perſona valde neceſſariæ, eleganter exprimerentur. In Theologia ſymbolica aurum gerit emblema

1) *pulchritudinis* Pſ. XLV. 10. Prov. XXV. 11. & alibi. Scriptores exteros aureum pro pulchro dixiſſe, docet *Taubmannus* ad *Virg. Æneid.* X. 16.[3] In Pontifice M. V. Teſt. formæ externæ ratio habebatur, hinc *Maimonides* in כלי המקרש c. V. §. I. ita ſcribit: כהן גרול צריך שיהיה גרול מכל אחיו הכהנים בכח בעשר בחכמה ובמראה *Pontifex M. debet eſſe major omnibus fratribus ſuis Sacerdotibus, corporis elegantia, robore divitiis, ſapientia, & aſpectu, vel coloris pulchritudine.*[4]

2) *ſapientiæ divinæ*, docente Cl. *Tillio* in Zoologia S. p. 153. hinc etiam ſub auro, quod Cameli Arabum ad Eccleſiæ uſum ſecundum Jeſ. LX. 6. apportaturi erant, ſingularis Kedarenorum ſapientia forſan comprehenditur, judice Rev. *Jov. Herm. Gronau* in diſſ. de *tentoriis Kedar* ad Pſ. CXX. 5. Sect. 2. §. 5. Nec non *eloquentiæ ſtupendæ*; quo ſenſu *Symmachus* lib. III. epiſt. *aurum Tullianum* eloquium & vim orationis Tullii vocavit. An vero per aurum, quod Deus Apoc. III. 18. emere ſuadet, nervus & vis ſermonum Chriſti notetur, uti quidem exiſtimat *Ludov. de la Cerda* in ſcholiis ad *Pſalterium Salomonis* apud *Jo. Alb. Fabricium* in Codice *Pſeudepigr.* V. T. Vol. I. p. 999. alii judicent. Ad ſapientiam veram ex verbo Chriſti conceptam refert Cl. *Ludov. Wolters* diſſ. II. de *menſa & panibus propoſitionis* p. 64. Sed ego potius veram & ſolidam fidem, quæ ſuſtinere poſſit afflictiones, cum plurimis Interpretibus intelligo, vel *theſauros fidei & caritatis*, ut *VVitſius* ſcribit in *miſcell.* S. tom. 1. p. 700. Pontifex M. ſapientia major debuit eſſe omnibus fratribus ſuis, teſte *Maimonide* l. c. quamvis ſub finem templi ſecundi ſæpius fuerint ſtupidi, ita ut nocte ante diem expiationis dicere illis neceſſe habuerint: אשי כהן גרול קרא אתה בפיך שמא שחכת או שמא לא למרת *Domine Sacerdos magne*[5] *lege tu ipſe, forſitan oblitus es, aut forte nunquam didiciſti.* Joma I. 3. ad quem locum ita *R. Obad. de Bartenora*: במקרש שני היו צריכין לכך שהיו מעמירין כהן גרול שאינם מהוגנים על פי המלכות האלו במקרש ראשון לא היו מעמירין כהן גרול אלא הגרול שבכהנים בחכמה בנוי בכח ובעשר *Templi ſecundi tempore opus habuere his* (Senioribus verba legis Pontifici inculcantibus); *Conſtituebant quippe Pontifices M. minus idoneos decreto regio; templo tamen primo durante Pontificem non conſtituebant, niſi majorem Sacerdotibus reliquis Sapientia, pulchritudine, virtute & divitiis.* vid. præter *Seringhamium* ad *Joma* c. 1. §. 3. *Relandus* antiq. hebr. P. II. cap. II. §. VII. & *Joh. ab Hamm.* de *ara interiore* P. II. cap. III. §. VII.

3) *Sanctitatis* ad quam inſcriptio laminæ nos quoque ducit: hinc nova Hieroſolyma *tota aurea* eſt Apoc. 21. 18. hinc homo interior ſanctitati ſtudens ornatui *aureo* opponitur 1. Petr. 3. 3. Ipſi gentiles Viros probitate conſpicuos λείψανα τȣ͂ χρυσȣ͂ γένȣς *aureæ propaginis reliquias* dixerunt apud *Diogenem Laertium* lib. IV. c. 22. ubi plura exempla attulerunt *Caſaubonus* & *Menagius*, Commentatores præſtantiſſimi vid. Cl. *Lampius* ad Pſ. XLV. p. 372. ſeq. Atque hæc virtus in Pontifice V. Teſt. erat maxime neceſſaria, unde in Sanctuario ſæpius percuſſi a Deo leguntur, quod vel inepti eſſent vel impii. conf. Lev. 16. 2. 3. imo Doctores Hebræorum ſcribunt Pontificem ex adyto exeuntem idcirco feſtinaſſe, ne populo anxie expectanti timorem injiceret. *Maimon.* ad *Schekalim* cap. V. m. 1. Idem conſtat ex Iudæorum ſaltem quorundam ſententia Pontificem M. qui non ea vitæ Sanctitate probitateque eſſet, ut Spiritus Sanctus in eo habitaret, ad reſponſa per Urim & Thummim recipienda non fuiſſe aptum. Ita enim diſerte Gemarici in מסכת יומא cap. VIII. 3. כל כהן שאינו מרבר ברוח הקרש ושכינה שורה עליו אין שואלין בו *omnis Sacerdos qui non loquitur per Spiritum Sanctum & ſuper quem Deus non habitat ſua præſentia, cenſetur ineptus ad interrogationes.* con. Cel. *Jo. Fr. Buddeus* in *Hiſt. Eccl. V. T.* tom. I. p. 563.

[1] De ea latius diſſeruerunt *Bernhardus* ad JOSEPH. antiq. lib. III. cap. VII. Cl. BRAUNIUS aliique cit. ab *Acolutho* in libro de *aquis amaris* p. 432. in notis, & in *Muſ. Brem.* Vol. II. p. 226. Addi velim *Bernh.* LAMY lib. III. de *tabernac. Moſ.* fol. 492. ſeq. 496. ſeq. & *Hermannum van de* WALL de *tiaris* Pontificis M. & Sacerdotum Hebræor. pag. 502. ſqq. Promiſit etiam hoc de argumento ſpeciatim commentari *Henr. Andr.* TOEPFFER in diſſert. de *tiar. Summi Sacerdotis* p. 55. ſub præſidio Cl. WICHMANSHAUSENII habita Witteb. 1722 verum, an commentatio

tatio illa in lucem prodierit, dicere non habeo.

[2] Vid. *Alb.* SCHULTENS in *Animadv. philol.* ad *Jobum* p. 30. 141. KROMAYERUS de *usu linguæ Arabicæ* p. 94. LOCHNERUS in diss. de *Cherubinis* p. 15. & *Christian. Aug.* HAUSEN de *Hierosolymis aureis* (Schabb. cap. VI. m. 1.) pag. 6.

[3] Add. *Barthius* ad *Claudian.* p. m. 21. & 719. *Biblioth. Brem.* tom. III. p. 250. *Jo. Henr. Majus* obs. S. Part. II. p. 109. *Jo. Arntzenius* de *colore & tinctura comarum* cap. I. §. 5. cap. V. §. 8. & *Græbelius* ad Hugonis *pia desideria* p. 291.

[4] Vid. *Braunius* in *select. S.* lib. 3. cap. 2. §. 24. *VVitsius* in *Miscellan. S.* tom. I. p. 480. & *Lampius* ad Ps. XLV. exercit. III. p. 105.

[5] De hac formula allocutionis legi possunt, quæ nos disseruimus in *decimis* S. obs. XLVIII. §. 1. & Viris doctis ibidem excitatis addi meretur *Joh. Uriemoet.* in *miscell. philol.* p. 11.

SECTIO II.

§. I. MOdo longe excellentiori autem eximias quas modo memoravimus qualitates deprehendere licet in eo quem Pontifex V. T. vestibus sacris indutus, & plusquam regia magnificentia illustri præfiguravit. Messiam ejus antitypum esse Judæi gens cœteroquim cœca jam dudum agnoverunt: hinc distinguere solent inter Pontificem M. *inferiorem* & *Supernum* (id est ut Apostolus appellat τὸν ἐπέρανιον) qui sit Michael Archangelus offerens animas justorum ad instar quotidianorum sacrificiorum, quæ igne consumuntur. Testimonium hujus confessionis plane eximium ex *R. Menahemo Ricanat* in leg. f. 112. 1. 131. 3. exibet Cl. *Jac. Rhenferdus* in observatt. ad *loca hebr. N. T.* §. 29. *Opp. philol.* p. 724. sq. Nobis vero qui Christo nomen dedimus eumque tanquam Pontificem nostræ confessionis submisse exosculamur ea de veritate haud dubitare licet. Ille qui toties ab Apostolo in epist. ad Hebr. Pontifex vocatur, quævis eximia quibus Pontificem V. T. fratres suos antecellere debuisse vidimus præ consortibus suis Ps. XLV. 8. omnino habet:

α) longe *pulchrior* est filiis hominum v. 3. pulchritudine excellit præ millenis Cantic. v. 9.

β) *sapientia*, qua toties totiesque auditores suos abripuit in stuporem eructans mysteria, quæ a seculo abscondita fuerant, nemo mortalium ei par æstimari debet. *In ipso thesauri sapientiæ divinæ latent.* Col. II. 3. Est suprema Sapientia, a Salomone elogiis tam magnificis celebrata, cujus est dicere sine ulla specie arrogantiæ inanis: *meum est consilium, & quicquid est; mea est prudentia &c.* Prov. VIII. 14. Est antypus Salomonis, qui sapientissimus Regum & Rex inter sapientes cluit, & de quo literæ S. sine hyperbole affirmant: *sapientior etiam fuit omnibus hominibus.* 1. Reg. IV. 30. sqq. hinc erat δύνατος ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ *coram Deo & omni populo.* Luc. XXIV. 19. & docebat ὡς ἐξουσίαν ἔχων Matth. VIII. 29. Rectius de eo, quod Philostratus de Apollonio suo lib. I. c. 17. scribit, affirmare possumus: δόξαι βραχέαι καὶ ἀδαμάντιναι, κύρια τὰ ὀνόματα καὶ προσπεφυκότα τοῖς πράγμασι καὶ τὰ λεγόμενα ἦχω εἶχεν, ὥσπερ ἀπὸ σκήπτρου θεμιστευόμενα. *Sententiæ illius breves erant & adamantinæ, voces autem maxime propriæ, & rebus convenientes, & quæ ab eo proferebantur, sonitum quendam velut regia edicta habebant.* conf. lumen illud Berolinensis Ecclesiæ, *Jac. Elsnerum*, in *observatt.* S. ad *Matthæi* loc. cit.

γ) *sanctissimus* est Dan. IX. 24. cui Seraphini acclamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus est Jehovah exercituum.* Jes. VI. 3. hinc, cum in terris versaretur, Sanctitas singularis in toto vitæ ejus curriculo elucebat. Sanctificabat ipsemet nomen Patris sui dilecti, idemque a populo suo omni seculo volebat studiose fieri. *Nemo ipsum peccati arguere poterat.* Joh. VIII. 46. non *enim peccavit, nec inventus fuit dolus in ore ipsius:* 1 Petr. 2. 22. testibus ipsis gentibus, Pilato, ejusque uxore, Centurione & tot aliis: Hanc Christi & fidelium sanctitatem per laminam auream, ejusque inscriptionem, proxime depictam fuisse, judicat B. *Lampius* in *myst. fœd. grat.* P. III. p. 1053. Subjungi adhuc merentur duo alia, in quibus Pontificem V. T. non modo implevit, sed & longissime superavit. *In eo nimirum est nomen* יהוה. Ex. XXIII. 21. conf. Hebr. 1. 3. imo est ipse Jehovah Deut. 33. 29. Jes. 28. 5. Jer. 23. 6. &c. non diffitentibus ipsis Judæis antiquissimis, quorum testimonia diligenter collegit Ven. *Christ. Bened. Michaelis* in dissert. de *nominibus Christi divinam ipsius naturam designantibus* p. 6. sqq. [1] Respectu Sacerdotii æterni est *victima pro peccatis nostris* Ex. 28. 38. 1 Joh. 1. 5. *sanctificans se ipsum pro nobis* Joh. 17. 19. *nostra justitia & sanctitas* 1. Cor. 1. 30. hinc Pontifex V. T. in fronte gessit laminam, signum imaginis divinæ, quæ constat sanctitate & justitia Eph. 4. 24. quia Sacerdos verus, Salvator noster optimus, amis-

... amissam illam imaginem restituturus esset. Ps. 110. 4. Rom. 5. 18. ut eleganter observat *Jo. Botsaccus* in *promptuario allegoriarum* S. n. 22. [2] Et Talis, talis, inquam, nos decebat Pontifex: Hebr. VII. 26.

§. II. Atque hic Salvatoris optimi Spiritus exerere se debet in quibuscunque Ecclesiæ Christianæ Doctoribus, imo in iis, qui ad ministerium S. se præparant, ut arctissima, quam munus apostolicum ad universum Christi Sacerdotium habet, & cui Pontifex V. T. ornatu illo Sacro indutus egregie prælusit, relatio eo melius exinde patescat; & licet *impares sint gressus, licet diversa sit gratiæ mensura, in summa tamen rei convenire oportet cum prodromo, qui vestigia legit, cum exemplari exemplum*, ut magnus quidam Theologus pie alicubi monet. Minime dignus est Doctoris Evangelici titulo, nisi qui ipsemet per sanguinem Jesu Christi pretiosissimum, & gratiam Spiritus Sancti in diebus Ecclesiæ N. T. largissime effusi vere regenitus, qualitates ac virtutes insignes, supra a nobis memoratas, per totam vitam exerere, aliisque quavis occasione, publice & privatim, serio eas commendare & inculcare allaborat. Optime *Bernhardus*, Abbas Claræ-Vallensis, Doctor ille in Ecclesia antiqua *oris mellifluі & Pater o sanctitate commendatissimus*, judice Cl. *Jo. Faes* in libro de *Hebdomade M.* p. 63. *potentiam in Scripturis*, & *sanctitatem vitæ*, qualitates ministris Ecclesiæ maxime necessarias commendans, ita differit: *quomodo in pascua divinorum eloquiorum educet dominicos gregos pastor idiota? Sed &, si doctus quidem fuerit, non autem bonus, verendum, ne non tam nutriat doctrina uberi, quam sterili vita noceat*, in Serm. LXXVI. ad *Cant.* in fin. Sint igitur Doctores non plumbei, sed aurei, eruditione justa & sacra, eloquentia pia, prudentiaque simplici, denique moderatione & honestate vitæ insignes 1 Tim. III. Tit. I. [3] Sapientiam & Sanctitatem ipsi petant, aliosque petere discant a Deo, unico illarum virtutum fonte. Ps. 43. 3. Jac. 1. 5. Gestent Sanctitatem Domini in corde, gestent in fronte, ut sancti sint, sicut Deus sanctus est, & ut lux eorum coram hominibus luceat Matth. V. 16. 48. 1. Petr. 2. 12. Breviter, sed nervose admodum, piam eruditionem per typum laminæ aureæ depictam describit *Hermannus Witsius*, Theologus longe celeberrimus, *Theologum* vocans, *qui solida Dei & rerum divinarum cognitione, ipso Deo Magistro, imbutus, non verbis duntaxat, sed & universo vitæ suæ instituto admirandas Dei virtutes celebrat, totusque adeo ad ipsius gloriam est*; in oratione inaugurali de *vero Theologo*, Franequeræ A MDCLXXV dicta, quæ in *miscellaneorum* ejus S. tomo II. p. 850. sqq. extat, & ab omnibus S. Theologiæ Studiosis, piæ eruditionis cultoribus strenuis, sæpius legi meretur, ut genuinam veri Theologi indolem, & qua via ad tam sublimem sapientiam proficere possint, optime noscant. *Simplicitatem in Christo* denique, Homini Theologo adeo necessariam, & per aurum laminæ præfiguratam, quam tanto opere atque conatu animis Corinthiorum 2. ep. 2. 3. D. Apostolus commendat, elegantissimis ejusdem Viri Cl. verbis sub finem orationis laudatæ inculcabimus *Simpliciter loquere, non persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione Spiritus & potentiæ totamque institutionem tuam eo dirige, ut discipuli tui non vanis phantasmatibus mentem repleant, sed ædificentur in fide, exardescant in charitate, splendescant in Sanctitate, & assurgant in similitudinem Dei. Utinam, utinam aliquando in Academiis sancta illa, & tot piorum votis expetita theologica tractandi methodus vigeat, quæ non in cassa sidat contemplatione, non in litigiosa disputationum jurgia evanescat, sed vivida luce in mente rutilet, vegeto calore cor accendat, & Naziræos nostros in typum cœlestium veritatum quasi transfundat*. Et quidem non immerito! Quid enim juvat Sacram Theologiam frigidis istis argutiis fœdare? cum divina Dei Majestas & summa sapientiæ vis in divinæ dictionis simplicitate ubivis enitescat. Eleganter *Picus* eruditissimus *Comes Mirandulanus*: *non movent, non persuadent hæ literæ, sed cogunt, agitant, vim inferunt. Legis rudia verba & agrestia, sed viva, sed animata, flammea, aculeata, ad imum Spiritum penetrantia, hominem totum potestate mirabili transformantia*. conf. *Alb, Schumacherus*, Theologus magnus, in oratione inaug. de *Simplicitate, quæ est in Christo*, Bremæ A. MDCCIV. habita, ubi virtutem hanc cœlestem *summam religionis & sanctioris Theologiæ arcem* recte appellat. Vim hujus verbi olim expertus est quidam philosophus, qui ex suis principiis contra Christianos disputans ab Ethnicismo non fuit liberatus, sed cum Senior quidam Laicus S. S. verbis illum invaderet, gladium Spiritus agnoscens in hæc verba erumpebat: *donec verbis*

mecum

mecum gesta res est, verba verbis opposui, & quæ dicebantur, dicendi arte subverti. Ubi vero pro verbis virtus processit ex ore dicentis, non potuerunt resistere verba virtuti, nec Homo adversari potuit; teste *Ruffino* Hist. Eccl. lib. I. cap. III. apud Zach. *Grapium* differt. 4 de generatione Messiæ æterna pag. 3. O terque quaterque beatos Theologos, qui sic in doctrina æque ac vita puritatem castitatemque virginalem perpetuo sectantur intemeratam, strenui imitatores primi in N. T. Evangelii præconis, Johannis Baptistæ, cui ipse veritatis summus testis hoc testimonium dedit Joh. V. 35. ἐκεῖνος ἦν ὁ λύχνος ὁ καιόμενος καὶ φαίνων: in quæ verba eleganti omnino epigrammate olim lusit B. Lampius, Theologus pietate ac eruditione illustris:

Fax ardens lucensque fuit, qui prætulit ipsi
Justitiæ Soli *Luciferoque facem*.
Arsit amore sui, cui cessit *lampada*, Sponsi:
Doctrina *lucem* sparsit & eloquio.
O utinam Christo venienti in vespere mundi
Præferret similes docta caterva *faces*.


[1] Et alii a me laudati in *decimis S.* obs. XVIII. §. 1. p. 165. in notis.

[2] Plura de mysterio Laminæ aureæ, cum judicio tamen bene seligenda, habet *Mich. Baumanus* in *analectis typicis* p. 539. sq.

[3] Ipsi gentiles a Sacerdotibus suis perpetuam requirebant sanctitatem. *Ego quidem ita censeo*, inquit *Demosthenes* in orat. contra *Androtionem*, *eum qui fana ingressurus, & lavacra & sportas attacturus sit, & rerum divinarum curationi præfuturus, non certum modo dierum numerum castum esse oportere, sed per totam vitam &c.* Vid. *Jo. Behm*, nunc Professor *Regiomontanus* Clarissimus, in diss. elegantissima de *lotione in obeundis sacris Gentilium, Judæorum & Christianorum*. §. 2. Regiomonti 1715.

[4] Sub præsidio Jo. Fechtii habita Rostochii 1694.





BALTHASARIS SCHEIDII OLEUM UNCTIONIS.

P R O OE M I U M.

INter omnia veteris divini cultus κειμήλια, *instrumenta & ornamenta præcipuo loco, merito ponendum est, sacrosanctum illud unctionis oleum; ratione habita, primo, singularis auctoritatis, Dei solenniter instituentis illud, & præparari jubentis; & artis insignis hominum egregiorum illud præparantium: nobilissimæ deinde materiæ, ex qua præparabatur: insuper modi selectioris, quo conficiebatur, & raritatis eximiæ, qua nullum simile huic vel confici, vel usurpari promiscue, severe præcipiebatur: adhæc sacrosancti, amplissimique usus, cui destinabatur; utpote, quo uno & solo, omnia atque singula, divino cultui, ex rebus animatis, æque ratione præditis, atque inanimatis instrumentis, unice dicata, sanctissime consecrabantur: fœcunditatis denique uberrimæ, qua Novi Testamenti mysteria, divini præsertim sanctique spiritus gratiam, & Chrisma, quo Christiani initiantur, consecrantur, & ad vitam æternam confirmantur, clarissimo typo præsignificata, ob oculos ponebantur. Ut merito, sicut tunc oleum hoc unctionis pretiosissimum fragrantissimumque omnium in se animos atque nares attractas; summa jucunditate afficiebat; ita & nunc adhuc naribus animisque eruditorum optime olere, ejusque* διατριβῆ *atque trita commotione, aliis odor ejus & diffusior, & gratior reddi debeat: cum aromata, unguentaque quo magis trita moventur, hoc plus ampliusque oleant. Quare arbitratus sum me operæ-pretium facturum esse, si olei illius unctionis indolem, atque officium accuratiori quadam commentatione enarrarem, cum ex codice Biblico, tum ex tractatibus Talmudicis & scriptis Rabbinorum, in quibus de eo ex professo agitur, quorum, sive veram sive fabulosam hac de re antiquitatem, hactenus plerosque Christianorum latentem, & sub spissis Talmudici textus tenebris profunde reconditam; prima hac vice Latinitate donatam a me, publicæ Christianorum luci exponam, tanquam parvum aliquod specimen, & velut de mari guttam, suo tempore, si Deus*

volet

volet & occasio feret, sequuturi magni operis in universa Biblia, ex Toto Talmud, libro, ut constat, immani; a me hactenus, aliquot annorum spatio, insumtis haud exiguis studiis, collecti, dispositi & ad finem jam, Dei gratia, perducti, quod penes me habeo, sub titulo, Nuclei Talmudici. Faxit Deus Opt. Max. ut, quod nobis in præsenti exercitatione agere propositum est, ejus ipsius spiritus oleosa gratia cœlitus nostris animis, labiis atque manibus affluente, influente & effluente uberrime, oleum suum sapiat, sibique gloriosum & gratum, & Ecclesiæ ipsius utile atque delectabile sit: bene ei oleat, atque hac ratione oleum & operam non perdamus.

§. 1. FUit hoc שמן המשחה *oleum unctionis*, inter eas sacras res, quas Deus Mosi fieri præcipiebat tum, cum erat apud ipsum in monte Sinai 40. dies & noctes; ut constat ex Exod. 25. ubi prima in sacro codice olei hujus fit mentio. Ibi enim Deus jubebat Mosen, ut, redux factus e monte ad castra Israelitarum, præter alia, ab eis etiam spontanea oblatione contribui peteret, v. 6. *aromata, ad oleum unctionis*.

§. 2. Postea, cum ordinem sacerdotalem certis ritibus inaugurari Deus Mosen jubebat, in eodem monte, hanc ei instructionem dabat Exod. 29. 7. *Et accipies oleum unctionis, & superinfundes capiti ejus* (Aaronis) *& unges eum*. Iterumque repetitur v. 21. *Et accipies ex sanguine, qui est super altari, & ex oleo unctionis, & sparges super Aaronem, & super vestes ejus: & super filios ejus, & super vestes filiorum ejus, cum ipso, & sanctus erit ipse, & vestes ejus; filiique ejus, & vestes filiorum, cum ipso*. Et cap. 31. significatis Mosi artificibus, Bezaleele, Oholiabo, aliisque sapientibus, quos eum in finem sapientia donarit, ut eorum opera, cum alias res sacras, tum hoc oleum unctionis, confici curaret; dicebat v. II. *Et oleum unctionis & suffitum aromatum, in sanctitatem, secundum omne, quod præcepi tibi faciant*.

§. 3. Materia, modusque ejus conficiendi, & usus; eidem ibidem expositus his verbis: Exod. 30. 22, *Loquutusque est Dominus ad Mosen, dicendo*: v. 23. *Et tu accipe tibi aromata, caput, seu præcipuum: myrrhæ libertatis*, 500. *& cinnamomi aromatis, semissem ejus*, 250. *& calami aromatis* 250. v. 24. *Et casiæ*, 500. *in siclo sanctitatis; & olei olivæ, Hin*. v. 25. *Et facies illud, oleum unctionis sanctitatis, unguentum unguentationis, operæ unguentarii; oleum unctionis sanctitatis erit*. v. 26. *Et unges eo tentorium conventus, & arcam testimonii*. v. 27. *Et mensam & omnia vasa ejus, & candelabrum, & vasa ejus; & altare suffitus* v. 28. *Et altare holocausti, & omnia vasa ejus; & labrum & basin ejus*. v. 29. *Et sanctificabis ea, & erunt sanctitas sanctitatum: omne quod tangit ea, sanctum erit*. v. 39. *Et Aaronem, & filios ejus unges, & sanctificabis eos, ut sacerdotio fungantur mihi*. v. 31. *Et ad filios Israel loqueris, dicendo: oleum unctionis sanctitatis erit hoc mihi, in generationes vestras*. v. 32. *super carnem hominis non ungetur; & in forma* seu *summa ejus non facietis, quale hoc est: sanctitas illud est; sanctitas erit vobis*. v. 33. *Vir, qui arte unguentarii conficiet quale hoc est; & qui dabit de eo super alienum: & excidetur e populis suis*.

§. 4. Hoc præceptum Dei, in monte Sinai acceptum, Moses, cum inde descendisset, fideliter exsequutus legitur, jubens Israelitas offerre Exod. 35. 8. *aromata ad oleum unctionis*. Ipsique etiam artifices sapientes, ut jussi erant, dicuntur confecisse v. 15. *Oleum unctionis*. Materiam vero ipsam, ad olei istius confectionem necessariam, perhibentur principes populi attulisse, v. 28. *Et aroma* &c. *ad oleum unctionis*. Quo significare voluit Spiritus Sanctus, rem pretiosissimam, raramque fuisse, non vulgo apud promiscuam plebem inveniendam. In specie commemoratur Bezaleel illud confecisse Exod. 37. 29. *Et fecit oleum unctionis, sanctitatem*, &c. *opere unguentarii*. Quod & reperitur in peculiari operum sacrorum factorum catalogo, Exod. 39. 38. Unde manifeste colligitur confectionem ipsam non factam esse manu Mosis.

§. 5. Hoc oleo unctionis confecto, Moses a Deo jubebatur ungere omnia ad cultum pertinentia; his verbis: Exod. 40. 9. *Et accipies oleum unctionis, & unges tabernaculum, & omne, quod est in eo, & sanctificabis illud, & omnia vasa ejus, & erit sanctitas*. v. 10. *Et unges altare holocausti, & omnia vasa ejus, & sanctificabis altare, & erit alta-*

altare sanctitas sanctitatum. v. 11. *Et unges labrum, & basin ejus, & sanctificabis illud*. v. 12. *Et propius accedere jubebis Aaronem & filios ejus* &c. v. 13. *Et unges eum, & sanctificabis eum, & sacerdotio fungetur mihi*. v. 14. *Et filios ejus propius accedere jubebis*, &c. v. 15. *Et unges eos, sicut unxisti patrem eorum, & sacerdotio fungentur mihi: & erit, ut sit illis unctio eorum in sacerdotium perpetuum, in generationes eorum*.

§. 6. Hujus præcepti exsequutio facta describitur Lev. 8. 1. &c. *Ubi Moses jussus a Deo* v. 2. *accipere Aaronem & filios ejus, & vestes, & oleum unctionis*, &c. *in conspectu totius Ecclesiæ Israeliticæ*, v. 10. *accepto oleo unctionis unxit tabernaculum, & omnia quæ erant in eo, & sanctificavit ea*. v. 11. *Et aspersit de eo super altare, septies, & unxit altare, & omnia vasa ejus, & labrum, & basin ejus, ad sanctificandum ea*. v. 12. *Et effudit de oleo unctionis super caput Aaronis, & unxit eum, ad sanctificandum eum*. v. 30. *Et accepit Moses de oleo unctionis, & de sanguine, qui super altari, & aspersit super Aaronem, super vestes ejus; & super filios ejus, & super vestes filiorum ejus, cum ipso: & sanctificavit Aaronem, vestes ejus; & filios ejus, & vestes filiorum ejus, cum ipso*.

§. 7. Hujus olei unctionis custodia præcipue commendata erat Eleazari filio Aaronis, tanquam res præstantissima, custodi præstantissimo, qui, promotis castris, illud secum ferre jubebatur, Num. 4. 16. Atque hæc sunt, quæ in Scriptura Sacra de hoc oleo unctionis prodita legimus apud Mosen.

§. 8. Talmudici Doctores de eo tradunt sequentia. In Tract. Schekalim f. 9. 1. & Horajoth fol. 11. 2. *Ex quo recondita*, vel *abscondita est arca* 2. Chron. 35. 3. *reconditas est cum ea urna Mannæ, lecythus vel lenticula olei unctionis, virga Aaronis, amygdalæ ejus, & flores ejus, & capsula, quam miserunt Palæstini, donum Israeli, pro reatu, Deo Israelis* 1. Sam. 6. 8. *Quis autem recondidit illam? Josias. Postquam videbat scriptum esse in Lege* Deut. 28. 36. Abducet Dominus te, & regem tuum, &c. *Ideo jubebat, ea recondi: quia dicitur* 2. Chron. 35. 3. Et dixit ad Levitas &c. *Dixit ad illos: si migret in exilium vobiscum arca, postea non rediret in locum suum reducta humeris vestris. Quare præcipiebat eam recondi. Et abscondita est confectura olei unctionis. Duodecim erant Logi, in quo elixabantur radices, ut sentit R. Meir R. Juda dicit: Elixabat Moses radices illas aqua, & infundebat oleum desuper, ut in se reciperet odorem, circum agitando illud: ad modum quo faciunt, qui miscent inter se aromata: quia dicitur* Ex. 30. 25. Et facies אותו illud oleum unctionis, &c. In Tr. Kerithuth f. 77. 2. & Horajoth f. 12. 1. Ubi eadem fere leguntur; adducuntur argumenta quibus colligitur cum arca, reliqua etiam abscondita esse. *Nempe collatis inter se locis* Exod. 25. 22. Cap. 29. 43. Cap. 16. 33. *quia scribitur* Exod. 25. 22. Et conveniam te ibi &c. *Et scribitur* Cap. 29. 43. Et conveniam te ibi, &c. *Et scribitur de urna Mannæ* Exod. 16. 33. Et pone ibi: *colligendum inde est, quod, sicut arca est recondita: ita etiam urna Mannæ sit recondita. Item ex* Exod. 16. 33. *collato cum* Num. 17. 25. *Quia scribitur de urna Mannæ, quod recondebatur in custodiam in generationes vestras*, Exod. 16. 33. *Scribiturque de virga Aaronis* Num. 17. 25. In custodiam, &c. *Unde colligitur, quod, sicut Mannæ urna est recondita: ita etiam virga Aaronis sit recondita. Item ex* Exod. 16. 33. *collato cum* Exod. 30. 31. *quia scribitur de urna Mannæ* Ex. 16. 31. Et repone eam coram Domino, in custodiam, in generationes vestras. *Et scribitur de oleo unctionis*, Exod. 30. 31. In generationes vestras: *inde colligitur, quod sicut urna Mannæ est recondita: ita etiam oleum unctionis sit reconditum*.

§. 9. In Tr. Horajoth fol. 11. 2. Mischna *Quis est ille sacerdos unctus*, (qui adducit juvencum per demonstrationem?) *Hic est unctus oleo unctionis. Non is, qui inauguratur per vestes*; (qualiter inaugurabatur summus sacerdos in templo secundo, in quo non amplius præsto erat oleum unctionis) *Nihil autem interest, inter sacerdotem unctum oleo unctionis, & inauguratum vestibus, nisi juvencus, qui venit propter omnia præcepta*, (nam summus sacerdos vestibus inauguratus non adducit juvencum actus latendi) &c. Gemara. *Tradiderunt Rabbini* (Idem repetitur in Tr. Kerithuth f. 77. 1.) *Oleum unctionis, quod fecit Moses in deserto, fiebat, coctis in eo radicibus aromaticis illis, quarum mentio fit* Ex. 30. 23 &c. *ut sensit* R. *Juda* (Nota in Tr. Schekalim sup. §. 8. R. Judæ tribui contrariam sententiam) *R. Jose dicit: Atqui, ne quidem vel ad ungendum eo, has ipsas radices, oleum illud suffecisset; cum ejus tantum* 12. *Logi fuerint. Quare magis consentaneum est, si dicatur:*

Mo-

Mosen initio macerasse radices illas aquis: ut, impletæ aqua, minus olei deinde absorberent: quo facto; infudisse eis oleum, idque, assumto odore abstulisse. Cui dixit R. Juda: Et quid? Num unum tantum miraculum factum est in oleo unctionis? Et annon initio ejus, 12. *Logi olei erant; & ex eo ungebantur tabernaculum, & vasa ejus; Aaron, & filii ejus, omnibus septem diebus inaugurationis, & totum illud perdurabat in futurum seculum: quia dicitur* Exod. 30. 31. Oleum unctionis sanctitatis erit mihi hoc in generationes vestras? *Traditio alia*: Levit. 8. 10. Et accepit Moses oleum unctionis, & unxit tabernaculum, & omne quod in eo erat. *R. Juda dicit: Circa oleum unctionis, quod fecit Moses in deserto, quot miracula facta sunt, ab initio ejus, & usque ad finem? Initio ejus, non erat, nisi* 12. *Logorum olei: considera, quantum abenum absorpserit, & quantum radices absorpserint, & quantum ignis combusserit; & tamen eo unctum fuit tabernaculum & vasa ejus; item Aaron, & filii ejus, omnibus septem diebus inaugurationis: eoque uncti sunt postmodum summi sacerdotes & reges: & licet summus sacerdos, natus summo sacerdote, obligabatur, ut eo ungeretur; cum alioqui non esset summus sacerdos: tamen non ungebant regem, qui patre rege natus erat. Si autem dicas: quare ergo unxerunt Salomonem* 1. Reg. 1. 39. *Respondeo propter controversiam, quam movebat ei Adonias. Quare Joam?* 2. Reg. 11. 12. *Propter Athaliam. Quare Jehoachazum* 2. Reg. 23. 30. *Propter Jehojakimum, qui ætate eum antecedebat. Istud autem oleum perdurat in futurum seculum: quia dicitur* Exod. 30. 31. Oleum unctionis sanctitatis erit זה hoc mihi in generationes vestras. *Vox* זה *hoc, in numeris valet* 12. *quia* 12. *Logi erant istius olei. Dixit Mar* (doctor aliquis Talmudicus:) *Et si vel etiam esset summus sacerdos, natus summo sacerdote; tamen obligatum esse ad unctionem unde nobis probatur? Quia scribitur* Lev. 6. 15. Et sacerdos unctus post ipsum, ex filiis ejus. *Dicere debuisset textus; & sacerdos ex eis, qui post ipsum, ex filiis ejus. Quorsum ergo dicendum erat, unctus? scilicet, ut significaret nobis; quod ex filiis summi sacerdotis, si fuerit unctus, sit summus sacerdos: sin minus; non sit summus sacerdos. Dixit Mar: Quod non ungant regem, natum rege, unde nobis probatur? Respondit R. Acha filius Jacobi: Quia scribitur* Deut. 17. 20. *Ut prolonget dies super regno suo, ipse, & filii ejus, omnes dies. Scilicet, hæreditas sit vobis, seu hæreditarium regnum vocatur. Quare autem unxerunt Salomonem? Propter controversiam Adoniæ. Unde ergo probatur, quod suborta controversia, requiratur unctio; nec omnem pro libitu inter filios faciant hæredem regni? Respondit R. Papha: dixisse textum*, Ibid. Ipse, & filii ejus, in medio Israel. *Scilicet eo tempore, quo pax est in Israel, prædicamus de eo:* Ipse & filii ejus, *& vel etiam absque unctione.* (hoc est, regnum, eo casu, est hæreditarium, nec requirit unctionem: sed cum est controversia, non est hæreditarium, & requirit unctionem.) *Traditur: Etiam Jehu filium Nimsi non unctum fuisse, nisi propter controversiam Joram filii Achabi* 1. Reg. 19. 16. 2. Reg. 9. 6. *sed & excipias eum: ideo, quod ipse erat primus ex sua familia, cum non esset rex, rege natus; carendo caruisset. Et sic traditur: Reges domus David ungebantur; reges Israelis non ungebantur. Unde probatur? Dixit Raba: dixisse textum* 1. Sam. 16. 12. surge unge eum &c. *hic*, (scilicet, qui est regni domus Davidis) *opus habet unctione. Alius autem, non opus habet unctione. Dixit Mar. Etiam Jehu filium Nimsi non unctum fuisse, nisi propter controversiam motam a Joram: & propter controversiam a Joram filio Achab, per delictum abusus rei sacræ adhibitum fuisset oleum unctionis* (quia supra dictum erat; reges Israel non unctos fuisse oleo unctionis) *Res est, ut dixit R. Papha: Balsamo puro unctionem istam factam fuisse; non oleo unctionis. Hic pariter etiam, balsamo puro. Jehoachazum autem unxerunt* 2. Reg. 23. 30. *propter Jehojakimum: quia hic major natu illo erat. Et quid? Num ætate illum antecesserit? Atqui scribitur.* 1. Chron. 3. 15. Et filii Josiæ, primogenitus Johannes, & secundus Jehojakim & tertius Zedekias, & quartus Sallum. *Dixit autem R. Johannes, Unum eundemque esse Sallum, qui Zedekias, Johannes, & Jehoachaz vocetur. In perpetuum* [omnino] *ergo Jehojakim fuerit maximus natu eorum. Quare ergo Johannem vocavit primogenitum? scilicet: quia primogenitus erat respectu regni* (h. e. regnabat primus in ordine.) *Et quid? Num regnent minores natu, ante natu maximum? Atqui scribitur* 2. Chron. 21. 3. Et regnum dedit Joramo: quia ipse erat primogenitus. *Respondeo: Joramum implevisse locum patrum suorum:* (h. e. justum fuisse: & dum adhuc justus erat implebat locum patrum suo-

rum

rum: postea autem degenerabat) *Jehojakimum autem, non implevisse locum patrum suorum. Dixit Mar: Eundem esse Sallum, Zedekiam, Johannem & Jehoachazum. Atqui singuli sigillatim enumerantur: quia scribitur* 1. Chron. 3. 15. Et tertius, & quartus. *Quid*, tertius? *Tertius scilicet respectu filiorum. Quid*, quartus? *Quartus scilicet respectu regni. Quia ab initio regnabat Jehoachaz, postea autem Jehojakim; postea autem Jechonia; postea autem Zedekias. Tradiderunt Rabbini: Eundem esse Sallum & Zedekiam: quare autem vocatum est nomen ejus* שלום *Sallum? Quia erat* משולם *perfectus in operibus suis*. (h. e. Justus, perfectus erat, præditus bonis operibus) *Nam dicunt, Sallum, vocatum esse: quia* שלמה *absolutum* [finitum] *esset regnum domus David in diebus ejus. Quod nam autem erat nomen ejus? Matthania erat nomen ejus: quia dicitur* 2. Reg. 24. 17. Et regem fecit Rex Babyloniæ Matthaniam &c. *Dixerat* (Nebucadnezar) *ad illum* יצדיק יה *justificet Dominus super te judicium, si rebellaveris in me: quia dicitur* Jer. 52. 11. Et adduxit eum Babyloniam. *Et scribitur* 2. Chron. 36. 13. Et etiam in regem Nebucadnezarem rebellavit: qui adjuraverat eum per Deum. *Et quid? Num fuerit oleum unctionis*. (in diebus Jehoachazi: quia paulo ante traditum erat: Jehoachazum unctum fuisse, propter Jehojakimum?) *Atqui Traditio est: Ex quo recondita est arca*, &c. v. supr. §. 8. I. Post quæ hic sequitur: fol. 12. 1. *Dixit R. Papha, Balsamo puro, unxerunt Jehoachazum* 2. Reg. 23. 30. *Tradiderunt Rabbini: Quomodo ungebant reges? Illita nota, quæ instar coronæ esset* (circumcirca caput regis, oleo isto inuncto.) *Quomodo autem sacerdotes? illita nota, quæ instar* כי *Chi* (χ) *esset. Quid est instar Chi? Respondit R. Menaschia filius Gadæ: Instar Caph Græci*. (h. e. χι: quia incipiebat ungere digito suo inter palpebras oculorum ejus, & protrahebat digitum suum super caput, & pergebat, usque dum pertingebat ad cervicem, instar χ Græcorum.) *Traditur: ab initio infundebant oleum capiti ejus; quo infuso, postea indebant, vel inungebant ei oleum inter palpebras oculorum ejus Traditio alia, ab initio indebant illi oleum inter palpebras oculorum ejus: quo inuncto, postea infundebant oleum capiti ejus. Ratio hujus diversæ Traditionis est: quia sunt, qui dicunt; Unctionem præstantiorem esse. Alii autem dicunt; Infusionem præstantiorem esse. Quæ ratio ejus qui dixit; Infusionem præstantiorem esse? Quia scribitur* Lev. 8. 12. Et effudit de oleo unctionis super caput Aaronis (Postea autem demum dicitur;) & unxit eum, ad sanctificandum eum. *Ejus autem qui dixit: Unctionem præstantiorem esse, quæ ratio? scilicet putavit: quia sic tu invenis apud vas ministerii. Atqui scribitur;* Lev. 8. 12. Et effudit: *postea autem demum:* Et unxit. *Respondeo: sic dicere eum voluisse: quare & fudit? Quia jam ante unxerat: & unxit eum ad sanctificandum eum. Tradiderunt Rabbini*. Ps. 133. 2. Ut oleum illud bonum, quod descendit super barbam Aaronis. *Instar duorum* טפי *gutturniorum* (vel guttarum) *margariteorum dependebant Aaroni e barba ipsius, Dixit R. Papha: Quum ipse* מספר *loquebatur*, (alii exponunt: quum se tondebat, quia aufferebat quid de crinibus) *ascendebant illa, & residebant ei in radice crinium barbæ ejus, ne deciderent, resectis crinium apicibus. Propter rem autem hunc Moses solicitus existens, dicebat: forte, quod tamen absit? prævaricatus sum* (h. e. commodum percepi illicitum abusu rei sacræ) *in oleo unctionis*, (quia tetigi illud, cum indui Aaronem.) *Quare ut Moses solicitudine ista supervacua liberaretur egressa filia vocis, hanc vocem edebat*: Ut oleum illud bonum, quod descendit &c. *Hoc est: sicut in rore Hermonis non committitur delictum abusus rei sacræ: ita etiam in oleo unctionis, quod est in barba Aaronis, non committitur delictum abusus rei sacræ. Adhuc autem Aarone solicito existente ejus rei causa; & dicente: Forte Moses quidem delictum abusus rei sacræ non commiserit? ego autem commisero illud?* (h. e. forte cecidit super me ex oleo illo, in locum, qui non decebat oleum istud; atque ita commisi delictum illud abusus rei sacræ) *Quare, ut & Aaron hac superflua cura liberaretur, egressa filia vocis, dicebat ei: ex* v. 1. Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum. *Sicut Moses non commisit delictum abusus rei sacræ: ita etiam tu hac in re illud non commisisti. Tradiderunt Rabbini: non ungunt Reges, nisi juxta fontem: eum in finem, ut diutius potrabatur regnum eorum: quia dicitur* 1. Reg. 1. 33. Et dixit Rex ad Benajam, &c. Et deducetis eum ad Gichon. (Gichon fons parvus erat, vicinus Hierosolymæ: distinctus ab illo magno, qui exibat ex Eden Gen. 2. 13. v. 34.) Et unget eum ibi. *Si quis velit præscire, num protrahendi sint diutius anni sui, nec ne* (diutiusne si victurus,

nec

nec ne;) *accendat lucernam in* 10. *diebus qui intersunt inter principium anni seu novum annum, in novilunium mensis Tisri, seu Septembris incidentem, & diem expiationis, in domo, ubi non spirat ventus, suspensam: si protrahatur lumen ejus; inde præsagium cognoscere poterit, quod prolaturus sit diutius annos suos. Is autem, qui facturus suam negotiationem præscire cupit, num prospere eventura sit, nec ne; educet gallum: si pinguescat, & pulcher evadat; prospere ei illa eveniet. Is qui profecturus, præscire cupit, num sit domum suam salvus rediturus, nec ne surgat in domo tenebrosa. Si viderit umbram umbræ; præsciat, sibi isto portendi quod reversurus sit salvus, & rediturus in domum suam. Non autem e re fuerit, ut hoc faciat; ne forte despondeat animum, si non videat umbram umbræ suæ & mœrore seipsum excruciet, & disrumpat planetam* (fortunam) *suum. Dixit Abbai: Nunc quod dixisti, signum e re fuerit: sit assuetus homo habere, & edere in principio anni cucurbitam; & fænum Græcum, & porrum, & blitum,* (utpote citius aliis oleribus crescentia;) *& dactylos. Dixit R. Maschreschia ad filios suos: Cum vultis ire & discere apud Magistrum vestrum, discite ab initio Michnam, postea autem intrate ad Magistrum vestrum: & cum sederis coram eo; videte os magistri vestri: quia scribitur* Esd. 30. 2. Et erunt oculi tui videntes doctores vestros. *Cum autem legitis, vel discitis Lectionem ex sacro codice, legite juxta fluvium puræ seu limpidæ aquæ: quia, ut protrahuntur aquæ, protrahetur lectio vestra. Et sedete (vel habitate) potius in Sterquilinio urbis* מחסיא *Meschasiæ* (in Babylonia sitæ,) *quam in palatiis urbis* פומבדיתא *Pombeditæ* (ibidem sitæ) *Melior est pisciculus parvus, Gildana dictus, ad comedendum; quam intictum acerrimum, quod diffringit lapides.* 1. Sam. 2. 1. Et oravit Hanna, & dixit: exultavit cor meum in Domino: exaltatum est cornu meum. *Dixit*, cornu meum: *non autem*, פכי lenticula mea exaltata est. *Davidis & Salomonis, qui uncti sunt per cornu, protractum est regnum. Saulis & Jehu, qui uncti sunt ex lenticula,* 1. Sam. 10. 1. 2. Reg. 9. 1. 3. *non protractum est regnum. Tradiderunt Rabbini: Per* משיח unctum Lev. 6. 15. *ne quis putet, forte intelligandum esse regem: ideo notanter dicendum erat*, Sacerdos, Ibid. *Si dictum fuisset* כהן Sacerdos *omissa voce*, unctus: *ne quis putaret, forte intelligendum esse sacerdotem inauguratum per vestes: ideo notanter dicendum erat*, Unctus. *Si dictum fuisset* משיח unctus, *omisso* ה *Emphatico; ne quis putaret, forte intelligendum esse unctum belli: ideo notanter dicendum erat*, והכהן המשיח Et sacerdos ille unctus. *Scilicet, qui non est unctus juxta ipsum, vel pro ipso, ut sit ejus vicarius. Quo sensu id intelligitur? Sicut dixit Raba: Per* הירך femoris illius, Gen. 32. 32. *cum He emphatico notati, intelligitur duorum femorum dexterrimum; adeoque non sinistrum: ita hic etiam, per* המשיח unctum illum, *cum He emph. notatum, intelligitur unctorum dexterrimus, h. e. summus sacerdos. Dixit Mar. Per* unctum Lev. 6. 15. *ne quis putet, forte intelligendum esse regem; Rex juvencumne affert? Imo vero hircum ipse affert: Necesse esse, putasne, me dicere? propter errorem facti, afferet hircum; propter actum latendi rei, afferet juvencum: significare nobis voluit. Nihil interest inter sacerdotem unctum oleo unctionis, & eum, qui per vestes inauguratur*, &c. *Quod hic in Mischna traditur, non est secundum R. Meirum. Nam si R. Meir: ecce Traditio est; Inauguratus per vestes juvencum affert, qui venit propter omnia præcepta: ut sentit R. Meir. Non autem assensi sunt ei sapientes. Quæ ratio R. Meiri? Quia Traditio est: Per unctum*, Lev. 6. 15. *nihil aliud intelligerem, nisi eum, qui unctus est oleo unctionis. De eo, qui inauguratur per vestes unde idem probatur? Quia notanter dicitur* Lev. 6. 15. הכהן המשיח Sacerdos ille unctus &c. Paulo post: Fol. 12. 2. *Tradiderunt Rabini* Lev. 21. 10. Et summus ille sacerdos, ex fratribus ipsius: *per hunc intelligitur summus sacerdos.* Ibid. super cujus capite unctum est oleum unctionis; *per hunc intelligitur, Unctus belli.* Ibid. Et implevit manum ipsius ad induendum vestes: *per hunc intellgitur, inauguratus per vestes. De omnibus illis dicitur*, Ibid. caput suum non denudabit & vestes suas non dissuet. v. 11. & juxta ullas animas defuncti non veniet. *Ne quis putet, forte erunt omnes illi propius accedere facientes lugentes: ideo notanter dicendum erat*, v. 12. Quia corona olei unctionis Dei ipsius, super ipso. *Scilicet* super ipso *non autem super socio, vel collega ipsius. Postquam autem divisit eum scriptura, ne quis putet, forte non erit jussus deducenda in uxorem virgine: ideo notanter dicendum erat* v. 13. Et ipse. *Secundum Tanæos*: Et ipse uxorem in virginitate ipsius ducet: Ibid. *Postquam divisit scriptura, inclusit: ut sentit* R. *Ismael.* R. *Akiba dixit: Nullus mihi alius intelligeretur, nisi qui transiit*

ſiit propter caſum nocturnum ſeminis ſui emiſſi. De eo, qui propter vitia, ſeu maculas, unde idem probatur? Quia notanter dicendum erat: Et ipſe.

§. 10. In Tract. Kerithuth fol. 74. (Baſ. 2.) In Miſchna traditur: *Ob 36. delicta commiſſa, incurritur pœna* כרת *excidii ſeu exterminii, ſi quis ea data opera committat, nulla præcedente præmonitione*: inter quæ enumeratur etiam 32. *ſi quis miſceat oleum unctionis*. Et 34. *ſi quis inungat oleum unctionis*. Ad quæ verba poſtea in Gemara f. 77. (Baſ. 5.) 1. notatur: *ſi quis miſceat, vel conficiat hoc oleum: eo tantum animo, ut modum diſcat, quo factum erat tempore Moſis, ut deinde tradat illud cætui, idque non ſervet, vel uſurpet in privatum ſuum uſum; tum is liber eſt ab hac pœna: ſi autem miſceat eo animo, ut ex eo ungatur; tum reus eſt. Si quis autem alius, qui non miſcuit illud, ungatur, ſeu ungi ſe patiatur ex illo ipſo oleo unctionis Moſaico; tum liber eſt. Ideo, quia non fiunt rei, niſi propter unctionem olei, quod fecit Moſes duntaxat. Dixit Mar. Eum, qui miſceat oleum, eo tantum animo, ut diſcat modum, quo factum erat tempore Moſis, ut deinde confectum reddat cætui; liberum eſſe, unde probatur? Provenit ex* Exod. 30. 33. *collato cum* verſ. 37. *ubi mentio ſit* מתכנתו formæ ſeu compoſitionis ejus; *& ſuffimenti. Scribitur autem de ſuffimento* v. 37. Non facietis vobus. *Scilicet, ſi ſit vobis, ſeu veſtri cauſa privatum in uſum factum; tum hoc eſt, quod prohibetur: ſed ſi quis conficiat illud, ut tradat cætui; tum liber eſt. Ita etiam de oleo colligendum eſt; quod, ſi quis illud conficiat, ut tradat cætui; liber ſit. At vice verſa, ratio ſuffimenti colligi debuiſſet ex oleo. Ut, ſicut ſi quis conficiat oleum ad dimidias partes; liber eſt: ita etiam, eadem ſit ratio ſuffimenti, quod, ſi conficeret quis illud ad dimidias partes, liber eſſet. Ergo dixit Raba; ſuffimenti ratione, ſeu reſpectu, ſi quis illud ita conficiat; liber eſt. Dixit tibi Raba: De oleo ſcribitur*, v. 33. In forma ſeu ſumma ejus non facies, quale hoc eſt. *Si ſit*, quale hoc eſt; *prohibetur: ſed ſi ſit, dimidia pars ejus; approbanda eſſe videtur. De ſuffimento ſcribitur* v. 37. Et ſuffimentum quod facies. *Scilicet, ſi ſit totus actus faciendi. At fieri poſſet, ut ſuffiat partem, vel dimidium mane; dimidium inter duas veſperas. Tradiderunt Rabbini: Oleum unctionis, erat myrrhæ libertatis, 500. cinnamomi aromatis, ſemiſſis ejus, 500. Et calami aromatis, 250. Quæ ſi in unam ſummam omnia colligantur, faciunt*, 1750. *Tannæus dicit: numerum ſcilicet ſignificare nobis vult. Tannæus (alius) ecce ſcilicet obſtat ei. Dicerem: Calami aromatis tantundem fuiſſe, quantum cinnamomi aromatis. Sicut cinnamomi aromatis, ſemiſſis ejus, in* 250. *ita etiam calami aromatis, ſemiſſis ejus*, 250. *ut ſint illis* 2000. *Et dicerem: ita hic pariter etiam eſſe. Reſpondeo. Si ita foret, ſcripſiſſet textus; cinnamomi aromatis, & calami aromatis ſemiſſis*, 250. *Dixit R. Papha ad Abai: Quum ipſe appendit, num per præponderationem ipſe appendit, an oculo in oculo, h. e. ad æquilibrium. Cui ille reſpondebat: Deus ſcripſit*, v. 34. ſolum cum ſolo. *Tu autem dixiſti; per præponderationem: Atqui dixit R. Juda: Deum noſſe præponderationes, ſeu ponderum rationes. Ergo, quia eſt in eis præponderatio cinnamomi aromatis, quare affert ſemiſſem, hujus numeri, quingentorum ducenta & quinquaginta, ut unam vicem* ſeu *ſemel? Et Ribbi pariter etiam: una vice, ſeu ſemel. Poſtquam totum eorum* 500. *ſunt; afferre debuiſſet* 500. *una vice. Scilicet percipio inde, ex eo, quia affert illud, reſpectu cinnamomi aromatis, duaqus vicibus, præponderationem eſſe in eo. Deus Opt. Max. autem novit præponderationes. Quid autem eſt, ſolum cum ſolo? Reſpondit Rabina: ſignificari eo, quod non debeat apponere pondus ponderi, cum ponderabit iſtas ſpecies*. (hoc eſt: appendet ſingula aromata ad pondus ferreum: non autem appendet per numerum myrrhæ libertatis, & poſtea appendet caſiam, ad pondus myrrhæ libertatis &c.) *Tradiderunt Rabbini: Oleum unctionis, quod fecit Moſes in deſerto, fiebat* &c. v. ſup. *9.* ex Tr. Horajoth, ubi, quæ hic ſequuntur; repetuntur, omnia.

§. 11. Ibid. f. 78. (Baſilienſ. *6.*) 2. Ad verba Miſchnæ ſuperiora §. 10. *Et ſi quis inungat oleum unctionis*, &c. notatur in Gemara. *Tradiderunt Rabbini: ſi quis ungat oleo unctionis beſtiam, aut vaſa; liber eſt ab hac pœna: ſi Gentiles, aut defunctos; liber eſt. In pace*, (ſeu extra controverſiam,) *eſt; eum liberum eſſe, qui beſtiam, aut vaſa oleo iſto inungat: quia ſcribitur* Exod. 30. 32. ſuper carnem hominis non ungetur: *cum beſtia & vaſa non ſint homo. Item, ſi quis defunctos inungat; eum liberum eſſe: cum, ſimul ac aliquis moritur, defunctus vocetur; nec amplius homo ſit, ſed ſi quis Gentiles eo ungat, quare liber eſt; cum tamen & hi ſint homines? Reſpondeo; eos non cenſeri pro hominibus quia ſcribitur* Ezech. 34. 31. Vos grex meus, & grex paſcuorum meorum, homo

mo vos. *Scilicet vos Israelitæ vocamini homo: Atqui scribitur* Num. 31. 36. *Et animæ hominis* 16000. *Respondeo: ideo hos gentiles hic vocari homo; ut eo nomine excipiat bestiam. Atqui scribitur* Jon. 4. 11. Plures 120000. hominum. *Respondeo; & hoc dictum esse, ad excipiendum bestias. Aut, si malis, dicam; sicut tradidit Doctor Talmudicus primus R. Eliefer. Quicunque continetur sub ungente*, (hoc est quicunque transgreditur, quum ipse ungit seipsum, aut alios: quia præceptum, de non ungendo, pertinet ad זר alienum Exod. 30. 33.); *continetur sub interdicto: Nequaquam* ייסך *ungetur Exod.* 30. 32. (hoc est: præcipitur aliis, ne patiantur se ab alio ungi) *Et quicunque non continetur sub eo* (seu, qui non transgreditur, quum ipse ungit vel se, vel alios); *neque continetur sub interdicto; ne ab aliis se ungi patiatur. Traditio alia: si quis ungat oleo unctionis bestiam, & vasa: gentiles, & defunctos liber est. Si autem reges, aut sacerdotes.* (Semel jam unctos denuo) *eo ungat; R. Meir eum teneri hac pœna censeo: R. Juda autem, eum absolvit. Quantum autem inungat, oportet, ut reus fiat? R. Meir; si vel quantulumcunque inunxerit. R. Juda dicit: si tantam portionem inunxerit de eo; quanta est oliva. Atqui dixerat R. Juda; ungentem absolvi. Respondeo R. Judam tum absolvere eum qui ungit; si reges, aut sacerdotes ungat: reum autem habere; si idiotas, vel alios vulgares Israelitas ungat. R. Meir, & R. Juda in quonam dissentiunt? Respondit R. Joseph, eos in isto loco dissentire: quia R. Meir putavit, scribitur* Exod. 30. 32. super carnem hominis non ungetur. *Et scribitur* v. 33. Et qui dabit de eo super alienum. *Sicut unctio intelligenda est, de quantulocumque: ita etiam dationem intelligendam esse, de quantulocunque, R. Juda autem putavit: colligi dationem, quæ fit super alienum, ex datione vulgari. Sicut datio vulgaris intelligitur tum esse, si cui detur tanta portio, quanta est oliva: ita etiam præsentem dationem super alienum, ea mensura definiendam esse, si tantum olei ejus dederit, quanta est oliva. Sed unctionem, ad ungendum reges & sacerdotes; quia scribitur, omnem definiendam esse, quantulocunque. Et dixit R. Joseph; In quonam dissentiunt R. Meir, & R. Juda? De regibus & sacerdotibus. R. Meir putavit: Id quod scribitur* v. 33. Et qui dederit de eo super alienum*: valere apud regem & sacerdotem; qui jam,* (post quam semel uncti sunt) *pro alienis habendi sint. R. Juda autem putavit: Requiri a nobis illis verbis, non dandum esse super eum; tum demum, cum quis alienus est ab initio sui, & usque ad finem sui.* (hoc est: prohiberi super eum tantum dari de hoc oleo, qui prorsus est extraneus, & ne quidem ab initio, quum prima vice ungitur; capax est legitime unctionis)*: regem autem & sacerdotem, ab initio non fuisse alienos: cum revera ab initio uncti sint. Dixit R. Ikka: Et concessit R. Meir, his rationibus adductus, in sententiam R. Judæ* &c. Paulo post. f. 79. (Baf. 7.) 1. *Dixit R. Joseph. Controversia est, de datione olei unctionis, & de mutatione, seu diversitate quam diverse tradimus: sed de datione vulgari, communi omnium sententia statui quod ea determinanda sit mensura olivæ quantitatis. Gupha: tradidit aliquis coram R. Eliesere: Quicunque continetur sub ungente; continetur sub interdicto, Nequaquam* ייסך *ungetur* Exod. 30. 32. *Quicumque autem non continetur sub eo* (seu qui non transgreditur in seipso, vel aliis ungendo); *non continetur sub interdicto, ne ab aliis se ungi patiatur. Respondit ei:* v, 32. Non ייסך ungetur; *scribitur. Et legitur;* non יסיך (Glofs. vox יסיך significat; præcipi; quod non ungere debeat, nisi seipsum: non autem, quod non ungere debeat alios: præcipi unum ei, ut non ungat eum: gentilem autem non esse filium præcepti, seu præcepto obnoxium) *Tradidit R. Chanania coram Raba: Unde probatur de summo sacerdote, quod, si acceperit de oleo unctionis, quod est super capite suo, dederitque super intestina sua, reus sit? Quia dicitur* v. 32. super carnem hominis non ungetur. *Dixit R. Acha filius Rabæ, ad R. Aschen: Id quod dixit, undenam est? Nam Traditio est: Sacerdos qui ungit oleo Trumæ, seu debitæ sibi oblationis, filium filiæ suæ Israelitam, volvendo se circumrotat per ipsum, & nil curat, seu nullum sibi ea in re facit scrupulum in conscientia. Dixit ei, ibi,* Lev. 22. 9. Et moriantur in eo: quia profanabunt eum, *scribitur. Scilicet, oleum unctionis, postquam* חללים h. e. *ex profano, non ab utroque parente sacerdotali semine nati sunt; ecce profanatur: sed de oleo unctionis scribitur,* Lev. 21. 12. Quia corona Dei ipsius super ipso &c. *Oleum unctionis vocavit illud Deus: quod etiam si est super eo, tamen non profanetur.*

§. 12. Hactenus verba Scripturæ sacræ, & Talmudicorum de oleo unctionis produximus; nunc quid ex illis, ad nostrum institutum pertineat, exponemus. Nomen ejus est 1. Simpliciter

שמן *oleum*. Apud Talmudicos aliquoties: vel cum ה Emphat. השמן τὸ ἔλαιον, *oleum illud*, κατ' ἐξοχήν; & per antonomaſiam, ſeu ſynecdochen 1. Reg. 1. 39. Eſa. 10. 27. Kimchi: *propter Hiſkiam, qui erat unctus oleo unctionis.* Quorſum forte etiam referas Pſal. 23. 5. Deinde, cum adjectione; שמן המשחה *oleum unctionis*: quæ eſt uſitatiſſima ejus appellatio: ratione petita, ut videtur, ex duplici ejus natura: *olei*; quia ex parte ex oleo conſtabat, & adhuc aliquo modo liquidum erat, ut fundi: & *unguenti*; quia aliquomodo etiam ſpiſſatum erat; ut rebus conſecrandis, inſtar terebinthini, vel alius unguenti, inungi potuerit. שמן *oleum*: a Rad. שמן *pinguis fuit*: quia oleum pingue eſt. Quanquam etiam ipſa balſama, & unguenta apud Hebræos interdum veniant nomine שמן *olei*. conf. Pſal. 141. 5. Prov. 27. 9. Eccl. 10. 1. Cant. 1. 3. Kimchi in Rad. ad שמן Eſa. 1. 6. notat: *Prophetam velle dicere, unctione, quæ convenit vulneri: & ideo, quia imponunt ei oleum, vocatur ita*. 3. שמן משחת קדש *oleum unctionis ſanctitatis, ſeu unctionis ſanctiſſimæ* Ex. 30. 25. 31. quia partim in ſe, ex Dei inſtitutione ſanctum erat: partim res eas, quibus inungebatur, ſanctas efficiebat. 4. שמן משחת יהוה *oleum unctionis Domini* Lev. 10. 7. quia ſingulari ratione Deus ſoli ſibi olei hujus & autoritatem, & proprietatem, ejuſque ſanctificationem vindicabat, nec cum aliis communicare volebat: qua de cauſa etiam 5. שמן משחת אלהים *oleum unctionis Dei*, Lev. 21. 12. nuncupatur. 6. שמן הקדש *oleum ſanctitatis*. Num. 35. 25. שמן קדשי *oleum ſanctitatis meæ* (Domini) Pſ. 89. 21. 7. השמן הטוב *oleum illud bonum* Pſal. 133. 2. hoc eſt, ſingulari & eximia ratione bonum: nobiliſſima bonitate a Deo ei communicata: præſtantia & pretio deinde aromatum, ex quibus erat confectum: ad hæc optima arte, qua præparabatur: inſuper optima fragrantia, quam ex ſe ſpargebat: denique ſanctitate uſus, quo aliis ſanctificandis adhibeatur. An שמן הטוב *oleum illud bonum*, quod Rex Hiskias legatis Babyloniorum dicitur oſtendiſſe 2. Reg. 20. 13. Eſa. 39. 2. hoc ipſum ſanctum oleum fuerit; an aliud aliquod inſigne quidem, quale eſt balſamum, profanum tamen; res non uſque adeo certa eſt. R. David Kimchi in hunc locum ſcribit: *per iſtud oleum 2. Reg. 20. 13. intelligi oleum balſaminum, quod non fuerit in toto mundo, niſi Jerichunte; quæ etiam inde nomen* ירחו *Jericho, a* ריח *odore optimo illius balſami ibi creſcentis, acceperit*. R. Salomo Jarchi notat: *quoſdam hoc accipere de oleo unctionis*. 8. ſecundum Rabbinos, שמן ששון *oleum lætitiæ*, Pſal. 45. 8. Ubi tamen, ſub allegoria olei illius ſuaviſſimi, infinita Spiritus Sancti dona Chriſto communicata, quibus Eccleſia æternum exhilaratur, ſignificantur. LXX. verterunt ἔλαιον τῆς χρίσεως, *oleum unctionis* Exod. 25. 6. Ἔλαιον, ἄλειμμα χρίσεως, *oleum unguentum unctionis*. Ex. 30. 31. Ἔλαιον χρίσματος, *oleum unguenti*, Exod. 29. 7. Μύρον, *unguentum* Pſal. 133. 2. Ἔλαιον ἅγιον, *oleum ſanctum* Sirac. 45. 15. Vulg. modo, *oleum unctionis* vocat: modo *unguentum*, ut Exod. 25. 6. c. 37. 29. ſic Pſal. 133. 2. omiſſo, cum LXX. epitheto, *bonum*. Chryſ. hom. adv. Jud. p. 502. τὸ χρίσμα ἱερατικόν, *unctio ſacerdotalis*. Luth. *Salbol* ſed Pſ. 133. 2. *der koſtliche Balſam*.

§. 13. Summus ejus autor, opifex & artifex erat Deus; qui primum Moſen cum adhuc in monte ſecum erat, conficere illud jubebat Exod. 30. 25. Verum etiam ſpecies, ex quibus; modumque, quo conficiendum erat, præſcribebat, v. 23. 25. Quique animos Iſraelitarum excitabat, ad largiter contribuendum has ſpecies, ut inde confici poſſet: ad hæc operis humanis, & arti benedicebat ſua gratia, vires animi & corporis ſuppeditando, ut recte artificioſeque illud componeretur; compoſitoque benedixit, ut ſuffecerit omnibus illis ungendis, quibus deſtinatum erat. Et, ſi vera eſſet Rabbinorum Traditio, quod tot miraculis illud plenum fuerit, ut ſup. §. 9. gloriantur de eo: ſingularis Dei providentia, & potentia eluceſceret in eo augendo & perpetuo conſervando. Sed de hac ſententia poſtea erit agendum. Hac de cauſa, *oleum unctionis Domini*; Item *oleum unctionis Dei*, vocatur, Lev. 10. 7. c. 21. 12. Deus, tanquam ſuum proprium oleum illud vocat Pſal. 89. 21.

§. 14. Unguentarii, apothecarii, pigmentarii, ſeu confectores, quos Hebræi רוקחים vocant, quorum opera Deus uſus erat, fuit 1. ipſe Moſes, qui mandatum a Deo accepit de eo conficiendo Exod. 30. 23. 25. & ungendo eo, v. 26. Quæ tamen non ita accipienda ſunt, quaſi Moſes ipſe manum operi admoverit, ſpecieſque illas aromatum inter ſe artificioſe mixtas in unguenti formam coxerit. (Quanquam Rabbini id conentur probare, ex Exod. 30. 23. Quia Deus dicat notanter, *Tu, ſume tibi*: quaſi eo ſignificetur, Moſen, ipſum manibus,

ſuis

suis illud, & quidem semel tantum fecisse: Quo argumento Abarbenel comment. h. l. conatur refutare Ab. Ezram, qui contrariam sententiam statuebat): sed, quod ipse præcipuus fuerit negotii hujus ἐργοδιώκτης: qui rem istam Israelitis, nomine Dei, proponebat, ut tales res, quibus opus erat, liberaliter, per modum Trumæ, seu sacræ oblationis, contribuerent Exod. 35. 5. 8. Quare etiam 2. in caussarum ejus numerum veniunt ipsi Israelitæ, qui materiam ejus conficiendi subministrabant v. 21. 22. 28. Ubi tamen specialiter hoc munus aromatum principibus Israelitarum adscribitur: ut merito principale aliquod munus; opusque inde confectum; principale quid dici possit. Rari principes: rara aromata; rara dona; rarum quid, si & ipsi pars fiant spiritualis unguenti, 1. Cor. 1. 26. *Nam non omnium est fides*. 1. Thess. 3. 2. Etsi *Deus velit omnes ad pœnitentiam pervenire*, 2. Petr. 3. 9. speciales confectores unguenti hujus spiritualis sunt ministri Christi, ἱερουργοῦντες *sacro modo operantes Evangelium Dei*. Rom. 15. 16. sicut confectio Mosaici unguenti. Speciatim 3. tribuitur Bezaleeli, Oholiabo, aliisque artificibus, quorum cor Deus singulari tali arte dicitur implevisse Exod. 35. v. 31. 32. 33. 34. 35. Quare nominatim Bezaleel Exod. 37. 39. dicitur fecisse oleum unctionis.

§. 15. Materia ex qua conficiendum erat, describitur Exod. 30. 23. Primo in genere, quod fuerit, בשמים *aromata*. A singulari בשם, vel בשם quæ duplex forma, simul legitur hoc versu: vel בשם Cant. 5. 1. LXX. ἡδύσματα *dulcedines*, vel *condimenta suavia*, ob odoris saporisque suavitatem. Radix hujus vocis in Bibliis non legitur. In Talmudica, Chaldaica & Syriaca lingua בסם est *exhilarare*, *ablectare*, *suave*, *dulce esse*, *aromatibus condire*: unde nomen hoc derivatum significat rem delectabilem, suavitate odoris & saporis gratam, atque jucundam, condiendis rebus adhiberi solitam. Hinc nostrum *Bisem moschus*, ortum. Horum aromatum qualitas denotatur voce ראש *caput*, & metaphorice *principium*, *præcipuum*, *princeps*. Quæ vox alias solet voci שבמים præmitti, ut Ezech. 27. 22. ראש כל בשם *caput*, seu *princeps omnis aromatis*. Cant. 4. 14. ראשי בשמים *capita aromatum*, h. e. præcipua aromata. Quanquam etiam dici posset, voce capitis, respici summos aromatum apices, in quibus plerumque summa aromatum vis solet contineri. Sic Ab: Ezra: *caput*, *seu principium ex omni aromate accipies: quia hoc est præstantius reliquo, quod est in posteriori ejus parte*. Hic autem postpositum per appositionem cohæret, aromata, caput h. e. quæ sunt caput: Kimchi comm. in Psal. 141. 5. שמן ראש *oleum*, *caput*, h. e. *capitale*, seu *præcipuum*: exponit ex præsenti loco; aromata, caput; h. e. quæ sunt caput: id est, primæ notæ. Beer Mos. הייבט ווירץ *Hauptvvurtz* ex R. Sal. Jarchi, חשובים *præstantissima*: Chaldæus, *Aromatum præstantissimum*, Luth. *die besten Specereien*. Tremellius & Junius vertunt quidem etiam; *aromatum præstantissimum*: sed putant, his verbis, non notari genus sequentium specierum, verum distinctam aliquam speciem, nempe, *balsamum*, *omnibus*, *ut loquitur Plinius*, *odoribus prælatum*, *quod ideo dicitur Arabibus Belsamin*, *quasi dicas*, *dominium obtinens inter aromata*. Quanquam postea dubitent an hæc sententia huic loci quadret; aliamque expositionem addant: *vel*, *uniuscujusq; generis*, *quod subjungitur*, *quicquid est præstantissimum*. Quam & nos præferimus; ducti tum illis ipsis rationibus, quas ipsi sibi opponunt; quod, si significaretur distincta aromatis species, certum ejus pondus etiam indicandum fuisset, ut in reliquis; & quod tunc nondum fuerint in Canaan: licet hæc posterior ratio, parum firma videatur. Quibus nos addimus; quod non dicatur, ראש בשמים *princeps*, seu *primarium aromatum*: ut dicendum fuisset, si distinctam speciem significare voluisset. LXX. ἄνθος σμύρνης ἐκλεκτῆς, *florem myrrhæ electæ*, Vulg. *primæ electæ myrrhæ*, Mogunt: *die besten aufferlesenen mirrhen*. Cornel. a Lapide: *caput myrrhæ*, &c. Ita & Arabs interpres. Qui referunt vocem ראש ad sequentia, quasi in statu regiminis construeretur cum sequente voce מר *myrrha*. Verum huic sententiæ manifeste repugnat ratio accentus distinctivi sægolta, quo vox ראש, distinguitur a sequenti, & cohæret propius cum antecedenti.

§. 16. Secundo, in specie 1. מר דרר *Myrrha libertatis*. מר *myrrha*, per Cholem, quod hic propter ablatum accentum ob sequens Makkeph in Camez Chat: corripitur. Latinum ex ipso Hebr. desumtum: quo sensu sæpius in Scriptura legitur, ut Ps. 45. 9. Prov. 7. 17. Et in Cantico Cant. aliquoties. Ester, 2. 12. *eleum* מור *myrrhæ*: ungendis Regum amasiis adhibitum: adeoque delicatissimum. Talmudici in Tr. Pesachim f. 43. 1. Schabbath f. 80. 2. Megilla f. 13. 1.

13. 1. Moed kat: f. 9. 2. Menachoth f. 86. 1. exponunt, *Stacten*. Alii: oleum olivæ, & *oleum omphacinum*; *quo mulieres utantur, quia effluere faciat crines, & delicatam reddat carnem*. Quidam derivant a מרר *amarum esse*; quod saporis sit amari. Alii a מר *gutta*: quia guttatim destillet ex arbore. Altera vox דרר significat *libertatem*, ut Lev. 25. 10, & *hirundinem*, Psal. 84. 4. Ad verbum ergo est, *myrrha libertatis*. Kimchi in Rad. *myrrha optima, quæ est libera ab adulteratione & mixtura*: Quam sententiam etiam sequitur Fagius in Targum Onkelos: *myrrhæ liberæ. h. e. non adulteratæ: solet enim frequenter adulterari*, *Plinius l. 12. Hist. Nat. c. 15.* sic Tremell. *myrrhæ ingenuæ*, Vulgatus, *myrrhæ electæ*. ut LXX. σμύρνης ἐκλεκτῆς. Chal. *myrrhæ purissimæ*. & Luth. *die edlesten Myrrhen*. Beer Mos, ורייא ווירץ *Brei Vvurtz*: Pagninus; *libere fluentis*. Quem sequitur Cornel. a Lapide; *caput myrrhæ, liberæ, id est libere fluentis, vel destillantis. Porro caput myrrhæ liberæ est stacte, quæ est flos myrrhæ, (uti vertunt LXX. & S. Hieron. ad Principiam,) id est, lachryma myrrhæ; puta liquor sponte a myrrha defluens, & destillans, quæ myrrha est purissima, lectissima & præstantissima. Unde Hebr. vocatur caput myrrhæ, id est, id quod in myrrha est primum & præstantissimum*. Qua in parte fallitur: cum, *caput*, ut antea probatum, non cohæreat cum voce, *myrrhæ*; sed *cum voce aromata*. De myrrha prolixe Dioscorides l. 1. cap. 76. Σμύρνα δάκρυόν ἐστι δένδρου γεννωμένου ἐν Ἀραβίᾳ, ὅμοιον τῇ αἰγυπτιακῇ ἀκάνθῃ, οὗ ἐγκοπτομένου ἀπορρεῖ τὸ δάκρυον εἰς ὑπεστρωμένας ψιάθους &c. *Myrrha lachryma est arboris crescentis in Arabia, quæ similis est Ægyptiacæ Spinæ, qua incisa, defluit lachryma in substratas tegetes* &c. conf. Plin. Hist. nat. l. 12. c. 15. 16. Kimchi in Rad. scribit in Medrasch, de hoc מור ita legi: *sicut* המור *myrrha hæc est præcipuum omnium aromatum: ita etiam Abrahamum patrem nostrum esse principem omnium justorum. Sicut cujuslibet manus, colligentis myrrham hanc*, מתמוררות *amarore inficiuntur: ita Abrahamum patrem nostrum* ממורר *amarore affecisse seipsum. Sicut myrrha non exhalat odorem suum, nisi ignis imposita: ita Abrahamum patrem nostrum non nota fecisse bona sua opera, nisi cum in fornace esset ignea*. In Tr. Megilla f. 10. 2. Et Cholin. f. 139. 2. Nomen מורדכי *Mordechai*, tutoris Esteræ, exponitur *caput*, seu *princeps aromatum*, quia Exod. 30. 23. ראש מר-דרר in Targum exponatur מר דכיא Mor dochia, *myrrha purissima*. Poetæ fabulantur, *Myrrham Cynareæ regis filiam fuisse, quam, cum pater inscius vitiatam, re comperta, gladio interficere volebat, dii in Arabiam fugientem, ejus miserti, in myrrham arborem converterint*. v. Ovid. l. 10. Metam. Aliqui מור exponunt *Moschum*; ut Arabs راسا الاطياب مسك خالص *caput optimi moschi liberationis* seu *salutis*. Quam sententiam R. Ab. Ezra refutat eo argumento, quia de מור dicitur Cant. 5. 1. *Decerpsi* מורי *myrrham meam*. *Moschus autem non est germen, seu planta quæ decerpi potest. Hic enim est humor exsudans ex bestia aliqua Indica.*

§. 17. Altera species erat קנמן בשם *cinnamomum aromatis*, seu *aromaticum*: ut בשם sit, vel ἐξηγητικὸν, significans cinnamomi hujus accipiendi præstantiam vel διακριτικὸν; ad distinguendum, ab alia cinnamomi dicti specie, quæ non ita vim aromaticam habeat. In qua sententia est R. Sal. Jarchi: qui scribit; *voce hac significari, cinnamomum quod sit aroma, hoc est, ex optimo genere. Nam cinnamomum esse corticem arboris; esseque aliquod quod sit bonum, habeatque odorem & saporem bonum, esse autem etiam aliquod, quod nil sit nisi lignum*. Legitur hic, & Prov. 7. 17. Ubi etiam tanquam species aliqua fragrantissima, cum *myrrha & santalis*, vel *aloe*: itemque Cant. 4. 14. ubi cum קנה *calamo aromatico*, conjungitur. Radix ejus in scriptura non occurrit: forte peregrinæ fuerit originis. An Scaliger Exerc. 144. rem acu tetigerit, dubito: *In Zeilan*, ait, *nascitur cinnamomum, & in Mutir, una ex Moluchis. Nullum gerit fructum. Æstu cotex finditur, atque absistit. Quod & Commaro accidit. Bis in anno deglubitur. Dulcis primum: mense postea perficitur. Idcirco ibi Caunama vocatur. Cau namque lignum significat; Nama dulce. Tam propinquus etiam nunc nobis sonus est vocabulo nostro. Et Syri affini voce, Chamam dicunt*. Si pro *Cau* legas *Can*; & pro *Nama*, esse *Noam*; conveniret cum קנה נעם *calamo amoeno*, seu *dulci* Syris *Chamam* dici, nullibi invenio. Apoc. 18. 13. pro Κινάμωμον, Syrus habet, ܩܘܢܡܘܢ *Kaunamum*. Chaldæis dicitur קונמא, vel קינמון. Arabibus دار صيني vel دار الصيني Talmudicis חמס דרצונא aut חימוס quod in *Baal Aruch* exponitur *cinnamomum*. Unde forte Scaliger suum Syriacum *Chamam*, finxerit, deceptus literarum ס & ם similitudine. Fabulam Judaicam olet,

olet, quod in Tr. Talmud. Schabbath. f. 63. 1. dicitur tradidiſſe R. Juda: *Arbores Hieroſolymæ ex cinnamomo erant, eaque hora, qua exhalabant ex ſe fragrantiam ſuam, diffluebat ea per totam terram Iſrael. Ex quo autem devaſtata eſt Hieroſolyma, illæ arbores abſconditæ ſunt, nec ulla relicta eſt, niſi quæ fere ad eam æquiparatur, & invenitur in theſauris reginæ* צמצמאי *Zimzemai dictæ*. Kimchi in Rad. dicit קנמון *eſſe aroma quod vernacule dicatur* ליניו אלואי h. e. Hiſp. vel Italice *legno Aloe*, lignum Aloe. Nulla probabili ratione ductus. Arabs قرفة الطيب *cinnamomum aromatis*. Beer Moſ. צימרינד *Zimrind*. Pleniorem hujus aromatis deſcriptionem, qui volet cognoſcere, adeat Dioſcorid. l. 1. c. 14. Plin. l. 12. Hiſt. nat. c. 19. Et qui in iſta loca Pliniana ad Solinum commentatus eſt Claud. Salmaſius in Plin. exercitationibus.

§. 18. Tertia ſpecies eſt קנה בשם *calamus*, vel *canna aromatis*. LXX. καλάμυ εὐώδυς *calami fragrantis*, vel *odorati*, ut Tremell. Chaldæus & Arabs; *calamus aromatis*. Vul: ſimpliciter, *calami*, *Kalmes* ut Luth. & Moguntini. Ubi, ne putes, vulgarem illum noſtratem in Apothecis obvium, Acorum dictum, intelligi: ſed pretioſiſſimi generis aroma. R. Sal. Jarchi iterum hic notat, בשם *aromatis* adjectum, *diſtinctionis cauſa: quia ſint calami, qui non ſint aromatici*. Kimchi in Rad. dicit *eam eſſe ſpeciem, quam Vernac.* קנילה, h. e. Gall. *canelle*, Hiſp. & Ital. *canella*; hoc eſt, cinnamomum vocent, quod cannam vel arundinem referat, *Zimmetroren*: Beer Moſ. vertit: נעגיל ווירץ *Negelwurtz caryophyllum*. Unde hoc habeat, non liquet. Eſt alias unum ex aromatibus præſtantiſſimis, ut conſtat. De calamo odorato plura videantur apud Dioſcorid. l. 1. c. 19. Plin. l. 12. Hiſtor. Nat. c. 22.

§. 19. Quarta ſpecies eſt קדה. De qua variant interpretes. LXX. ἴρεως, *iridis*. Eſt enim ἶρις, ut Heſychius notat ἀρωματική τις πόα *quædam herba*. Noſtrates vocant *Violwurtz*; quales radices infantium oribus, cum dentiunt, ſolent indi. Verum ignobilior videtur hæc ſpecies, quam ut unguento tam præſtanti fuerit adhibita. Vul. *Caſiæ*. Sic Luth. *Caſien*. Item Targum קציעתא *Caſſia*, vel *Caſſa*: quod Talmudici ſequuntur. Quam interpretationem laudat & Kimchi in Rad. Hujus tres vulgo perhibentur ſpecies 1. Caſſia aromatica, quæ huc pertinet. 2. Caſſia coronaria, ad ſerta adhiberi olim ſolita, de qua Virgil. Eclog. 2. *Tum caſia, atque aliis intexens ſuavibus herbis* &c. Etl. 2. *humiles caſias*. Etl. 4. Georg. *caſiæ virides*. 3. Caſſia purgationibus inſerviens, quæ & *caſſia fiſtula* dicitur; eſtque ſiliqua Ægyptiaca, nullius odoris, cujus uſus eſt in pharmacopoliis; intra quam continetur humida quædam medulla, ſeu ſuccus concretus inſtar muſti craſſius decocti. Primam deſcribit Dioſcor. l. 1. c. 12. Κασίας δὲ ἐςὶ πλείονα εἴδη. περὶ τὴν ἀρωματοφόρον Ἀραβίαν γεννώμενα. Ἔχει δὲ ῥάβδον παχύφλοιον. φύλλα δὲ ὡς πιπέρεως. Ἐκλέγυ δὲ τὴν ἔγκιῤῥον, εὔχροον, κυραλίζυσαν, ςενὴν λίαν, μακρὸν καὶ παχεῖαν, τοῖς συριγγίοις πλήρη, δηκτικὴν ἐν τῇ γεύσει, καὶ ςύφυσαν μετὰ ποσῆς πυρώσεως, ἀρωματίζυσαν τῇ ὀσμῇ: Ἡ δὲ τοιαύτη ὑπὸ τῶν ἐπιχωρείων ἄχυ καλεῖται &c. *Caſiæ vero plures ſunt ſpecies, circa aromatum feracem Arabiam naſcentes: habet autem virgam craſſi corticis, folia vero ut piperi. Elige autem fulveſcentem, pulchri coloris: ad corallii ſpeciem vergentem, anguſtam valde, longam & craſſam, parvis fiſtulis plenam, mordacem ſapore, & aſtringentem, cum aliquanta uſtulatione*, ſeu *ignea acrimonia*, *aromatis odorem imitantem*, *vini odorem referentem*. *Talis ab indigenis*, achy, *vocatur*. Plin. l. 12. Hiſt. nat. c. 19. *Cinnamomum & caſias fabuloſa narravit antiquitas, princepsve Herodotus, avium nidis, & privatim phœnicis, in quo ſitu Liber pater educatus eſſet, ex inviis rupibus arboribuſque decuti carius, quam ipſæ inferrent pondere, aut plumbatis ſagittis. Item caſiam circa paludes, propugnante unguibus diro veſpertilionum genere, aligeriſque ſerpentibus: his commentis augentes rerum pretia* &c. Ubi oſtendit talia omnia eſſe falſa, docetque quomodo cinnamomum, idemque cinnamum, naſcatur. Et paulo poſt: *Frutex & caſia eſt, juxtaque cinnami campos naſcitur, ſed in montibus craſſiore ſarmento, tenui cute verius, quam cortice, quem conteri, atque in cinnamo levari & exinaniri pretium eſt* &c. Ex hac mixto oleo, olim faſtu luxuriantes Romanos etiam pretioſiſſimum confeciſſe unguentum, Virgilius l. 2. Æneid. teſtis eſt; *Nec caſia liquidi corrumpitur uſus olivi*: Suſpicantur, qui de rebus botanicis ſcripſerunt Matthiolus l. 1. in Dioſcor. & ex eo D. Adamus Lonicerus, noſtrum hodiernum cinnamomum, non eſſe genuinum illud veterum, ſed nihil aliud, quam caſiam illis dictam. *Non deeſt*, ait, *ſuſpicio, quin omne fere cinnamomi genus deperierit in Arabia, quemadmodum &* bal-

balſamum in Judæa: quandoquidem ſcripſerit Plinius l. 12. c. 29. Combuſtas jam eſſe plurimas cinnamomi ſylvas. Legitur hæc vox קדה non niſi hic, & Ezech. 27. 19. ubi cum קנה *calamo*, conjungitur, & refertur inter pretioſiſſimas merces, quas peregrini mercatores in Tyrias nundinas advexerunt. Beer Moſ. vertit אינגביר *Ingber*, *Zingiber*. Quo argumento ductus ita verterit, non liquet. R. Saadias, quem Arabs interpres ab Erpenio editus ſæpe, ut alibi, ita & hic, ſequitur, قسط *coſtus*, vel *coſtum*. Talmudicis קושט, radix odoratiſſima, cum thure in ſacro ſuffitu uſurpata, ut legere eſt in Tr. Kerithuth f. 6. 1. De quo coſto Dioſcor. lib. 1. cap. 17. Κόστου διαφέρει ὁ Ἀραβικὸς, λευκὸς ὢν καὶ κοῦφος, πλείστην ἔχων, καὶ ἡδεῖαν τὴν ὀσμήν. Δευτερεύει δὲ ὁ Ἰνδικὸς &c. *Præſtat ex genere coſti, Arabicus, albus exiſtens & levis, plurimum habens, & ſuavem odorem. Secundus autem ab eo eſt Indicus* &c. conf. Plin. lib. 12. Hiſt. nat. cap. 12. Hactenus quatuor ſpecies aridæ, ex quibus unguentum illud conficiebatur. Sequitur liquida, qua diluendum & coquendum erat.

§. 20. Quinta ſpecies eſt שמן זית *oleum olivæ*. Sic dictum, partim, quia ex olivis preſſis exprimebatur; noſtratibus *Baumol* dictum: partim quia hoc, aliis oleis eſt præſtantius, a quibus proinde diſtinguendum erat: qualia ſunt, oleum papaveris, nucum, raphanorum ſeminis, lini, &c. Quarum ſpecierum longum catalogum, ſicut & naturam olei olivæ recenſent Dioſcor. l. 1. c. 33. &c. Et Plin. l. 15. Hiſt. nat. c. 4. Oleo autem hoc opus erat, ut eo aromata illa, quæ ſicca erant, macerarentur, miſcerentur, diluerentur, paulum ſpiſſarentur; coctione ad ignem facta. Ejus menſura deſcribitur voce הין *Hin*: quod eſt menſura liquidorum. Plerique interpretes retinent ipſum Heb. vocabulum: quia difficile eſt ubique locorum, tali menſuræ nomine illud exprimere, quod exacte ei reſpondeat. LXX. ἵν. Chald. הינא. Vulg. Hin. Luth. *Hin*. Arabs tamen pro eo habet قسط *cyathus*, *ſextarius*. Beer Moſ. איין איימיר אודר מוט *Ein eimer oder mot*. Talmudici, ut ſup. §. 9. dictum; definiunt 12. *Logis*. Quos ſequitur Kimchi in Rad. De unius menſura Logi autem ſcribit, *eam in ſe continuiſſe, quantum 6. ova gallinacea*. Quare, ſi velis probare, quantum continuerit, accipe ollam, vel pateram aqua plenam ad ſummum uſque labrum, eique injice 6. ova; aquamque effluentem collige in vas ad menſuram tui loci accommodatum. Unde diſcere poteris, quot ova, quælibet menſura in ſe contineat. Ego rem probavi, & deprehendi 30. circiter ova ſpatium occupare tantum, quantum vulgaris cantharus Argentoratenſis, *Ein gemeine Vuirtſmaſs*. Qua hypotheſi data, ſi Hin continuerit 12. Logos; ceperit ſpatium 72. ovorum: adeoque præter propter duorum cantharorum noſtratium vulgarium, cum dimidio: qualis liquor ſi ad pondus appendatur, fere 10. libras exæquat.

§. 21. Quantitas aridarum ſpecierum pondere definitur: *myrrhæ*, 500. *cinnamomi ſemiſſe ejus*, 250. *calami aromatici* 250. *caſiæ* 500. *in ſiclo ſanctitatis*. Quale hoc pondus fuerit cujus tot partes fuerint accipiendæ, num ſiclus, an mina ſeu libra, cum diſertis verbis non explicetur, ſed commode ſubintelligendum eſſe ſignificetur; inter interpretes proinde non convenit. Plerique interpretum, quia dicitur, *in ſiclo ſanctitatis*; pondere ſicli, Moſen uſum fuiſſe ſentiunt, & de myrrha accepiſſe 500. ſiclos; & ſic deinceps. Quam ſententiam amplectuntur LXX. Vulg. Luth. aliique. Fagius ita transtulit Targum Onkelos, ac ſi is etiam in ea fuiſſet ſententia. Sed ejus verba ſunt magis generalia. Nam vox מתקל, qua ipſe utitur, in genere ſignificat, *pondus*: cum, *ſiclus*, ab ipſo ſoleat vocari סלע, ut hoc ipſo loco v. 25. voce Chaldæis uſitata: Siclus erat ſpecies monetæ, vel ponderis: hic pro pondere accipitur, tantum fere pendente, quantum apud nos quadrans thaleri, ſeu unciæ, *ein halb Loth*, ſi communis profanus, ſeu provincialis eſſet: ſacer enim dimidio erat gravior communi, ponderis ſemunciæ, *ein Loth*. Sacer in ſe continebat 20. Geras, ſeu obolos, Exod. 30. 13. Obolus erat 16. granorum hordei; ut ſiclus fuerit 320. granorum hordei. Quod hanc ſicli profani, & ſacri diſtinctionem communiter ab Hebræis traditam & a pleriſque Chriſtianorum eruditorum acceptatam in dubium vocet Villalpandus Comment. in Ezech. l. 2. de ponderibus & nummis diſput. 4. cap. 28. & 29. & ex eo Rivetus Comm. in Exod. 30. putans *ſacrum ſiclum ejuſdem fuiſſe ponderis, cum ſiclo vulgari, eaque tantum de cauſa vocari ſacrum, quod in ſanctuario unus aſſervaretur ſiclus, ad cujus pondus omnes ſicli exigerentur, ubi ageretur de juſto valore*: non ſatis idoneas habere cauſas arbitror. Si ad ſicli pondus exigatur aridarum ſpecierum harum quantitas; ſumma earum eſſet 1500. ſiclorum,

rum, h. e. totidem semunciarum, vel librarum Argentoratensium, quarum una continet 32. semuncias, quadraginta sex cum septem octavis. Alii subaudiunt majoris ponderis speciem, ut מנה libram, seu pondo, *Ein Pfund*, quod vel est sacrum, & continebat 50. siclos: vel profanum; quod dimidio minus erat. Sic Tremellius & Junius, vertunt, *pondo*. Item Arabs; qui ad singulas species addit vocen وزن *libra*, seu *pondo*. Utrique non contemnendis rationibus ducti videntur. Nam prior ponderis summa $46\frac{7}{8}$ pondo, æquiorem proportionem habere deprehendetur ad liquorem olei 10. librarum, ut par aliquo modo potuerit esse miscendis illis $46\frac{7}{8}$ libris radicum aromaticarum, satisque diluendis & coquendis, ne nimis spissum factum unguentum, unctioni & fusioni, sua tenacitate & densitate, minus idoneum evaderet. Nam, si saltem tantillum radicum earum ineatur pondus, subeat tamen adhuc mirari, quomodo tam parvus olei liquor eis diluendis satisfacere potuerit: nedum, si cum posterioribus dicamus, pondus fuisse, non siclorum, sed librarum. Qua posteriore sententia stante, sequeretur radicum illarum pondus fuisse 1500. librarum. Cui moli diluendæ, quomodo suffecisset liquor 10. librarum? In hac tamen posteriorum sententia etiam aliqua probabilis ratio continetur, qua facilius difficultas ea tollitur. quod tam magna radicum copia, potuerit tam copiosum producere unguentum, quantum requirebatur toti tabernaculo, plurimisque ejus, & aliquot etiam bene magnis ejus vasis, & multis hominibus ungendis: cum alioqui prius pondus 50 librarum vix videatur sufficere potuisse isti rei præstandæ. Ex hac præscripta quantitate aromatum ad certum pondus, R. Abarbenel comm. h. l. conatur probare, aliud oleum unctionis ad ejus exemplum posthac non licuisse concinnare: neque Deo, neque hominibus: adeoque non fuisse unquam aliud unctionis oleum, quam quod a Mose confectum erat in deserto.

§. 22. Viderunt has difficultates Rabbini: ideo varias rationes inierunt, quibus eas tollerent. 1. Circa summam ponderis tradiderunt sup. §. 10. eam fuisse 1750. partium ponderis: quia semissem definiunt 500. respectu utriusque aromatis myrrhæ & casiæ, conjunctim facientis 1000. Alio tradente summam fuisse 2000. partium. Cujus rei argumentum inde petunt, quia in dinumerando pondere cinnamomi Scriptura utitur peculiari phrasi Exod. 30. 23. *semissem ejus*, 250. quorum alterum videri posset superfluum. Nam si semissis ponderis myrrhæ solius partium 500. accipiendus erat, satis jam per se notum erat, quod is sit 250. partium. Putarunt ergo aliqui Rabbini, scripturam ea phrasi significare voluisse pondus omnium istarum specierum fuisse æquale. R. Sal. Jarchi exponit; *semissem ejus*, 250. *Semissis adductionis ejus erit* 250. *ut summa totius ejus inveniatur* 500. *sicut mensura myrrhæ. Si sic: quorsum ergo dicuntur de eo dimidiæ partes? Scilicet est argumentum a pari, quo scriptura utitur: ut significet, adducendum fuisse illud ad dimidias partes, ut includeret per illud duas præponderationes: cum non appendant oculo ad oculum* seu *ad æquilibrium*. Quæ verba desumsit ex Talmud, ut supra §. 10. visum. R. Ab: Ezra dicit: *Talmudicos Doctores dicere, quod pondus omnium istarum specierum fuerit æquale: & sic traditione quidem receptum esse, sed ignorari rationem, quare mentionem fecerit semissis ejus; seseque rationem dimidiarum partium non intelligere: quia non sit consuetudo in tota terra Israelitica mantissam superaddi ulli rei, quæ appendi soleat, ne quidem tantillum, quantum ponderet granum sinapi: nedum in ullo opere unguentario*. 2. Alii, ut R. Jose, huic incommodo tollendo tradiderunt, *species illas in aqua maceratas prius fuisse; quibus deinde oleum tantum superinfusum, contractoque ex eis odore, inde ablatum fuerit*. R. Juda, qui diversum sentit, omnes difficultatum illarum nodos non solvit, sed gladio secat, cum plurima in eo oleo unctionis miracula accidisse comminiscitur. Cujus sententia est; quod pauca illa portio olei, tot, tantisque speciebus aromatum affusi, & cum eis cocti, miraculosa Dei benedictione, cum in præparatione, tum in ipsa unctionis usurpatione, quin & in perpetua asservatione totius illius in futurum usque seculum, ita augmentata sit; ut, non secus atque lecythus ille olei viduæ, 2. Reg. 4. ab Elisa ditatæ, semper, quantum vel usu, vel tempore de eo consumtum erat, divino quodam miraculo mox restitutum fuerit. Quæ quidem facillima foret ratio, omnium istarum difficultatum tollendarum; & pulcherrime significaret superabundantem, & nunquam deficientem olei spiritualis, seu gratiæ Evangelicæ mensuram, utut in parvis & fragilibus vasis gestatam 2. Cor. 4. 7. sed cum modus hic agendi extraordinarius & miraculosus

losus, Deo quidem facillimus, nostri respectu autem in se difficillimus, quippe nonnisi omnipotenti Dei, singularique efficacia perficiendus, miraculaque præter necessitatem non sint multiplicanda; sententiam illam difficulter persuadeas animo non temere credulo, ubi nullum manifestum adest Dei verbum, ut credat id, quod rationibus naturalibus aperte est contrarium. Quare potius accederem illorum sententiæ, qui putant, aromatum pondus non nimium fuisse; sed proportionatum olei quantitati; usuque consumtum, reparatum fuisse, alio novo, ad hujus δόσεως formam iterum confecto. Deinde arbitror, quod in ipso usu non prodige fuerit profusum in omnia ista vasa, secundum totam illorum superficiem: sed suffecisse, si singulis illis, brevi aliqua portione olei hujus vel infusa, vel inuncta; consecratio eorum perfecta sit. Quare etiam Rabbini statuunt omnibus illis rebus consecrandis notam literæ Græcæ χ inunctam fuisse; regibus autem formam alicujus coronæ.

§. 23. Modus ponderandi species illas, an factus sit, appensis in bilance speciebus ad pondus aliquod seu lapideum seu ferreum: an, prima specie, primum ad pondus ferreum appensa, postea species alia, ad hanc ipsam speciem appensa fuerit, in Scriptura aperte non dicitur. Rabbini tamen, ut sup. §. 10. visum, tradiderunt priorem rationem ponderandi ineundam fuisse; idque colligunt ex Exod. 30. 34. sed infirmo, ut videtur, nixi argumento.

§. 24. Materia, quantitas, & qualitas horum aromatum, & liquoris oleosi, amplissimam suppeditet materiam ingeniose cogitandi de variis mysteriis Evangelicis, quæ sub illis latent præsignificata, si cui sit otium, ingenium, & occasio ferat: ut, in varietate personarum Ecclesiæ & donorum spiritualium 1. Cor. 12. elucescere πολυποίκιλον *multivariam Dei sapientiam* Eph. 3. 10. Multa moneant aromatum istorum odor, sapor, pretiositas, &c. olei præsertim indoles: ut, *facile fundi, & longe lateque diffundi* Gen. 28. 18. Cap. 35. 14. Lev. 2. 1. *Purum esse* Exod. 27. 20. *Lucernis adhiberi ad lumen præbendum* Exod. 35. 8. 14. Matth. 25. 3. 4. *Cibis frigendis, & pinguedine condiendis utile esse*, Exod. 29. 2. Lev. 2. 4. cap. 6. 21. cap. 7. 21. &c. *Ignem facile concipere*, Lev. 2. 16. *Summæ esse nobilitatis; Deo, hominibusque honorificæ.* Jud. 9. 6. *Scuta eo inungi* 2. Sam. 1. 21. *signum esse fertilis terræ* 2. Reg. 18. 32. *Pinguefacere* Psal. 23. 5. *Lene* Psal. 55. 22. *viride*, Psal. 92. 11. *pellucidum & illustrans* - Psal. 104. 15. *Penetrabile* Psal. 109. 18. *Læve*, *Prov.* 5. 3. & *leve aquis supernatare*. *Fluidum, terminisque difficulter tenendum* Prov. 27. 16. *Lenire vulnera*, Esa. 1. 6. Luc. 10. 34. *Hospitibus dari* Luc. 7. 46. *Exhilarare*, Psal. 45. 8. *Vitæ humanæ necessarium* Sira. 39. 31. *Liberare a jugo oneroso* Esa. 10. 27. *conducere prœliantibus & pugnantibus* 2. Sam. 1. 21. Quare etiam athletæ olim se oleo inungebant, ut ipsi essent agiliores, hostibusque minus tractabiles. &c. Item pondus & mensura: *Cuilibet distribuisse Deum mensuram fidei* Rom. 12. 3. 2. Cor. 10. 13. Eph. 4. 7. *Leves esse Christianorum calamitates, comparatas in justa bilance, cum gratia Spiritus Sancti gravissima in hac vita, nedum cum supra modum gravissimo pondere æternæ gloriæ* 2. Cor. 4. 17. *Evangelium esse omni aromate odoratius* 2. Cor. 2. 15. *odorem vitæ ad vitam*, v. 16. *Christianorum beneficentiam esse* ὀσμὴν εὐωδίας *odorem fragrantiæ* Phil. 4. 18. *Philadelphiam esse rem tam bonam & jucundam, quam sit oleum illud unctionis*, Psal. 133. 1. 2. collato cum 1. Cor. 13. De quo pulchre Suidas in voce Μῦρον. Μῦρον ἐπὶ κεφαλῆς, τὸ ἀρχιερατικὸν ἔλαιον, ὃ ἐξ ἡδυσμάτων συνέκειτο. ἀλλ' οὐδὲν ἐκεῖνο καθ' ἑαυτὸ τοσαύτην εὐοσμίαν ἠφίει. ἡ δὲ πάντων μῖξις καὶ κρᾶσις πλείστην ὅστην τὴν εὐωδίαν εἰργάζετο. τούτῳ τὴν ἀδελφικὴν εἰκότως συμφωνίαν ἀπείκασεν. ἡ γὰρ πλειόνων κατορθωμάτων συνεισφορά, τῆς τελείας ἀρετῆς τὴν εὐοσμίαν ἐργάζεται. *Unguentum super capite, erat ad summum sacerdotem pertinens oleum, quod ex dulcibus aromatum condimentis erat compositum. Sed nullum eorum per se tantam suaveolentiam emittebat. Omnium vero mixtura, & temperies plurimam quantam poterat fragrantiam operabatur. Huic fraternam, ut par est, concordiam assimilavit. Nam plurium rectorum operum in unum collatio, perfectæ virtutis suaveolentiam operatur.*

§. 25. Modus, quo conficiendum erat, describitur primo mandatus verbis generalibus Exod. 30. 23. *Accipe tibi*. Ubi recte notat Aben Ezra esse pleonasmum Hebræis usitatum, ut Gen. 12. 1. *ito tibi*. Exod. 12. 61. *accipite vobis*. Alibique sæpius. Item alio generali mandati verbo, Exod. 30. 25. *Et facias* &c. Hoc est, autor eris, & curabis, ut Israelitæ contribuant res ad illud necessarias, quas ponderatas recte, dabis illis viris, qui a me destinati, & arte illa instructi sunt opera talia con-

conficiendi. Nam actio rei, ſæpe tribuitur actionem procuranti & promoventi. Deinde ſpecialior modus deſcribitur Ibid. his verbis רקח מרקחת מעשה רקח *unguentum unguentationis, opere unguentarii.* LXX. *μύρον μυρεψικὸν τέχνῃ μυρεψοῦ, unguentum per modum unguenti coctum arte coctoris unguentorum.* Qualem ſcilicet hodie appellamus, *apothecarium.* Vulg: *Unguentum compoſitum, opere unguentarii.* Quod Mogunt. verterunt, *Eine Salb, nach deſs Apothecker's Kunſt zugerichtet:* fere, ut Luth. *Ein Salbole nach der Apothecker Kunſt* Chal. בוסם מבסם עובר בוסמנו. Quod Fagius vertit, *aromatibus confectum, opere apothecarii.* Buxtorffius autem *aroma aromatizatum, ſive confectum opere artis aromaticæ, vel apothecariæ.* ; Arabs, عطر معطر صناعة عطار *condimentum condientis, artificio condimenta conficientis.* Trem. & Jun. *Unguentum unguentariæ operæ unguentarii.* Id eſt, *artificioſiſſime paratum, non tyronis, ſed periti artificis.* Beer Moſ. געווירץ ווירצונג ווערק געווארצט אודר דאז אפיטיקיר *Gewurtz, wurtzung, Werck gewurtzt; oder deſs Apotheckers.* Vox רקח, ut R. Salomo Jarchi notat, eſt nomen דבר *rei,* (h. e. ſubſtantivum, non participium vel adjectivum;) *idque arguere accentum: quia eſt vox Milel; eſſeque idem cum* רקח *conditura, Cant.* 8. 2. additque; *omnem rem quæ miſcetur cum altera ſibi conjuncta, uſque dum unum abſciſſum contrahat ab altero, aut odorem, aut ſaporem, vocari* מרקחת *mixtam conditurам.* Per רקח מרקחת ſignificari רקח *unguentum, quod conficitur opera artificii & mixturæ. Nomen,* vel *participium* רוקח *ſignificare, ipſum artificem hujus artis.* R. Ab. Ezra ait, *Voces illas,* רקח מרקחת *pariter ſe habere, ut illas,* מקטר קטרת *ſuffimentum ſuffitus,* Exod. 30. 1. h. e. optimi & fragrantiſſimi ſuffitus. Quaſi diceret; geminatione iſta ſignificari, ſummam unguenti iſtius conficiendi artis præſtantiam: ut ſenſus ſit, unguentum unguentationis, h. e. optimum, præſtantiſſimumque unguentum. Radix eſt רקח *condivit, miſcendo, confecit unguentum, more pigmentarii,* ſeu *pharmacopoei,* vel *unguentarii.* Quo ſenſu legitur hic, & v. 33. Item Exod. 37. 29. 2. Chron. 9. 30. Eccl. 10. 1. Ezech. 24. 10. Notatque Kimchi in Rad. quod, *quotieſcunque legitur in codice ſacro, etiam quoad nomina inde derivata, ſemper habeat ſignificatum operis aromatum* ſeu *condimentorum, ſicut faciunt medici unguentum ex ſpeciebus aromatum mixtorum, unius cum altero: eſſeque aliqua ex illis, quæ fiant per modum coctionis: idcirco dici Hiob,* 41. 23. *Mare ponet* כמרקחה *ut coctionem unguenti.*

§. 26. Ex quibus colligitur modum illius conficiendi fuiſſe 1. artificioſiſſimum, ad modum unguenti a perito aliquo pigmentario affabre confecti. Quare conveniebat ſpecies illas collectas, perite probari, an genuinæ eſſent, ubi arte Phyſica & Botanica opus erat, ſingulas illas recte cognoſcendi, & a minus probatis diſcernendi: deinde ſtudio ex probatis, ſi quid alienum admixtum eſſet, purgandi & ſecernendi optimam cujuſque partem: porro Statica, Arithmetica, & Geometria, purgatas menſurandi & ponderandi & numerandi: ponderatas rite præparandi, craſſiuſculas partes in minutiores diſcindendo, vel frangendo; duriuſculas emolliendo vel macerando: oleum ut defœcatius redderetur, per colum tranſmittendo. An vero etiam, ſicut poſtea v. 36. de ſpeciebus ſuffitus ſacri præcipitur, piſtillo in mortario, in minutiſſimum pulverem aromata illa prius contundenda erant, quam cum oleo miſcerentur? Mihi negativa magis placeret ſententia: tum quod, hic de tali contuſione inſtituenda nihil præcipiatur: tum quod natura olei hujus conficiendi non paſſa fuiſſet. Nam ſi in minutiſſimum pulverem tuſa, cum tantillo oleo mixta & ſubacta, deinde cocta fuiſſent, unguentum inde evaſiſſet craſſiſſimum, ut vix unctioni, nedum fuſioni, & aſperſioni amplius idoneum fuiſſet; quibus omnibus tamen uſibus poſtea inſervire debebat. Quare magis mihi probatur illa ſententia, qua ſtatuitur; aromata illa ſi jam ipſa ſui natura minutiorum partium eſſent, in ſua naturali quantitate relicta, ſin aliquanto majora; in tenuiores partes, inſtar fabarum freſſarum, vel ſciſſa cultro aliquo, vel manu aliove inſtrumento fracta fuiſſe: idque eum in finem, ut vis aromatica magis exſpirare, & in oleum tranſmitti potuerit. Nam aromata attrita, & in partes diviſa, fortius olent, quam integra relicta: 2. Confectionem hanc factam eſſe, opera ignis; unguentumque illud, mixtis inter ſe ſpeciebus, in aheno aliquo ad ignem coctum fuiſſe. Ubi iterum arte Chymica opus erat: ut ignis nec juſto major, nec juſto minor eſſet. Item ut ignis non tam flamma ingenti, quam prunis ardentibus eſſet conflatus: ne flammæ vehementia, vel tetrum odorem fumi contraheret (*daſs es nicht flamſedt und*

und rauchelte) vel aheno ignefcenti diutius & tenacius adhærens, inarderet (*dafs es nicht anbrente und brantzelte*.) Præterea in ipfa coctione diligenter atque prudenter modus obfervandus erat, ut nec diutius, nec brevius, quam par erat, igni fuperimpofitum, vel nimis fpiffum, vel nimis dilutum coqueretur. Forte etiam in foco exftruendo idoneo, arte aliqua opus erat & in aheno deligendo aptiore; ut ille pararetur, quali utuntur unguentarii; hoc autem potius effet æneum, quam teftaceum. An fpecies ipfæ ftatim cum oleo mixtæ, & poftea cum eodem coctæ? An vero ab initio aqua maceratæ, & cum ea coctæ poftea demum oleo fuperinfufo imbutæ fuerint, difputant fupra §. 8. & 9. inter fe Talmudici Doctores: quorum pofterioris fententiæ affertores, præter rei neceffitatem, urgent etiam locum Ex. 30. 25. *Facies* אותו *illud oleum* &c. Quafi horum verborum mens effet, *illam ipfam materiam aromatum jam probe difpofitam, facies oleum unctionis*; hoc eft, ei fuperinfundes oleum. Mihi verifimilior videtur ea fententia, qua afferitur, nullam aquam fpeciebus illis, five ab initio macerandis, five poftea coquendis adhibitam fuiffe, fed merum oleum. Alioqui enim bene magna pars grati odoris, ejufque primi, ex aromatibus illis aquæ huic communicatum foli oleo unctionis vindicandum, deperiiffet ei: fi poft macerationem, aqua ifta odorata facta jam remota, oleum demum elixatis fpeciebus illis, minus amplius fragrantibus fuperinfufum fuiffet. Ad hæc fpecies illæ aqua imbutæ, oleum non tam facile, intimeque imbibiffent, fi prius aqua inebriatæ, quam fi vacuæ & hiantes relictæ fuiffent. Relativum ergo אותו *illud*, referendum eft ad totam præcedentem materiam, aromatum fimul atque olei. Quam fummam diligentiam, artem, atque prudentiam circa modum confectionis hujus, Deus etiam eo fignificare voluit, cum Ex. 30. 25. ab initio dixit: *Et facies illud oleum unctionis fanctitatis*, h. e. fanctiffimæ. Et repetiit fub finem hujus verfus *Oleum unctionis fanctitatis erit*. Quafi diceret, cum velim oleum hoc unctionis effe non rem aliquam vulgarem & profanam, fed eximiam & fanctiffimam omnibufque rebus fanctis confecrandis deftinaverim, præ aliis omnibus faciendis, fingulari ftudio & arte occupati eritis circa ejus rectam confectionem.

§. 27. Docemur hic dona Spiritus Sancti Chriftianis collata, non oppofita effe vel ingeniorum, quam nafcendo, vel artium, excellentiæ; quam difcendo & exercendo acquirimus: cum utrumque etiam Dei dono & benedictione nobis obtingat: quare non poteft non ei maxime placere. Improbanda ergo eft Anabaptiftica ruditas, & bonarum literarum, artiumque & fcientiarum in Ecclefia Dei, & locorum, ut, Scholarum atque Academiarum, in quibus illæ docentur & difcuntur; qualifcunque contemtus. Nam opus eft *dialectica fpirituum difcretione* 1. Cor. 12. 10. Joh. 4. 1. *Rhetorico falis in fermone condimento* Col. 4. 6. *Philologica linguarum peritia, ad interpretationem Scripturæ* 1. Cor. 12. 10. *Philofophica Sapientia & prudentia, ad naturam, & mores vere recteque cognofcendam & agendos*, Rom. 1. 20. 1. Cor. 14. 20. Eph. 5. 15. &c. Quare *debilis ingenio valentem non judicet. Valens debilem non contemnat* Rom. 143. Apta aromatum & olei inter fe mixtura depingit nobis *fpiritualem Ecclefiæ membrorum cum Chrifto & inter fe commixtionem* 1. Cor. 12. 24. Eph. 4. 15. 16.

§. 28. Finis, feu ufus, cui deftinatum erat hoc oleum unctionis, defcribitur Exod. 30. 26. *Et* משחת *unges* בו *eo tentorium conventus*: &c. LXX. χρί-σεις ἐξ αὐτοῦ. Vul. *unges ex eo*. Mog. *daraufs folftu falben*. Luth. rectius, *damit foltu falben*. Præf. ב, caufam potius per quam, quam ex qua, quæ præfixo מ fere fignificari folet; exprimit. Hic tamen confequenter utrumque connotatur. Nam oleum hoc erat, quo fiebat unctio, & quod in ipfa unctione inungebatur. Chal. & Arabs, *illiniendo inunges*. Quo fignificatur, oleum unctionis habuiffe aliquam materiæ fpiffitudinem aliquatenus coagulatam, ei rei, cui illinebatur imprimentem notam aliquam in fenfus incurrentem, ejufque fuperficiei inhærentem. Quid, quantum que in quolibet illitum fuerit, diferte non dicitur. Omnia illa, fecundum totam fui fuperficiem, eo inuncta & obducta fuiffe, non fit verifimile. Neque olei unctionis quantitas ifti rei fuffeciffet, neque id rerum ipfarum ungendarum naturæ ubique commodum fuiffet, præfertim, fi quæ ex lana, fimilique materia, effent factæ, quæ pinguedine olei totæ delibutæ, facilius damnum aliquod contraxiffent, tineis blattifque pro efca defideratiori objiciendæ. Satius ergo eft, fi dicamus, fingulis illis rebus confecrandis, parvam aliquam inunctam fuiffe de oleo ifto particulam. *Qua forma*? Id textus non expreffit. Talmudici, ut fup. §. 9. dictum, ex antiqua

Pa-

Patrum traditione referunt, id factum fuisse, picta imagine literæ Græcæ χ, exceptis regibus, quibus instar coronæ fuerit illita imago. In qua Traditione si quid veri subesset, præclarissimus ea in re fuisset typus המשיח Christi, seu uncti, Regis & Sacerdotis, qui jam tum præludere voluerit coronæ suæ regiæ, vel spineæ, vel cœlesti, qua in regnum suum inauguratus est; & sacerdotali, vel crucis imagini, quam χ refert, vel nomini suo Græco, χειςὸς a χ. incipienti: qua litera olim in primitiva Ecclesia, compendii causa insigniri solebat, quæque Constantino Imperatori, tanquam victoriæ Symbolum e Cœlo ostendebatur ut scribunt Euseb. l. 1. de Constantino c. 22. & Sozomenus l. 5. cap. 22. R. Abarbenel, *putat Caph*, *prima litera* כהן *sacerdos*, *significatum*; *ipsum esse sacerdotem*, *Dei ministrum*, *qui manu sua Deo serviat*. Elias in Tisbi tamen scribit; *literam eam fuisse instar Gam Græci*, h. e. γ. Gamma.

§. 29. *Est ergo oleum unctionis*, *unguentum inter instrumenta Sacra Vet. Testam. Sacrosanctum*, *a Deo institutum*, *Mosi in monte Sinai ab eodem commendatum*, *a Bezaleele*, *unguentaria arte*, *affabre*, *ex optimis aromatibus*, *myrrha selecta*, *cinnamomo*, *calamo aromatico*, *casia*, *oleoque olivæ*, *ab Israelitis*, *præcipue eorum Principibus*, *contributis*, *confectum*: *ut eo personæ resque sacræ inungerentur*, *sicque a profano usu segregatæ Deo sanctificarentur*; *Sanctique Spiritus dona partim significarentur*, *partim efficaciter conferrentur*.

POSTERIOR PARS.

In priori parte naturam & causas olei unctionis perspeximus, subjuncta etiam definitione; circa cujus finalem causam tamen aliqua adhuc ulterius nobis dispicienda sunt: antequam ad alias quasdam ejus qualitates, & varias circa illud movendas Quæstiones exponendas progrediamur.

§. 1. EOrum, quæ ungenda erant, aliqua sunt inanimata, ut vasa: aliqua animata, ut sacerdotes. Inter vasa sunt 1. *tentorium* Ex. 30. 26. Deinde *arca* &c. R. Aben Ezra in comm: hujus loci notat: *sub genere tentorii conventus, comprehendi tabernaculum*. Item, *mentionem fieri rei honoratioris quæ in eo erat, arcæ: & mentionem fieri mensæ initio: quia ea erat magna, habebatque multa vasa: postea autem candelabri; quia habebat multa vasa: & altaris holocausti; quia habebat multa vasa*. Horum singulorum explicandorum ratio uberior, jam non est nostri instituti, nec id pateretur paginarum harum angustia.

§. 2. In quem finem autem ista unctio sit instituenda, refertur v. 29. *Et sanctificabis ea, & erunt sanctitas sanctitatum: Omne, quod tangit ea, sanctum erit*. Per, *sanctificabis ea*, significatur: quod, per hunc ipsum actum unctionis, hæc vasa imposterum a quibusvis profanis vasis & usibus segregata esse debeant, solique Deo, ejusque cultui dedicata. Quæ R. Sal: Jarchi ita effert: *Hæc unctio sanctificat ea, ut sint sanctitas sanctitatum. Quisnam autem est status sanctitatis eorum? Scilicet, quod omne, quod tangit illa, sanctum erit. Hoc est, omne, quod convenit vasi ministerii, ex quo subiit intra illud, sanctum est, sanctitate corporis: ut illegitimum reddatur per actum ferendi, & pernoctandi, & per lotum diei; & non redimatur, quo recedat in statum rei profanæ. Si autem sit res, quæ non convenit illis; tum non sanctificat eas*, &c. Per, *Sanctitas Sanctitatum*, intelligitur res sanctissima. Nam rerum sanctarum, seu Deo consecratarum aliquæ erant קדשים קלים *res sanctæ leviores*, de quibus aliquatenus participabant profani, seu non consecrati homines: aliquæ autem קדשי קדשים *Sanctitates Sanctitatum*, seu *res Sanctissimæ*, quæ attinebant solum Deum, & personas Deo consecratas. *Omne quod tangit* &c. LXX. πᾶς ὁ ἁπτόμενος: *omnis qui tangit*. Vul. *qui tetigerit*. Et Luth. *vver sie anruhren vvurd, der soll gevveihet sein*. Corn. a Lapide pariter etiam ad solos homines hoc restringit, arguitque R. Salomonem alicujus falsi; quod hoc ita exponat: *contactu vasorum sanctificabitur ille, qui ea tangit*. Cum tamen is, hoc non tam de contactu hominum, quam aliarum rerum exponat: fore, ut quæcunque res talia vasa sancta tetigerit, statum sanctitatis aliquem sit contractura. Corn: a Lapide autem exponit; *sanctificari debet; ita, ut si sit* im-

immundus, expiet se aqua lustrationis, de qua Lev. 14. *& Num.* 19: *antequam altare, vel alia vasa sancta tangat.* Mihi magis placet in neutro exponi; ut etiam ad res referatur: ut Tremell: *Quicquid tetigerit illa, sanctum esto.*

§. 3. Hunc finem, seu sanctificationem, oleum hoc unctionis efficiebatne nuda tantum significatione, an etiam efficaci operatione, & sanctitatis alicujus sive externæ, sive etiam internæ, pro subjecti conditione, collatione? Respondeo, quod res inanimatas attinet: certum est, quod illis contulerit externam aliquam sanctitatem Exo. 30. 29. &c. non tamen internam aliquam gratiam Spiritus Sancti, cujus recipiendæ illa non erant capacia. Quod autem homines concernit, qui eo uncti erant, illis non tantum externum videtur contulisse sanctitatis augmentum & prærogativam; sed & intus, per hoc, Spiritus Sanctus singularem aliquam gratiam contulisse, in augendis donis partim administrantibus, partim sanctificantibus: quia Exo. 30. 30. dicitur, quod ungendo sanctificati fuerint Aaron & filii ejus. Quare & Saul unctus hoc oleo, postea in alium virum mutatus est 1. Sam. 10. 6. conf. Ps. 23. 5. 1. Sam. 16. 13. Psal. 89. 23. In quam sententiam vocat Chrysost. Hom. 4. adversus Judæos, τὴν ἐπὶ τῷ χρίσματι γενομένην ἐνέργειαν, *eam quæ super unctione fiebat efficacem vim.* Et paulo post: ἡνίκα τινὰ χρίεσθαι ἔδει, τοῦ πνεύματος χάρις ἐφίπτατο, καὶ τὸ ἔλαιον ἐνεπήδα. *Quoties esset aliquis inungendus, devolabat Spiritus gratia, & insiliebat in unguentum.*

§. 4. Res animatæ, seu homines, qui ungendi erant hoc oleo, dicuntur fuisse v. 30. *Aaron & filii ejus.* Quos sanctificare a Deo jussus erat Moses: ut sacerdotio ei fungerentur. Ubi Aben Ezra notat: *Horum solorum mentionem fieri; quia hi soli erant ungendi.* De sacerdotibus sequentium temporum, aliisque præter sacerdotes personis, quæritur; an uncti fuerint? Apud Talmudicos Doctores res in confesso est, quod apud posteros unctio hæc continuata sit usque ad tempora Josiæ Regis: quod oleo hoc unctionis uncti fuerint multi reges; omnesque sacerdotes summi: item Unctus belli, qui populo in expeditionem bellicam movente proclamabat id, quod dicitur Deut. 20. Qua de re prolixe differitur in Tr. Sota f. 42. 1. v. etiam supr. §. 9. & 10.

§. 5. Character ille unctione illitus fuitne durabilis, & indelebilis? Ita videntur Talmudici sensisse in Sacerdotibus. supra enim §. 9. tradunt: oleum unctionis semper inhæsisse, etiam barbæ Aaronis, & ne quidem cum tondebat, amotum fuisse. De vasis quid senserint, res non ita clara est. Sed arbitrarer, characterem illum, tam hominibus, quam vasis inunctum, non quidem statim iterum abstersum, verum relictum fuisse, donec, quantum fieri posset, exsiccaretur, & superficiei induresceret firmius; licet ejusmudi unguenta oleosa ægre siccitatem contrahant: ubi postea, cum adhærere passi sunt, donec ultro, vel tempore, vel aliis de causis, ut lotione, usu, attritione &c. paulatim evanesceret.

§. 6. Hoc unctionis mandatum Mosi a Deo in monte injunctum, postea, tabernaculo, vasisque ejus perfectis, denuo & quidem sigillatim, repetitum legitur Exod. 40. 9. &c. Ut significaretur, rem hanc summe esse necessariam, probeque memoria tenendam, & opere ipso perficiendam diligentissime, nullo vase prætermisso. Quare etiam postea Lev. 8. 1. &c. Moses legitur studiose exsequutus fuisse hoc Dei præceptum, unctis omnibus vasis æque, atque ungendis hominibus Αὐτοπροσώπως ne, an aliorum opera usus, Moses hanc unctionem peregit? Respondeo, pro priori sententia asserenda graves militare rationes: quia 1. Solus Moses, primum in Monte a Deo id facere jussus erat Exod. 30. 26. iterumque oleo jam confecto, Cap. 40. 9. solusque ipse dicitur unctionis illius officio defunctus Lev. 8. 1. &c. 2. Quia actio unctionis erat divina, gravisque autoritatis & valde sancta, quippe qua Sacerdotes & vasa, Deo consecrabantur: ut non nisi personæ, quæ proxime Deum referret, ejusque loco esset, convenire videretur. 3. Quia oleum illud unctionis tam sacrum erat, ut nemini alii liceret illud attingere, postquam jam semel perfectum, usibus sacris destinatum erat. conf. Ex. 30. v. 31. 32. 33. Sed quid de Mose statuendum num & ipse eo unctus erat? Cum nullibi id legatur; non temere affirmandum. Moses, ipsa Dei manu, interne magis, quam externe, singulari Spiritus Dei gratia, imbutus; adhæc singulari vocatione, & Dei legatione fungens, externa illa unctione non videbatur opus habuisse, quam satis etiam, pro externo charactere divinæ sanctitatis, in eo supplebat, & longe insigniori argumento perficiebat ἀπαύγασμα illud, & splendor faciei, quo de monte descendens, coruscabat, Ex. 34. 29. 30.

§. 7.

§. 7. Qualitates de hoc oleo aliquot prædicantur eximiæ. 1. Sanctitas. Ex. 30. 25. Ubi bis vocatur oleum unctionis sanctitatis. Et v. 31. *Dicit Deus; oleum unctionis sanctitatis erit hoc mihi in generationes vestras*. Ubi tribuitur ei non vulgaris aliqua, & momentanea sanctitas, sed talis, quam Deus sibi velit vindicare, quæque in populo Judaico perpetuo sit servanda. Quare etiam inter *Sanctitates Sanctitatum* refertur, v. 29. Nam si res eo illitæ, eam qualitatem induerunt: quanto magis oleum hoc, cujus unctione ea perfecta est.

§. 8. 2. Perpetuitas. Quia v. 31. dicitur: *Hoc erit mihi in generationes vestras*. An simpliciter in perpetuum id duraturum esse significatur? Id volunt Rabbini qui, ut supra §. 9. dictum, ex hoc loco probare conantur, id adhuc absconditum alicubi superesse, duraturum usque in futurum seculum. Sed phrasis hæc, *in generationes vestras*, non simplicem perpetuitatem notat, sed limitatam generationibus in terra Israelitica propagandis, quæ dudum desierunt, una cum isto oleo, quod ipsi Rabbini fatentur, inde a tempore Josiæ, & deinceps, non amplius apud Israelitas in usu fuisse. Tot ergo seculorum decursu, ipsa experientia probavit, materiale illud oleum cessasse. Spirituale enim, illo significatum, absolute perpetuum, adhuc dum durare, imo longe excellentiori modo, ultro fatemur, *chrisma* scilicet Christi, h. e. *Spiritus Sancti charisma*. Adde quod hoc, *erit*, non necessario significet existendi actum, prophetice prædictum; sed commode explicari possit, modo imperandi, quod scilicet, dum supererit apud Israelitas, pro re sancta sit habendum: *erit sanctitas*, h. e. esto, seu habeatur pro re sancta. Absconsio ejus a Rege Josia facta, merum est commentum Rabbinicum.

§. 9. 3. Singularis unitas. Quia 1. *super carnem hominis non erat ungendum* v. 32. 2. *In forma seu summa ejus, simile ei non faciendum*. Ibid. 3. *Qui alterutrum fecerit, pœnam excidii incurrebat* v. 33. Quæritur an idem numero semper superfuerit? Id tradunt, & acriter defendunt Talmudici supr. §. 8. & 9. ducto præcipue argumento ex voce זה *hoc*, h. e. idem numero. Et לדורותיכם *in generationes vestras*. Exod. 30. 31. collato cum Exod. 16. 33. R. Abarbenel comm. h. l. ait Ab. Ezram, repugnantem, confutatum esse a R. Mose Nachmanide, qui Rabbinorum sententiam ex eo probet: quod non dicat Scriptura, *Oleum unctionis sanctum erit hoc Aaroni & filiis ejus in generationes eorum*; uti dictum de vestibus; sed, *erit mihi in generationes vestras*; id quod arguat, oleum istud, a Mose confectum, perenne futurum, omniumque ætatum inunctionibus inserviturum &c. Et paulo post: *Verum, qui fieri potuerit, ut tandiu perduraris oleum a Mose confectum in deserto, res est sane admiratione digna*. R. Levi fil. Gerson, ait id per miraculum factum: Sicut in Manna, &c. Ubi etiam ex natura olei & aromatum illius perpetuitatem conatur asserere. 1. *Deum, ut Mannæ, ita & oleo huic unctionis indidisse virtutem præter naturæ vim, ut perduraret, & perennaret, converteretque aerem in naturam suam*. 2. *Porro autem oleo quædam inesse signa, per quæ reddatur idoneum recipiendæ isti virtuti perpetuanti, sive perennitatis: esse enim omnium lignorum maxime diuturnum, adeo ut per millia annorum perseveret incorruptum. Dixisseque Sapientes, oleo senescenti nihil detrahi, quin addi aliquid, siquidem subtilius in dies evadat*. 3. *Adde quod forsan aromata, quæ ingressa sunt ejus olei unctionis compositionem, ad hoc etiam juverint. Deum enim, cum patrat miracula, accommodare, aptareque causas, quam fieri possit convenientes. Propterea dictum a Sapientibus, in principio Tr. Kerithuth, hanc rem infuisse oleo unctionis per modum miraculi*. 4. *Ad hæc accedit, quod non magna copia istius olei sancti adhibita a Mose fuerit ad inunctionem, quæ tunc ab eo facta in deserto: parum enim olei fuit satis ad inungendum unumquemque; pauci autem ibi inuncti sunt. Deinde vero non nisi per longa intervalla inunctus fuit summus Sacerdos, aut Rex. Itaque non adeo mirum videri debere, potuisse sufficere oleum istud per mille annos*. Resp. ad 1. De Mannæ miraculosa perennatione nobis aperte ex Verbo Dei constare: de oleo unctionis non item. Ad 2. Non sequi: lignum olei est durabile: Ergo & oleum ipsum. Multa ligna sunt durabilia, ex gr. pomi, pyri, &c. Quorum fructus vix diem interdum durat. Istam sapientum, quos vocat, sententiam, refutet experientia & damnum eorum, qui integra dolia olei ad plures annos servant, qui omnes fatebuntur singulis diebus, tempus edax rerum, aliquid de pristina quantitate detrahere. Ad 3. forsan, per non forsan refutari. Imo aromata tantum abest, ut oleo vim perennandi conciliare potuerint, ut potius acredine sua & facul-

cultate corrosiva illud plus consumserint. Ad 4. concedi quidem illud. Sed tamen negari non posse bene magnam summam, ab initio statim, propter copiam tot vasorum, eorumque maximorum unctorum, oleo isti decessisse: & in Sacerdotum Regumque unctione non adeo parca manu illud inditum fuisse: ita ut maneat certum, solis naturalibus rationibus impossibile futurum, sufficere potuisse idem numero oleum Mosaicum omnibus illis unctionibus peragendis a Mosis tempore usque ad Josiam regem, circiter millium annorum periodo. Nostra sententia est; Oleum unctionis usu frequentiori, & tempore consumtum; reparandum fuisse, non secus atque sacrum suffimentum. Quare unitate individui perpetuum esse non poterat; & suffecisse, si unitate speciei ad posteros propagatum sit: Vox זה *hoc*, non necessario est Pronomen demonstrativum individui, sed & ejusdem secundum speciem: ut Exod. 12. 2. *Mensis* הזה *hic ipse*, non significat tantum eundem numero mensem, sed & eundem specie, quotannis rediturum. Sic v. 8. *In nocte* הזה *hac ipsa*. Nec deinde, ex phrasi, *in generationes vestras*, id consequitur: quod tempore Josiæ idem numero cum Mosaico fuerit absconditum. Nam ut nil dicam, modum illum argumentandi, usitatissimum Talmudicis, imperitam esse ἀσυλλογίστων, cum duæ voces similes, de rebus diversissimis dictæ, pro eodem negotio conficiendo, inter se conferuntur; si maxime daremus ex loco Exod. 16. 33. colligi, arcam eandem numero semper superfuturam, adeoque a Josia abscondendam fuisse: quomodo id statim sequeretur, idem etiam de oleo unctionis verum esse; quod idem numero usque ad Josiæ tempora debuerit superesse. Satis superfuerit, si secundum speciem idem superfuisset: sed ne ea quidem perpetuitas, ut antedictum, phrasi ea significatur, sed potius præcipitur, quo honore prosequi debeant illud Israelitæ, quamdiu superesset. Si dicas: At in forma ejus, quale illud erat, fieri interdictum erat v. 32. Respondeo 1. Varie exponitur במתכנתו *in forma* vel *summa ejus*. LXX. κατὰ τὴν σύνθεσιν ταύτην &c. *juxta compositionem hanc* &c. Sic & Vulg. Mog. *Solt kein anders auff die vveiss machen*. Luth. *Seines gleichen nicht machen*. Chal. *Et in similitudine ejus non facietis, juxta illud*. Trem. *secundum confecturam ejus, ne facitote simile ei*. Arab: وبمساكه *& in numero*, vel *summa ejus*. Beer Mos: אונד מיט זיינר זאל *und mit seiner Zahl*. Sic & R. Sal. Jarchi; *In summa* vel *numero aromatum ejus*: Et R. Ab. Ezra: *Ejus*, h. e. *aromatum, qui commemorantur, & in pondere eorum*. R. Sal. Jarchi, & Kimch. in Rad. *numerum* seu *summam certo pondere definitam*: ut מתכונת *summam laterum* Ex. 5. 8. Unde apparet, ipsos Rabbinos, sequutos scilicet Talmudicorum sententiam, statuere, non simpliciter prohiberi, omnem talis unguenti compositionem, sed eam tantum, quæ esset ad idem pondus, & eundum numerum illius compositionis Mosaicæ: Quare etiam supra §. 10. concedunt Rabbini; licuisse, si quis discendi modi hujus causa tale unguentum componeret, vel si ad dimidias partes illud conficeret. Unde R. Sal. Jarchi scribit in h. l. *Non facietis aliud quale hoc est, in pondere aromatum horum, secundum mensuram Hin olei. Sed si vel minus aut plus olerum acceperit secundum mensuram. Hin olei licitum est. Et quoque quod fit in summa hujus, si quis ungat se ex eo non est reus, nisi is qui coquit illud*. 2. Idem etiam dicitur v. 37. de suffimento sacro, quod tamen non semper idem numero supererat.

§. 10. Quæritur, *quatenus aliquis pœnam excidii incurrerit circa hoc oleum?* Respondeo 1. certum est, expresse dici Exod. 30. 33. *Vir, qui arte unguentarii conficiet, quale hoc est; & qui dabit de eo super alienum*; ונכרת *& excidetur e populis suis*. Rabbini de hac pœna excidii vel exterminii multa tradiderunt peculiari tractatu Talmudico, quem propterea כריתות Kerithuth, seu excidium nominarunt. Et statim ab initio ejus 36. casus commemorant, ob quos tali pœnæ quis obnoxius redditur, ut supr. §. 10. dictum? Definiunt autem eam pœnam, si quis morte præmatura a Deo occupatus, puniatur, & diem suum obire cogatur ante annum sexagesimum ætatis suæ; vel absque liberis moriatur ante tempus justum. Quidam Scholasticorum, quos alii nonnulli sequuntur, intelligunt hanc phrasin de excidio æterno, & rejectione ex æterna vita. Sed cum nimis rigida sit illa explicatio, neque quadret omnibus locis ubi de hac pœna agitur; alii mediam viam insistunt, & statuunt ipsa quidem phrasi, *excidi e populis suis*, simpliciter & per se non significari æternam, sed temporalem pœnam mortis, quæ tamen alicubi, ubi nulla pœnitentia præcessit, post se trahat mortem æternam. v. Rivetum in Gen. 17. 14. Non autem 2. pu-

putamus simpliciter hic, sub pœna excidii, interdici similis olei unctionis confectionem, sive in eadem quantitate, sive in minori, vel majori; sed si quis temere, nulla gravi causa adductus, in privatum suum usum illud confecisset. Quare etiam supr. §. 10. Talmudici eum absolvunt ab hac pœna, qui discendi modi illius causa id conficeret, confectumque cœtui traderet; & qui ad dimidias partes; non autem exacte ad hujus olei ponderis summam id componeret. Ubi tamen posterius, non simpliciter probandum esse censemus, quasi ipsa tantum illa summa Mosaici olei præcise, componi interdicatur; sed qualiscunque & quantacunque similis compositio, si temere fiat, rectius statuitur esse prohibita. 3. *super carnem hominis non* ייסך *ungetur*, vel *unget*; v. 32. Vox ייסך est sing. mas. Fut. Kal. a Rad. יסך *unxit*: habet in fine Kametz pro Patach, propter accent. distinct. Zakeph Katon. & incipit a Chirek magno, more aliquot talium verborum Quiesc. Pe Jod. Ita, ut ista Talmudicorum diversa lectione, pro יסיך, de qua sup. §. 10. dictum, plane non sit opus. Præsertim, cum Masoretæ hic nullius diversæ lectionis mentionem faciant. R. Sal. Jarchi: *Non unget ex oleo hoc ipso seipsum* Kimchi in Rad. pariter statuit, quod sit a Rad. יסך putatque deesse nominativum agentis, ut sensus sit: *si quis ungat aliquod oleum super carnem suam, non ungat de hoc ipso oleo. Alios tamen esse, qui passive intelligant, quasi esset* ייסך *ungetur*. h. e. *ne quis sibi ab alio hoc oleum inungi patiatur*; quo sensu passivo plerique interpretes accipiunt, LXX. χρισθήσεται, Vul. *ungetur*. Chal. יתסך *ungetur*. Quod Fagius non recte transtulit *fundatur*. Non enim est a נסך *fundere*, sed a סוך *ungere*. Arab. يدهن *ungat*, vel *illinat*. Beer Mos. עז זיל ווערדן גישמירט *Es soll vverden geschmiret* Luth. tamen etiam retulit ad verbum נסך *fudit*; cum vertit, *soll gegossen vverden*. Sed eo sensu dicendum fuisset יסך vel יסוך quod active significaret, *fundet*. Vel ינסך quod passive, *fundetur*. *Et qui dederit ex eo super* זר *alienum*, v. 33. Per זר alibi quidem significatur, in genere, *alienum quodcunque*: Esd. 28. 21. 2. Reg. 19. 24. item *quicunque est ex peregrina gente, vel aliena familia*. 1. Reg. 3. 18. Job. 19. 27. Psal. 44. 21. Prov. 11. 15. In specie, *qui non est de familia sacerdotali* Lev. 22. 10. 13. Num. 1. 51. c. 3. 10. 35. c. 18. 7. Hic significat, *quodcunque, vel quicunque est alienus a rebus vel personis consecrandis*. Puto enim non tantum alienas personas, sed & res alienas, voce ea notari. Trem. & Jun. *exteræ rei*. Nimis anguste ergo accipiunt hoc, qui putant per alienum hic tantum significari, *qui non est de familia Aaronis*: item, *qui eam dationem tantum intelligunt, quæ fit de manu hominis in manum alterius*: Cui sententiæ obstat, quod non dicatur; *quicunque dederit alieno*; sed notanter, *super alienum*: Nam, *dare super rem aliquam aliquid*, phrasi Hebræa usitatissime significat, *dando aliquid alicui imponere*, conf. Lev. 21. c. 4. 6. 28. 30. 34. 1. Reg. 12. 4. 9. &c. Quam ipsam etiam ob causam hic Scriptura ita loqui voluit, ut significaret, nulli extraneæ rei aliquid de hoc oleo dando imponendum esse. Quare non satis sententiam hujus loci expresserunt LXX. ὃς ἂν δῷ ἀπ' αὐτοῦ ἀλλογενεῖ *quicunque dederit de eo alienigenæ* Vel Vulgatus, *dederit ex eo alieno*. Chald. etiam ad solas personas videtur retulisse, etsi laxius exponat, de quovis חילוני *profano*, seu *laico*. Arabs adhuc laxius adhibet vocabulum غريب *peregrinus, exterus*. R. Sal. Jarchi: *Et qui dederit ex eo*, scilicet, *ex eo ipso Mosaico: super alienum*. h. e. *Quod non est necessarium quid sacerdotii aut regni* R. Ab. Ezra *Qui dederit ex eo super alienum, qui non est ex familia Aaronis. Dixit Haggaon p. m. Kabbala, seu traditio* πατροπαράδοτος *erat in manu Israelitarum, quod ungetur David & semen ejus ex oleo unctionis, non reges alii. Et necesse habuit exponere ita: ideo, quia accepit Zadok, ex oleo unctionis, quod fuit in tentorio conventus, & unxit eo Salomonem 1. Reg. 1. 39. Japhet autem dixit, quod, super alienum, significet, qui non est ex filiis Israel. Verum non dixit rectum. Nam ecce dicitur Numer. 18. 7. Et* הזר *qui est alienus, si appropinquet, occiditor. Et sensus est, propterea ut non appropinquet vir* זר *alienus, qui non est ex semine Aaronis. Alii autem dicunt; Exod. 30. 33. de eo, significare; de oleo unctionis, quod fecit Moses. Sed etiam hoc mihi non placet. Quia ab initio scribitur, v. 31. Oleum unctionis sanctitatis erit hoc mihi in generationes vestras. Et porro: v. 33. Vir qui arte unguentaria coquet quale hoc est, & qui dederit. Scilicet ex hoc ipso, quod est, quale illud; super alienum. Et ecce non est differentia inter oleum unctionis, quod fecit Moses, & inter id, quod fit postea, quod est, quale illud. Et excepta familia Davidica non scribitur* (quisquam regum unctus esse oleo unctionis). *Et secundum meam sententiam;*

tiam ; omnia præcepta veritas ſunt , reſpectu generationum Iſraeliticarum : ut , quod non debeant offerre holocauſtum , niſi tantum in loco illo electo . Et ecce Gideon , & Samuel , etiam Elias in monte Carmel obtulerunt holocauſta . Et mentionem feci Gideonis , ideo quod obtulit holocauſta , cum tamen non fuerit ſacerdos . Sic etiam Samuel : quia nil juvabit , ſi fuerit ex filiis Korachi . Et ecce hoc omne erat demonſtratio horæ , h. e. doctrina extemporanea , momentanea , & extraordinaria . Sic etiam poterimus dicere de rebus Salomonis , quod per modum demonſtrationis horæ , manu Nathanis Prophetæ , aut Gadi unctus fuerit oleo unctionis . Hactenus verba Ab. Ezræ. Ergo 5. ineptiſſimi ſunt Talmudici , qui putant §. 11. eum, qui ungit hoc oleo unctionis beſtiam , aut vaſa ; itemque gentiles , aut defunctos , liberum fore ab hac pœna: quia dicatur Ex. 30. 32. *ſuper carnem hominis,* &c. Nam 1. contrarium potius hinc colligendum fuiſſet, h. m. ſi ne quidem humana viva caro digna eſſe poteſt , cui hoc oleum inungatur, quanto minus digna erit beſtia, vel vaſa, vel defunctus. Longe ineptius adhuc id eſt , quod גוים *gentiles*, ſub quibus præcipue *Chriſtianos* intelligunt, pro non hominibus habeant, ex Ezech. 34. 31. Hæc ſcilicet eſt illa gratia , quam apud ſuperbum & ingratiſſimum hoc hominum genus merentur Chriſtiani , pro tam miti & tranquillo exilio, quod eas patiuntur agere inter ſe, ſatiſque commodo hoſpitio : ut ne quidem communi hominis titulo eos dignos cenſeant, ſed in unam cum beſtiis claſſem relegent. Cæterum occaſione hujus Talmudici loci , non poſſum ſilentio præterire imperitam illam , minus candidam & adulatoriam criſin Marci Marini, qui An. 1579. Baſileæ curavit edi Opus Talmudicum VII. Tomis diſtinctum, & ad mentem, ut ipſe ait , Concilii Tridentini purgatum : in quo, in gratiam & honorem , ut videri volebat, Chriſtianorum, Romanorum imprimis, integros tractatus omiſit , multaque loca in reliquis caſtravit, vel interpolavit. Ex. gr. in præſenti loco ſup. §. 11. expoſito, pro גוים *gentiles*, ſubſtituit vocem כותים *Cutthæos* , h. e. *Samaritanos* . Quod ipſum paſſim per Talmud fecit . Quaſi vero candido deſcriptori , vel interpreti operis alicujus liceat fingere , quid ipſe velit ab autore illo dictum eſſe. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

§. 11. Quæritur , *quantum olei hujus debeat eſſe , ut quis propter illud unctum vel datum , ſuper alterum , pœnæ hujus reus fiat?* Talmudici ſup. §. 11. hac de re diſſentiunt . Alio quantitatem quantulamcumque; alio eam , quæ exæquet olivam, definiente. Certum eſt, in Scriptura nullam certam quantitatem determinari. Putarem, rectius ſentire eos qui putarunt , quatulocumque pœnam iſtam incurri. Nam cum oleum unctionis fuerit 1. res liquida, ſeſe facile longe lateque oleoſa ſua pinguedine diffundens, bene magnum ſpatium inungi potuit vel in homine, vel in alia quacunque re , ſaltem parva ejus portione , aliquotque duntaxat ejus guttis. 2. Cum fuerit res ſummæ æſtimationis & pretii, dationi ejus nihil convenire poterat cum datione vulgari alius alicujus rei parvi æſtimatæ: ex. gr. cum datione carnis ſacerdoti dandæ Lev. 22. Quanquam enim quantitas talis dationis recte definita eſſet a Rabbinis , ſaltem olivæ magnitudine, tamen non ſequeretur, quod, ubicunque dationis alicujus mentio fit in Scriptura, minimum olivæ magnitudine eam eſſe determinandam : quia etiam rei dandæ pretium conſiderandum eſt . Nam ſi quis tibi det adamantem magnitudine fabæ , in pretio plus tibi dat , quam ſi daret integrum bovem . Sic de hoc oleo pretioſiſſimo , ſi quis dediſſet alteri tantam particulam , quæ magnitudine æquaſſet olivam ; longe plus dediſſet, quam ſi de carne beſtiæ Deo ſacratæ dediſſet alteri integrum femur , vel pectus.

§. 12. Quæritur , *an alii, præter ſacerdotes, hoc oleo poſtea uncti ſint?* Item *an eodem illo oleo Moſaico , an alio huic ſimili , vel plane diverſo ?* Rabbini hac de re non conſpirant : Talmudici quidam, ut ſupr. §. 9. ſtatuunt, Reges Iſraeliticos etiam eo unctos fuiſſe . Ubi tamen iterum in diverſas abeunt ſententias: aliqui enim tantum Reges domus David eo unctos fuiſſe putant; reliquos alio quodam oleo, ut balſamo . Aliqui non omnes promiſcue reges unctos fuiſſe, ſed eos tantum, qui non eſſent Rege nati, ſed jure electionis, vel recens demum ad regnum veniebant; vel quibus ab alio quodam controverſia ſtatus movebatur. Oleum ipſum unctionis fere idem cenſent fuiſſe numero , cum Moſaico. Quo neceſſario omnes ſummos Sacerdotes tradunt unctos fuiſſe uſque ad tempora Joſiæ regis . A quo tempore , opobalſamo unctio ſit peracta. Imo aliquando in ſummi Sacerdotis inauguratione ſolam inveſtituram fuiſſe adhibitam . Unde in Tr. Maccoth f. 11. 1. In Miſchna ita traditur: *Tam Sacerdos* (ſum-

(summus), *unctus oleo unctionis* (quales erant summi Sacerdotes, usque ad tempora Josiæ), *quam investitus cultu sacerdotali* (quales erant, qui ministrabant deinceps post tempora Josiæ, quo tempore absconditum erat oleum unctionis, qui solis vestibus sacerdotalibus indutis inaugurabantur) *& qui transivit ex unctione sua*, (quum illegitimi quid accidebat in summo Sacerdote, ut ministraret alius pro eo, & sanitate recepta, summo sacerdote restituto in ministerium suum; hic transibat ab unctione sua), *si moriatur; in causa sunt, ut patriæ suæ restituatur ex exilio homicida involuntarius*, *Num.* 35. 25. *R. Juda dicit: Etiam unctum belli mortuum, restituere talem homicidam suæ patriæ. Propterea matres Sacerdotum victum atque amictum illis exulibus suppeditabant, ne filiorum suorum mortem precibus suis accelerarent*. Rivetus comm. in Exod. 30. statuit *Elisæum, regem Jehu nom unxisse oleo unctionis, sed alio, parato quidem ad eum usum, sed non ex eadem compositione*. Idem etiam, putat, dicendum de oleo, quo uncti sunt Prophetæ. De Salomone concedit, eum unctum fuisse oleo unctionis; sed dubitanter: addit enim; potuisse etiam ibi parari aliud unctionis genus: quale putat a Samuele paratum esse, in unctione Saulis & Davide putat, certum esse, quod alio, quam oleo unctionis, fuerit unctus. Eliam unxisse Azaelem 1. Reg. 19. & Jehu; ministerio Elisæi, oleo quidem Sacro aliquo, sed a Prophetis ipsis, alio modo sacrato; Non illo sacerdotali, in templo asservato. Mihi videtur, 1. Multos quidem reges Judaicos unctos, quandoque & exteros; interdum & Prophetas, ut Elisæum, 2. Reg. 19. 16. legi. Sed non in omnibus fuisse necessarium; ut in summis sacerdotibus. Factum id fuisse peculiari Dei instinctu; probabilique eos ductos ratione, non manifesto Dei aliquo præcepto. 2. Non necessarium fuisse, ut idem numero oleum unctionis Mosaicum semper superesset sed eo absumto, a sacerdotibus, vel Prophetis, aliisque idoneis a Deo visis personis potuisse simile illi reparari, ad usus necessarios, quo, pro re nata, si opus esset, vel summos Sacerdotes, vel Reges, vel Prophetas ungerent. An vero omnes, qui in sacro codice uncti leguntur, simili per omnia isti primo unctionis oleo uncti fuerint, nolim asseverare. 3. Si quæ regna, inter Christianos, ritum illum ungendi reges suos, retinent; pro politica inaugurationis ceremonia habendum esse puto; valde lubrico autem fundamento niti, quod de oleo sacro cœlitus, eam in rem delato, ostentatur ab aliquibus.

§. 13. Quæritur, *si quis oleum hoc inunxisset regibus & sacerdotibus, semel jam unctis, an etiam obnoxius fuisset isti pœnæ Exod. 30. 33. indictæ:* Dissentiunt in hac quæstione decidenda Talmudici §. 11. Ego subscriberem illorum sententiæ, quod si quis gravi de causa, non temere, vel Sacerdoti, vel regi semel uncto, de hoc oleo partem aliquam superinfudisset, vel inunxisset, si vel etiam major fuisset oliva, pœnam hanc non incurrisset: Quid enim obstat, quo minus dicamus; Sacerdoti summo, vel Regi sæpius quam semel de hoc oleo unctionis aliquid inditum fuisse; si non alius, saltem majoris ornamenti & fragrantiæ in eo efficiendæ causa? Nam 1. valde probabiliter colligitur, ex Ps. 133. 2. quod in solennibus festis, quibus summus Sacerdos magnificentissime induebatur & comebatur; ut Aaron, ita & ejus successores; oleo isto largius caput suum perfundere fuerint soliti. Fabulam enim illam Judaicam nihil moramur, quod Aaroni ex prima unctione perpetuo adhæserint largæ olei unctionis particulæ. 2. Casus aliquis necessario accidere potuit, quo in summo sacerdote repetenda erat unctio: Ex. gr. si eo mortuo, unctus belli, quem Talmudici concedunt oleo unctionis ungendum fuisse, ei succederet, & pro successore inaugurandus esset. 3. Certum est, Reges aliquoties legi unctos: ut David prima vice 1. Sam. 16. 1. 13. secunda vice, 2. Sam. 2. 4. 7. Tertia, cap. 5. 12.

§. 14. Quæritur, *quo vase usi sint in actu unctionis?* Respondeo, duorum mentionem fieri 1. קרן *cornu*. 1. Sam. 16. 13. 1. Reg. 1. 39. 2. פך *lecythi* vel *lenticulæ*. 1. Sam. 10. 2. 2. Reg. 9. 1. 3. a פכה *promanavit* Ezech. 47. 2. Kimch. in Rad. exponit צלוחית *paropsidem, ex qua proferebant & effundebant oleum*. Si una tantum lecythus, vel cornu asservatum fuerit in tabernaculo, in quo esset tota olei unctionis summa sup. §. 20. & 21. descripta; prorsus non fit verisimile ex illo ipso cornu in actu unctionis dispensatum esse hoc oleum, præsertim cum capiti infundebatur: quia minimum pondus dimidii centenarii æquasset. Quare ex illo in minus vasculum, ad commodiorem usum, proculdubio transfusum erat. Quod vero Talmudici supra §. 9. ex hujus vel illius usu, præsagium petunt regni, vel diutius duraturi, vel citius abolendi; superstitionem olet. Sicut & cætera, quæ ibi sive omina, sive portenta recensentur.

§. 15. 1. *Cujus manu unctio hæc peragenda erat?* R. Abarbenel Comm. h. l. quem inter Varia ſua, Latinitate donatum, edidit Simeon de Muis; cenſet; *Solius Prophetæ manu unctionem Regum ſemper peractam.* Hoc an præcis ſe ſemper hic factum ſit; & an ex neceſſitate aliqua, non conſtat. Certe præceptum hac de re nullum exſtat. Et ſummorum ſacerdotum unctionem, ab alio Sacerdote peractam eſſe, veriſimile eſt. 2. *Cui loco unctio applicita eſt?* Sacerdotibus & Regibus quidem in capite: & illis quidem, ſi vera eſt Rabbinorum Traditio, inter palpebras incipiendo, & pergendo per caput, uſque ad cervicem. In his pariter, ut putat R. Abarbenel, inter palpebras, ducendo coronam. In vaſis autem; in quavis eorum parte. R. Abarbenel cauſam hujus rei in eo locat: *quia hominibus facultatum fundamentum in cerebro poſitum ſit* &c. 3. *An ſimpliciter tantum unctione peracta hæc conſecratio eſt?* In vaſis quidem, ſola inunctio fiebat. In ſacerdotibus autem & regibus; præter unctionem fiebat & infuſio olei illius. Interdum & aſperſio, Lev. 8. 11. 30. Cauſam ejus rei R. Abarbenel exponit: *quia Sacerdotum & Regum unctio, ob duas cauſas fuerit. 1. Ad uniendum, peculiaremque Deo faciendum eum, qui ungitur. 2. Ut ille diſponeretur ad recipiendum divinum influxum: quorum illud fiebat unctione; hoc affuſione illius olei. Aſt in vaſis, in quæ non cadebat niſi ſeparatio & addictio, unam iſtarum actionum, nempe unctionem, ſatis fuiſſe: cum vaſa non receperint Spiritum Sanctum?* 4. *Utra potior, unctio an infuſio?* De hoc diſſentiunt Talmudici ſupr. §. 9. Utraque ſententia probabilibus nititur argumentis. Si verum eſſet, quod Abarbenel cenſet: *infuſione collatam eſſe Spiritus Sancti gratiam, unctione autem tantum peractam conſecrationem*; illa hac foret præſtantior. 5. *An, ut in deſerto, non tantum ſummus Sacerdos, verum etiam reliqui ſacerdotes, & vaſa ſacra, uncta: ita etiam impoſterum vulgares Sacerdotes aliaque vaſa, prioribus uſu conſumtis ſubſtituta, præſertim Templum Salomonis ejuſque vaſa, ungenda erant?* Talmudici de Sacerdote tempore expeditionis bellicæ deſignato, ſtatuunt, eum hoc oleo inunctum fuiſſe ſupr. §. 9. De reliquis Sacerdotibus, & vaſis res non ita clara eſt. In Scriptura Sacra non legitur, vel præceptum, vel exemplum vulgarium Sacerdotum, aliorumque vaſorum poſteris ætatibus unctorum. R. Abarbenel negat: *filios eorum Sacerdotum, qui in deſerto uncti erant, poſtea unctos fuiſſe. Vi enim primæ illius inunctionis, qua ſemel delibuti fuerant patres, ſanctitatem adeptos eſſe.* 6. *An etiam alii Duces & Principes Iſraelitarum; ut Judices, & aſſeſſores Synedrii uncti?* Hujus rei iterum nec præceptum, nec exemplum legimus. R. Abarbenel, *hoc ideo in his omiſſum eſſe cenſet: quia horum adminiſtratio non fuerit perpetua, neque ad eorum filios jure hæreditario pertinuerit.* Quare nullo fundamento nititur R. D. Kimchi ſententia in Pſal. 133. ubi ſcribit *Zach.* 4. 14. *Zerubabelem & Joſuam vocari duos olei filios; ideo, quia ipſi ungebantur oleo unctionis: alter ad Sacerdotium; alter autem ad regnum.* 7. *Quo loco peragebatur?* Talmudici ſupra §. 9. tradunt, *eam peractam eſſe, in Regibus, ad fontem, ex* 1. *Reg.* 1. 33. 34. cauſamque addunt ejus rei; *ut diutius protrahatur regnum ejus.* Idem repetit R. Abarbenel. Sed arbitror ex uno exemplo non exſtruendam eſſe regulam: cum una hirundo non faciat ver. De aliis regibus non legimus, quod ad fontem uncti ſint. Neque iſti ſuperſtitioni Rabbinorum pium Davidem obnoxium fuiſſe arbitror; quod boni ominis cauſa, vel ipſe hoc fieri curarit, vel aliis pravo exemplo, ad ſimile impoſterum faciendum, præire voluerit. Habuit ergo alias plane, svavioreſque cauſas, quare filium ſuum ad fontem illum inungi mandaret. Sacerdotes ubi uncti ſint, aperte non legimus. Veriſimile tamen eſt, in ipſo ſanctuario id peractum eſſe. 8. *Quo tempore?* Neque hoc certo definitum legimus. R. Abarbenel cenſet: *unctionem fieri debuiſſe de die, non autem de nocte: quomodo legamus inunctos fuiſſe omnes tum Sacerdotes, tum Reges; interdiu, non autem noctu. Cauſamque hujus rei manifeſtam eſſe, ſignum boni ominis: nempe, quo id regnum, eaque dignitas pura exiſteret, ac lucida, ſine tenebris, & anxietate. Quo ſenſu dixerit David,* 2. *Sam.* 23. 4. *Et ſicut lux auroræ* &c. 9. Quæritur. *Quo loco oleum hoc unctionis aſſervatum ſit?* Reſpondeo dubitandum non eſſe quin in tabernaculo Dei, & deinde, in templo Salomonæo fuerit cuſtoditum. 1. Reg. 1. 39. In quo autem loco ejus, in peculiari ne aliqua camera, an in Sancto Sanctorum, & quidem in arca fœderis, vel in medio templo? De eo certi quid non conſtat. Cum Scriptura hic taceat. R. Abarbenel quidem Comm. in Exod. 30. ſcribit היתה צלוחית השמן האלהי הזה מונחת תמיד אצל ארון האלהים

האלהים *Olei hujus divini lecythus semper reposita erat apud arcam Dei*. Sed quo argumento hoc constat? Imo vero obstat huic sententiæ, tum interdictum, quo nemini, nisi Sacerdoti summo, idque semel duntaxat in anno, die nempe expiationis, licebat ingredi in Sanctum Sanctorum, *Lev.* 16. 2. *Hebr.* 9. 6. 7. Quomodo ergo quolibet die, quo usus poscebat, oleum illud inde ab alio etiam, ex. gr. Samuele &c. desumi potuisset? Tum quod in Sancto Sanctorum aliud nihil dicatur fuisse, quam aureum thuribulum, & arca testamenti, in qua fuerit urna aurea habens Manna, & virga Aaronis, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti. *Exod.* 25. 20. &s. *v.* 21. 22. 1. *Reg.* 8. 9. 2. *Chron.* 5. 10. *Hebr.* 9. 4. 5. In loco tamen sacratiori custoditum fuisse vel inde liquet, quia custodia ejus, non vulgaribus Levitis, neque aliis Sacerdotibus; sed Eleazari, proximo a summo Sacerdoti commendata erat *Num.* 4. 16.

10. *An Servator noster Jesus oleo aliquo materiali unctus fuit?* Certum est, eum oleo aliquo ungendum fuisse: quia prædixit David Psal. 45. 8. *unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*. Et ipse Messias per Esaiam cap. 61. 1. ait: *Spiritus Domini Dei super me: quare unxit Dominus me*. Et in Nov. Test. Actor. 4. 27. dicit Ecclesia ad Deum in precibus suis: *Sanctum puerum tuum, quem unxisti*. Quamobrem toties Hebræis משיח *Messias*, Græcis Χριστὸς, *Christus*, hoc est, Latine *Unctus* dicitur. Certum autem est, hæc loca non intelligenda esse de corporeo aliquo oleo, ministerio alicujus hominis, Christo infuso: sed de Gratia Spiritus Sancti, sine mensura, humanæ naturæ Christi a Deo data *Joh.* 3. 34. Qua de causa Petrus dicit Actor. 10. 38. *Deus Jesum unxit Spiritu Sancto & potentia*. Quanquam vero hæc ita sese habeant, pie tamen credimus, rem non carere magno mysterio, & non absque singulari Dei dispensatione factum esse, quod Jesus a Maria, sancta illa fœmina, paulo ante mortem crucis, per quam potentissime triumphatis suis hostibus cœlestem æterni sui regni thronum iniit, pretiosissimo unguento, nardi pisticæ, capiti ejus infuso, inungeretur *Matth.* 26. 7. *Marc.* 14. 3. Cujus fragrantia uti tunc totam domum odore suo implebat, Joh. 12. 3. ita memorabilis illius sancti memoria totum mundum ad novissimum diem, *suavissima memoria Eccles.* 7. 2. merito implere debet, ipso Christo præmonente, *Matth.* 26. 13. *Mar.* 14. 2.

§. 16. * Quæritur, *an perpetuo tali materiali chrismate, etiam in Ecclesia Christiana, opus sit?* Id summopere contendunt Pontificii: qui volunt oleo isto unctionis non tantum præsignificatum fuisse chrisma N. Testamenti Spirituale quod & ipsi largimur: sed & typum fuisse alicujus materialis chrismatis, in Sacramento confirmationis usurpandi perpetuo & necessario. Sic Bellarm. l. 2. de Sacra. Confirmationis Cap. 8. Ubi scribit, *unguentum Exod. 30. figuram fuisse Chrismatis, quo ungitur Ecclesia* &c. Et paulo post: *Illud autem erat ex oleo olivarum, cum admistione odoriferorum succorum quorum unum erat* בשם *quod stacten, & etiam balsamum fuisse dicitur*. Sic & Bailius Jesuita in Catechismo Cathol. Controv. Tr. 2. Quæst. 18. *Chrismatis benedictionem, usumque ejus semper obtinuisse in Ecclesia, ejusque figuram in veteri Lege præcessisse. Aaronem enim, ipsiusque filios oleo consecrato inunctos fuisse Exod. 30. Samuelem, vasculum, oleo ad reges consecrandos destinato plenum, habuisse, ut appareat ex* 1. *Reg.* 1. & 16. Respondeo, nos necessitatem, nullibi a Christo, vel Apostolis nobis præceptam, simpliciter negare: qua de re plenius videri poterunt, qui ex professo hac de re scripserunt Theologi tum nostrates, tum Calviniani, inter quos Rivetus in Catholico Orthodoxo. Hoc unicum, quod nostras literas attinet, superaddimus, quod subeat mirari, Bellarminum, qui alias vult videri Hebraicarum literarum peritiam ostentare, hic tam turpiter aliquoties impingere. 1. Cum dicit בשם hoc est *aroma*, in genere; *unum fuisse de succis odoriferis illis olei unctionis*: perinde ac si dicerem, *aroma, fuit unum de aromatibus*. Nam בשם, ut supra §. 15. ostensum, non fuit distincta species, sed vel genus, vel adjunctum singulorum aromatum. 2. Cum dicit בשם *fuisse stacten, & etiam balsamum*. Quorum neutrum verum. Vox בשם vel בשם a Vulg. cujus autoritate standum est Bellarmino, nunquam vel *Stacte*, vel *balsamum* vertitur: sed semper, vel aro-

* Doctiss. Bellarm. in argumento ex v. 42. *Veteris Testamenti* figura ducto (quod minime apodicticum putat) unguentum figuram fuisse probat unctionis sacramentalis. Quo in unguento cum præter oleum alia odoramenta ponerentur, ita eo in oleo extremæ unctionis præteroleum odoriferum balsamum permiscendum jure cum Ecclesia statuit. Quando autem, ait *quod stacten, & etiam balsamum fuisse dicitur*: plane videtur non ex animi firma sententia, sed ex quadam conjectura loqui incoparabilis vir.

aroma, ut Exod. 25. *6.* c. 35. 28. Ezech. 27. 22. 1. Reg. 10. 10. 25. 1. Chron. *9.* 29. 30. 2. Chr. *9.* 1. *9.* c. *16.* 14. c. 32. 27. Can. 4. 10. *16.* c. 5. 1. 13. c. *6.* 1. c. 8. 14. *Vel suavis odor*, ut Es. 3. 24. *Vel unguentum*, ut Can. 4. 14. *Vel pigmentum*, ut 2. Reg. 20. 13. Ester 2. 12. vel *odoramentum*, ut Esdra 39. 1. Vel plane prætermittitur, ut Exod. 30. 23. c. 35. 8. Neque poterit mihi quisquam Bellarmini defensorum ullum idoneum Scriptorem Hebræum allegare, qui statuat, vocem בשם significare *Stacten*, vel *balsamum*. Alias *Stacte* Hebræis vocatur נטף Exod. 30. 34. Aliquibus, etiam לוט Gen. 37. 25. *Balsamum* autem, seu *opobalsamum*, dicitur צרי Gen. 37. 25. Et, ut quidam putant, פנג Ezech. 27. 17. Talmudicis autem אפרסמון בלסמון vel פלסמון Phrasin illam Ester 2. 12. שמן המור *oleum myrrhæ*: R. Huna in Tr. Schabbath f. 80. 2. exponit voce סטכטי *Stacte*, vel *balsamum*. Vocatur balsamum etiam interdum פיליטון item שעיף

§. 17. *An olei alicujus sacri usus, Christianis perpetuo adhibendi, commendatus sit?* In Sacris Nov. Testamenti tabulis, aliquot oleorum fit mentio, quorum aliqua proprie dicta quidem olea significant, sed tamen sub olei, ejusque usurpati figura, varia monita nobis præscribuntur. Tale 1. oleum erat, quod pro leniendo, vulnere Samaritanus vulnerato illi viatori una cum vino infundisse legitur, *Luc.* 10. 34. Quo simul Christus nobis præscribere voluit officia misericordiæ, cuilibet, qui ope nostra indiget, exhibendæ. Quod voces, *oleum comparandæ sanitatis, & declarandæ mutuæ erga omnes charitatis*. 2. Oleum, quo sibi hospiti caput a Pharisæo Simone unctum fuisse, negat Christus *Luc.* 7. 46. Quod voces, *oleum declarandæ hospitalitatis*. 3. Oleum, quod ægrotis quibusdam ungendis, eoque miraculose curandis, partim a Presbyteris interdum in primitiva Ecclesia, ad certum tempus usurpatum fuit, *Marc. 6.* 13. *Jac.* 2. 14. Quo simul præfigurabatur interna Spiritus Sancti, per fidem & preces ægrotantis & astantium impetrata & collata curatio, animique medicina. Quod voces, *oleum miraculosæ efficacitatis, & symbolicæ animæ vivacitatis*. 4. Oleum, quod prudentes virgines, Sponso in occursum ituræ, dicuntur in vasa sua sumsisse, eoque lampades suas instruxisse: quo simul prudens in fidei augumento, & conservatione studium, & accurata in vitæ conversatione vigilantia significatur, *Luc.* 7. 46. Quod voces, *oleum vigilantis, & sedulitatis*, 5. Oleum, quod iniquus ille quæstor in detrimentum domini sui, suum tamen commodum caute promoturus, intervertit, *Luc.* 16. *6.* Quo simul Christus suis commendare voluit studium prudentis usus bonorum hujus vitæ. Quod voces, *Oleum prudenter exercendæ liberalitatis*. *6.* Oleum lætitiæ, quo Christus dicitur unctus, *Hebr.* 1. *9.* Quo significantur dona Spiritus Sancti, ei a Deo Patre donata, non ad mensuram, in æternam Ecclesiæ suæ salutem. Quod voces, *Oleum immensæ Divinitatis, & gratiæ spiritualis, pro cujusque Ecclesiæ membri mensura, inexhaustæ communicabilitatis*. 7. Oleum, quod Angelus lædere prohibetur, *Apoc.* *6. 6.* Quo simul sub ænigmate olei, puritas doctrinæ Christi apud electos mansuræ & propagandæ, juxta quosdam interpretes, prædicatur. Quod voces, *oleum perpetuo duraturæ ad finem usque mundi Christianæ doctrinæ integritatis*. 8. Oleum voluptuosum, de quo mercatores, qui cum meretrice Babylonica nundinati sunt, conqueruntur, quod pretium suum, cum aliis suis mercibus, amiserit: *Apoc.* 18. 13. Quod voces, *oleum cavendæ hæreticæ pravitatis, & scorti illius pellacis voluptatis*. Omnium horum oleorum usus suo modo Christianis vel usurpandus vel fugiendus præcipitur. Non tamen alicujus materialis sacri olei usus pro re sacra adhibendus, & quidem modo ordinario nobis commendatus est.* Quare rejicitur hodie ille olei alicujus sacri usus, quem Pon-

* Scheidius hic insanire prorsus videtur, dum tot nugamenta simul colligit ad evertenda Ecclesiæ Catholicæ firmissima dogmata, ac laudabiles consuetudines. Sacram unctionem in Ecclesia tanquam veri nominis sacramentum semper ministerio Sacerdotali fuisse fidelibus dispertitam invictissime probat Joan. Maldonatus in Tract. de extrema Unctione, Guillemus Estius in 4. sent. & Natalis Alex. contra Dallæum & Arcudius in sua concordia. Quod vero omnem cavillandi aditum Hæterodoxis precludit, illud est argumentum quod ab utriusque Ecclesiæ deducitur consensione. Nam utraque hæc Ecclesia, Græca & Latina Unctionis Sacramentum habuerunt ante schisma, idest ante annos octingentos, cum nec ambæ, nec alterutra potuit hujusmodi sacramentum tradere post schisma: nam quæ primo incepisset, ab altera fuisset tamquam novitatis rea accusata. Si igitur ante ortum Schisma commune erat toti orbi Christiano hoc sacramentum, quando quæso tunc irrepere potuisset novum hoc sacramentum, ac silente tota Ecclesia in sacramentorum numerum adsciri? Hæc sunt consueta Novatorum portenta. Nec extraordinarium dici potest fuisse usum illum apud Apostolos ungendi fideles;

Pontificii perpetuum volunt in Ecclesia Christiana, partim Judaizante imitatione lucernæ perpetuo in templo ipsorum ardentis, partim temere exstructo singulari aliquo Sacramento, quod extremam unctionem vocant, oleo olivarum fieri solitus. Oleum illud ab Apostolis & Presbyteris primitivæ Ecclesiæ usurpatum miraculosum & extraordinarium fuit, nobis hodie æque frustra, atque impositio manuum, cum spe acceptandi doni linguarum, citra ullum studium suscipienda. De quo oleo quæri potest; simplexne, an cum cum aliis speciebus mixtum: olivarumne, an alius speciei oleum: insitane vi, medendi facultatem an singulari Dei gratia superveniente, habuerit: sacrumne aliquod, & certa consecrationis formula consecratum, in sacro thesauro reconditum & asservatum, an vulgare, & ubivis obvium sumtum, extra usum neglectum, & si quid post unctionem sanctam superflui manserit, profanis usibus relictum sit. Mihi videtur, fuisse simplex oleum olivarum, non unguentum, ad formam olei unctionis sacerdotalis compositum; pro temporis & loci ratione vel omissum ab Apostolis eorumque successoribus; ex Vulgari, quod obvium erat, pro re nata assumtum; nulla certa consecrationis formula, quæ vim ei sanandi imprimeret, consecratum: & si quid ex eo superesset, quibusvis aliis usibus, pro arbitrio, cessisse; cessasse autem ejus usum tum, cum ipsa experientia edocti Ecclesiæ antistites, sentirent, se non amplius instructos esse extraordinario dono miraculorum pro libitu edendorum; vel saltem ab eo tempore cessare debuisse.

§. 18. *Quot modis, seu actibus oleum unctionis adhibitum fuit?* Eorum tres leguntur in codice sacro, 1. *Actus infusionis*, quo rebus, præsertim personis, earumque capiti infundebatur, *Lev.* 8. 12. 2. *Actus unctionis*, quo consecranda, digito ut videtur, forte indice, assumta parte aliqua istius olei spissiore, velut unguento quodam, certo charactere insignita inungebantur, *Exod.* 30. 26. 30. *Lev.* 8. 12. De ipsis impressis characteribus supra dictum est. *An vero præter caput Sacerdotis etiam alias corporis partes unguento isto inunxit?* Ita quidem censuit *Chrysost. Hom.* 4. adversus Judæos p. m. 504. Ἀναμνήσθητι τοίνυν πῶς Ἀαρὼν ἐγένετο ἱερεὺς τότε. πόσας ἐπ' αὐτῷ θυσίας ἔθυσεν ὁ Μωϋσῆς. πόσα κατέβαλεν ἱερεῖα. πῶς αὐτὸ ἔχρισε τὸν λοβὸν τοῦ ὠτὸς, τὴν χεῖρα τὴν δεξιὰν, τὸν πόδα τὸν δεξιόν. *Recordare igitur, quomodo tum Aaron factus sit Sacerdos; quot hostias pro illo immolarit Moses; quot dejecerit sacra; quomodo unxerit ipsius extremum auriculæ, manum dextram, pedem dextrum.* Sed unde hoc habeat, non constat. Nam in Scriptura non legitur, quod istæ partes oleo isto inunctæ: sed quod sanguis arietis mactati inditus fuerit istis corporis partibus, *Lev.* 8. 23. Aut ergo fuerit παρόραμα aliquod, seu lapsus memoriæ Chrysostomi: aut verbo χρίειν *ungere*, generaliter utitur, non pro unguenti illius inunctione, sed sanguinis injectione. 3. *Actus aspersionis.* De eo expresse legitur *Lev.* 8. 11. ויז *& aspersit Moses de eo* (oleo unctionis) *super altare septies.* Item v. 30. *Et accepit Moses de oleo unctionis, & de sanguine, qui super altari erat,* ויז *& aspersit super Aaronem, super vestes ejus, & super filios ejus, cum ipso, & sanctificavit Aaronem & vestes ejus, & filios ejus, & vestes filiorum ejus, cum ipso.* Verbum ויז quod hic legitur, quia difficilioris est analysios Grammaticæ, in gratiam tyronum resolvam. Est autem 3. sing. fut. masc. Conjug. vel *Kal*, vel *Hiphil*, a Radice נזה *aspersus fuit*, interdum & active, *aspersit*; verbo dupliciter Imperfecto: Defectivo פנ & Quiescente לה. Quod in fut. Kal. haberet perfecte ינזה ut יפקר Pro quo habet יזה ut legitur *Lev.* 6. 27. propter utramque istam anomaliam: & propter vav conversium patitur Apocopen, He cum Segol abjecto ויז *& aspersa est*; ut legitur 2. *Reg.* 9. 33. Vel ויז *& aspergetur.* Nam, ut *Schickardus in Horol. Reg.* 85. *obs.* 4. notat, augumentum antecedens aliquando in zeri mutatur in conj. Kal. Hic autem ויז est in futuro Hiphil: quod alias perfecte esset ינזיה ut יפקיר. Sed propter duplicem Anomaliam Nun abjecto, & assumto Dagesch forti; terminatio-

les; nam post Apostolos talem usum semper viguisse ex perpetua Traditione probatur apud Auctores mox adductos.


Ad ea vero quæ addit malæ mentis Hereticus circa lucernarum usum in Ecclesia, quam judaizantem propter hoc appellat, S. Hieronymus dum Joviniano similia effutienti respondet, Scheidium suosque similes invicem refellet. Ante etiam Hieronymum luculentissima extant monumenta quæ usum luminum & lucernarum in Ecclesiis commendare videntur. Nam in ipsis Actis Proconsularibus ait Card. Bona: traditæ leguntur in Africa ministris Diocletiani lucernæ argenteæ septem, & undecim cereofala. Luminum usum frequentissimum fuisse ac probatissimum in Ecclesia abunde satis probat Card. Baronius ad ann. 58. & Cardinalis Bona Rerum Liturgic.: lib. 1. cap. 25. §. 7.

nationeque in Sægol, facit יזה, & propter vav conversivum patitur Apocopen, fitque ויז. Pro quo quidem, ut *Schickardus in horol. Reg.* 85. *obs.* 3. notat; Augumento antecedenti in Conjug. Hiphil mutato in Sægol, haberet ויז. Verum, ut *Buxtorff. in Thes. Gramm. Ling. Sanct. Cap.* 25. *p. m.* 289. scribit: *Ex Defectivis prima* נ, אט *declinavi Job* 23. 11. *cum Kametz loco Pathach, propter accentum: nam alibi est* ואט *pro* ואטה *Hos.* 11. 4. *sic* ויז *& aspersit, Lev.* 8. 11. Aspersio hæc fiebat, intincto digito in rem liquidam, ex. gr. oleum unctionis, sanguinem, vel aquam; eique digito humor adhærens, veluti talitro aliquo, alteri rei aspergebatur, *wurde ihm gleichsam durch ein schnall angesprutzt*. Talmudici sentiunt digitum illum fuisse indicem dextræ manus, quem propterea κατ' ἐξοχὴν אצבע *digitum* vocari volunt, a צבע *tinxit*, quasi dicas *tinctorem*.

§. 19. Pinguntur & panduntur hic iterum variorum mysteriorum Evangelicorum & morum imagines. Filius Dei est המשיח *unctus ille: quem Pater unxit Spiritu Sancto*, Luc. 4. 28. Actor. 4. 27. c. 10. 38. Hebr. 1. 9. *sanctificavit* Joh. 10. 36. *absque mensura*, Joh. 3. 34. *Christiani omnes* משיחים *uncti* Psal. 105. 15. *Chrismate Spiritus Sancti* 2. Corinth. 1. 21. 1. Joh. 2. 20. 27. *sanctificati in veritate* Johan. 17. 19. *in Christo Jesu* 1. Corinth. 1. 2. *& in spiritu Dei* c. 6. 11. *in Deo patre*: Judæ v. 1. *in santificatione Spiritus*, 2. Thes. 2. 13. 1. Pet. 1. 2. *Sacerdotium sanctum* cap. 2. 5. *regium Sacerdotium*, v. 9. *Reges & Sacerdotes, quos Christus nos fecit Deo*. Apocal. 5. 10. Ergo non dehonestemus, vel doctrinæ falsitate, vel morum improbitate hanc summam dignitatem, sed ut Sacerdotes decet, sancte vivendo, offeramus Deo spirituales hostias: & ut reges, fortiter militemus, adversus hostes infensissimos Diabolum, mundum & carnem, donec Christi virtute illis triumphatis, coronam justitiæ, a Domino Jesu, justo illo Judice, in extremo die reportemus: ubi demum perfecte, in divino & mutuo cum Angelis & beatis hominibus amore, instar odoratissimi hujus olei unctionis contemperati, ipsi fragrantes, odorabimur cum summa & perpetua voluptate; quam bonum & quam jucundum sit, habitare fratres in unum,



DA.



DANIELIS WEIMAR
DISSERTATIO
DE UNCTIONE SACRA
AC INAUGURALI HEBRÆORUM.

P R O OE M I U M.

A Meditullio veritatis desumtum est, quod *Ludovicus Capellus* in Præfatione ad Lectorem *Spicilegio* præmissa scribit: *Multa in N. Testamento sunt, in quibus tum Christus, tum ejus Apostoli respexerunt ad mores, placita, dogmata, usum, consuetudinem, sententias, proverbia, parabolas, gnomas veterum sui temporis Judæorum, inter quos vixerunt & docuerunt, inde fit, ut in his lux non contemnenda elici & educi possit ex illorum scriptis & antiquioribus monumentis ad horum illustrationem aut confirmationem, & vero etiam declarationem atque explicationem*. Cuilibet enim N. T. evolventi facile patet ob oculos, quod scripta Evangelistarum ac Apostolorum ubique scateant institutis gentis Judaicæ. Non igitur illa quis perfunctorie & fugitivo quasi oculo intueri; sed probe potius perscrutari ac rimari debet. Nec ad intimiorem veniet scientiam, nisi prius enodarit involucra, illaque separarit. Si velum de splendidissima Mosis facie removetur, veritas cœlestis quam longissime se diffundit, radiosque suos hinc inde spargit. Sic Salvator noster Messias seu Christus dicitur, a quo tanquam a capite nostro & nos Christiani dicimur. Quantum vero lucis affunditur huic rei ex perantiquo ungendi ritu, quo olim in Inauguratione Regum ac Sacerdotum Judæi utebantur? Quare etiam nos impræsentiatum elegimus Thema hoc, quod de Unctione sacra ac Inaugurali Hebræorum agit. Et cum nobis ob juvenilem nostram ætatem minime datum sit, in abstrusiora Sacrarum antiquitatum adyta introire, per transennam tantum in illa introspicere animus noster valde gestit. Id interim fiduciæ relictum esse firmiter nobis persuademus, quod bonæ men-

mentes nubeculam oculis noſtris obverſantem non tam augere, quam diſcutere potius ſatagant. Ita tamen præſentem materiam pertractabimus, ut hanc in IV. Capita diſpeſcamus. Quia enim pretioſiſſimum adhibebatur oleum, quod & ipſe DEUS Moſi conficiendum præſcripſit, oleum & operam minime nos perdere putamus, ſi in Cap. I. *ipſas Species*, quæ hoc oleum ſanctiſſimum ingrediebantur; in II. *harum pondera & menſuram* altius expendamus. Deinde in Cap. III. *Unctionem Inauguralem Pontificum ac Sacerdotum:* in IV. vero *Unctionem Regum* ſecundum ſuas circumſtantias intentis oculis contemplabimur. Quod ut feliciter cedat, Meſſiam noſtrum ita imploramus:

O Uncte æterni læto ſpiramine patris,
Gnate DEI, ſocios ungito Chriſte tuos!

CAPUT I.

§. I. IN literis ſacris æque ac profanis paſſim varia ungendi genera recenſentur, haud extra oleam vagari videbimur, ſi pauca paucis in limine diſputatiunculæ noſtræ adducemus. Profugus *Jacob* a ſomno θεοπέμπτῳ expergefactus *Lapidem Bethelenſem* oleo quodam perfundere dicitur *Gen.* XXVII. 18. *Joſephus* fideliſſimus Pharaonis Cancellarius pretioſum unguentum parari curat, quo *defuncti ſui patris cadaver* poſſit illini, *Gen.* L. 2. 3. Ipſumque denique *Joſephum Medici Ægyptiaci* aromatibus condiunt, ut verſiculus ultimus ejuſdem cap. hoc prodit. Mos enim erat apud Orientales, Ægyptios imprimis, aromatibus bene olentibus defunctorum corpora condire, ut a putredine quam diutiſſime conſervarentur; uti Medicata in Ægypto Cadavera teſtantur, quæ vulgo *Mumias* vocat, de quibus *Salmuth in Panc. p. m.* 282. plura notatu digniſſima. Sic etiam *Marcus cap. ultimo verſ.* 1. mentionem facit mulierculaturum illarum, quæ ſummo ſtudio aromata emerunt, ut Salvatorem noſtrum in Sepulchro ungerent. Non autem mortuos tantum; ſed & ægrotos in primitiva Eccleſia oleo quodam unctos eſſe, videre eſt e *Marc. Jac. VI.* 13. *V.* 15. ubi Deo ſpecialiter concurrente priſtinæ ſanitati reſtituti fuere: & ab hac unctione unctionem extremam Pontificii mutuati ſunt. Inſuper ſani & bene valentes in diebus feſtis, aut publicæ lætitiæ, aut alius rei gratia oleo & balſamo ſeſe inunxerunt, exempla ubique proſtant. *Ruth III.* 3. 2. *Sam. XII.* 20. 2. *Sam. XIV.* 2. *Eſth. II.* 12. *Luc. VII.* 37. 46. Unde dicitur *faciem illuſtrare, nitidam facere Pſ. CIV.* 15. Verum inter omnia hæc ungendi genera primas tenet Unctio Judæorum Inauguralis, quæ oleo ſacro peragebatur. Summus enim DEUS Moſi Servo ſuo in deſerto oleum hoc conficiendum in mandatum dedit, ipſique ſpecies nobiliſſimas, ex quibus oleum conſtare debebat, it. harum pondera & menſuram modumque ipſum conficiendi, clare indicavit, uti patet ex Exod. XXX. 22. 33. Quæ omnia & hic paululum conſiderabimus. Ut autem rem omnem ab ovo, quod ajunt, exordiamur, ipſa verba Sacra in medium adferemus, quæ poſtea per totam diſputatiunculam noſtram penſiculatius & intimius veniunt perpendenda. Illa vero ita ſeſe habent:

(22) וידבר יהוה אל משה לאמר: (23)
ואתה קח לך בשמים ראש מר-דרר חמש
מאות וקנמן-בשם מחציתו חמשים ומאתים
וקנה-בשם חמשים ומאתים: (24) וקדה
חמש מאות בשקל הקדש ושמן זית הין:
(25) ועשית אותו שמן משחת-קדש רקח
מרקחת מעשה רקח שמן משחת קדש יהיה:
(26) ומשחת בו את-אהל מועד ואת ארון
העדת: (27) ואת-השלחן ואת-כל-כליו ואת-
המנרה ואת-כליה ואת-מזבח הקטרת:
(28) ואת-מזבח העלה ואת-כל-כליו ואת-
הכיר ואת-כנו: (29) וקדשת אתם והיו
קדש קדשים כל-הנגע בהם יקדש: (30)
ואת-אהרן ואת-בניו תמשח וקדשת אתם
לכהן לי: (31) ואל-בני ישראל תדבר
לאמר שמן משחת-קדש יהיה זה לי
לדרתיכם: (32) על-בשר אדם לא ייסך
ובמתכנתו לא תעשו כמהו קדש הוא קדש
יהיה לכם: (33) איש אשר ירקח כמהו
ואשר יתן ממנו על-זר ונכרת מעמיו:

[22] *Et locutus eſt Dominus ad Moſen, dicendo.* [23] *Sume tibi aromata præſtantiſſima: Myrrhæ libere fluentis, quingentos: & Cinnamomi aromatici dimidium illius, ducentos quinquaginta; Calami aromatici, ducentos quinquaginta.* [24] *Et Caſiæ quingentos* [*ſiclos*] *in pondere ſanctuarii, Et olei olivæ Hin.* [25] *Facieſque ipſum, oleum unctionis ſacræ; unguentum unguenti opere unguentarii: Oleum unctionis ſacræ erit.* [26] *Et unges ex eo tabernaculum conventus, & arcam teſtimonii.* [27] *Et menſam, & omnia vaſa ejus; & candelabrum & vaſa*

sa ejus: & altare suffimenti. [28] *Altare quoque holocausti, & omnia instrumenta ipsius, labrumque & scapum ejus.* [29] *Et sanctificabis ea, & erunt sanctitas sanctitatum; qui tetigerit in illa, sanctificetur.* [30] *Et Aharon & filios ejus unges & sanctificabis eos, ut sacerdotio fungantur mihi.* [31] *Et ad filios Israel loqueris, dicendo: Oleum unctionis sacrum erit hoc mihi in generationes vestras.* [32] *Carnem hominis ne eo ungas, aut secundum pondus ejus ne faciatis simile ei. Res sancta est, res sancta esto vobis.* [33] *Quicunque conficiet simile ei, aut quicunque dederit ex eo extraneo, exterminetur de populo suo.*

§. 2. Quinque hic commemorantur species: Liquidum unum; & quatuor arida, quæ dicuntur בשמים ראש *aromata præcipua & optima*. רש״י exponit per voculam חשובים *æstimata*, veluti *cara ac rara*. Nomenque ראש induit hic quasi indolem adjectivi; ita etiam legitur הכהן הראש. *Sacerdos Magnus* 2. *Paral. XXXI.* 10. &c. Hanc locutionem nos Germani imitamur, si enim rei alicujus nobilitatem & dignitatem volumus exprimere, addimus vocem *Haupt.* v. g. *Haupt Gevvurtz Haupt Artzner, Haupt predigt*. *Junius* vero & *Tremellius* notant in h. l. quod בשמים ראש dupliciter possit intelligi; aut peculiaris species, quæ sit omnium præstantissima, & Balsamum vocetur, omnibus, ut Plinius loquitur, odoribus prælata, ideoque Belsamin Arabibus dicatur, quasi dominium obtinens inter aromata; Aut ut uniuscujusque generis, quod subjungatur, quicquid sit præstantissimum. Prior Sententia Bigæ doctissimorum Virorum placeret, si certum pondus esset adscriptum sed verum sensum in suspenso relinquunt. Quod si vero Accentuationem consulimus, illa statim decisum facit. Altera tamen sententia cum *Aben Esdræ* coincidit, qui scribit: טעם בשמים ראש שיוקח הראש מכל בשם כי הוא הנכבד מהנשאר באחרונה: *Sensus harum duarum vocum* בשמים ראש *est, quod sumi debeat optimum quodque de singulis aromatibus, quia hoc præstantius illo, quod postremo relinquitur*. Liberius tamen aliquo modo a vero sensu Versio LXX. viralis recedere videtur, quæ ita legit: καὶ σὺ λάβε ἡδύσματα, τὸ ἄνθος σμύρνης ἐκλεκτῆς πεντακοσίους. *Et tu sume suavitates, florem myrrhæ electæ, quingentos siclos*. Si vero hic genuinus horum verborum fuisset sensus, Accentus Hebræi hac facit se repræsentassent: ואתה קח-לך בשמים ראש מר-דרור חמש מאות וקנמן-בשם מחציתו חמשים ומאתים:

Haud multum etiam ab hac versione Vulgata abit, dum habet: *Sume tibi aromata, primæ myrrhæ & electæ quingentos siclos.* Samaritanus vero e tripode loquitur, & ob defectum distinctionum minorum, quas Hebræa præ aliis Lingg. possidet, totus ambiguus est, verba ejus sunt hæc: ࠅࠀࠕࠄ ࠒࠇ ࠋࠊ ࠁࠔࠌࠉࠌ ࠓࠀࠔ ࠌࠓ ࠃࠓࠅࠓ Possunt enim verti vel: *Tu autem accipe tibi aromata præstantissima: myrrham libere fluentem* &c. vel: *Tu autem accipe tibi aromata: præstantissimum myrrhæ libere fluentis*. Rectius Arabica versio legit: وانت خذ لك من روس الطيب *Tu autem sume tibi ex præcipuis aromatibus*. Cum qua etiam facit Luth. ita vertens. *Nim fu dir die besten Specereyen*. *Aromata capitalia, primæ notæ, & optima*. Scilicet *Myrrham electam*, *Cinnamomum aromaticum*, *Calamum aromaticum*, & *Casiam*; *quibus denique* annumeratur *Oleum Olivæ*. De singulis sigillatim.

§. 3. Prima aromatum species est מר דרור *Myrrha libertatis*, vel ut *Pagninus* reddit, *libere fluens*. Hic interpretes in diversas abeunt sententias. *Onkelos* habet מירה דכיא, ut & *Syrus* ܡܘܪܐ ܕܟܝܐ *Myrrham mundissimam*, *purissimam*. *K.* dicit דרור idem esse, quod חפוש *exquisitum*. *Fagius* vero, *Vatablus* & *Grotius* in h. l. putant, *Myrrham libertatis* dici, quia *libera sit a mixtura* ἑτερογενέων, non adultera, expers vitii; h. e. electa & optima; tradit enim Plinius, illam Mercatores frequenter adulterari solere. Sunt tamen & alii, qui per מר דרור *Moschum* intelligunt, odoramentum illud longe vehementissimum, (quod nos Germani *Bisem* nominamus, idque natales suos Hebrææ voculæ בשם debere videtur). Appelletur vero Mor libertatis, quod sit odoramentum liberum, odorem suum sponte diffundens latissime, neque opus habeat contusione, aut igne, aut artificio aliquo, ut dispergat odorem *Vid. Simler. Comment.* in h. l. Sic & *Schickardus in regio suo Tractatu, de Jure Regio cap.* 1. *Theor. IV.* citat *Rambam*, qui de Mor *in Hal. Kele-Hammickdasch. cap.* 1. *v.* 5. ita scribit: המור הוא הדם הצרור בחיה שבהודו הידוע לכל שמתבשמין בה בני אדם בכל מקום: *Mor est sanguis ille concretus in bestia quadam Indiæ, notus omnibus; quia eo condiunt se homines ubique locorum*. Hujus sententiæ Patronus etiam est *Aben Esdra* in Comm. ad Ex. c. XXX. verba ejus sunt hæc: מלת מר קשה והנאן תרגמה מושק והנה

איננו מעצי׳ אע״פ שיש לו ריח טוב אולי בעבור זה הפרידו הכתו׳ מהבשמי׳ כי כתוב אריתי מורי עם בשמי׳ והנה הוא מלוקט ואומרי׳ המביאי׳ אותו כי הוא נעשה בגרון הצבי והנה כתוב וידי נטפו מר אולי כן הוא נהיותו לח *Vox* מור *eſt difficilis*, *Rabbi Saadias interpretatur Moſchum; at is non eſt de arboribus, quamvis ei ſit odor ſuavis. Forſan etiam propterea ſeparat eum Scriptura ab aromatibus, quod ſcriptum* (Cant. V. 1.) *decerpſi Mor meum cum aromate meo. Ecce Mor colligitur, & dicunt ii, qui eum adferunt, quod gignatur in gutture capræ. Et ecce ſcriptum eſt:* [Cant. V. 5.] *Manus meæ ſtillant Mor; fortaſſis ſi adhuc recens eſt*. Adducitur tamen ſimul a *Schikardo* d. l. *Baal-Magg* qui in Gloſſ. Marg. hanc ſententiam refutat h. m. א״א אין דעתי שיכנסו במעשה הקדש דם שום חיה בעולם כל שכן דם חיה טמאה אבל המור הוא אמור בשיר השירי׳ באתי לגני אחותי כלה אריתי מורי עם בשמי והוא ממין עשב או ממין אילן וריחו נודף *Ajo ejo: mihi non videri, quod compoſitionem ſacram ingrediatur ſanguis ullius feræ in mundo, nedum immundæ. Sed hujus vocis recordatur etiam Cant. Cant.* [l. c.] *Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa, decerpſi MOR meum cum aromate meo. Itaque erit de ſpecie fruticis alicujus vel arboris, cujus odor fragrans*. Nos igitur potius *Luth.* pollicem premimus, qui *Myrrhen* in ſua verſione ponit. *Myrrha* vero *duplicis generis* eſſe dicitur, vel *Nobilis* quæ hic inrelligi debet, & ex arbore, antequam a radice ad ramos uſque incidatur, quod bis pur annos fit, libere effluit. Hæc admodum tenuis eſt, & proxime ad liquida accedit, ſimulque ad ungendos crines aptiſſima vid. *Panc. P. I. Tit. XII.* & *Comment. Salm. p. m.* 51. Vel *Communis*, quando inciſa arbor lacrymas ſudat, & non ſponte. Hæc paſſim in pharmacopoliis extat. Integram deſcriptionem & arboris & lachrymæ, qui vult, legere poteſt ap. *Dioſc.* l. I. c. 67. & *Plin.* l. XII. c. 15. 16.

§. 4. Sequitur altera aromatum ſpecies, & vocatur קנמן בשם *Cinnamomum aromatis ſ. odoratum*. Plerique Interpretes hanc vocem plane retinent; *Arabs* deſcribit aliquo modo, & nominat hoc aroma *Lignum odorificum; Luth. Cynomet. Grotius* vero in ſuis obſervationibus in h. l. *Kimch.* & *R. Salom.* adducit, qui *Aloen* interpretantur, & *R. S.* additum ait בשם, ut notetur Aloe non illa medica, ſed εὐώδης, & aromatica. Videtur quodammodo huic ſententiæ *Pſ. XLV. 9.* favere; *Grotius* tamen in contrarium adfert *Cant. IV.* 13. ubi manifeſte Aloe a קנמן diſtinguatur. Quare, inquit, non eſt, quod „ Serioribus illis Rabbinis in Gemmarum, herbarum, arborum interpretamentis nimium fidamus. Quæ ad jus pertinent, librorum quadam ſucceſſione ſatis bene ſervata ſunt, de phyſicis intercidit per tot ſecula traditio, ideoque conjecturas ſequuntur. Sed רש״י verba ſunt hæc: קנמן בשם לפי שהקנמן קלפת עץ הוא יש שהוא טוב ויש בו ריח טוב וטעם ויש שאינו אלא כעץ לכן הוצרך לומ׳ קנמן בשם מן חשוב: *Dicitur* קנמן בשם *eo, quod cortex arboris ſit; eſt enim, quæ bona, & cui odor ſuavis atque ſapor: Et eſt quæ tantum lignum omnis odoris expers, quare neceſſe habet dicere* קנמן בשם, *ut bona ſumatur*. In eaſdem tibias inflat *Aben Eſdra*, quando ſcribit: מה טעם להזכירו אולי שיהיה מהנכבר נ״כ הקנה. *Quæ ratio, quod mentio fiat ejus* [ſcil. בשם] *niſi quod ſumi debeat optimum, quemădmodum etiam in* קנה *fieri ſolet*. Sicuti quidem non omnes arbores Hieroſolymis aluerunt Judæi, neque hortos fecerunt, docente *R. Nathan* in *Abb. c. V. fol. 9. 2.* Ita tamen arbores Cinnamomi plantarunt juxta *Talmud. Miſſ. Schabb. fol. 63. 1.* א״ר יהודה עצי ירושלם אל קנמון היו ובשעה שהיו מסיקין מהן ריחן נודף בכל ארץ ישראל ומשחרבה ירושלם נגנזו ולא נשתייר אלא קנמון בשעורה ומשתכח בגנזאי רצומצמי מלכתא: *Dicit R. Jehuda: arbores Hieroſolymitanæ fuerunt arbores Cinnamomi, & qua hora emiſerunt ex ſe odorem ſuum, fragor fuit diffuſus per totam terram Iſraelis; a quo tempore vero Hieroſolyma vaſtata, abſconditæ fuerunt hæ arbores, neque reliquum fuit, niſi Cinnomomum quantitate hordei, quod fuit inventum in theſauris, quod abſcondit Regina*. Extat vero adcurata & perſpicua Arbuſculæ Cinnamomi deſcriptio apud *Garziam de Orto, Medicum Luſitanum*, qui 30. annis in India vixiſſe dicitur, cujus verba etiam a *Chythræo* in h. l. citantur. Videatur quoque *Plin. N. H. l. c. cap. 16. Solinus in deſcript. Afric. c. 39. & 42. Cluverius Introd. Geog. l. 6. c. 6. & Pancir. Part. I. tit. 9.*

§. 5. Tertia aromatum ſpecies appellatur קנה בשם *Calamus aromaticus ſeu odoratus*. LXX. Viralis habet κάλαμον εὐώδους *Calamum beneolentem*. Luth. *Calmus* vertit. Et *Jarchi* eandem hujus aromatis facit expoſitionem ob nomen בשם quam habet in proxime præcedenti aromate קנמון בשם quod & hic

ca-

calamus melioris notæ intelligatur, non *vulgaris & levis*. Evolv. iterum *Plin. l. c. c.* 22. & *Diosc. l.* 1. *c.* 17.

§. 6. Ultimum ex aridis ingrediens vocatur קדה *Casia*. Uti etiam Syriaca exprimit per voculam ܩܨܝܥܬܐ *Pancir. Part.* 1. *tit. II.* plantam odoratissimam fuisse ait, ex qua suavissimum oleum sit expressum. Nonnulli Casiam Nardum esse contendunt. Oleo vero commixtam olim fuisse ex *Virgilio* liquet, quando canit:

Nec Casia liquidi corrumpitur usus olivi.

Targum *Onk.* reddidit קציעתא. Hinc Aben Esdra: מהקבלה ידענו שהיא קציעה *Ex traditione novimus, quod sit* קציעה. Et R. S. J. שם שרש עשב קציעה: ובלשון חכמים קציעה *Est Nomen radicis herbæ in lingua sapientum vocatur* קציעה quod idem sonat vox *Casia*. Volunt vero moderni Judæi esse *Zingiber*. LXX. vocabulum Ἶρεως posuerunt, quod & Josephus retinuit. Unde *Castalio* scribit: „ קדה *Casiam* interpretantur, „ sed Casiam Hebræi eodem nomine, „ quo Latini appellant, ut est in Ps. „ XLV. 9. Itaque malui hic Josephum imitari. Nos tamen cum B. L. facimus, si vero quis meliora nos docebit, grati erimus. Non statim ex hac denominatione sequitur, quod Casia esse non possit, cum unius rei variæ esse possint denominationes. Leg. *Plin. l. c. cap.* 19.

§. 7. Liquidum denique, quod ad unguentum hoc sacrum requirebatur, quo etiam arida immiscebantur שמן זית *oleum olivæ* dicitur, ad differentiam alius olei, quod ex aliis rebus ac fructibus confici poterat: Erat vero oleum olivæ deligendum purum, expressum torculari, excreta carne, nucleo, amurca. Sed quia opinione nostra prolixiores in hoc capite fuimus, manum submovemus, & ad alia progredimur.

CAPUT II.

§. I. SOlent Pharmacopolæ non confuse omnia & plenis manibus commiscere; sed prudenter observant δόσιν ac proportionem Ingredientium, ne horum virtus & ἐνέργεια ex interna pugna exspiret. Sic etiam species hæ sacræ inter se quadam temperatione miscebantur, ut præscripto pondere & mensura videmus. Et quia in præcedenti capite consideravimus Materialia, horum Pondera & Mensuram hic perpendemus. Primo vero fit *Sicli* mentio. שקל Hebr. descendit a שקל *appendit, ponderavit*. In N. T. ςατὴρ redditur, ab ἵςαμαι, quod idem significat, unde ςατικὴ *ratio ponderandi*. Et est *Siclus* vel *Monetæ* vel *Ponderis*. Quia enim Veteres argentum & aurum ponderabant, atque valorem ex pondere colligebant, minime vero discrete, uti nos hodie, numerabant, juxta pondus omne commercium instituebatur. Hoc è variis SS. locis apparet, ut: *Gen. XXIII.* 16. *Ex. XXII.* 17. 1. *Reg. XX.* 19. *Esd. VIII.* 25. 26. 29. & 33. *Job. XXVIII.* 15. *Zach. XI.* 12. *&c.* Valor hujus Sicli, ut communiter statuitur, fuit juxta monetam nostram Semithalerus Joachimicus. Postea excogitarunt monetam imagine pecudis cujusdam & pondere gaudentem. Unda & pecunia a pecu, quæ imprimebatur, dicta est, & opes ab ove, ut opilio pro ovilio. Nam Patriarchæ & posteri ejus pecuaria exercebant, quare & aurum argentumque pecude notarunt. Et volunt nonnulli è vocula קשיטה colligere imaginem fuisse agni vel agnæ, quæ olim fuerit insculpta. Legitur hæc vox *Gen. XXXIII.* 19. *Jos. XXIV.* 32. *Hiob. XLII.* 16. Et ultimo loco Luth. *einen schonen Groschen* transtulit, quanquam non bene inter se conveniant Interpretes. Hoc & aliæ gentes in usu habuere: *Athenienses* nummis *bovem* imprimebant; hinc proverbium: βοῦς ἐπὶ γλώττης; *Romani boves* & *oves*, & *Thessali equos*. Hodie *aquilam*, *leonem*, *corvum* vel *alia animalcula* Monetis imprimimus. Venimus autem ad *Siclum Ponderis*, qui hic intelligitur. Cujus sit quantitatis, ipsa Scriptura Ex. XXX. 13. definit, ubi per 20. גרה circumscribitur. גרה vero juxta omnium fere Judæorum sententiam tanti ponderis est, quanti 17. circiter grana hordei. Sic *R. Levi*, *B. G. in d. l.* גרה הוא במשקל יז גרגרי שעורה בינונית *Gerah pondere æquat septendecim grana hordei circiter*. Alii tamen 19. & plura grana numerant, cum nou ubique terrarum sint paria & æqualis ponderis. Majora pondera Hebræorum, quæ & hic saltim nominare placet, sunt מנה *Libra seu pondo*; & ככר, quod græcis *talentum* dicitur. Jonathan exponit קנטינר germanico vocabulo *Centner* respondens, quasi *centupondium*. Consuli potest hac in re *Triga celebb. Philologorum Waltonus in App. Bibl. Waserus in elegantissimo suo Tractatu de N. & P. H. Leusdenius in Philologo Hebræo-Mixto*, *disp.* 28. 29. 30.

§. 2. Sed quantitatem uniuscujusque spe-

ſpeciei in ſpecie expendemus. Verba quidem ſatis clara ac rotunda ſunt, quibus pondera in Præſcripto divino exprimuntur; Judæi tamen illa minus recte capiunt, ſic enim legimus *in Talm. Maſſ. Cerith. c. 1. p. 5.* ת״ר שמן המשחה מר דרר חמש מאות קדה חמש מאות קנמן בשם מחציתו חמש מאות וקנה בשם חמשים ומאתים נמצאו כולם אלף ושבע מאות וחמשים: *Tradiderunt doctores noſtri, quod ad oleum ſacrum conficiendum ſumſerint Myrrhæ libere fluentis 500. Siclos; Caſiæ 500. Cinnamomi aromatici (ſi duo ejus dimidia adduntur,) 500, & calami odorati 250. Tota vero ſumma fuit 1750. Siclorum.* Præterea quia hæc ſupputatio non omnibus eſt ad palatum, proinde inter ſe divortia faciunt, & diſceptationem ineunt, illamque d. l. pluribus pertractant. Nolumus eſſe prodigi chartarum & ipſa verba in medium proferre; totum tamen negotium in compendium contrahemus. In bivio ſtant recutiti; imo in trivio. In textu enim ſicli ſummatim ſunt 1500. Plerique vero Rabbini numerum faciunt 1750, ob voculam מחציתו, quæ in textu reperitur, docentque quod Cinnamomum bis debuerit ponderari, & quidam בהכרעות *ſingula vice addito ſuperpondio*, & non עין בעין, ut *examen ſeu lingula in bilance lancibus æquatis ſummo puncto exactiſſime reſponderit*. Deus vero benedictus ἐπίμετρα probe ſciverit, & ob quem finem ita fieri debuerit, licet non expreſſis verbis indicarit. Hac ſententia etiam רש״י imbutus eſt, qui κατὰ πόδα Talmudiſtas ſequitur, in quos etiam commentatus eſt. Alii tandem æqualia pondera fingunt, & 2000. ſiclos ponunt. Sed hæc expoſitio nimis contorta eſſe videtur *Aben-Esdræ*, quare mavult ſuam profiteri ignorantiam, quam hanc ſententiam ſtatim arripere, ita enim ſcribit: קדמוננו ז״ל אמרו כי משקל הכל שוה וככה נקבל רק לא ידענו טעם למה הזכיר מחציתו וטעם החציאים לא אבין כי אין מנהג בכל ארץ ישמעאל להוסיף על כל דבר שישקל אפי׳ כמשקל חרדל ואף כי בכל מעשה רוקח: *Majores noſtri p. m. dixerunt, quod pondera omnium aromatum æqualia fuerint, id quod accepramus: ignoramus tamen rationem, quare mentio fiat* מחציתו (dimidii illius,) *neque ſenſum dimidiorum percipio, non enim mos eſt in tota terra Iſmaelitica, ulli rei loco ſuperpondii vel minimum addere, quod pondere æquat granum hordeaceum; quando minus id fiet in omni compoſitione unguenti.* Unica vocula מחציתו tot varias parit interpretationes. Hæ ad ſtateram judicii paululum vocandæ veniunt. Satis levis eſt illa, quæ aromatum 2000 Siclos habet. Putamina ſine nucleo vendit, cum tantum nata ſit e traditione, minimeque e textu ſacro fluat. Nec altera quæ 1750 ſiclos fuiſſe dicit, ſuo pondere gaudet. Spiritus Sanctus procul dubio ipſum auctarium diſerte indicaſſet, non enim ceu Oraculum Delphicum obſcure loquitur. Pondus vero ſuum habet verſio Germanica, quam nobis *Luth.* exhibet; ſicuti etiam Arabica albo calculo notanda eſt. Hæ enim tam luculentis verbis textum enucleant, ut omnis ambiguitas exſpiret. Debita igitur pondera hactenus a falſa interpretatione liberavimus, & fuerunt ſummatim 1500. *Sicli*, ſeu dimidium ככר. Neque multum hoc pondus recedit a ſemiſſe Centenarii noſtri. Sicli enim hi 1500. ſeu totidem ſemunciæ juxta plerorumque Philologorum computationem XLVII. *Libras noſtrates* fere efficiunt.

§. 3. 3. Sed quia etiam oleum olivæ, quod liquidum eſt, ingreditur oleum unctionis ſacræ, operæ pretium erit, & hujus menſuram paucis tangere. Eſt vero Hin, & tantum capiebat apud Hebræos, quantum duodecim Login. Colligere hoc eſt *e Talm. Maſſ. Cerith.* d. l. ubi ita legitur de confectione olei hujus ſacri. התחלתו לא היה אלא שנים עשר לוג: *Initio non plus erat* (ſcil. olei olivæ) *quam duodecim Login.* Et paulo poſt pron. זה adducitur, quod per *Artem Cabaliſticam*, quæ *Gematria* vocatur, numerum XII. exhibet, quaſi aliquid arcani in ſe habeat, verba ſunt hæc: זה בגמטריא תרי עשר לוגין הוון. *Vox* זה *per Gematriam valet XII. duodecim enim Login fuerunt*. Docet & hoc R. D. K. in libro Rad. hiſce verbis: היה המדה שהיתה אצלם שהיא שנים עשר לוג והלוג ששה מדת הלח *Menſura fuit apud eos continens duodecim Login; Log autem ſex ova, eratque menſura liquidorum*. Per ovum enim menſuræ explicantur, quod tamen minutiſſimæ menſuræ genus eſſe, nonnulli contendunt. Hanc vero Menſuram Hin *Joſephus l. III.* ἀρχαιολογίας de oleo Unctionis agens, ad menſuras Atticas reducit, & hunc in modum deſcribit; Μέτρον δ' ἐςὶ τȣ̃το ἐπιχώριον δυὸ χόας ἀττικὰς δεχόμενον. *Eſt autem hæc menſura vernacula, duos choas atticos capiens*. Videantur & hic de Menſuris Hebræorum Philologi Celeberrimi, inprimis §. 1. hujus Cap. a nobis nominati.

§. 4. Ex prædictis hiſce aromatibus oleum

oleum Unctionis sacræ jubet DEUS confici, v. 25. Moses igitur summus rerum divinarum director, qui ad sacra paranda a DEO ipso fuit instructus, non quidem propria manu solus omnia conficit, sed aliis modum conficiendi præscribit. DEUS enim *Bezaleelem*, filium de tribu Juda, cujus geniologia *I. Par. II.* describitur, nomine vocavit, eique associavit *Abaliabum* & adhuc *alios sapientes*, qui simul opus Domini strenue peregerunt, uti legitur *Ex. XXXI. v. 2. 6.* Et sicuti DEUS Bonorum Dator Artes Liberales & Mechanicas veluti πηγὰς καλῶν *fontes omnium bonorum & ornamentorum* in vita humana hominibus instillat; ita & hic *Bezaleelem & Abaliabum* singulari ἐνθουσιασμῷ exornat, atque instruit, ut omnis generis artes ad ædificationem tabernaculi necessarias recte teneant, & dextre ad usum transferre possint. *Ex. XXXVII. 29. c. XXXIX. 38.*

§. 5. Modus vero conficiendi indigitatur duabus hisce voculis מעשה רקח *opere pigmentarii*, *nach der Apotheker Kunst*. De hoc tamen in *Talm. l. sæpius c.* R. *Jebud.* & R. *Jose*, (pro hoc רש״י in comm. legit R. *Meir*,) curiosi admodum sunt, & sequenti modo inter se disceptant: ת״ר שמן המשחה שלקו העקרין דברי רבי יהודה א״ל ר׳ יוסי והלא לסוך העקרין אינו ספק כיצד עושה הביאו העיקרין ושלקום במים והציף עליהן שמן וקלט את הריח וקיפהו: *Tradiderunt Rabb. nostri de Oleo Unctionis, quod elixarint radicalia, hæc sunt verba R. Jebudæ. Dixit ei R. Jose: Certe ad ungendum radicalia tantum, ipsum oleum olivæ non sufficiens fuisset; quomodo igitur factum est? assumserunt radicalia, & elixarunt in aquis, postea vero super illa instillarunt oleum, ut reciperet odorem, tuncque sustulerunt:* Huic tamen sententiæ Jehuda contradicit hunc in modum: אמר לו רבי יהודה וכי נס אחד נעשה בשמן המשחה והלא ניסים הרבה נעשו בו מתחלתו ועד סופו תחלתו לא היה אלא שנים עשר לוג ובו נמשח המשכן וכליו ואהרן ובניו כל שבעת ימי המלואים ובו נמשחו כהנים גדלים ומלכים וכלן קיים לעתיד לבא שנאמר שמן משחת קדש יהיה זה לי לדורותיכם: *Dixit ei R. Jebuda, an unicum tantum miraculum contigit Oleo Unctionis annon plurima miracula contigerunt ei ab initio usque ad finem ejus. Initio non nisi duodecim Login fuerunt, & ex iis unctum fuit tabernaculum & vasa ejus, Abaron & filii ejus totis septem diebus impletionis suæ, & ex eo uncti sunt Sacerdotes Magni & Reges, cum durabile fuerit in futurum, juxta illud quod scriptum est: Oleum Unctionis sacræ hoc mibi erit in generationes vestras.* Et paulo post: רבי יהודה אומר כמה יורה בולעת כמה עיקרין בולעין כמה האור שורף: *R. Jebuda dicit: quantum defluens absumtum est? quantum radices absumserunt? quantum calor dissipavit? Rambam v. Hal. Kele Hammikdarsch c. 1. v. 2. 3. 4.* specialius adhuc hunc modum describit: לקח משלשתן חמש מאות שקל ומקנה חמשים ומאתים ושוחק כל אחד ואחד לבדו וערב הכל ושרה אותן במים זכין ומתוקין עד שיצא כל כחם במים ונתן על המים שמן זית הין והוא שנים עשר לוג ובשל הכל על האש עד שאבדו המים ונשאר השמן והניחו בכלי לדורות: *Accipit de tribus*, (rectius de duabus speciebus; quod probavimus §. 2. c. huj.) 500. *siclos, & de Calamo* (& Cinnamomo) 250. *atque contundit singula seorsim; deinde miscet omnia, & macerat in aquis puris ac dulcibus, donec extrabatur omnis virtus illorum, postea affundit super aquas olei olivæ Hin, quæ mensura duodecim Logos facit, & coquit simul ad ignem, usque dum exbalent aquæ, & remaneat ungnentum, idque asservat in vase ad posteritatem.*

§. 6. Nec licitum fuit unguentum huic simile quoad easdem species idemque pondus parare, id enim Divina sapientia prohibuit sub pœna excisionis, ceu patet e versu 32. & 33. ne scilicet profanaretur, si ad luxum, aut aliam rem profanam adhiberetur. Hoc tamen præceptum Judæi non ἁπλῶς accipiunt, sed certo modo limitant, sic enim legimus in *Talmud d. l.* תנו רבנן המפטם את השמן ללמד בו למסרו לציבור פטור לסוך חייב והסך ממנו פטור לפי שאין חייבין אלא על סיכת שמן המשחה שעשה משה בלבד: *Docent Rabbini nostri: Miscens oleum ut discat eo, & monstret ecclesiæ, absolvitur; ut ungat se, damnatur; & alius eo se ungens absolvitur, quia non damnantur, nisi propter effusionem olei unctionis, quod confecit Moses tantum.* De hoc etiam *Maym. Kel. Mikd. c. 1. v. 7.* citante *Schickardo de Regio Jur. c. 1. Theor. IV. p. m. 25.* ita scribit: העושה שמן כמעשה הזה וכמשקל הזה ולא הוסיף ולא גרע במזיד חייב כרת בשוגג מביא חטאת קבועה שנאמר אשר ירקח כמוהו והוא שיעשה אותו להמשח בו אבל אם עשהו להתלמד או לתנו לאחרים פטור: *Conficiens oleum secundum compositionem hanc & juxta pondus hoc, non addens nec minuens per temeritatem, is reus est excisionis; at per errorem, is adducit peccatum grande, quia dicitur: quicunque conficiet consimile &c. ita tamen, ut conficiat hoc fine, ut un-*

gatur

gatur eo: verum si conficiat illud, ut discat inde, aut doceat alios, immunis est. Sed etiam de hoc satis.

CAPUT III.

§. I. **V**Idimus hactenus compositionem hujus olei sacri, nunc ad caput rei venimus, ubi expenditur ipsa unctio, quæ hoc oleo fuit peracta. Sicuti enim DEUS est ens purissimum ita quoque purissimo cultu coli voluit. Quare etiam hoc oleum conficiendum præscripsit, quo omnia ad usum seu ministeria sacra destinata consecrarentur. *Ungebantur* vero *Tabernaculum & omnia utensilia sacra*; Deinde *Aharon* & *filii ejus*; Et longo tempore post etiam *Reges*, ceu videbimus sequenti capite. Unctionem Tabernaculi & sacrorum Instrumentorum præcepit DEUS *vers.* 26. 27. 28. Ubi Targum *Onkelos* habet ותרבי *& magnifacies*. Hæc enim unctio omnia illa vasa emundabat, ac in usum sacrum commutabat. Ipse vero actus Unctionis exhibetur *Lev. VIII.* 10. 11.

§. 2. Sic & ii, qui sacra ex mandato DEI inire debebant, unctione hac sacra habebant necesse, ut illa sanctificarentur. *Præceptum* de ungendis Minoribus Sacerdotibus seu filiis Aharonis legitur *Ex. XXVIII.* 41. & *Cap. XXX. v.* 30. Ipsa autem Investitura & Actus Inaugurationis *itidem Lev. VIII.* 13. *&* 30. describitur. Qui per VII. integros dies perduravit; Ubi & inter alia Moses Oleum Unctionis septies super filios Aharonis & vestimenta illorum adspersit, quod idem factum in Consecratione Altaris & Aharonis, Summi Sacerdotis. Septenarius enim numerus est mysticus, a DEO electus & præ cæteris probatus, quo etiam Summus DEUS mirabiliter gaudet. Minores vero hi Sacerdotes, qui defunctis succedebant, de novo non inungebantur, sed illis prima sufficere debuit, id quod colligere est ex Ex. XL. 15. ubi hæc verba reperiuntur: והיתה להיות להם משחתם לכהנת עולם לדרתם: *sic fiet, ut sit illis unctio eorum in Sacerdotium perpetuum per generationes eorum*. Hoc *Junius* & *Tremellius* etiam volunt, qui in Glossa Marginali ad hæc verba לכהנת עולם docent, quod minime opus fuerit unctionem repetere ad consecrandum posteros in sacerdotes. Ungebantur enim postea summi Sacerdotes tantum. Quare & hi soli dicuntur *Uncti Lev.* IV. 3. & *Ex.* XXIX. 29. *Lev.* XXI. 10. Atque hoc sensu Aristobulus de gente Sacerdotum Unctorum fuisse dicitur 2. *Macc.* 1. 10. Cui quoque *Grotius* adstipulatur in *Comm.* „ ad supra prædictum locum: Satis est, „ inquiens, illos fuisse unctos, ut opus „ non sit & posteros ungi, quibus sufficiebat esse ἀπὸ τȣ͂ τῶν χριςῶν ἱερέων γένȣς. *Fesselius* tamen *lib. III. c.* 2. §. 11. „ *Advers. Sacr.* id commode intelligi posse putat de toto vitæ tempore, ut „ sensus sit: quamdiu filii Aharonis in „ vivis erunt, tamdiu & semper mihi „ sacerdotio fungantur. Talis Sacerdos Minor vocatur quoque כהן הדיוט *Sacerdos Idiota*, *vulgaris*, *plebejus*.

§. 3. Quæ loca vero e Cod. Hebræo in §. 1. & 2. hujus cap. adduximus, simul docent, quomodo & Aharon כהן גדול Sacerdos Magnus & Typus sanctissimi & summi nostri sacerdotis Jesu Christi Sacratissimo hoc Oleo fuerit inunctus. Nolumus ea ob gratam brevitatem & tædii fugam hic repetere, adjungimus potius sententiam Rabbinorum, quam circa hanc rem fovent. Non quidem omnes ubique conveniunt. *Aben Esdra* dicit, oleum ante capiti infusum fuisse, quam tiara imposita fuerit. *Gerundensis* vero & *Abarbenel* contrarium statuunt. Et si desideramus scire, quid hic in *Talm.* tradatur, talia nobis d. l. proponuntur: אמר רב מנשיה כמין כי יוני תני חרא בתחילה מציק שמן על ראשו ואחר כך נותן לו שמן בין ריסי עיניו ותני אחר בתחילה נותן לו שמן בין ריסי עיניו ואחר כך מציק לו שמן על ראשו: *Dixit Rab Menasse, unctionem instar formæ Chi Græci fuisse factam. Tradit unus primo fudisse oleum super caput ejus, & postea diduxisse illud inter palpebras oculorum. Et alter tradit, primo illud oleum diduxisse inter palpebras oculorum, posteaque effudisse super caput ejus*. Sic & Maym. Hal. Cel. Hamm. c. 1. v. 15. dicit: כיצד מושחין את הכהן צק את השמן על ראשו וסך ממנו על גבי עיניו כמין כי יוונית: *Quomodo ungebant sacerdotem? affundebat oleum super caput ejus, & illiniebat inde super oculos ad formam Chi Græci*. Idem R. *Mekolzi præc. alfirm.* 166. *scribit:* תנו רבננו כיצר משחין את המלכים כמין נזר והכהנים בתחלה מוצק לו שמן על ראשו ואחר כך נותן שמן בין עיניו ומוסך באצבעו זה מזה שהוא כמין כי יווני: *Tradunt Doctores nostri: Quomodo ungebant reges? ad figuram Coronæ: quomodo vero Sacerdotes? Primum affundebat oleum super caput ejus, deinde illiniebat oleum inter oculos ejus, posteaque diducebat digito suo in utramque partem, ut figura χ Græcorum fiat*. Ita & רשׁי ad *Ex. XXIX.* 7. *&*

XXX.

XXX. 30. scribit. *Kimchi* vero *Psalm. CXXXIII.* 2. habet כמין כף יונית *instar Caph græci*. Nec sic quidem male, cum & minusculum κ & majusculum K haut multum abeat a figura τῦ χ græcanici. Sed *Elias in Tisbi* habere dicitur כמין גממא יוונית *secundum formam γ græci*, *Gilb Genebr. in Comm. ad Ps. CXXXII. p.* 552. Et Clar. *Schickardus* ad suspicandum ducitur e Lev. XXI. 12. quod & Sacerdotibus forma coronæ fuerit inuncta. *In J. R. c. l. p. m.* 18. Præterea etiam Vestes Sacerdotis Summi ut & Minorum Sacerdotum Oleo Unctionis sacræ fuisse adspersas, constat *e Lev. VIII.* 30. *Nicolai* tamen & *Fagius* non oleo puro, quo tantum S. M. sed misto sanguine unctas fuisse existimant. *Vid. Drus. in Comm. ad L. IV.*

§. 4. Sed hic ulterius Apellæ ingenio suo abunde indulgent, dum insigne sibi somnium somniant, & Psalm. CXXXIII. ita corrupte interpretantur: ת״ר כשמן הטוב שיורד על הראש וגו׳ כמין שתי טיפין מרגליות היו תלויות לאהרן בזקנו אמר רב כהנא תנא כשנה מספר עולו׳ ויושבו׳ בעיקרי זקנו ועל דבר זה היה משה רבינו דואג שמא ח״ו מעלתי בשמן המשחה יצתה בת קול ואמו׳ כטל חרמן שיורד על הררי ציון מה טל אין בו מעילה אף שמן שיורד על זקן אהרן אין בו מעילה ועדיין אהרן היה דואג שמא משה לא מעל ואני מעלתי יצתה בת קול ואמרה לו הנה מה טוב ומה נעי׳ שבת אחי׳ גם יחד מה משה לא מעל אף את לא מעלת: *Tradunt Dd. nostri: Sicut oleum bonum, quod descendit super caput &c. Secundum speciem duarum guttarum, quæ instar margaritarum de barba Aharonis suspendebant. Dicit R. Cohana* [in Horajot c. 3. R. Papa nominatur;] *Traditur, quod guttæ olei, cum sermo intersereretur, sese devolverint, & in extremitate barbæ consederint. Propterea que Moses Præceptor noster ita fuit solicitus: quod si forsitan* [*quod tamen absit?*] *peccaverim in Oleum Unctionis? egressa est Filia vocis, & dixit: Sicut ros Chermon, qui descendit super montes Siion. Quomodo se habet ros? non in eo peccatum; sic & oleum quod descendit super barbam Aharonis non in eo est peccatum. Sed postea ipse Aharon anxius fuit cogitando: Forsitan non tam Moses, quam ego peccavi? Iterum egressa est Filia vocis, & dixit ei: Ecce, quam bonum & quam jucundum, habitare fratres in unum. Sicuti igitur Moses non peccavit; ita nec Tu peccasti*. Egregia sane Interpretatio?

§. 5. Redimus tamen ad ea, quæ magis huc spectant. Uti enim Sacerdos Magnus a reliquis Sacerdotibus minoribus vestitu atque aliis rebus discernebatur; ita etiam unctione Inaugurali, quæ semper in consecratione S. M. reiteranda erat. Hinc & κατ' ἐξοχὴν S. M. unctus dicitur *Lev. IV.* 5. quem Targum *Onkelos* expresse hic nominat כהנא רבא *Sacerdotem Magnum*. Et quod S. M. demortuo succedens inunctus fuerit id hisce expressis verbis *Lev.* VI. 22. habetur: והכהן המשיח תחתיו מבניו יעשה אתה *Et Sacerdos unctus loco sui e filiis suis faciet illud*. Quem sensum hujus versiculi genuinum esse vel ipsi Accentus confirmant, quemque exactissime Luth. nostri Versio exprimit. Et ecce? Doctores Hebræi idem hoc volunt in *Talm.* I. sæpius cit. dum inquiunt: כהן גדול בן כהן גדול טעון משיחה *Sacerdos Magnus, qui est filius Sacerdotis Magni necesse habet unctione*. Et paulo post: אמ׳ מר ואפיל׳ כ״ג בן כ״ג טעון משיח׳ מנלן דכתי׳ והכהן המשיח תחתיו מבניו נימ׳ קר׳ והכהן שתחתיו מבניו מאי המשי׳ הקמ״ל דאפי׳ מבניו ההו׳ נמשח הוי כ״ג ואי לא משח לא הוי כנ: *Dicit Doctor. Etiam Sacerdos M. filius Sacerdotis M. necessario est ungendus. Unde nobis hoc constat? quia scriptum est* [Lev. VI. 5.] *Et Sacerdos Unctus loco sui e filiis suis; Dicit S. S. Et Sacerdos qui loco sui e filiis suis est; Quare Unctus adhuc additur? quod scilicet ille, qui e filiis suis unctus est, sit Summus Sacerdos, & si non est unctus, non sit Summus Sacerdos*. Sic & Gemar. Hieros. ad Tit. כהן גדול בן כהן גדול אפילו עד עשרה דורות טעון משיחה *Sacerdos M. filius Sacerdotis M. necessario ungi debebat in decem generationes*. Quod ipsum etiam *R. Levi Ben Gers.* ad 1. Reg. I. pluribus verbis dicit: לא הוצרכו למשוח שלמה אלא מפני מחלקת אדניה כי במשיחת דוד נמשחו כל המלכים תחתיו מזרעו כמו שבמשיחת אהרון ובנוו נמשחו כל הבאים אחריהם לתיות כהנים ולזה לא הוצרכו למשוח אחר כי אם כהן גדול: *Non erat necesse, ungi Salamonem nisi propter factionem Adoniæ, quia in Unctione Davidis uncti sunt omnes successores ejus, qui ex ejus erant semine: Quemadmodum in unctione Aharonis & filiorum ejus uncti sunt eorum posteri omnes in Sacerdotes; unde evenit ut nemo postea necessario ungeretur, nisi esset Summus Sacerdos*.

§. 6. Sicuti vero omnis splendor regiminis Judaici post Captivitatem Babylonicam fere exspiravit; ita & hic accidit, cum in templo secundo inter alia etiam oleum unctionis sacræ defecerit.

cerit. Quinque res sacræ communiter defuisse dicuntur, quanquam plures abfuerint, & a nonnullis diversimode citentur *vid. Abarbenel in Hag.* Harum Symbolum extare Judæi putant in vocula אכבד״, quæ reperitur *Hag. I. v.* 8. ubi ה deficit, & in numerica potestate V. denotat. *In Talm. Mass. Cerith. c.* 1. *p.* 5. *lit. b.* circa med. hoc modo recensentur התני' משננז ארון נגנז צנצנת המן וצלוחית שמן המשחה ומקלו של אהרון שקדים ופרחים וארגז ששנרו פלישתיים דורון לאלהי ישראל שנ' ואת כלי הזהב אשר תשיבו לו אשם תשימו בארגז מצדו ומי גנזו יאשיהו מלך יהודה גנזו שנ' ויאמר המלך אל הכהנים תנו את ארון הקדש וגו' *Traditio: Cum recondita est Arca, recondita quoque est Urna mannæ, & vasculum Olei Unctionis, & Baculus Aboronis cum amygdalis & floribus suis, & capsula, quam miserunt Philistæi donum DEO Israelis sicuti dicitur* (1. Sam. VI. 8.) *Vasa aurea quæ redditis ei pro expiatione, ponatis in capsula e latere ejus. Quis vero est qui recondidit? Josias Rex Jehudæ; sicuti dicitur* (2. Paral. XXXV. 3.) *Et dixit Rex Sacerdotibus: Ponite arcam sanctam &c.* Ajunt enim Rabbini, Oleum Sacrum a Rege Josia absconditum esse in templo Salomoneo sub humum, & quidem in loco abdito ac secreto, quem diu ante Salomon parandum curaverit, cum e vatum responsis fuerit edoctus, fore aliquando, ut templi primi structura ab Assyriis solo æquaretur. *Cun. Rep. Heb. l.* 1. *cap.* 14. Quia igitur ob defectum olei sacri Unctio Inauguralis fieri non poterat, Inauguratio tantum vestibus pontificialibus peragebatur. Sic docet *Glossa Talm. in Tit.* מרובה בגדים כהנים ששימשו בבית מגלה שני ואף בבית ראשון מימות יאשיהו ואילך שנגנז צלוחית של שמן המשחה : *Vestitu insignes sunt Pontifices, qui in templo secundo ministrarunt & etiam in primo ante mortem Josiæ & postea; quoniam absconditus est Lecythus Olei Unctionis.* Et Maym. *Kel. Mikh. l.* 11. בבית שני שלא היה שם שמן המשחה היה כהן גדול מתרבה בלבישת בגדים בלבד שהיה לובש בגדי כהונה גדולה: *In domo secunda, quoniam ibi non fuit Oleum Sanctum, Sacerdos Magnus inaugurabatur vestitu tantum, debebat enim vestiri vestibus Sacerdotii Magni.* Unde & est, quod Talm. in מגלה c. 1. p. 9. & הוריות c. 3. p. 11. dicit: אין בין כהן משוח בשמן המשחה למרובה בגדים אלא פר: *Non esse discrimen inter Sacerdotem unctum Oleo Unctionis sacræ, & inter Sacerdotem unctum vestibus, nisi juvencum.* Hucque maxime spectat, quod in Glossa Talmudica ad Tit. מכות c. 3. p. 11. legitur: א כהן משוח בשמן המשחה הם כהנים גדולים שהיו עד יאשיהו : ואחד המרובה בבגדים הם ששימשו מיאשיהו ואילך שנגנז שמן המשחה כדאמרינן בהוריות ושוב לא נמשחו כהנים ולא היתה נכרת כהונה גדולה בהם אלא בריבוי בגדים שמשמש בשמנה בגדים : *Sacerdos M. alius fuit unctus Oleo Unctionis; sicuti sunt omnes Sacerdotes Mm. qui vixerunt ante tempora Josiæ. Et alius S. M. fuit insignis vestitu; Hique sunt, qui ministrarunt a tempore Josiæ & deinceps: Quoniam absconderunt Oleum Unctionis, uti dictum est in Horajot* (c. 3. *p.* 11.) *Et amplius non uncti sunt Sacerdotes, neque dijudicari poterat S. M. nisi ex pluralitate vestium, ministrans enim octo vestibus erat indutus.* Putant igitur recutiti, a morte Regis Josiæ defecisse Oleum Unctionis, & deinceps tantum pluralitate vestium Summum Sacerdotem discretum fuisse a Minori, octuplex fuisse vestimentum Summi Sacerdotis, quadruplex Sacerdotis Vulgaris. Et si hæc sententia ab omni exceptione esset libera, tunc tuto posset statui, confectionem olei sacri fuisse monadicam, & ob mandatum DEI prohibitorium irreparabilem. Plura equidem in hoc capite nobis essent pertractanda; sed quia instituti nostri & brevitatis ratio nobis non permittit, illa silentii peplo involvimus.

CAPUT IV.

§. I. A Sacerdotibus progredimur ad Reges, qui itidem Solenni Unctionis Ritu ad regiam dignitatem consecrabantur. Post exitum ex Ægypto primum penes Judices fuit regimen; sed Judæi regiminis incerti & ἀναρχίας pertæsi regem a DEO petiere, qui eos ab hostibus defenderet: Existimabant enim, ὐδὲν ἄτοπον ἔιναι, τῶν πλησιοχώρων βασιλευομένων τὴν αὐτὴν ἔχειν αὐτὸς πολιτέιαν, *non esse absurdum, illos habere eandem regnandi formam quam finitimi, teste Joseph. l. VI. c.* 4. Hinc DEUS ipsis Regem Saul constituit, quem postea Samuel inunxit, 1. *Sam.* X. 1. Hunc excepit David, & in Regem etiam a Samuele ungitur. 1. *Sam. XVI.* 13. 2. *Sam. VII.* 8. Sed hic quæritur: An Unctio hæc Inauguralis Oleo Unctionis Sacræ, an vero alio quodam pretioso fuerit peracta? Eruditi inter se tres faciunt Classes. *Oleaster*, *Cajetanus*, *Lipomanus*, *Becanus*, atque alii prius

prius negant, poſterius affirmant, idque acriter propugnare conantur. Clar. *Schickardus* in aureo ſuo Tractatu, de Jure Regio cap. I. p. m. 29. contrariæ eſt Sententiæ, & Oleo Sacro Reges tam Judæ, quam Iſraelis inunctos fuiſſe colligi poſſe putat *ex* 1. *Reg.* XIX. 15. *Rabbini* vero ad unum omnes, (quos & *Schindlerus* in Rad. פכך ſequitur,) hunc honorem Familiæ Davidicæ tantum adſcribunt, firmiterque ſtatuunt, Sauli & illis, qui non e ſtirpe Davidica, Balſamum tantum competiiſse, unde & Regnum illorum non fuiſſe diuturnum. Audiemus verba *Rambam Hal. Mel. c.* 1. *v. pen. quæ Schick. citat. in J. R. p. m.* 29. מלכי בירת דוד הם העומדים לעולם שנאמר כסאך יהיה נכון עד עולם אבל אם יעמוד מלך משאר ישראל תפסק המלכות מביתו שהרי נאמר לירבעם אך לא כל הימים: לכן אין מושחין מלכי ישראל בשמן המשחה אלא בשמן אפרסמון: *Reges familiæ David permanebunt ſemper, uti dicitur* (2. Sam. VII. 16.) *Solium tuum erit firmum uſque in ſeculum. Verum ſi conſurrexerit aliquis Rex ex reliquo Iſrael, deficiet regnum a Domo ſua. Ecce enim ſcriptum eſt de Jeroboamo* (1. Reg. XI. 39.) *Veruntamen non omnibus diebus ſcil.* affligam Semen Davidis. *Propterea non ungunt Reges Iſrael Oleo Sacro, ſed Unguento Balſami*. Et hæc doctrina in *Talm. Maſſ. Cerith. d. l. & Horajot c. 3. p.* 11. fundatur ubi legitur: אמ׳ ר׳ פפא באפרסמא דכיא *Dicit R. Papa, balſamo puro unctos fuiſſe Reges Iſraelis*. Sed utut ſit, verum tamen eſt, Davidem Divino hoc Oleo fuiſſe perunctum. Nos, ut hoc ſtatuamus, Arte ſua Cabbaliſtica *Baal Hatturim* minime movet, qui ad verſ. 32. hæc ponit verba: קדש הוא קדש יהיה לכם בני׳ למלכות בירת דוד Vult enim quod quinque voces textus per Gematriam eundem numerum, in ſe contineant, quem tres poſtremæ habent. Et ubique omnino unus idemque numerus reſultat, ſi vocula קדש bis מלא ſeu plene cum ו legatur. Mittimus autem hanc ſtramineam probandi rationem, quæ Chriſtianis minime probatur, & tantum Luſus eſt Cabbaliſticus. Palmarium vero nobis argumentum eſt, & firmiſſimo ſtat talo, quod Cœleſtis Veritas nobis ſuppeditat *in Pſ. LXXXIX. v.* 21. ubi ita dicit: מצאתי דוד עבדי בשמן קדשי משחתיו: *Inveni David Servum meum: In oleo ſancto meo unxi eum*. Quod hic per שמן המשחה intelligatur בשמן קרשי ſole meridiano clarius eſſe videtur. Hoc enim epitheto Oleum Unctionis ipſe DEUS *Exod. XXX.* 31. exornat atque inſignit. Placet inſuper & addere Pſal. CLI. qui in Græco Pſalterio reperitur, cujus etiam meminit *Athanaſius in Synopſi*. In hoc breviſſimis verbis deſcribit David Curriculum vitæ ſuæ, & verſ. 4. canit: κὴ ἔχεισέ με ἐν τῷ ἐλαίῳ τῆς χρίσεως αὐτȣ̃. *Et unxit me Oleo Unctionis ſuæ*. Sic & *Arabicum Pſalterium*, quod *Erpenius* in lucem edidit, hunc Pſalmum habet, idemque docet v. 4. ومسحني بدهن مسحته ✣ *Et unxit me unguento unctionis ſuæ*. Nec admodum improbabile eſſe videtur, Oleum ſanctum in Unctione Salomonis fuiſſe adhibitum, dum 1. Reg. I. 39. legitur: ויקח צדק הכהן את קרן השמן מן האהל וימשח את שלמה *Et tulit Zadok Sacerdos cornu olei ex tentorio, & unxit Salomonem*. Quare Aben Eſra in Exod. XXX. talia profert: אמר הגאון ז״ל קבלה היתה ביד ישראל שימשח דוד וזרעו משמן המשחה לא מלכי׳ אחרים והוצרך לפרש ככה בעבור שלקח צדוק משמן המשחה שהיה באהל מועד ומשח בו את שלמה: *Dixit Rab. Saadias p. m. traditum eſſe in Iſrael, quod ungatur David & ſemen ejus Oleo Unctionis, non vero alii reges. Et neceſſe eſt, ut ita explicetur, eo quod acceperit Zadok Oleum Unctionis, quod fuit in tentorio tabernaculi, & unxerit eo Salomonem*. Tanto igitur a Rege Regum Reges Judæ e ſtemmate Davidico prognati beneficio ſunt affecti, e quo etiam in plenitudine temporis Salvator noſter naſci debebat.

§. 2. Hiſce præmiſſis ipſam Unctionem regiam penitius conſiderabimus: Adibimus vero iterum Rabbinos, & quid hic ſtatuant, audiemus. *Talmud. cc. II.* modum ungendi hoc modo deſcribit: תנו רבנן מושחין את המלכים כמין נזר. *T. Rr. ungebant reges juxta figuram coronæ*. רש״י in Gloſſa explanatius ac dilucidius: כמו נזר סביב על ראשו *inſtar coronæ circa caput ſuum. Maym. Kel. Ham.* iiſdem plane verbis: מלכי בית דוד מושחין אותם כמין נזר על ראשו: *Reges familiæ David ungebant forma coronæ ſuper caput. Schindlerus* vero in *Lex. p.* 1043. pluribus explicat: Fundebatur, inquit de unguento primum „ ſuper caput regis: Deinde in formam coronæ inter ſupercilia oculorum ejus ungebatur: tandem quod „ in vaſe erat reliquum infundebatur „ ejus capiti. Quia vas erat plenum, ut inde ungi & fundi poſſet. Habuit vero & hoc peculiare Saul in Unctione ſua, quod ipſi Samuel baſium impreſſerit 1. *Salm. IX.* 1. quem ritum in

in posteris Regibus Inauguratis postea observatum esse, in sacris literis non legimus. Contra vero nil boni significasse credunt Apellæ, quod in Unctione ejus Samuel Lenticulam olei usurparit, quippe quod signum fuerit regni non diu duraturi in sua familia. Quare etiam *Kimch. ad* 2. Reg. *IX.* sic notat. שאול ויהוא נמשחו בפך לא נמשכה מלכותן דוד ושלמה שנמשחו בקרן נמשכה מלכותן: *Saul & Jehu fuerunt uncti e lenticula; ideo non protraxerunt imperium suum: David & Salomon, quia uncti sunt e cornu, itaque perpetuarunt regnum*. Vel enim hoc exinde concludunt, quod Lenticula testacea facile frangatur, cornu vero non item.

§. 3. Nec sicco pede prætereundum, quod in Inauguratione Salomonis jussu patris Davidis contigit. Sicuti illa omnium erat splendidissima, ceu patet ex 1. *Reg. I.* 33. Ita & fausti ac boni ominis ergo Salomon magno cinctus comitatu ad scaturiginem fontis ducebatur, ibique in Regem inungebatur coram toto populo. Erat vero fons Gichon, ubi R. Sal. hoc annotat: מעין קטן סמוך לירושלם ולא זהו גיחון הגדול היוצא מעדן: *Erat fons parvus circumiens Jerusalem, & minime Gichon flumen illud grande, quod e paradiso egressum* (Gen. II. 13.) Ex hoc fonte fluit illa doctrina, qua Rabbini docent, Unctionem Regum ad scaturiginem fontis semper fieri debuisse. Sic *Talmud d. l.* תנו רבנן אין מושחין את המלכים אלא על המעיין כדי שיתמשך מלכותן שנאמר והורדתם אותו אלי גיחון: *Tradunt Rabbini nostri, non ungi Reges nisi ad fontem, ut prorogetur regnum illorum; uti dicitur* (1. Reg. I. 33.) *& deducatis eum ad Gichon.* Et *Maym. Hal. Kel & Melach.* utrobique *v.* 16. *c.* 1. אין מושחין את המלך אלא גבי המעיין וגו' *Non ungunt regem nisi juxta fontem &c.* Verum in Sacris Literis ne unum quidem adhuc Exemplum reperitur, ubi Rex ad fontem diductus inunctus fuerit. Potius Rabbini hic hallucinantur, dum parum rem considerant, neque alia exempla inter se conferunt. Probe enim notandum est, quod aliquando pauciores, aliquando etiam plures ritus fuerint adhibiti: non semper iidem retinebantur; Inserviebant loco & tempori. Et haud invite nobiscum sentiet, qui vel tria hæc exempla *scil.* *Saulis*, 1. *Sam. X.* 24. *Salomonis*, 1. *Reg. I.* 33. *Joæ*, 2. *Reg. XI.* 12. perleget. Alii adhuc ritus, quos in Inauguratione Regum Hebræi adhibebant, huc pertinent, illos vero in brevissimas contrahemus lineolas, fueruntque potissimum hi: (a) *Rex in thronum regium evehebatur* 1. *Reg. I.* 35. *&* 48. (β) *Capiti ejus corona imponebatur*, 2. *Reg. XI.* 12. *&* 2. *Par. XXIII.* 11. (γ) *omnis generis sacrificia fiebant* 1. *Sam. XI.* Tandem omnis populus in maxima sese diffundebat gaudia, & Regi congratulabatur, & solennem hanc formulam יחי המלך *Vivat Rex*, pleno ore acclamabat.

§. 4. Reges autem, qui patri succedebant, de novo non inungebantur, sed prima unctio toti familiæ, (quod etiam in prosapia Sacerdotum minorum factum esse e præcedenti capite constat,) sufficiebat. Quando tamen dissensio de Legitimo Successore oriebatur, tunc reiterabatur Unctio Inauguralis, quod iterum nos a Judæis discimus. Sic *Rambam Hal. Mel. c.* 1. *v.* 9. *cit. Schick.* מאחר שמושחין המלך הרי זה זוכה לו ולבניו עד עולם שהמלכות ירושה שנאמר למען יאריך ימים על ממלכתו הוא ובניו בקרב ישראל: *Postquam unctus est Rex, dignus habetur ipse & filii ejus in perpetuum, regnum enim est hæreditarium, uti dicitur* (Deut. XVII. 20.) *ut prolonget dies super regnum suum ipse & filii ejus in medio Israelis.* Et clarius ac enucleatius idem proponit *in Hal. Kel. Hamm. I.* 16. אין מושחין מלך בן מלך שהמלכות ירושה וכו' אלא אם היתה שם מחלוקת מושחין אותו כדי לסלק המחלוקת ולהודיע לכל שזהו מלך לבדו כמו שמשחו שלמה מפני מחלוקת אדוניהו ויואש מפני עתליה ויהואחז מפני יהויקים אחיו: *Non ungunt Regem, qui est Filius Regis, quoniam regnum hæreditarium est. At si oriatur dissensio, ungunt etiam eum, ut removeant æmulationes, & notificent omnibus, quisnam sit verus Rex solus. Sic unxerunt Salomonem propter factionem Adoniæ* (1. *Reg. I.* 5.) *Joasum propter Attaliam*, (2. *Par. XXIII.* 11.) *Joachasum propter Jehojakim fratrem suum* (2. *Reg. XXIII.* 30.) Hausit vero hoc *Rambam* ex Oceano Talmudico, ubi id præter alia, quæ huc etiam omnino pertinerent, pluribus proponitur. Nolumus tamen illud ipsum adducere, ne idem sæpius propinando nausea creetur. Interea huic nostræ dissertatiunculæ coronidem imponimus, & Messiæ, Sacerdoti, Prophetæ ac Regi nostro Summo, qui sine mensura oleo οὐ φθαρτῷ, oleoque lætitiæ præ consortibus suis inunctus est, cum Patre & Spiritu Sancto sine fine perennes laudes decantamus.

JOH.



JOH. JACOBI QUANDT
DISSERTATIO
DE PONTIFICIS M. SUFFRAGANEO.

PRÆFATIO.

TAnta pollebat majeſtate divino proſpiciente nutu ſub fœdere antiquo ſacerdotium Leviticum, ut ſummis juxta ac imis cultus divini executoribus honor ſummus & reverentia debita a quovis decerneretur. Erecta conſiſtebat domus ſtructuræ magnificæ; exſtruebatur altare, cultus ipſe ſuſcipiebatur a ſacerdotibus; Jure verendum erat, ne qua ſublimis hæc conſpurcaretur majeſtas, ni & ſacerdotio debita adjudicaretur reverentia. Pondus proinde addendum honoris, character quidam majeſtatis imprimendus, proſpiciendum undique ne qua levitate vileſceret, & a populo ad deteriora propenſo כתר כהונה prout audit *Maimonidi* in הלכות תלמוד תורה cap. III. §. 1. profano conamine diſturbaretur. Hoc fine lege proſpiciendum, ne ulla corporis ſui parte mutili, muniis in ſanctuario obeundis admitterentur, gibboſis, claudis, lippis, aliaque labe deformibus e ſacerdotum ſerie penitus ſemotis, vi legis Lev. XXI. 6. 23. quo ſenſu *Rab. Iſaac Abarbanel* in פירוש התורה fol. CC. col. 1. לא יהיה העובד בעל מום כי הבעל מום לא יקרב להקריב לחם אלהיו כי הוא חלול כבוד השכינה יען כי כל הרואים את הכהן בעבורתו והוא בעל מום יתפעלו בדמיונם ויתעבו העבודה ההיא משל למלך בשר ודם שכל איש אשר יהיה בו מום לא יקרב ר״ל לשרת לפני מלך שר ואדון כל שכן לפני מלך מלכי מלכים: *Miniſtrans macula ne ſit infectus;* [dicitur enim] *Macula infectus ne accedat ad offerendum panem DEI ſui; Talis namque profanat gloriam Majeſtatis DEI conſpicuæ; Propterea quod omnes ſacerdotem in functione ſua contuentes eumque macula inquinatum, objecto affecti externo, abominantur miniſterium hoc. Parabola eſt depromta a Rege terreno in cujus conſpectum nemo macula accedit infectus, b. e. ut miniſtret Regi, Principi aut Domino; quanto magis id requiritur in miniſterio Regis Regum?* Sacerdotibus ordinatis caput præfici æquum erat, & negotiorum in templo exequendorum ſummum moderatorem. Proh? quanta hunc circumfulgebat majeſtas, quantum ſublimitatis axioma? ſive perſonam ipſam ſive veſtes arte inſolita præparatas intueare, undique majeſtas effulgebat, ſpectatorum animis reverentiam incutiens debitam. Hic lamina aurea nomine DEI ipſius imprægnata fulgorem, illic Tiara, hic tunica multis diſtincta coloribus, illic pectorale oculos perſtringentia, cum fulgore majeſtatem plenis effundebant ſinubus, ſpectantiumque animis venerationem imprimebant, in tantum quidem, ut, cum quondam Alex. M. homo gentilis, Heros invictus, totius fere orbis ſubjugator Ponti-

tificem accessisset, ejus majestate perculsus in terram prociduus factus sit, si vera sunt, quæ profert *Josephus ben Gorion* L. II. cap. VII. *&* *alter* Lib. XI. Antiq. Jud. cap. VIII. Profecto vel unicus Expiationum dies solennissimo celebratus ritu, solus sufficit, qui veritatem nostri confirmet asserti, ut & *R. Salomon Ben Virga* in שבט יהודה f. LXXII. col. I. Functiones Pontificis in adyto expendens, pronunciet: תמהתי במאד מאד ואמרתי בעת ההיא ברוך מי שחלק מכבודו לאלה *Quantus quantus sum, admiratione perfusus sum, dixique in tempore isto: Benedictus sit, qui hunc sui participem reddidit honoris*. Refert insuper, fol. LXXIII. col. I. magnificentis hujus ingressus, ut quædam extaret seræ posteritati memoria, auream fabrefieri curasse Pont. M. tabulam his verbis insignem: אני פלוני כהן גדול בן פלוני הכהן גדול ששמשתי בכהונה גדולה בבירת הגדול והקדוש לעבודה מי ששכן שמו שם והיה זאת שנת כך וכך ליצירה מי שזכני בעבודה זו הוא יזכה בני אחרי לעמוד לשרת לפני ה׳ *Ego N. Pontifex Maximus filius N. Pontificis Maximi munia executus sum in magnifica sanctaque Dei domo, ad colendum eum, qui nomen suum ibi habitare decrevit, anno ab orbe condito N. Deus, qui dignum me reputavit, qui huic officio præessem, clementissime largiatur, ut habiles, quoque habeantur liberi mei, qui post me constituantur ad ministrandum coram Jehova*. Hæc dum nobiscum volvimus, ne latum quidem unguem a vero abfore nos opinamur, si præ reliquis in majestatem & reverentiam Pontificis summi quin totius cultus Levitici cessisse pronunciemus, quod is multis insignis Sacerdotibus, & qui omnibus hic præfectus erat Sacerdotum Præside, Pontificisque Suffraganeo, סגן Hebræorum Magistris dicto, cingeretur. Quod enim Regum ministri quo plures sunt & eminentiores eo eminentiorem aulæ Regiæ majestatem conciliant, quidni idem de aula Regis Regum verificaretur? Agedum idcirco, consideremus in præsenti dictum Pontificis Suffraganeum, ostensuri simul, quantum plenior ejus elucidatio explicationi Scripturæ accendat Lucis, ne multorum hujus seculi strepera vox nobis occinatur: Quare oleum huic themati, cui præter jejunam Antiquitatem nihil utilitatis? Id antequam pro ingenii nostri exequamur modulo, Dei auxilium ardentibus efflagitamus suspiriis:

§. I. Parantibus itaque nobis de Pontificis Summi Suffraganeo pauca producere in proscenium, vix illustrem rei ipsi facem inferri posse arbitramur, nisi quid vox ipsa importet, sub doctrinæ hujus innotuerit primordiis. Veremur enim & jure veremur, ne in nobis ea ludatur fabula, quam in Romanis veteribus ex Ciceronis alumni Pandectis obtigisse innuit *Gellius* L. XIII. N. A. cap. IX. quippe qui Græcia tantopere extorres fuere, ut stellas majores in capite Tauri stabulantes, Hyades dictas, suculas verterint, voce græca ab ὗς deducta, rem ipsam multis defœdatam relinquentes absurdorum plaustris. In incunabula vero vocis סגן penetrare cupientibus, oppido pauci ex numero Lexicorum consarcinationi intentorum occurrunt, quibus eandem erutam nobis sistere collibitum fuit, aut si vel maxime deprehendas arcanum delitescens revelantes, comperies nihilo secius, accurato natalium indagini eosdem minus exacte satisfecisse. Coactum & violentum foret, si *Stephano Morino* Exercit. de Lingua primæva cap. XIII. pag. 130. duce conferremus vocem Ebræam נוגש Exod. V. 6. per שלטן expositam; converso enim literarum ordine, orientalium mori contrario ex voce נוגש invenit שנג vel סגן, *Sagan*, *princeps*, *præfectus* & contra, cui æquipollet שלטן Es. XLI. 25. & טורניא, voce in pristino adhuc bonitatis valore accepta. Enimvero ne quid dicamus amplius, hoc modo ingenio Morini optime conveniente ex quovis ligno fingi poterit Mercurius, unde saniora magis perquiramus oportet. Non desunt porro, qui Radicem סנה vel שנה *crevit numero vel statura* Job. VIII. 7. Ps. XCII. 13. accersent, sub forma vocis חזן *synagogæ minister*, *Maccoth*. cap. III. Mischna XII. *Schabbath*. c. I. Mischna III. Græcis ὑπερέτης Luc. IV. 20. ex sensu Talmudico Rad. חזה *inspexit*, *prospexit*. Namque edocente *Elia Levita*. חזן נקרא כן לפי שהוא צריך לראות מה הם צרכי הצבור *Sic appellatur, quod ei incumberet prospicere de iis, quæ toti cœtui essent necessaria*, quo trahit vocem προθεωρεῖσθαι Act. VI. 1. occurrentem *Joh. Hammondus* diss. IV. de Juribus Episcop. contra Blondellum c. XXVI. §. V. Multo tamen commodius rem omnem expediri, idque felicius vel inviti agnoscant, si ן in fine adhærens radicale faciendo Radicem vocis dederimus non nisi punctis substratis alia ratione adaptatis, eadem scilicet, qua חתן *Sponsus* a Rad. olim quidem Ebræis, jam vero Arabibus non insueta ختن derivat *Edvard. Pocockius* in notis Misc. ad Port. Mos. c. IV. p. 52. si id inprimis urgeas, quod apud *Campejum Vitringam* non-

nonnemo L. III. de Synag. Vet. Part. II. c. II. p. 901. insolens prorsus esse, in verbis Quiescentibus Tertia ה nomen derivare Officii in ן terminatum. Scilicet, in subsidium vocandam existimamus Radicem Ebræam סכן præfecturam involventem & utilem rerum quarumvis administrationem, cujus emphasin exigunt nomina abhinc deducta; Sic quippe Es. XXII. 15. Sebna dicitur סוכן explicante *Rab. Salom. ben Meleb* in מכלל יפי f. XCIII. col. IV. הפקיד על האוצר מן ערי מסכנות לפרעה וכן תרגם יונתן פרנסאה *Præfectus Thesaurorum voce* סכן *depromta ex sensu loci Exod. I. 11. dun dicitur: Civitates Pharaoni thesaurarias, similique ratione vocem transtulit Jonathan reddens per principem.* *R. Abenesra* hæc habet: סכן שהוא ממונה על בית המלכות כאילו הוא פקיד על הממון שהוא אצור שם באוצרות הסכן כמו ערי מסכנות אוצרות *Dicitur* סכן, *eo quod præpositus fuerat domui Regis, acsi esset præfectus divitiis, ibi occlusis in thesauris, unde* סכן *dicitur, quemadmodum Exod. I. 11. appellantur civitates* מסכנות, *h. e. thesaurariæ*. Et *R. David. Kimchi* hæc exponit per ממונה על הבית המלך חזקיהו *præfectum Domui Regis Hiskiæ*. Momentosa enim sunt, quæ movent, ut recedamus a sententia *R. Elieseris* & quorundam *R. Salomoni Isaacidæ* adductorum, defendentium Sebnam fuisse Pontificem Maximum, quicquid etiam oggerat cum Bellarmino *August. Torniellus* in Annal. Sacr. ad A. MMM. CCCXXII. T. II. pag. 192. prolixe depexi ab *Isaaco Casaubono* in Exerc. Anti Baron. XVI. §. CXXXIX. pag. 524. 525. *Huetio* in Demonst. Ev. Prop. IX. c. CV. & *Joh. Seldeno* L. I. de Success. in Pontif. c. V. Conferri etiam meretur ספר ילקוט שמעוני part. II. f. XLV. col. III. *R. Samuel Laniado* Judæus Italus in כלי פז seu comm. in Esaiam f. XC. col. III. IV. & *R. Isaac Abarbanel* in פירוש על נביאים אחרונים f. XXXIX. col. 3. 4. & f. XL. col. 1. Haud dispari jure Abisag Sunamitis Davidi decrepito ac capulari associanda סוכנת dici meruit 1. Reg. I. 2. 4. Licet namque ante allegatus *Sal. ben Melech* ad h. l. gemina inprimis sese conspicuum det interpretatione, dum partim eandem sic vocatam cupit, quod utilitatem Regi præstaret, ne frigoris furore obrigesceret, partim accersendo Radicis istius significatum in Arabismo obvium سخن cujus virtute סוכנת *calefactrix* denotatur, nequiquam renuente *R. Sal. Isaacide* in h. l. Nihilosecius rem exantlasse luculentius censemus R. Jonam citatum a *R. Abendana* in Spicil. ad *ben Melech*, una cum *R. Levi ben Gerson* dum *thesauris præfectam, promocondam, omniumque commoditatum fuisse administram* suspicatur, sicautem ille: פירש רבי יונה סוכנת כלומר אוצרת מעניך ערי מסכנות לפרעה: *Interpretatur R. Jona vocem* סוכנת *per thesaurariam, ex significatione loci (Exod. I. 11.) ubi de civitatibus Pharaonis thesaurariis eadem vox recurrit.* Hic vero concisius magis: סוכנת רל׳ שומרת האוצרות *Dicitur* סוכנת hoc est *Thesauros custodiens*, quicquid etiam in contrarium urgeat *R. David Kimchi*, in Comm. ad h. l. scribens: יש מפרשים אוצרת כמו לך בא אל הסכן ואין טעם לפירוש הזה כי מה צורך למלך שתהיה אוצרת ובעלת אוצרות *Sunt qui vocem* סוכנת *exponunt per Thesaurariam, ex sensu loci (Es. XXII. 15.) Ito, veni ad thesauris præfectum. Sed ratio non subest huic interpretamento. Enimvero quid opus fuerat Regi, ut esset thesauraria & thesauris præfecta?* Quidsi proinde diceremus, Radicis hujus significatum etiam in nostram vocem סנך suum exerere influxum? Profecto, illi dubio quo contra nos radicum prætendi posset confusio, dudum spongiam paratam noveris. Non solum enim duorum elementorum נ & כ mutuus inter pronunciandum nexus, dum posterius leniori, prius vero fortiori aliquantum gutturis & palati motu defluit, verum & deducta hinc de Literarum ejusdem organi permutatione hypothesis abunde confirmat. Enimvero ne putes in his duabus literis insolentem appellari posse permutationem, vel nobis tacentibus in voce רכל & רגל eloquatur *R. Sal. Isaac.* verbis nostræ menti apprime consonis; ita vero ad Lev. XIX. 16. verba: לא תלך רכיל commentatur: אני אומר עש׳ שכל משלחי מדנים ומספרים לשון הרע הולכים בבתי רעיהם לרגל מה יראו רע או מה ישמעו רע לספר בשוק נקראים הולכי רכיל הולכי רגילה אשפיימנט בלע׳ וראיה לדברי שלא מצינו רכילות שאין כתוב בלשון הליכה לא תלך רכיל הולכי רכיל נחושת וברזל ושאר לשון הרע אין כתוב בו הליכה מלשני בסתר רעהו ל׳ רמיה ל׳ מדברת גדולות לכך אני אומר שהלשון הולך ומרגל שהכ״ף נתחלפת בגימ״ל שכל האותיות שמוצאיהם ממקום א׳ מתחלפות זו בזו בי״ת בפ״א וגימ״ל בכ״ף וקו״ף בכ״ף ונו״ן בלמ״ד *Ego opinor, eo quod omnes illi, qui jurgia serunt, & effutiant rem pravam ædes proximorum suorum introeunt, ad explorandum, ut conspiciant quidpiam perversi, aut mali quid audiant, quo habeant deinceps, quod palam divulgent, eapropter appellitentur euntes exploratum,*

i. e.

i. e. detrectatum espiement in lingua vernacula. Fundamentum verborum meorum est, quod non deprehendamus רכל *nisi adjecto* הלך *v. gr. dum dicitur* [*Levit. XIX. 16.*] *non ibis detrectatum.* [*Jer. VI. 28.*] *Euntes exploratum ære & ferro. Sed reliquis vocibus malum importantibus non adposita est vox* הלך *uti* (Pſ. CI. 5.) *Lædentem proximum suum in occultis. Lingua* רמיה. *h. e. lingua proferens magnalia. Inde infero, quod vox* הלך *eadem sit cum* מרגל. *Nam litera* כ *permutatur cum* ג *dum omnes literæ, quæ egrediuntur ex organo eodem facile permutantur. Nimirum* ב *cum* פ, ג *cum* כ, ק *cum* כ, נ *cum* ל. Neque vero destituunt nos alia hanc rem evincentia, quæ toto ſacco admetiremur, ſi ex cæteris Linguis cum Hebræa collatis litem dirimere intenderemus. Conferas quæſumus ſpeciminis loco vocem סגר 1. Sam. XXVI. 8. & סכר Eſ. XIX. 4. ac Syrorum ܣܟܪ *conclusit*; quanquam enim ex eodem exemplo de flumime כבר Ezech. I. 1. diſceptans *Nicol. Fullerus* L. IV. Miſc. Sacr. c. II. concedere nolit Scaligero, Gobarem Plinianum hunc ipſum eſſe Chebarem Ezechielicum, addit tamen Græcis quidem id receptum non eſſe, Hebræis vero uſitatiſſimum. Inſigne exemplum ſuppeditat vox כפר *resina, tectorium* נפר Gen. VI. 14. *Hieronymo* ſane in Tradit. Heb. non videbatur inconcinnnum pro poſtremo *bitumen* exprimere, non quod arbitrante *Capello* L. V. Crit. S. c. IX. §. VIII. p. 364. antiquitus lectum ſuſpicemur in Codice Hieronymiano כפר, ſed quod hanc mentem vel invito fere tantæ affinitatis extorquere videantur literæ, ut ob ſummam, quam præ ſe ferunt pronuntiationis congruentiam, ſignificationis convenientia etiam intelligeretur, fumos Capellianos diſpellente, noſtramque mentem pluribus roborante *Joh. Buxtorfio* in Anticrit. part. III. c. XI. p. 771. & ex Judæis *R. Aben Esra* Comm. in h. l. Quædam dabit *Athan. Kircherus* in Arca Noæ Sect. II. c. II. f. 19. & *Nic. Fullerus* L. IV. Miſc. c. V. Id videtur exploratum, inſulam ניפרי *R. Abrah. Zachuto* in יוחסין f. CXLII. col. 2. nominatam non niſi Κύπρον eſſe Syro Act. XIII. 4. ܩܘܦܪܘܣ dictam, conſentiente *Joh. Seldeno* L. II. de Synedr. c. VII. §. 6. p. 306. *Steph. Le Moyne* in Variis Sacris præf. & *Sam Bocharto* L. I. Phaleg. c. V. Par ἀμεταβολίας arcanum torſiſſe deprehendimus Onkeloſum, dum vocem מכרתהם Gen. XLIX. 5. expreſſam per תותבותהון reddidit, conferens ſine dubio cum priori Hebræam alteram מגרתהם annotante *P. Fagio* in Tranſll. V. T. variantium collatione T. IX. Crit. S. f. 2900. Revocamus huc inuſitatum גנז *abscondidit, reposuit in thesaurum*, unde גנז *Thesaurus* Eſth. III. 9. conveniens cum Arab. كنز *Thesaurizavit*. Nulli dubitamus quin huc collimarit *Joh. Coccejus* in Lex. ad h. v. diſquirens: *an a* כנז derivatio inferenda eſſet? Quantumvis enim conjectura hac opus non eſſe autor exiſtat *J. H. Majus in Suppl.* f. XIX. non inficiatur tamen, utrumque verbum quandam inter ſe habere connexionem. Acceſſeremus facile ex Chaldaiſmo כיף Targ. Gen. XXII. 17. & גיף Exod. II. 3. *littus*, כומצא Eſ. XXIV. 18. & גומצא Eccleſ. X. 8. *fossa*, כנפא Pſ. XV. 7. & גנפא *ala*, סנף Gen. XVI. 6. & סכף afflixit, niſi partim ſitas in ſole medio res demonſtrare cuperemus, ad quas non niſi noctuæ cœcutiunt, partim plura deſiderantibus quædam ſuppeditaſſet *Sam. Bochartus* lib. IV. Phaleg. c. XVII. p. 269. & lib. II. c. IV. p. 794.

§. II. Arx vero rei expugnanda, neque enim diutius, quam decet, in propylæo ſubſiſtendum. Nimirum, perſpecta vocis flexione, res ſub ejus deliteſcens involucris delibanda venit, quam tamen tum demum expiſcabimur, ſi uſum Biblicum & Talmudicum vocis nobis dederimus cognitum. Præſcripſiſſe hanc videtur methodum *R. David Kimchi* dum in ספר שרשים ſub voce סגן probe diſtinxit vocis hujus ſignificatum in ſcriptis Talmudicis reperiundum, & quem in Codice Biblico obtinet, admodum diverſum סגן סגנים לא ידעו אנא הלכתי פחות וסגנים ויבא סגנים כמו חומר פי׳ ויבא על סגנים כמו היוצר על החומר והם השרים הגדולים ובלשון משנה נקרא המשנה לכהן סגן. *Vox* סגן *habetur* (Neh. II. 16.) *ubi dicitur* סגנים *non cognoscebant quo iveram, similiter* (Jer. LI. 23.) *proceres &* סגנים Eſ. XLI. 25. *Et eveniet* סגנים *quemadm. Lutum h. e. veniet super* סגנים *sicut figului super lutum. Sunt autem principes potentes. At stylo Mischnico secundus a Pont. M. appellatur* סגן. Quantum proinde uſus id admittit biblicus, nomine hoc exprimi videntur perſonæ Principum aulis miniſtrantes, aliis præfectæ, proceres & primates, & quia militiam maxime ſequebantur, Duces militiæ & rei bellicæ antiſtites, brevibus juxta *R. Sal. ben Melech* ad Eſ. XL. 25. f. CI. a. & ad Jer. LI. 23. f. CXXIV. idem quod שרים גדולים *Principes eminentes*. Pluribus id eluceſcet, ſi prædicata ponde-

dere-

deremus eis adpropriata. Delineantur illic ut potentissimi & ob proterviam humiliandi. Es. XLI. 25. adeo ut comparentur & adsocientur Ducibus Jer. LI. 23. Esr. IX. 2. principibus & fortissimis quibusvis Jer. LI. 57. Regibus Medorum, eorumque Ducibus, v. 28. nobilissimis & ingenuis Neh. IV. 13. V. 7. VII. 5. qui tam frequentibus aulæ implicabantur negotiis, ut Ahaliab Regina amasios eos eligeret, Ezech. XXIII. 23. majestatem declarantibus vestimentis hyacintho tinctis quibus amiciebantur Ezech. XXIII. 6. Hæc respiciens *Kimchius* eos מלכי ז׳ אומות *Reges VII. gentium* fuisse putat Comm. ad Es. XLI. Nos id observamus præ cæteris, quod omnibus fere consentientibus secundum a Rege obtinuisse credantur locum, nisi R. Saadiam apud *Mart. Geierum* exemeris, per vocem hanc Dan. III. 2. obviam non Principum, sed Musicorum instrumentorum sibi imaginantem Titulos, ipso hic indignabundo Geiero. Imo si conjecturam, quam nos fovemus, libere liceret profiteri, dicendum, eodem modo quo in aulis quondam כהנים ministri vocati sunt primarii, ita סגנים ab his proximos, indeque exortum, ut qui summo in æde DEI fungeretur officio, כהן, & secundus ad hoc סגן nominaretur. Probabilem reddit conjecturam hanc nostram usus prioris vocis כהן non insuetus stylo Biblico imbutis, siquidem Benaja & Jojada Davidis filii 2. Sam. VIII. 18. כהנים nuncupati Syro; ܪܘܪܒܢܐ *Principes LXX.* πρῶτοι διάδοχοι τȣ̃ Βασιλέως *primi Regis vicarii*. Arabi كبراوهم *proceres* disertis verbis הראשנים ליד המלך primi ad manum Regis 1 Chron. XVIII. 17. nominantur; unde Chaldæo רברבין *Magnates*. Syro itidem ܪܘܪܒܢܐ *Principes* LXX. αὐλάρχαι *aulæ proceres* audiunt. Pari pacto Potiphera Gen. XLI. 45. כהן Pharaonis erat, qui tamen c. XXXVII. 36. סריס פרעה שר הטבחים, *minister intimus Pharaonis princeps satellitum* nuncupatur, dummodo non fuerint personæ distinctæ, nominibus nonnihil variatis scrupulum non sine causa injicientibus. Inferimus hinc, סגנים hos dignitate excepisse, & originem Talmudicis dedisse eodem nomine proximum in Sacerdotio a Pontifice M. insigniendi, quod ceu Vicarius omnia exequeretur, ad ministerium Jehovæ facientia, & prærogativa præ cæteris omnibus gauderet, fidus Pontificis Maximi socius. Recte proinde Elias in Thisb. f. 123. המשנה לכהן גדול נקרא סגן ובסמיכות סגן ולא מצאתיו בלי סמיכות והוא לשון פחות וסגנים שהם משנים למלך *Secundus a Pontifiec Summo Sagan appellatur, & in Regiminis statu*, סגן. *Neque tamen deprehendi vocem hanc nisi in statu constructo; Ejus usus est Jer. LI. ubi per* סגנים *innuuntur secundi a rege*, & R. *Abraham Zachutus* in Juchasin f. LVII. col. 4. ex Maim. הלכות כלי המקדש c. IV. §. XVI. סגן ר״ל משנה לכהן גדול ואת כהני משני תרגום סגן כהניא וזה למעלה לכהן גדול כמו שני למלך ושר צבאו. *Sagan secundus a Pontifice summo, sicut dicitur Jer.* כהני משני *ubi interpr. Chald. vertit*: סגן כהניא. *Et hic est intuitu Pontificis summi sicut secundus a Rege & princeps exercitus ejus.*

§. III. Enimvero ut hæc paulo pateant distinctius ex ima res repetenda veniet Antiquitate, ut dispallescat, an & quosnam inde a Sacerdotii ortu Ecclesia Judæa possederit Suffraganeos. Nimium antiquitati litant Ebræi, in distribuendis Suffraganei muniis adeo liberales, ut Mosen ipsum primum omnium Saganem & in Aarone quidem ac filiis ejus illud officium esse executum, evincere annitantur. Rem ipsam tradunt in *Siphra* Parascha צו את אהרן f. XXII. c. 2. l. 5. & in *Pesikta Sotarta* f. XI. col. 4. ad verba Levitici VIII. 7. ויתן עליו את הכתנת ויחגר אותו באבנט מלמד שנעשה משה סגן הכהנים לאהרן והוא היה מפשיטו ומלבישו וכשם שנעשה לו סגן בחייו כך נעשה לו סגן במותו שנאמר קח אלעזר בנו והפשט את אהרן את בגדיו: *Apposuit Aaroni tunicam & accinxit eum balteo; hoc ipsum innuit, quod Moses factus sit Sagan Sacerdotum; Ipse enim exuit & induit ei vestes; Sicut proinde factus est Aaroni Suffraganeus dum viveret, sic & factus est Suffraganeus cum moreretur; Dictum namque est* (Num. XX. 26.) *Accipe Eleazarum filium ejus, & exue Aaronem vestimentis.* Collactea his deprehenduntur in eodem tr. *Siphra* f. XXII. col. 2. l. 43. & in *Pesikta Sotarta* f. XI. col. 4. ad Lev. VIII. 1. ויקרב משה את בני אהרן וילבישם כתנות כשם שנעשה משה סגן לאהרן כך נעשה סגן לבניו כשם שיפקדו על בגדי אהרן כך פיקדו על בגדי בניו שנאמר ועשית בגדי קודש לאהרן אחיך לכבוד ולתפארת ואומר את בניו תקריב והלבשתם כותנות *Adduxit Moses filios Aaronis, induitque eosdem tunicis; Pari pacto, quo Moses evasit Suffraganeus Aaronis, ea ratione evasit & Suffraganeus filiorum ejus. Quemadmodum jubebatur de vestimentis Aaronis ipsius, sic etiam jussus est de indumentis filiorum ejus. Eo quod dictam est:*

est: (Exod. XXVIII. 2.) *Conficies vestes sanctitatis Aaroni fratri tuo, in honorem & ornamentum. Porro dicit :* (Lev. VIII. 13.) *Filios ejus adducito, & induito eosdem Tunicis.* Si tamen dicendum de mente Judæorum, quam de Saganatu Mosis fovent, non sine fundamento diceremus, respexisse eosdem potius officium, quod in unico hoc actu tantum cum Suffraganeo habuerat commune, non vero credidisse, omnes Mosen Saganis gessisse characteres. Communis enim fert Ebræorum consensus, Mosen non inferiorem sed superiorem multo Aarone in rebus etiam extitisse ecclesiasticis. Ita in ספר שמות רבא. Parasch. XXXVII. f. CLIII. col. 3. l. 14. רבנן אמרינן כל שנה שהיו ישראל במדבר שמש משה בכהונה גדולה ויש אומרים לא אלא שבעת ימי המלואים ורבי ברכיה בשם רבי סימון אומר כל ארבעים שנה שמש משה בכהונה גדולה. *Inculcant Doctores, tempore quo commorati sunt in deserto Mosen summi executum esse munia sacerdotii. Quamvis enim sint, qui non nisi per VII. dies initiationis hoc officium eum obiisse persuadeant, tamen R. Berechia, sub nomine R. Simonis integros XL. annos Mosen Pontificem egisse maximum defendit.* In tantum quidem, ut non dubitarit Jonathan Paraphrastes Mosi ornatum Pontifici soli competentem adjudicare, dum laminam auream ab eo gestatam respexisse videtur in Paraph. Chald. Deut. XXXIV. 5. Veritatem relationis si intueare, haud perperam cum illa comparares, qua ex verbis Polycratæ apud *Euseb.* L. V. c. XXIV. de Johanne Apostolo quidam colligunt, quod fuerit ἱερεὺς τὸ πέταλον πεφορεκὼς καὶ μάρτυς καὶ διδάσκαλος petalum seu bracteam & laminam Pontificalem a Johanne in fronte gestatam, ut hinc pessime judicaverit *Valesius* in Librum V. *Euseb.* c. XXIV. f. 104. & *Cæs. Baronius* ad A. XXXIV. §. CCLXXXIX. credibile videri, primos Christianorum Pontifices Judaicorum exemplo hoc honoris insigne gestasse, una cum *Petavio* in Hæres: Antidico-Marian. in Hær. LXXVIII. n. 14. Enimvero uti acute judicat pro more suo *Frid. Spanheimius* differt. de Converf. Paul. Epocha p. III. §. 31. T. II. Opp. f. 172. suo judicio id esse absurdum, quemadmodum id quoque quod de Marco Evangelista frontale s. corollarium sanctum (ut appellat *Rob. Sheringh.* ad c. VII. Mischna V. Cod. Joma p. 179.) portante enarrat & disjicit idem *Spanh.* diss. de Marco Evang. §. XII. T. II. Opp. p. 276. & *Herm. Witsius* L. II. Misc. Sacr. diss. II. de Sac. Aar. & Christi §. LIII. LIV. p. 488. Cæterum, quamvis concedi posset, analogice functionem quandam Suffraganei Mosen esse executum, vere tamen hoc nomine insigniri posse, admodum inficiamur, quippe quod evidenti nondum cernimus corroboratum indicio. Vehementer enim dubitamus, an huc collimet *Dionys. Petavius*, dum L. X. Doctr. Temp. c. XLVIII. *Deus*, inquit, *adeo constanter ac severe decrevit (tribum Levi inter sacerdotes esse debere,) ut ne Mosis quidem tanti viri, ac Pontificum omnium & Sacerdotum Antistitis posteri sacerdotes fuerint.*

§. IV. Semoto proinde Suffraganeo a Judæis supposito, & antiquitate ejus admodum suspecta, series Suffraganeorum expendenda venit, quam si ordine continuo exhibere possemus, non sine causa nobis gratularemur; Enimvero quocunque tandem nos flectamus, ubivis monumentis antiquitatis ingenuæ nos destitui animadvertimus, obicem ponentibus, ne pro lubitu in expansos monumentorum secessus liceat intueri. Id tamen monendum ante omnia æquum ducimus & facile ab omnibus nobis assensum promittimus, oppido plures hujus honoris fuisse participes, si præprimis eruditam exosculemur sententiam, propinatam pluribus a *Joh. Seldeno* L. I. de Succ. in Pontif. cap. XII. & approbatam a Joh. Henr. Otthone in Lex Phil. Rabb. pag. 541. Is, ut diversas Judæorum mentes, numerum tam sub Templo primo quam sub Templo secundo viventium Pontificum, cum Scriptura Sacra ineuntium conciliaret, cum Autore Tosiphta hanc inprimis ob causam plures solito emergere putavit Pontifices, quod qui plures recenseant Pontificum includant Suffraganeos, qui vero pauciores, solos Pontifices Summos enarrent. *Ex VIII.* inquit, *illis IX. essent Segenes s. Vicarii Pontificis, reliqui Pontifices ipsi seu Primarii. Quin & in Templo secundo eadem ratione fuisse circa DC. Pontifices sc. CCC. qui primarii, totidemque Secundarios.* Ut vero omnes hic exponamus, nemo deposcat, partim quod nec omnes recensiti sint apud Historicos, partim quod ad declarandam rei cujusdam existentiam non omnia adducere opus sit, cum ex paucis cæterorum ratio satis queat conjici. Nadabum Aaronis filium Suffraganeum Patris sui fuisse Talmudistarum suffragio comprobat *R. Abraham Zachut* in ספר יוחסין f. LVII. a. fusiori discursui ibidem intentus inter alia sic scribens:

ואם

ואם כן נדב שהיה סגן כיון שלא נכנס לשמש תחת אהרן כיצד *Quodsi vero sic, Quomodo se res habebit cum Nadab Suffraganeo, posteaquam intrasset ad ministrandum loco Aaronis?* Eleazarum sane Suffraganeum Aaroni Nadabo mortuo substituunt, Aarone vero adhuc vivo Judæi magni nominis, prout ex *Siphra*, R. *Mose bar Nachman* res clarius inf. patebit; mortuo vero Patre Ithamarum ei successisse in functione hac, ab illis negari non posse crediderimus, qui conjunctionem duorum horum indivisam urgent, rationem aliam non invenientes, quam alterum quidem Pontificis, alterum vero Suffraganei vices obiisse, ut adeo parum ponderis inesse videatur rationi Dionysii Petavii quam urget in contrarium, frustra hoc dici & absurde asserens, dum sic vivo adhuc Aarone concedendum foret, alterum quidem summo sacerdotio functum esse, alterum vero Pontificis secundarii s. Suffraganei, cum tamen superstite adhuc Aarone nullus horum, nec mortuo præter Eleazarum quisquam alius Pontifex fuerit maximus. Enimvero si quidpiam conjicimus, contra illos quidem hæc urgeri possent, qui profitentur, Nadabum propterea Suffraganeum Aaronis dicendum, quod cum Abihu indivulso conjungatur vinculo, sicuti complures deprehendas ab hac sententia non prorsus alienos; At si vel hoc fundamento motus quis diceret Nadabum & Abihu item Eleazarum & Ithamarum ante mortem equidem Patris tanquam סגן & ראש בית אב post mortem vero Aaronis, & Nadab ac Abihu defunctis Eleazarum Pontificem evasisse, Ithamarum autem egisse Suffraganeum? Evidentius Exemplum monstratur in Zadoco & Abjathare, ad cujus veritatem & robur vel ipsum videas provocare *Petavium*, difficilem alias in asserendis Saganum exemplis, ut confiteri etiam coactus sit, omnibus aliis eam præferri debere sententiis, quæ vult, regnante Davide non pontificem Zadocum, sed pontifici velut accensum, ejusque vicarium & optionem fuisse L. X. Doct. Temp. c. LVI. p. 255. ne quicquam discedente *Seldeno* L. I. de Succ. in Pont. c. IV. & *Seb. Schmidio* ad L. II. Sam. c. VIII. q. 9. Id dubio vacat omni, eos ceu Pontifices simul consociari 1. Paral. XVIII. 16. 2. Sam. XX. 25. XV. 35. & alia indicia idem evincere. Non jam memorabimus Serajam & Zephaniam 2. Reg. XXV. 18. Hilkia & כהני משנה 2. Reg. XXIII. 4. quorum alterum Pontificis alterum Suffraganei munia executum probabile est. Nam prout concinne subinnuit *R. Abarbanel* Comm. ad h. l. & *R. Levi ben Gerson* hoc nomine salutantur כהנים השניים לכהן גדול כמו סגן הכהנים והנמשכים אליו במדרגותיהם על הסדר *Secundi a Pontifice Maximo, quemadmodum antistes Sacerdotum, & subsequentes hunc in gradibus suis secundum ordinem*; unde Zephaniam, Scripturæ S. כהן משנה dictum, aperte סגן nuncupat, Comm. ad 2. Reg. XXV. 18. & multo disertius *R. Levi ben Gerson* in Comm. שריה כהן הראש הוא כהן גדול ואת צפניה כהן המשנה הוא סגן הכהנים. *Scriptura Serajam vocat* כהן הראש. *Erat quippe Pontifex M. Zephaniam autem* כהן המשנה, *h. e. sacerdotum antistitem*. Nec minus *R. Davidi Kimchio* שני לכהן גדול והוא הסגן כהן המשנה alius non est, nisi שני לכהן גדול והוא הסגן תרגם יונתן סגן כהניא *Secundus a Pontifice maximo, aliis Sagan nuncupatus; Quo tendit etiam versio Jonathanis reddens voces has per Antistitem Sacerdotum*. Talmudicorum si excutiamus loculos illustre admodum nomen in illis deprehenditur R. Chananiæ frequentissime sub nomine סגן הכהנים adducti veritatem faciente *Avoth* c. III. Mischn. II. *Menachot* c. X. Mischn. I. *Schekalim* c. VI. Mischn. I. *Siphra* Parasch. צו f. XVI. col. III. l. 35. *Juchasin* f. LVII. col. 1. & si huc revocare cuiquam libuerit R. Simon fil. Saganis memoratum in *Menachot*. c. XI. Mischna IX. ac *Jalkut* f. 102. col. 4. Plures subsequens dabit Tractatio.

§. V. Ideam vero & genuinum Suffraganei Pontificis non poterimus imprimere nobis schematismum, ni sub officiis ei competentibus, functionibusque, eidem incumbentibus genuinam ejus faciem expresserimus. Has autem diversas multum deprehendimus, facile tamen ad duo revocabiles capita, si dispescamus in extraordinarias ac solennes, & quotidianas seu minus solennes. Ut solenniores primum expendamus ipsa postulat dignitas. Verum & hic occurrit functionum discrimen, dum non solum in Expiationis die solenni, verum & circa Vaccam educendam, quin etiam in Pontificis ad funera deductione Suffraganeum occupatum deprehendimus. Prima omnium & maxime memorabilis ministerii functio die Expiationis usitata, primum sese nostro offert scrutinio, non solum, quod dies ille solennium rituum multitudine aliis palmam præriperet, sed etiam quod in eo summe conspicuum Suffraganei Pontificis effulgeret ministerium. Eam ob causam pecu-

culiari ritu surrogabatur in eventum possibilis pollutionis ante diem expiationis, injungebatur eidem, ut Pontifici adesset, eumque auxiliaribus opibus sublevaret *Joma* c. I. Mischn. I. & *Maim.* in הלכות יום הכפורים c. I. §. 3. Id reticendum non existimamus, quod refert *R. Sal. ben Virga* in שבט יהודה f. LXXII. col. 1. Saganem una cum reliquis throno insidentem adjurationi Pontificis actu solenni celebratæ præsentem adfuisse: שבעת ימים קודם היום ההיא יום מיוחד שקורין כפור והוא האדיר להם מכל הימים היו מכינים בבית הכהן הגדול מושב וכסאות לאב בית דין ולנשיא ולכהן גדול וסגן הכהנים ולמלך ולבד אלא שבעי׳ כסאות של כסף לשבעים סנהדרין והזקן מן הכהנים היה קם על רגליו ואומר לפניו דברי כבושין ותוכח׳ ואומר לו ראה לפני מי אתה נכנס וכו׳. *Septem diebus expiationis diem antecedentibus, diem inquam solenni cultu celebrandum & expiationis nomine insignitum cunctis reliquis anni totius anteponendum, præparabant in domo Pontificis maximi solium & sellas, Præsidi Synedrii primam, Principi Synedrii secundam, tertiam Pontifici maximo, Suffraganeo quartam; Regi quintam, Separatim vero LXX. sedilia argentea pro LXX. Synedrii assessoribus. His peractis ætate inter sacerdotes major in pedes suos assurgens alloquebatur Pontificem verbis seriis & severis, dicens ei: Dispice, o Pontifex, in cujus conspectum ingredi debeas &c.* Ingruente Expiationis die ipso, omnium primæ functiones Pontificis occupabantur in oblatione sacrificii jugis matutini pluribus eas delineante *Maim.* l. c. c. I. §. 1. cumque vel in aliis ejusmodi sacrificiis Suffraganeus noster Pontificis sui indivisus adesset socius, conveniens erat tam solenni functiones suas ipsummet expedire, cum vero & ista non differant a quotidianis & minus solennibus, majori jure eas eo reservamus. Dicamus hic potius de functione Suffraganei huic diei propria. Gemina illa erat; altera quidem Pontifici vitiato vicaria, altera Pontifici officium suum obeunti socia. Nimirum sacerrima Lege summum vetuerat Numen, ne macula affectum Sanctum ingrederetur, Lev. XXI. 23. quam ut custodirent Judæi, Legi divinæ innixi, constituebant, ne Pontifex pollutus sancta ingrederetur, ni pœnæ certo inferrendæ vellet fieri reus *Maimon* in הלכות ביאת המקדש c. VI. §. 2. Sacerdotes sane gregarii humanitus quidpiam passi peculiari in templo huic usui decreta scala descendebant, inepti die postero actibus sacerdotii obeundis *Middot.* c. I. Misch. IX. c. V. Mischna IV. *Tamid.* c. I. Mischna I. & *Maim.* in הלכות בית הבחירה c. VIII. §. VII. aut si obire munus suum auderet, a Sacerdotibus junioribus foras protracto, fustibusque excepto cerebrum excutiebatur. שבא אל המקדש טמא *Quod in Sanctuarium immundus se contulisset.* Cod. *Maccoth.* c. III. Mischna II. & *Sanhedrin.* c. IX. Mischna VI. Quanta cum reverentia putas & puritate itaque ingredi Pontificem decebat maximum, cum sacra non in atrio, non in sancto, sed loco omnium sanctissimo essent peragenda? adeo ut non plane de nihilo sit Rabbinorum cogitatio, inquirentium qui factum, ut Lev. XVI. 1. relationi de morte filiorum Aaronis immediate cultus Expiationis die suscipiendus præscribatur? respondentque consensu unanimi, factum id, ut eo magis Pontifex sanctissimum ingressurus ab omni immunditie esset immunis. Conf. *R. Moses Alschech* in פירוש התורה f. CLXXXII. col. 3. 4. Quum itaque contigisset, ut pollutione quadam inficeretur Pontifex, imo fatis ita disponentibus eveniret, ut eadem nocte in morbum incideret ineluctabilem, aut casum alium indispensabilem, quin morte tolleretur, aut fluore quodam, aut salivæ inficeretur profluvio, ni obseranda essent sacra, & sanctis faciendæ induciæ, ni dies sacer prorogandus, requirebatur utique alius, qui prioris exequeretur officium. Quod si proinde vitiati Pontificis adesset vicarius, easdem etiam officii partes obibat, quæ in die hoc solenni a Pontifice M. requirebantur, vi illius πολυτρυλλήτε. שלוחו של אדם כמותו. *Ablegatus eodem jure pollet, quo is, qui eum ablegarat*, apud *Rab. Sal. Isaacid.* Comm. in Lev. XXIV. 14. Hinc est, quod scribit idem *R. Salomo* ad Cod. Joma cap. III. §. 2. & *R. Obad. de Bartenora* ad cap. III. §. 2. & *R. Obad. de Bartenora* ad cap. I. §. 1. מזמנין כהן אחר להיות כהן גדול תחתיו אם יארע בו פסול קרי או שאר טומאה המעכבין מלבא למקדש *Præparant sacerdotem alium, qui sit Pontifex maximus loco ejus, si obtigerit ei vitium, seminis profluvium, aut reliquarum pollutionum quæpiam, impedientium, ne adytum ingrediatur*. Et *Rabbenu Ascher.* ad Cod. Joma f. XCVI. col. I. מזמנין לו אחר תחתיו שהוא מזומן לעבור אם יארע בו פסול. *Præparant ei alium loco ejus, ut sit aptus ad ministrandum, si quod obtigerit Pontifici vitium*; Ne vero qui existimet nude hæc asseri, e re vero ipsa declarari non posse, en! dabimus exempla eorum, qui Suffraganeorum Pontificis munere in Sanctuario

sunt

defuncti : Primum est R. Ismaelis fil. Kemchith descriptum in Cod. *Joma* Talm. Hieros. cap. I. fol. XXXVIII. col. 4. אמרו עליו על רבי שמעון בן קמחית פעם אחת יצא וספר עם מלך ערב י״כ בשוק ונתזה צנורא מפיו על בגדו ונכנס יוסף אחיו ושמש תחתיו וראתה אמן שני בניה כהנים גדולים ביום אחד *Narrant de eo nempe R. Simeon fil. Kemchith, accidisse aliquando, ut exiret & confabularetur cum Rege quodam* [*al. Codd.* הגמון) *vespere diem Expiationis antecedente in platea, ex cujus ore spargebatur saliva super vestes ejus ; Tum ingressus est Josephus* (alii יהודה) *frater ministrans loco ejus, viditque mater ipsorum filios geminos Pontifices summos uno eodemque die*. Conf. Talm. Hieros. Horaj. fol. XLVII. col. 4. Alterum deprehendimus in Josepho Ellemi filio Zipporensi gonorrhæam in die expiationis passo, apud *Josephum* L. XVII. c. VIII. & Talm. Hieros. Cod. *Horajoth.* fol. XLVII. col. 4. ut proinde pessime defenderit Cæs. *Baronius* vicariam ejusmodi sacerdotum præfecturam nemini concedi, annotante *Montacutio* in Anal. Eccles. Exerc. VI. Sect. IV. p. 220. & alia plane ratione cumque grano salis accipiendum sit illud miraculis X. in templo annumeratum לא אירע קרי ככהן גדול ביום הכפורים. *Nunquam obtigit Summo Pontifici seminis profluvium in die Expiationis*, in *Avoth* c. V. Mischna V.

§. VI. Functionem Suffraganei una cum Pontifice Maximo susceptam quod attinet, primum illa suscipiebatur circa hircos geminos, alterum quidem DEO summo consecrandum, alterum autem in desertum ad Azazelem ablegandum. Quum itaque præparatis sortibus duabus inque urnam projectis illæ essent educendæ, Pontifex Maximus medio inter Suffraganeum & Patriarcham constitutus loco urnam legitime compositam accedebat, in protractione ipsa sortium peculiari a Suffraganeo voce admonitus. Rem sistit *R. Maimonides* in הלכות עבודת יום הכפורים c. III. §. 2. e *Talm. Babyl. Cod. Joma* c. III. Mischn. IX. his verbis: היכן מגריל במזרח העזרה בצפון המזבח מניחין שם הקלפי ומעמידים שני השעירין פניהם למערב ואחוריהם למזרח וכהן גדול בא לשם והסגן מימינו וראש בית אב משמאלו ושני השעירים לפניו אחד לימינו ואחד לשמאלו *Quomodo circa sortitionem occupatur? Ab orientali atrii plaga, a latere altaris septentrionali collocabant urnam; Constituebant præterea hircos geminos coram ipsis versus occidentem, tergis eorum versus orientem prospicientibus. Pontifex Maximus ibat eo Suffraganeus ejus ad dextram, & Patriarcha aderat ad Pontificis sinistram ; Gemini autem hirci ante ipsum consistebant alter quidem ad manum dexteram, alter vero ad sinistram.* Pergit *Maimon*, ostensurus quæ porro circa sortilegium fuerit Suffraganei cura l. c. §. III. ex *Cod. Joma* c. IV. Mischna I. טרף בקלפי והעלה שני הגורלות אחד כתוב עליו לשם ואחד כתוב עליו לעזאזל בשתי ידיו לשם שני השעירים ופותח ידיו אם של שם עלה בימינו הסגן אומר אישי כהן גדול הגבה ימינך ואם בשמאל עלה ראש בית אב אומר לו אישי כהן גדול הגבה שמאלך ונותן שני הגורלות על שניהם של ימין על ימין ושל שמאל על שמאל *Succussabat urnam Pontifex, extracturus inde sortes geminas, alteram cui inscriptum erat: Pro Domino, alteram in qua exaratum: Pro Asasele, manu utraque propter hircos geminos. Hoc peracto, manu utraque, si illa sors cui inscriptum* לשם *ascenderit in dextram, Suffraganeus dicebat: Domine Pontifex maxime, Dexteram quæso eleva; si vero in sinistram ascendisset, Patriarcha eidem dicebat: Domine Pontifex: Sinistram in altum attolle. Tum imponebat Pontifex maximus sortes geminas hirco utrique, sortem nempe manus dextræ hirco ad dextram, & sortem sinistræ hirco ad sinistram constituto*. Et hæc quidem vocum הגבה ימינך prolatio a Suffraganeo facta quinque functionibus a Suffraganeo Pontifici præstandis annumeratur in *Talm. Hierosol. Cod. Joma* c. III. הסגן אומר אישי כהן גדול הגבה ימינך *Dicebat Suffraganeus: Domine Pontifex dextram tuam elevato* quali formula incitatum etiam libaturum commemorat *R. Maimonides* in הלכות תמידין ומוספין c. X. §. VIII. propterea quod libans מגביה ידו וויצק על היסוד והוא יורד לשיתין *Elevat manum suam, & effundit libamen ad basin, ut inde descendat ad fundamenta altaris*, dicente eodem *Maim.* in הלכות מעשה קרבנות c. II. §. I. Insignis vero observatio est, quam Doctoribus propinat R. Jehuda, existimans non Pontificem modo, verum & Pontificis Suffraganeum manum suam urnæ constitutæ immisisse, indeque sortes extraxisse. Non pigrabimur depromere effata proposita in *Gemara ad cap.* טרף קלפי Misch. I. f. XXXIX. רבי יהודה אומר משום רבי אליעזר הסגן וכהן גדול מכניסין יד׳ בקלפי אם בימינו של כהן גדול עולה הסגן אומר לו אישי כהן גדול הגבה ימינך ואם בימינו של סגן עולה ראש בית אב אומר לו לכהן גדול דבר מלך ונימא ליה סגן כיון דלא סליק בידיה חלשא דעתיה במאי קא מיפלגי מר סבר ימינא דסגן עדיף משמאליה דכהן גדול ומר סבר כי

הדרי נינהו דמאן האי תנא דפליג עליה דרבי יהודה רבי חנינא סגן הכהנים הוא דתניא רבי חנינא סגן הכהנים אומר למה סגן מימינו שאם אירע בו פסול בכהן גדול נכנס סגן ומשמש תחתיו *R. Jehudæ opinio nomine R. Eliseris est: Suffraganeus P. m. & Pontifex M. intromittunt manus suas in urnam: Si in manum Pontificis dextram ascenderit sors, Suffraganeus dicit: Domine Pontifex, dextram tuam elevato. Quod si vero sors in manum ascenderit Suffraganei, Patriarcha acclamabat Pontifici: Indica verbum tuum* (Hircus hic in hostiam esto Numini) *Potuisset id ei indicare Suffraganeus; Sed quum sors non ascendisset in manum ejus* (scil. summi Pontificis sed in manum Suffraganei) *perturbatione detinebatur animus ejus. Quam ob causam suscepta hic est a Doctoribus Disputatio?* (Resp. in eo latet dissensus,) *quod Doctorum alter opinetur, Dextram Suffraganei multo esse sinistra Pontificis M. honoratiorem, alter vero opinetur, eas inter se invicem reciprocari. Quis vero est Doctor ille qui disceptat adversus R. Jehuda? Resp. R. Chanina Sacerdotum Antistes; quippe Traditio de eo circumfertur: Tradit R. Chanina Sacerdotum antistes: Quam ob causam Suffraganeus dextram occupat? Ut si obtigerit Pontifici vitium, hic loco alterius ingrediatur & functiones exequatur.*

§. VII. Cum jam in eo esset Pontifex Maximus, ut tempore exigente solenne in Sancto Sanctorum exequi cogeretur ministerium, Suffraganeus Velum adaperuisse perhibetur, quo Sanctum a Sancto Sanctorum discriminabatur, liberum Pontifici suo paraturus introitum. Ita sentit *Isaacus Abarbanel* in פירוש התורה ad Sect. אחרי מות f. CCXLIX. col. II. lin. 30. sqq. הביאו לו מחתה אחת של זהב כי בכל ימות השנה היו משתמשין במחתות של כסף וביום הכפורים במחתה של זהב וחותה כהן גדול אש ממזבח החיצון ונותן על המחתה והביאו לו גם כן כף אחת של זהב וכלי מלא קטורת דקה מן הדקה והיה כהן גדול לוקח מאותו כלי מלא חפניו קטורת ונותן לכף שלפניו ומוליך מחתה בימינו והכף בשמאלו והולך להיכנס בבית קדש הקדשים והסגן שהיה בימינו וראש בית אב שהיה בשמאלו היו מגביהין הפרוכת או הפרוכות מלפניו ונכנס כ״ג בקדש הקדשים. *Apportarunt thuribulum aureum; Nam diebus reliquis anni totius officio fungebantur thuribulis argenteis; At in die expiationis thuribulo aureo. Pontifex M. recipiebat ignem de altari exteriore, indens illum thuribulo. Insuper adduxerunt ei acerram auream & vas suffimento adimpletum admodum comminuto. Pontifex Maximus pugillo repleto suffimentis, quæ ex eodem vase receperat, & inditis acerræ ante ipsum collocatæ, thuribulum dextra sua portat, acerram vero sinistra, sicque confert semet ad introeundum in Sanctum Sanctorum. Suffraganeus qui erat ab ejus dextris, & Patriarcha, qui adstabat sinistris, elevabant velum aut vela ante ipsum. His peractis, Pontifex Maximus sanctissimum ingrediebatur.* Quando tamen omnia probe nobiscum volvimus, fatemur, ingentem nos invadere suspicionem, utrum functio ejusmodi Suffraganeo nostro injuncta fuerit, cum non videatur cujusquam nisi vel solius Abarbanelis testimonio adstructa. Equidem verum est, a re ipsa id penitus non esse alienum. Videmus enim occupatum in simili Suffraganeum nostrum negotio, introitus Pontifici maximo parandi causa, cum templum sese incurvandi causa Pontifex ingrederetur. Recenset hunc ritum *R. Maimonides* in cap. V. ה׳ כלי המקדש §. XI. *ex Cod. Tamid.* c. VII. Mischna I. בזמן שכהן גדול נכנס להיכל להשתחוות שלשה אוחזין בו אחד בימינו ואחד משמאלו ואחד באבנים טובות שבאפוד מאחוריו ויכנס להיכל וישתחוה וכיון שישמע הסגן קול רגליו של כהן גדול שהוא יוצא מגביה לו את הפרוכת. *Quo tempore Pontifex Maximus ingrediebatur templum sese incurvaturus, tres sustentabant eum. Primus a manu ejus dextra, alter a sinistra, tertius tandem lapides pretiosos pectorali insertos a parte sustinens postica. Sic templum ingreditur & incurvat sese. Quamprimum Suffraganeus* (in Cod. Tamid. dicitur ממונה) *percipit sonum pedum Pontificis maximi adventantis, attollit ei velum.* Dubio ferme vacat Maimonidem hic velum innuere portæ pronai oppansum, פרוכת על פתח האולם salutatum, & cum aliis XII. expositum *a Maimonide* ipso in הלכות כלי המקדש cap. VII. §. XVII. si inprimis vestigia legamus *R. Obad. de Bartenor.* ad cod Tamid. c. VII. Mischn. I. scribentis: פרוכת שתלוי בפתחו של אולם שלא היה לפתחו של אולם דלתות כשאר פתחים שבמקדש אלא פרוכת בלבד. *Innuit velum portæ pronai oppansum. Non enim, sicut reliquis in Sanctuario portis, ita & portæ pronai valvæ fuerunt, sed velum tantum.* Ne latum quidem unguem discessum faciens a Talmudistis c. II. *Middot.* Mischn. III. observantibus כל הפתחים שהי׳ שם היו להם דלתות חוץ משל אולם. *Portæ templi omnes valvis gaudebant, sola pronai excepta.* Quo vero

ro

ro collimet Abarbanel dum modo unius modo plurium mentionem velotum injicit, pariter Talmudistas evolventi incognitum esse nequit. Nimirum adstrinxit Autor munus adapertionis veli a Suffraganeo susceptæ ad templum primum æque ac secundum; enim vero in templo primo parietem tantum intergerinum Sanctum a Sanctissimo discriminantem deprehendere licebat, in templo vero secundo velum geminum, sub καταπετάσματος titulo Matth. XXVII. 51. insigne parieti huic substituebatur. Evincunt id Doctorum Judaicorum suffragia. *Salomonem Isaacidem* ad Sect. הוציאו לו את הכף ad Joma f. LI. col. 3. rem declarat *Autor* פירוש המשניות ad Cod. Joma f. XCI. col. 1. מקדש ראשון היה בו פרוכת אחת ובמקדש שני היו שתים מפני שספק שנתחדש להם בעת הבנתו. *In templo primo unicum tantum velum erat, at in templo secundo duo aderant vela, propterea quod dubium oriretur novum tempore reædificationis ejus.* Clarius magis omne id expressit pro more suo *Maimonides* in הלכות בית הבחירה c. IV. §. II. his verbis: בבירת ראשון היה כותל מבדיל בין הקודש ובין קדש הקדשים עביו אמה וכיון שבנו הבירת שני נסתפק להם אם עובי הכותל היה ממדת הקדש או ממדת קדש הקדשים לפיכך עשו קודש הקדשים עביו עשרים אמה תמימו׳ ועשו הקדש ארבעים אמה תמימו׳ והניחו אמה יתירה בין הקדש ובין קדש הקדשים ולא בנו כותל בבית שני אלא עשו שתי פרכות אחד מצד קדש הקדשים ואחד מצד הקדש וביניהן אמה כנגד עובי הכותל שהיה בראשון אבל במקדש ראשון לא היתה שם אלא פרוכת אחת בלבד שנאמר והבדולה הפרוכת לכם וכו׳. *In templo primo paries erat intergerinus discriminans sanctum a sancto Sanctorum, densitate sua cubitum exæquans. Quum vero exstrueretur templum secundum, dubio agitati hæsitabant, an paries hic fuisset ad mensuram sancti, an vero ad mensuram Sanctissimi complendam numerandus. Idcirco mensuram constituere Sancto Sanctorum quantum ad densitatem 20. cubitorum perfectorum, Sancto autem assignarunt 40. cubitos perfectos. Simul etiam reliquere cubitum unum abundantem Sanctum inter & Sanctum Sanctorum. Non vero exstruxere parietem in templo secundo, sed duo confecere vela, alterum a latere Sanctum prospiciente, alterum a latere Sancti Sanctorum. Hæc inter cubitus unus aderat vacuus adæquans parietis crassitiem in templo primo erecti. In Sanctuario autem primo non fuit nisi velum unum tantum secundum id quod dictum (Exod. XXVI. 33.) ut discrimen faciat velum vobis.* Maimonides ait: במקדש ראשון Tabernaculum innuere Autorem existimat *R. Joseph Kaaro* in כסף משנה ad h. l. נראה דלמשכן קרי מקדש ראשון דאלו בבית ראשון לא היה פרוכת אלא כותל. *Videtur autori sermo esse de Tabernaculo, dum dicit* מקדש ראשון. *Nam ecce, in templo primo velum non fuit, sed paries intergerinus*; sed veremur ne aliud innuat, dum *Comm. ad Cod.* Joma. c. V. §. 1. ipse inquit: מקדש ראשון היה בו פרוכת אחת ובמקדש שני היו שתים *In sanctuario primo velum erat unicum tantum, at in templo secundo vela duo deprehendebantur.* Quanquam igitur satis nobis de mente constet Abarbanelis, non possumus tamen quin omnibus speciose satis assertis id moneamus, quod Vir omni nostra laude major, Magnificus Dominus J. A. DANZIUS, Philologus consummatissimus, Præceptor noster omni honoris & amoris affectu devote suspiciendus שליט״א, exasciate edisseruit Diss. II. de Funct. Pont. anniv. in adyto c. III. §. XVII. in faciem contradicere asserto Abarbanelis scripturam ipsam, Pontifice in adytum introeunte omnes tentorio removentem, donec Pontifex ex adyto egrederetur Lev. XVI. 17. & Abarbanelem unicum hujus asserti propalatorem, tanta non pollere autoritate, ut id Lectoribus suis persuadere queat, ut taceamus ortam videri sententiam hanc ex confusione veli templo oppansi quo de agebat Maimonides loc. sup. cit. & veli Sanctum Sanctorum discriminantis.

§. VIII. Quo in eductione Hirci emissarii paulo post suscepta sese contulerit Suffraganeus, peculiariter non determinare animadvertas Doctores Talmudicos, hanc forte ob causam, quod nihil officium ejus involveret singularis. Id tamen docent, quod deducto hirco in desertum Pontifex in atrium deductus fuerit ibidemque Librum Legis receperit, certas sectiones populo prælegens. Omne quod diximus prolixe propinat *Maimonides* in c. V. ה׳ כלי המקדש §. XI. *ex Cod. Joma.* c. VII. Misc. I. כיון שהגיע שעיר למדבר יצא כהן גדול לעזרת הנשים לקרות בתורה ובזמן קריאתו שורפין הפר והשעיר בבירת הדשן לפיכך הרואה כהן גדול כשהוא קורא אינו רואה פר ושעיר הנשרפין ושריפתן כשרה בזר כמו שבארנו קריאה זו אינה עבודה לפיכך אם רצה לקרות בבגדי חול משלו קורא ואם רצה לקרות בבגדי לבן קורא כיצד הוא קורא יושב בעזרת הנשים וכל העם עומדים לפניו וחזן הכנסת נוטל ספר תורה

ונותנו לראש הכנסת וראש הכנסת נותנו לסגן והסגן נותנו לכהן גדול וכהן גדול עומד ומקבל עומד וקורא אחרי מות וכו׳ *Ducto Hirco emissario in desertum, ingrediebatur Pontifex maximus atrium mulierum prælecturus Legem. Tempore quo prælegebat illam, concremabant juvencum & hircum in loco cineribus recipiendis destinato. Propterea qui aderat Pontifici M. prælegenti, simul intueri non poterat juvencum hircumque concrematos; nam combustio eorum per extraneum etiam peracta, recte se habebat, quemadmodum jamdum declaravimus. Lectio ipsa non refertur ad functiones; Propterea si collibitum fuerit Pontifici prælegere vestibus solitis, quæ ipsi præsto sunt, accincto, sive collibitum fuerit prælegere in vestitu albo, prælegat. Quo vero ritu perficiebatur Lectio? Considente in atrio mulierum Pontifice, plebs tota in conspectu ejus consistebat. Synagogæ minister librum legis tollebat, tradens eum Principi Synagogæ; Princeps Synagogæ tradebat eum Suffraganeo Pontificis, & Suffraganeus Pontificis offerebat eum Pontifici summo; Pontifex summus stans recipiebat, consistensque legebat Sectionem* אחרי מות. Rationem, cur a Suffraganeo Pontifici maximo non autem ab alio liber Legis fuerit insinuatus, si deposcas, promte eam suppeditari comperias, fieri id, ut eo majori Pontifex honore mactaretur, cui adversum rebantur a Ministro Ecclesiæ immediate librum recipere, multo potiori cæteris omnibus gaudentem prærogativa. Inde *Autor* פירוש המשניות ad Cod. Joma c. VII. f. XCI. col. III. היו נותנים ספר תורה מיד ליד לתפארת וגדולה *Tradebant Librum Legis de manu una in alteram, ornamenti & magnificentiæ causa.* Similem in modum *Rabbenu Ascher* ad eundem locum f. XCVI. col. IV. l. 6. כל זה משום כבוד כ״ג להראו׳ שיש הרבה שררות תחתיו והוא על כולם *Omne id in honorem cedebat Pontificis Maximi, ut dispallesceret, quanti subessent ei principatum gerentes, ipse tamen omnibus his superior.* Nec minus *Gemarici* ad c. VII. Joma f. LXIX. אמר ר׳ אביי כולה משום כבודו דכהן גדול *Rabbi Abai inquit, omne in honorem Pontificis maximi.* Videmus id ipsum præstitum etiam in festo Tabernaculorum, quando Rex Israelitarum in suggestu considens ligneo Legemque prælegens, pari ritu librum Legis de manu in manum traditum excipiebat, nisi quod illic ultimato Pontifici Maximo a Suffraganeo, hic vero per Pontificem liber a Suffraganeo primum insinuatus, Regi traderetur. Vid. *Sota* c. VII. §. VII. & VIII. & ad h. l. Cel. *Wagenseilius* p. 674. 681.

Nec inferior Suffraganei nostri functio erat, qua circa Vaccam Rufam occupabatur. Instituerat Summus Legislator DEUS, ut Vaccam Israelitæ mactarent, eamque Rufam, pollutionum graviorum abstersuram reatus, & cineribus aquæ inspersis remedium futuram summæ fœditati ex cadaverum contactu vel sordibus inde manantibus contractæ, abolendæ. Vaccæ modo dictæ eductio extra castra Sacerdoti adjudicabatur & in prima institutione quidem Eleazaro. Conferamus legem ipsam Num. XIX. 3. quæ hæc est: ונתתם אותה אל אלעזר הכהן והוציא אותה אל מחוץ למחנה ושחט אותה לפניו׃. *Tradetis Vaccam Rufam Eleasaro Sacerdoti, ut educat illam foras extra castra & mactet eam in conspectu ejus.* Disquisitionibus prolixis pariter ac intricatis circa personam Vaccam educentem adapertæ sunt fores, dum non solum de pollutione ejus per Vaccam facta, verum & de causa, ex qua DEUS non Aaroni aut alii sacerdoti, sed Eleasaro præcise munus hoc delegaverit, adeo, ut eadem hic merx sub diversis reperiatur fornicibus. *R. Bechai* in Legem f. CLXXX. col. IV. fundamentum declaraturus dicit, Aaroni propterea commissam non esse combustionem, ut eo reatus per Vitulum contractus aureum expiaretur, quocum conspirat *Pesikta Sotarta* ad c. XIX. Num. f. LIII. col. IV. l. 19. יבא מעשה אלעזר ויכפר על מעשה אהרן שעשה את העגל. *Accedebat opus Eleazaris expians opus Aaronis, qui confecerat Vitulum aureum.* Et *Is. Abarbanel* פירוש התורה f. CCCII. col. III. l. 42. לפי שאהרן עשה העגל לא נצתוה לו עבודה . זו שאין קטינור נעשה סנינור *Eo quod Aaron præparaverat vitulum aureum, non injungebatur ei functio præsens, non enim accusator potest quis esse & simul etiam defensor.* Alii, quos inter nuperrime *Joh. Clericus* Comm. in Pentat. p. 360. Pontifici summo commissam non esse Vaccam opinatur, quod Pontifex ab omni pollutione requireretur immunis, sicut & in victimis piacularibus, quarum reliquiæ extra castra combusta sunt fieri suevisse, ex Lev. XVI. 27. demonstrat, quorsum collimat ספר ילקוט ראובני על התורה fol. CXLII. col. 3. מתחלה היה הפרה טמא וכיון שנשרף נעשה טהור ולכן נותן לסגן ולא לכהן גדול. *Primum Vacca Rufa immunda fuerat, posteaquam vero combusta esset, munda reddebatur, eaque propter*

Suf-

Suffraganeo commissa est, non vero Pontifici M. R. Salomoni Ephraim in שפתי דעת Orat. CCL. alia mens sedet, dum sic fatur: כבר אמרנו שהפרה כפרה על עון העגל שלא יסתלקו מהם ענני כבוד בעון העגל לכך נאמר במעשה פרה ונתתם אותה אל אלעזר הכהן להורות שעיקר צורך כפרה זו יהיה אחר מיתת אהרן שאז יכהן אלעזר תחת אביו ואז יסתלקו העננים הכבוד על כך אז יש צורך במעשה הפרה לכפר על עון העגל כדי שיחזרו ענני כבוד למקומם. *Dudum indicavimas Vaccam Rufam expiasse transgressionem formatione vituli commissam, ne nubes gloriæ peccato per vitulum confectum perpetrato ab iis tolleretur. Hanc ob causam dictum de præparatione Vaccæ: Et tradetis eam Eleasaro Sacerdoti, ad innuendum, vim expiationis hujus post mortem demum Aaronis fore necessariam; Tum quippe sacerdotii functiones obiit Eleasar surrogatus in locum Patris, & tunc subduxere se nubes gloriæ; Inde necessitas requirebat præparationem vaccæ propter peccatum vitulo confecto commissum, quo nubes gloriæ reducerentur in locum suum.* Si quid vero probabiles valent conjecturæ, haud displicet meditatio, propterea Eleazaro commissam Vaccæ eductionem eductæque jugulationem contendentium, ut hoc quasi Sagani proprium ei soli adjudicaretur, reliquis omnibus & Aarone & sacerdotibus quibusvis ab hoc actu exclusis. Concedit in hanc sententiam *R. Salomo Isaacides* Comm. ad Num. XIX. 3. f. XXII. Bibl. Bomb. verbis: אל אלעזר הכהן hæc subjiciens: מצותה בסגן *Præceptum est Suffraganeum obligans* nixus sine dubio versione *Jonathanis* Chaldæa hæc exprimentis: ותתנון יתה לאלעזר סגן כהניא *Et tradetis eam Eleasaro antistiti Sacerdotum.* Applaudit rotundius *R. Mose bar Nachman* in ביאור על התורה fol. CXVIII. col. 3. פרה ארומה נתנה לאלעזר להעשות לפניו אפילו על יד זר אבל הסגן יראה מעשיה כדי שתעשה על כוונתו שלא יחשבו בה מחשבה רעה כאומות והשטן *Vacca Rufa commissa est Eleasaro, ut præpararetur in conspectu ejus, per eum qui non aptus est sacerdotio obeundo, dummodo Suffraganeus præparationem Vaccæ intueatur, ut juxta intentionem ejus conficiatur, ne qua exoriantur cogitantes iniqua velut Gentiles & Satan.* Nervosius vero negotium omne executum deprehendimus Autorem *Siphra*, ex quo cæteri quæ habent, sua videntur depromsisse; is vero ad Sect. חקת seu Num. XIX. col. IV. lin. 17. collato *Pesikta Sotarta* ad eundem locum f. LIV. col. II. l. 20. seqq. ונתתם אותה אל אלזור הכהן בא הכתוב ולימד על הפרה שנעשית בסגן תרע שכן הוא שהרי אהרן קיים ואלעזר שורף (Pes. שוחט) את הפרה: *Tradetis Vaccam Rufam Eleasaro Sacerdotii. Aggreditur Scriptura ac docet de Vacca Rufa, quod præparata fuerit procurante Suffraganeo. Quo vero cognoscas rem ita se habere, en, Aaron stabat & Eleasar Vaccam comburebat (Pes. mactabat.)* Neque tamen omnibus hac ratione obicem positum credas quæstionum meandris, gemina enim sunt, quæ hic moveri possent; Et hoc quidem omnium primo, decertari adhuc, an suffraganeo injuncta fuerit præparatio? *Siphra* l. c. lin. 30. & *Pesikta* l. 27. rem Doctorum nixi suffragiis ad verba ושחט אותה sic limitant: שיהיה אחר שוחט לפניו ואלעזר רואה ולקח אלעזר הכהן עוד למה נאמר והלא כבר נאמר ונתתם אותה אל אלעזר הכהן תל ולקח אותה אלעזר הכהן שיהא בביהונו *Ut alter juguler, Eleazar vero jugulationem inspiciat, & recipiat Eleazar Sacerdos. Amplius quare hoc inculcat scriptura denuo? annon dudum jam indicarat id verbis? Tradetis vaccam Eleazaro Sacerdoti? Occurrit huic dubio scriptura ipsa, dum dicit: accipiet eam Eleasar sacerdos,* (ut sermo sit de Sacerdote) *in habitu sacerdotali.* Ita quippe vocem בביהונו transferendam existimamus inducti inprimis verbis *R. Levi ben Gerson* apud *R. Is. Abarbanelem* f. CCCII. col. I. lin. 32. אמר ונתתם וכו' להגיד שתהא שריפת הפרה בהיות הכהן מלובש בגדי לבן לא בבגדי זהב ולכך אמר אל אלעזר שאלעזר עשה המצוה הזאת למעט את אהרן שעבודתו בבגדי זהב *Dicit Scriptura: tradetis vaccam Eleazaro ad innuendum combustionem Vaccæ fieri Sacerdote induto vestimentis candidis, non vero vestimentis aureis: Idcirco dicit: Eleasaro. h. e. Eleasar perficiet præceptum hoc, ut excluderetur Aharon, cujus functiones aureis perficiebantur vestimentis.* Conf. ספר ילקוט שמעוני part. I. fol. CCXXXV. col. IV. Concisius paulo proponuntur hæc in *Siphra* f. XXI. col. I. l. 22. שרף את הפרה לעיניו שיהיה אחר שורף ואלעזר רואה את עורה ואת בשרה. *Comburat vaccam in conspectu ejus, h. e. ut alter comburat, Eleasar vero intueatur tam corium quam carnem ejus.* Alterum altiori consideratione dignum est, indagari primam præprimis Vaccæ præparationem, & ritus in eadem receptos. Novimus enim vel ipsimet, a Doctoribus Talmudicis cuivis concessam fuisse Sacerdoti gregario, quin ipsi Pontifici Summo vaccæ & præparationem & confe-

ctio-

ctionem. Controversiam examinat *Siphra* l. c. f. XX. col. IV. & *Pesikta* f. LIV. col. II. verbis ונתתם אותה אל ז׳ נעשרה באלעזר intenta אלעזר הכהן ושאר הפרות נעשורה בכ״ג דברי ר׳ מאיר ר׳ יוסי בר׳ יהודה ור׳ שמעון ור׳ אליעזר בן יעקוב אומר׳ ז׳ נעשירה באלעזר ושאר הפרורה בין בכהן גדול בין בכהן הדיוט *Hæc ipsa Vacca præparata fuit per Eleasarum, reliquæ vero vaccæ præparatæ sunt per Pontificem Maximum, ex sententia R. Mier. R. Jose vero filius R. Simeon & Rabbi Elieser filius Jacob profitentur hanc confectam esse per Eleazarum, reliquas vero vaccas partim per Pontificem maximum, partim per sacerdotem quemvis gregarium.* Videri poterit *Gemara Cod. Joma* f. XLII. R. *Maimonides* in הלכות פרה ארומה cap. I. §. XI. & prolixiori ad eum discursu occupatus *R. Joseph Kaaro* in כסף משנה ad h. l. Equidem hoc videtur in propatulo, Pontifices quosdam maximos in præparatione Vaccarum fuisse occupatos, quemadmodum sub Simeone Justo duas confectas esse Vaccas refert *Zachutus* in יוחסין f. I. & f. XIII. reliquarum omnium si excutiamus indicem, idem quod de hac fatendum erit, adeo, ut propter hanc vaccæ præparationem dubium obortum quibusdam videatur, annon Simeon Justus nomine Suffraganei jure veniat condecorandus, pluribus discursum pandente *R. Abraham Zachuto* in יוחסין f. XIII. col. II. שמעון הצדיק כהן גדול בימי עזרא ואולי היה סגן או ראש בית אב ולא כהן גדול כי הפרה כשרה אפילו בכהן הדיוט *Simeon cognomine justus Pontifex Maximus exstitit temporibus Esræ; Sed forte Sagan fuit, aut caput familiæ paternæ, non vero Pontifex Maximus; Legitima namque est actio circa Vaccam Rufam peracta, quantumvis perficiatur per Sacerdotem quemvis gregarium.* Subnectenda omnino ea, quæ recensentur in *Pesikta Sotarta* f. LIII. col. IV. lin. 21. חקת תורה מכאן אמרו תשעה פרות נעשו אחת שעשה משה ואחרת שעשה עזרא ושתים שעשה שמעון הצדיק ושתים שעשה יוחנן כהן גדול אליועני בן הקייף וחנמאל המצרי בן פאבי עשו אחרת אחת חקת התורה *Dicitur Exinde evincunt IX. vaccas esse confectas. Unam quam preparavit Mose, alteram quam præparavit Esras, duas confectas a Simeone Justo, duas quas præparavit Jochanan Pontifex Maximus. Elioni filius Hakaphi, Chanameel Ægyptius, & Ismael Phabi filius præpararunt quisque Vaccam unicam tantum.* Quæ quidem omnia recte se haberent, nisi alicui videretur evidentius, sub Pontificum quidem modo memoratorum inspectione & regimine confectas fuisse Vaccas recensitas, an vero a Suffraganeo an a Sacerdote quovis alio præcise non determinari. Sufficiat hypothesin Hebræis satis declarasse receptam Vaccæ Rufæ præparationem vi institutionis primæ nostro vindicandam esse Suffraganeo, quam infringi nondum putamus verbis *Is. Abarbenelis* in פירוש התורה f. CCCI. col. IV. l. 3. באמרו ונתתם אותה אל אלעזר הכהן ופר״שי מצותה בסגן ויש לחקור ולמה לא נצתווה בה אהרון הכהן גדול ונצתווה בנו הסגן כל שכן שמשה עשה הפרה ארומה ראשונה במדבר ואר״זל שהפרה השנית עשה עזרא ושמעון הצדיק כהן גדול עשה שתים ויוחנן כהן גדול עשה שתים הרי שלא נתיחסה מלאכת הפרות לסגנים כי אם לכהנים ולמה אם כן נתיחסה הפרה הזאת אל אלעזר הכהן *Dum dicit scriptura: Tradetis Vaccam Eleasaro Sacerdoti, interpretamentum adjicit R. S. Isaac: Præceptum est Suffraganeum obligans. Investigandum vero cur non injungatur Aaroni Pontifici maximo sed præcipiatur filio ejus Suffraganeo; idque multo magis, quum Mose præparavit vaccam Rufam primam in deserto. Dicunt vero Dd. nostri pacificæ recordationis, Vaccam alteram præparasse Esram, Simeonem justum Pontificem M. confecisse duas, & Jochananem Pontificem M. geminam præparasse. En igitur non continuo appropriatum fuisse opus circa Vaccas Suffraganeis, sed potius Pontificibus Maximis. Quare igitur, si sic se res habet, concredita est Vacca hæc Eleazaro Sacerdoti?* Conf. etiam *R. Moses bar Nachman* in ביאור התורה f. CXVIII. col. 3. & 4.

§. X. Socium fecimus Saganem Pontifici in functionibus intra Templum partim, partim extra Templum perficiendis, superest, ut videamus quomodo extra templum inprimis lugentium consolationi Pontifice intento, Suffraganeus se gesserit. Id vero ante omnia expendendum, ritum obtinuisse apud Judæos, ut sepulto mortuo funeris curatores confluerent consolatum agnatos, certis inter se dispositi ordinibus, consolationem vero suscipientibus ad sinistram collocatis, agnatis solatio & benedictione multa dimissis: Processum delineat *Maimonides* in הלכות אבל c. X. §. I. II. כיצד מנחמין את האבלים אחר שקוברין את המת מתקבצין האבלין עומדים בצד בית הקברות וכל המלוין את המת עומדין סביב להן שורה לפני שורה ואין שורה פחותה מעשרה ואין מן המניין האבלים עומדים לשמאל המנחמין וכל המנחמין באין אצל האבלים אחר אחד ואומרים להן תנחומו מן השמים ואחר כך הולך

הולך האבל לביתו *Qua ratione conſolantur lugentes? Sepulto mortuo, congregant ſe lugentes, & adſtant lateri domus ſepulturæ omneſque qui concomitantur mortuum conſiſtunt circumcirca illos, ſerie una alteri oppoſita. Nunquam autem ſeries una paucioribus X. conſtabat perſonis ita ut lugentes non eſſent de numero illo completo. Lugentes ad ſiniſtram conſiſtunt ſolantium omneſque ſolantes propius accedunt ad lugentes ſigillatim, dicentes illis Solatio perfundamini de cœlo. His confectis lugentes ſe domum recipiunt.* Quum igitur in ſimili conſolandi ritu occuparetur Pontifex Maximus, Suffraganeo ſuo comite eo ſe conferebat, ſecundum id quod enarratur in Cod. *Sanhedrin* c. II. Miſchna I. כהן גדול כשהוא מנחם אחרים דרך כל העם עוברים זה אחר זה והממונה ממצעו בינו לבין העם *Quando Pontifex M. conſolatur alios, conſuetudo exigit, ut populus univerſus tranſeat alter poſt alterum; Suffraganeus vero medium pontificem facit inter ſe & inter populum.* Ne quis vero dubium moveat, alium forte quemvis innui per ממונה quam Suffraganeum, ut Judæorum colligamus ſuffragia e re erit. In Gemara diſerte ſatis docent: היינו סגן היינו ממונה *Idem qui Sagan hic dicitur* ממונה & *R. Maim.* in הלכות אבל cap. VII. §. VI. eum quem in הלכות כלי המקדש c. V. §. IV. סגן appellarat, vocat ממונה R. *Obad de Bartenora* & *R. Kaſvenaki* ad h. l. eadem plane referunt: הממונה הוא הסגן שהוא ממונה לעבוד תחת כ״ג אם יארע בו פסול בכ״ג ביום הכיפורים. *Qui hic appellatur* ממונה *Pontificis Suffraganeus eſt, hoc fine conſtitutus, ut vice Pontificis M. functiones exequatur, ſi forte obvenerit ei ſcil. Pontifici M. vitium in die Expiationis.* Conſentit etiam *R. Jom Tobb* in not. ad h. l. Eleganter vero & diſtincte Doctorum collegit ſuffragia *R. Maimonides* in הלכות כלי המקדש c. V. §. IV. כהן גדול לא יכנס לבית המשתה ולא לסעודה של רבים אפילו הם של מצוה אבל הולך הוא אם רצה לבית האבל וכשהוא הולך אינו הולך בערבוביא עם שאר הכהנים אלא מסבבין אותו הכהנים וחולקין לו כבוד והסגן ממצעו בינו לבין העם והסגן ומשוח שעבר מימינו וראש בית אב והאבלים וכל העם משמאלו ואומר לאבלים תנוחמו והן מכבדין אותו כפי כהן מת לו מת אינו יוצא אחריו ואינו יוצא מפתח ביתו או מן המקדש וכל העם באים לנחמו לביתו והוא עומד בשורה וסגן מימינו וראש בית אב וכל העם משמאלו ואומרין לו אנו כפרתך והוא אומר להם תתברכו מן השמים *Non ingreditur Pontifex M. domum convivii, aut ubi epulum inter multos celebratur, quamvis convivium in honorem Dei ſit inſtitutum. Confert ſe nihilominus, ſi placuerit, in domum Luctus. Quum vero eo ſe recipit, non confert ſeſe turba promiſcua ſacerdotum reliquorum ſtipatus, ſed ambiunt eum Sacerdotes, honorem ei decernentes. Suffraganeus medium ſiſtit Pontificem ſe inter, & populum. Scilicet Suffraganeus & unctus qui officio abdicarat, conſtituitur a dextris, Patriarcha vero cum lugentibus & populo univerſo ab ejus ſiniſtris. Dicit lugentibus: Conſolatione perfudamini; ipſi vero honore afficiunt eum quantum potis. Mortuus fuerit Pontifici quiſpiam, non incedit poſt feretrum neque egreditur e porta domus ſuæ, neque e ſanctuario. Omnis vero populus ad conſolandum eum procedit ad domum ejus. Ipſe ſtat in ſerie lugentium, ſuffraganeo dextrum & Patriarcha una cum populo univerſo latus ſtringente ſiniſtrum. Poſtea dicit ei populus: Simus nos tibi piaculo. Quibus Pontifex reponit: Benedictione perfundamini ab altiſſimo.* Quo vero percipias rationem conſtituendi Pontificem M. Suffraganeum inter & populum, mentem *R. Jom. Tobb.* in Comm. *ad Sanb.* c. II. Miſchn. I. ſiſtere lubet, ſic autem ille: ממצעו בינו לבין העם כתב ר״ב שהוא הולך לימין כ״ג וכל העם משמאל נמצא כ״ג באמצע הכי תניא בגמרא ופירוש המשנה ממצעו לכ״ג בינו ר״ל בין עצמו שהוא הממונה לבין העם *Medium facit ſe inter & populum. Scribit R. Obad. de Bartenora, quod ſeceſſerit, ad dextram ſcilicet Pontificis, univerſus vero populus ad latus Pontificis ſiniſtrum; ut ita deprehenderetur Pontifex medius. Hæc eſt doctrina Gemarica, at expoſitio verborum Miſchnicorum: Medium ſiſtit Pontificem M.* בינו *eſt q. d. inter ſe ipſum (innuit autem Suffraganeum) & inter populum.* Conferri etiam poteſt *R. Joſeph Kaaro* ad loc. Maim. ſup. cit.

§. XI. Quotidianæ ſi Saganem detinerent Functiones, paratum ſe gerere oportebat, ut quovis die Pontifici maximo miniſtranti poſſet adeſſe; Pontifici enim ſoli conceſſum fuerat, quocunque tandem ipſi viſum eſſet tempore, cultus ſacri exequi munia; Suffitum adolere, libamina offerre, victimas & holocauſta mactare poterat quandocunque ei collibitum eſſet; Quo ſenſu *Abarbanel* ad Lev. X. 1. f. 241. col. III. כהן גדול היה מקטיר בכל עת שירצה ושאר הכהנים היו מקטירים על פי הגורל ולא היה כהן אחר מקטיר שתי פעמים ביום *Quocunque tempore placuiſſet Pontifici M. ſuffitum faciebat. Reliqui vero Sacerdo-*

tes adolebant decreto sortis compulsi; Neque reliquorum sacerdotum quispiam adolebat vicibus duabus die unico. Collactea his suppeditat *Maimon* in הלכות כלי המקדש c. V. §. XII. & c. IV. §. VII. Sacrificio itaque jugi litandum cum esset, Suffraganei officium erat emittere speculatores qui intuerentur auroræ ortum eumque indicarent. *Cod. Joma* c. III. §. I. ubi vi explicationis *R. Salom. Isaacidæ ad Cod. Joma* f. XXVIII. & *R. Obad de Barten.* ממונה non est nisi סגן seu Suffraganeus Pontificis. ממונה היא הסגן *Qui hic dicitur Suffraganeus Pont. M. est*. His peractis, sortitionem instituere inter Sacerdotes eidem incumbebat, ac decernere, cui muneri Sacerdotum quisque destinandus, & quæ alia sunt hujus commatis negotia, descripta pluribus *Cod. Tamid. Talm. Babyl.* c. I. Misch. II. c. III. Misch. l. II. III. c. V. Mischna I. Quum tempus appropinquaret, ut offerendum esset thymiama, Suffraganeo incumbebat, elata offerenti voce acclamare: הקטר *Offer thymiama*, ut percepta hac voce, partim se subduceret populus more sueto tempore suffitus atrio excesse jussus, partim libaturus sui admoneretur officii. *Maim.* in הלכות תמידים c. III. §. IX. Quodsi autem offerre libamina collibitum fuisset Pontifici Maximo, dextrum Pontificis latus cingebat Suffraganeus, muneris sui haud immemor, descripti *Cod. Tamid.* c. VII. Misch. III. his verbis בזמן שכהן גדול רוצה להקטיר היה עולה בכבש והסגן בימינו הגיע למחצית הכבש אחז הסגן בימינו והעלהו הושיט לו הראשון הראש והרגל וסמך עליהם וזרקן הושיט השני לראשון שתי הידים ונותנן לכהן גדול וסמך עליהם וזרקן נשמט השני והלך לו וכך היו מושיטין לו שאר כל האיברים והוא סומך עליהם וזורקן ובזמן שהוא רוצה הוא סומך ואחרים זורקין וכו׳ *Quo tempore placuerit Pontifici Maximo adolere, civum altari adjacentem conscendebat, Suffraganeo latus ejus dextrum cingente. Attigerit Pontifex Clivi medium, Suffraganeus manu dextra apprehensa, ad subliniora eum perducebat. Tum primus Sacerdotum ei porrigebat caput & pedem; & manum ei imponebat Pontifex ac aspergebat. Porrigebat primo secundus armos duos ut traderet eos Pontifici, & manum imponebat illis, & aspergebat secundus ac abibat. Eo modo præbebant reliqua membra omnia; Pontifice manum imponente, ac spargente. Tempore autem quo vellet, manus imponebat, aliis aspergentibus*. Omnis vero officii hujus vis inde oriebatur, quod cura & inspectio cultus Levitici Suffraganeo incumberet, & prospiceret, ne ulla ex parte limites officii transilirentur. Eo nomine סגן כהנים *Schekalim* c. III. vocatur, non quod Sacerdotibus vicariam prestaret operam, sed quod judice *Maim.* כל הכהנים תחת יד הסגן *Sacerdotes omnes directioni Suffraganei subjicerentur* in ה׳ כלי המקדש c. IV. §. XVI. unde nomen ממונה ei passim ob inspectionem attributum, quamvis & aliis quibusvis in specie vigiliarum præfecto idem titulus cesserit ap. *Maim.* ה׳ בית הבחיר c. VIII. §. VII. & כלי המקדש c. IV. §. III. optimo jure eo nomine cum Epoptis veterum comparandus apud *Joseph.* L. II. contr. App. memoratis. Penitius hæc paulo introspicientibus gemina inprimis sese offert circumstantia admodum memorabilis Suffraganei eleganter declarans officium, dum non solum a Pontificis latere se sisteret dextro, verum & Sudario motitaret.

§. XII. Dextrum Pontificis latus Suffraganeum strinxisse placitum Talmudistarum est sæpissime a nobis supra memoratum, & in Sacrificio jugi modo recensito peculiariter suetum. Causam si inquiras, non poteris eam suppeditare felicius, nisi statuta Judæorum in actibus aliis recepta consulueris. Id dum annitimur, honoris & prærogativæ ergo, qua omnes alios sui ordinis inprimis tamen Patriarcham s. ראש בית אב sinistram Pontificis occupantem, antecelluit, id evenisse hariolamur. Conjecturam petimus ex aliis Judæorum institutis. Recepta namque Judæos inter est Regula, tribus sorte diversis consociatis, medium digniori locum, abhinc dextram secundo, & lævam tertio esse adjudicatam. Patrum Synedrii ea lex fuerat, quam ex ore *Maimon.* hauriemus in הלכות סנהדרין c. I. §. III. הגדול בחכמה שבכלם מושבין אותו ראש עליהן והוא ראש הישיבה והוא שקורין אותו החכמים נשיא בכל מקום והוא העומד תחת משה רבינו ומושבין הגדול שבשבעים משנה לראש ויושב מימינו והוא הנקרא אב דין ושאר השבעים לפניו כפי שניהם וכפי מעלתם כל הגדול מחברו בחכמה יהיה קרוב לנשיא משמאלו יותר מחבירו והם היושבין בכמו חצי גורן בעיגול כדי שיהיה הנשיא עם אב בית דין רואים כולן *Reliquos omnes sapientia antecellentem collocant super se in caput, qui insimul Synedrii erat caput, & a Sapientibus nuncupari solet* נשיא *ubivis. Locum tenet Mosis Doctoris nostri. Præterea, eum qui LXX. reliquos sapientia vincebat, secundum ordinabant a capite, dextræ assidentem, nomine suo* אב בית דין *Pater dicasterii, nuncupatum. Septuaginta*

reliqui considebant coram binis his pro sua quisque dignitate. Prout enim quisque suum anteibat contribulem, eo Principi Synedrii erat a sinistra propior; Considebant autem in area dimidiata in circulum, adeo ut Princeps cum Patre Dicasterii omnes illos possent intueri. Non fugit nos, plurima ad Textum hunc Maimonideum disceptare *Joh. Seldenum* L. II. de Synedr. c. VI. p. 250. seqq. dudumque observasse *Joh. Coccejum* ad Cod. *Sanhedrin* c. IV. Mischn. IV. p. 37. manifestum errasse errorem Judæum hunc magni nominis, dum dixerit sinistræ Principis dignitate præpollentem assedisse, id nihilominus indubium manet ex his verbis, honoratiorem magis proximum a Principe Synedrii locum occupasse, ad dextram ei adsignatum, sinistram vero adjudicatam proximo, e *Tosiphta* ad Cod. Sanhedrin, *R. Mose Kozensi* & aliis comprobatum dedit Seldenus supra dictus indubie, argumento evidenti alium haud extitisse Patrum in Synedrio memorato ordinem, si inprimis cum hoc ritu contulerimus alium in Synagogis Hebræorum receptum, non propterea quod existimemus cum *VV. Schickardo* de Jure Reg. Hebr. L. I. Theor. II. Synedrii assessores eosdem esse cum viris Synagogæ, probe rem discutiente *Herm. VVitsio* L. II. Misc. Sacr. Diss. III. de Syned. Hebr. §. XXVIII. p. 533. sed quod compertum sit Synagogæ ritus in plerisque Sanctuarii ritus esse imitatos. Ut vero ad nostrum reditus fiat Suffraganeum, cur ei præcise dextra assignata sit, non convenit inter Doctores, dissensu tamen exiguo. Quibusdam ob majorem ad succurrendum promtitudinem id præstitum videtur, si forte immunditie quadam a functione Pontifex abstraheretur. In *Gemara Cod. Joma* c. IX. f. XXXIX. dixit R. Chanina: למה סגן מימינו שאם יארע בו פסול בכהן גדול נכנס סגן ומשמש תחתיו *Quare Suffraganeus dextram claudit Pontificis? Nempe, ut, si obtigerit Pontifici M. vitium, ingrediatur Suffraganeus & ministret ejus loco.* Quibus intentus *R. Salomo Isaacides* hunc commentatur in modum: למה סגן מימין וכו׳ שהולך תמיד לימינו כך אמרו בשם ר׳ יצחק הלוי ואני שמעתי מרבי׳ יצחק בר יהודה למה סגן ממונה שאם יארע פסול אבל כל זמן שלא יארע בו פסול אין הסגן עובד שום עבודה בעולם. *Quam ob rem Suffraganeus est a dextris? Quia continuo incedebat a latere dextro, sic determinant sub nomine R. Isaac Levitæ; Me quod concernit, audivi ex R. Isaac f. Judæ: Quare Sagan est* ממונה *Ut si acciderit vitium; Quocunque vero tempore non obtigerit ei vitium, Suffraganeus nullo unquam tempore functionem illam exequebatur.* Unde id simul fluit, una serie incessisse, non unum post alterum, prout infert etiam *R. Salomo Isaacides* rem declarans egregie *ad Cod. Joma* c. III. f. XXXVII. dum scribit: שלשה שהיו מהלכים בדרך לא ילכו זה אחר זה אלא בשורת אחת. *Tres in via dum incedebant, non ingrediebatur unus post alterum, sed in serie una.* Audiamus *Gemaram* ad eundem locum: אמר רב יהודה המהלך לימין רבו הרי זה בור תנן הסגן בימינו וראש בית אב בשמאלו ועוד תניא שלשה שהיו מהלכין בדרך הרב באמצע גדול בימינו וקטן משמאלו וכן מצינו בשלשה מלאכי השרת שבאו אצל אברה׳ מיכאל באמצע גבריאל בימינו ורפאל בשמאלו תרגמא רב שמואל רב פפא קמיה דרב ארא כדי שיתכסה בו רבו והתניא המהלך כנגד רבו הרי זה בור אחורי רבו הרי זה מגסי הרוח דמצדד אצדודי. *Dicit Raf Jehuda: Quisquis incesserit ad dextram Doctoris sui, ecce is est homo rusticus. Tradunt tamen Dd. Suffraganeum a dextra Pontificis & Patriarcham a sinistro ejus esse latere. Amplius circumfertur Traditio: Tres si processerint in via, medium occupat Doctor, dextram cingit major ab eo & inferior sinistram. Ita quippe deprehendimus factum in tribus angelis ministerii venientibus prope Abrahamum;* [*Gen. XVIII.* 2.] *Michael consistebat in medio, Gabriel a latere dextro, & Raphael a sinistro. Explicatio est: Raf Samuel & Raf Papa ingressi sunt in conspectum Raf Ada, ut obtegeretur per illum Doctor ejus. Enimvero circumfertur traditio: Procedens ad latus Doctoris sui stupidus est, qui a tergo sequitur Doctorem, ecce est ex elatis animo nam conveniens est, ut* לא אצל ממש ולא אחורי ממש אלא שיכסה בו רבו מקצת צד רבו. *Non præcise a latere, nec præcise a parte postica, sed ita incedat ut obtegatur parte sui dimidia Doctor parte dimidia socii*, ut verba aliquantum difficilia exposuit *R. Salomo Isaacides* in h. l. seu brevius: *ut ex parte a latere, & ex parte a parte postica sui Doctoris esset socius.*

§. XIII. Accedit huic altera officii quotidiani pars quam præstitisse Suffraganeum ad altare ipsum edocent, nempe הנפת בסודרין *agitatio s. ventilatio Sudarii*, officium hoc in *Tamid* fuse delineantibus Doctoribus. Nostrum non est vocem ipsam excutere, visuri en Syriasmo, quod cupit *Mayerus* Phil. S. p. I. p. 283. an vero Latinismo cum

Heinsio in Ariſtarch. S. part. II. c. X. p. 921. an utrique ſimul cenſente *Joh. Jac. Chiffletio* de Lint. Chriſti ſepulcr. c. V. p. 25. vindicanda ſit, illam controverſiam dirimendam aliis relicturi, in ritum potius inquiſituri & cauſam motitationis. Utebantur cæteroquin Judæi ſudariis in agni paſchalis comeſtione, dum iiſdem facies obvelabant comedentes, at non agitabant præciſe ſudario, verum tum demum in caput illud expandebant, dum poculum paſchale alteri offerebatur, prout *ex Gemara Cod. Berachoth* f. LI. commemorat *Joh. Lightfoot* in H. H. & T. Matth. XXVI. qualem capitis obvelationem ſacrificantibus Gentilibus frequentatam, Virginibuſque Veſtalibus velatum ſemper ac caput filo cinctum geſtantibus in uſu fuiſſe, erudite notat *Illuſtr. VVedelius* Dec. VI. Exerc. Medico-Philol. IX. de numis capite velato p. 52. 53. Agitationis vero ritus ſudariis peractus ſua nunquam deſtituebatur cauſa, ſed indicium ſemper erat, quo ceu ſigno dato quis ad hoc vel illud incitaretur. De eo, qui eductis e Synedrio lapidandis reducendis rurſus admonere debebat, commemoratum eſt in *Sanhedrin.* c. VI. Miſch. 1. נגמר הדין מוציאין אותו לסקלו בית הסקילה היה חוץ לבית דין שנאמר הוצא את המקלל אחד עומד על פתח בית דין והסודרין בידו ואדם אחד רוכב הסוס רחוק ממנו כדי שיהא רואהו אומר אחד יש לי ללמד עליו זכות הלה מניף בסודרין והסוס רץ ומעמידו ואפילו הוא אומר יש לי ללמד על עצמי זכות ומחזירין אותו אפילו ארבע וחמשה פעמים *Lite jam conſummata educunt reum, eo fine, ut lapidibus eum enecent. Locus lapidationi adjudicatus extra locum Synedrii erat; dictum enim eſt (Lev. XXIV. 14.) Educito blaſphemiæ reum. Hæc cum agerentur, ſtabat unus ad Synedrii portam, manu inſtructus ſudario. Alius vero equo vehebatur, ſemotus ab illo, in tantum ut poſſet eum commode conſpicere. Dixerit quiſpiam: Suppetit mihi quod doceam de ejus innocentia. Illico ſudarium ventilat. Eques præpropero curſu latus ſontem retrahit. Quin imo ſi ipſe confeſſus fuerit, dicendo: Suppetit, quod diſſeram de innocentia mei ipſius, reducunt eum etiam quarta ac quinta vice.* Breviſſimis cauſam ventilationis ſubjungit *R. Jom Tobb* f. XCIV. ad verba: רחוק ממנו כדי שיהא רואהו his verbis ex *R. Sal. Iſaac.* depromtis מתרחק מזה שהסודרין בידו מלא עיניו ובלבד שיוכל לראותו אם יניף בסודרין *Elongat ſe abhinc; nam ſudarium in manu ejus oculos perſtringit, dummodo conſpicere queat illum, quum agitaverit ſudarium;* והוא סימן להחזירם *Nam hoc ſignum eſt ad revocandum illos in Synedrium*, addit *R. Obad. de Bartenora* ad l. c. Conf. *Maim.* in הלכות סנהדרין c. XIII. §. 1. In Synagogis agitatio concredebatur ſudarii שליחי הצבור Miniſtris Eccleſiæ; cum enim in Synagogis amplioribus inprimis qui longius a Lectore removebantur finitam precum recitationem commode percipere non poſſent, neſcii prorſus, quando Amen acclamandum foret, conſtituebatur in hunc uſum a latere Lectoris Synagogæ miniſter, rem hanc ſigno ſudarii moti indicaturus. In *Gemara Cod. Succa* f. LI. col. II. חזן הכנסת עומד עליה והסודרין בידו וכיון שהגיע לענות הלה מניף בסודר וכל העם עונין אמן *Miniſter Synagogæ ſtabat in ſuggeſtu, manu inſtructus ſudario; Simulac appuliſſet tempus reſpondendi Amen, hic agitabat ſudario, & cœtus univerſus reponebat Amen.* Adjicit *R. Sal. Iſaacides:* הן לא היו יכולין כולן לשמוע קולו. *Cuncti enim illi percipere non poterant vocem legentis.* Hirco apopompæo in deſertum ablegato Pontifici integrum non erat functiones officii ſui proſequi ulterius, niſi cognita prius hirci in deſertum immiſſione, cum memorante *Rabbenu Aſcher ad Cod. Joma* f. XVI. col. IV. l. 1. לא היה רשאי להתחיל בשום עבודה עד שהגיעו שמה *Pontifici M. conceſſum non fuerit ullam ſuſcipere functionem, antequam [hircus] attigiſſet Deſertum;* applaudente etiam *R. Obad. de Bartenora* ad Cod. Joma c. VI. Miſch. VIII. in cujus pleniorem elucidationem conferri meretur *R. Salomon* Comm. in h. l. & *Rabbenu Aſcher ad Joma* fol. XCVI. col. IV. Hinc nimium fit vero ſimile, nec noſtram Suffraganei functionem ſudario peractam ſuo deſtitui fundamento. Neque vero in ea ſuppeditanda nos deſerunt Hebræi, obſervantes propter id factam eſſe ſudarii motionem, ut Levitæ officii ſui memores ſimul diem initiando tubarum ſonitu & cantu conſecrarent. In *Cod. Tamid.* c. VII. Miſchna III. & apud *Maimonidem* in הלכות תמידים ומוספין c. V. §. 6. 7. ſic delineant proceſſum integrum: בא לו להקיף את המזבח מהיכן הוא מתחיל מקרן דרומית מזרחית מזרחית צפונית צפונית מערבית מערבית דרומית נתנו לו יין לנסך הסגן עומד על הקרן [המזבח] והסודרין בידו ושני כהנים עומדים על שולחן החלבים ושתי חצוצרות של כסף בידם תקעו והריעו ותקעו באו ועמדו אצל בן ארזא אחד מימינו ואחד משמאלו שהה [המנסך] לנסך והניף הסגן בסודרין והקיש בן ארזא בצלצל ודברו

ודברו הלוים בשיר הגיעו לפרק תקעו והשתחוו העם [שבעזרה] על כל פרק תקיעה ועל כל תקיעה השתחויה. *Accedebat ad circumeundum altare; Undenam incboabat? a cornu Austro orientali continuo ad Euroboreale; Boreozepbyrinum, Zepbyro australe. Tradito ad libandum vino, Suffraganeus adsistebat cornui altaris, manu accinctus sudario; parque Sacerdotum mensæ adipum, instructi buccinis duabus ex argento confectis; Sonum edebant planum & fractum ac rursus planum; ibant & consistebant prope filium Arzæ, alter quidem a latere dextro, alter vero a latere sinistro; Occupato Pontifice in libaminibus perficiendis motitabat sudarium Suffraganeus, simulque filius Arzæ tinniebat cymbalo. Debinc Levitæ canebant canticum, & cum ad finem perductum esset, clangebant; Tunc totus se prosternebat populus in atrio; Quandocunque enim ad finem esset deductum canticum, clangor excitabatur; omnemque sonum fractum prostrato corpore facta excipiebat adoratio.* Locum stationis & agitationis exprimunt fuisse קרן המזבח seu *cornu altaris Holocaustorum*, quorum quatuor numero fuisse evincit *Maimon* in הלכות בית הבחירה· c. II. §. VII. Neque tamen sine ratione huic præcise, ut nempe eo rectius è regione positi Sacerdotes ad clivum altaris constituti signum motu sudarii indicatum observarent. Nimirum ut rem totam mente concipiamus rectius, observemus pauca pro intellectu materiæ situm nempe altaris, mensæ, aliorumque necesse est. Quam primum proinde Pontifex Maximus in ponticulo altaris holocaustorum Australem versus plagam protenso, *Maim.* in הלכות בית הבחירה c. II. §. XIII. ad altaris ambitum ascenderet medium, quo se libaturi recipere solebant *Maim.* in הלכות תמידין ומוספין c. X. §. VII. Levitæ canentes sese sistebant e regione plagæ altaris occidentali, in suggestu gradibus variis interstincto. *Middoth.* c. II. *Maim.* l. c. VI. §. *6.* Illi vero, qui tubas inflabant Sacerdotes, mensæ marmoreæ partibus animalium offerendorum dissectis recipiendis non procul ab altari exstructæ, adsistebant, positæ versus Occidentem ponticuli. *Maim.* l. c. c. II. §. XV. c. V. §. IV. e *Cod. Schekalim.* c. VI. §. IV. *R. Obad. de Bartenora* ad c. III. Tamid. Inde Pontifex Summus altare ad dextram a latere meridionali libamina oblaturus circumiens versus Orientem, & abhinc successivo ordine versus plagas reliquas *Maim.* in הלכות מעשה קרבנות c. VII. §. XII. libamina ab alio oblata adplicat Zephyro-Australi ut ad angulos defluerent. *Obad. de Bartenora* ad Cod. *Tamid.* c. III. Quando quidem itaque hac ratione apparatus legitime esset dispositus, commode Levitis sudarii motitatione fieri indicium poterat, imminere libationis tempus, accinendasque esse laudes DEO altissimo, quippe qui aliquantum a latere Pontificem libantem & Suffraganeum eidem adsistentem contueri poterant. Nam ut haud invita observavit pridem Minerva *R. Obad. de Bartenora* ad Cod. *Tamid.* c. III. סגן עומד על הקרן אצל הכהן הגדול שבא לנסך *Suffraganeus cornui adstabat, prope Pontificem M. qui venerat libatum.* Insimul vero commode Sacerdotes mensæ adipum adsistentes sudarii observare poterant motum, remque Levitis indicare, ne forte nimium actionibus Pontificis intenti, sui oblivisicerentur muneris. Hanc quippe soni a Sacerdotibus excitati causam detegit *R. Jom. Tobb.* Comm. ad Cod. Tamid. c. VII. Misch. III. תקעו לפי שאפשר לאדם שלא יראה הנפת הסודרין כשיפנה בדבר אחר לפיכך תקעו כדי שיפנו לראות בהנפת הסודרין. *Clangorem tubis edunt, quoniam facile fieri poterat, ut quis non attenderet ad agitationem sudarii, quum animus ejus esset aliis rebus intentus. Hanc enim ob causam tubis clangunt, ut agitationem respicerent sudarii.* Unde *R. Kasvenaki* una cum *R. Obad. de Bartenora* ad h. l. eo redit commentario, ut asserant, præsto Suffraganeum fuisse להניף שידעו הלוים וידברו בשיר *Ad motitandum, ut cognoscerent inde Israelitæ canticum sibi esse decantandum.* Et hæc equidem nullis videntur aggravari dubiis, disquisitionibus vero non infimæ notæ ansam præbet figura & materia ex qua sudarii, inquisituris, e quanam sc. materia & cujus figuræ exstiterit Sudarium hoc Suffraganei. Hariolamur tamen, ne id quidem determinari posse, & lites forte seri, quales circa sudarium Veronicæ Adrichomium inter & Quaresmium prolixæ satis, at sine fructu, dum illi lineum huic vero bombycinum placuit, non solum quod communiter vela capitis ex bombyce elaborari sueverint, sed quod subtiliora quoque sint & leviora. Conf. I. *A. Schmid.* diss. de Sudar. Christi §. 12. Lineum fuisse probabile reddit aliorum sudariorum inter Ebræos usus, inculcantibus passim Ebræis ex lino præparata & ortum inde indubie orarium Ecclesiæ primitivæ, iisdem quibus Suffraganei destinatum usibus, rem delineante *Matthæo Blastare*

re apud *Samuel. Petitum* c. XXIV. Var. Lect. Ω'ράριον inquit, ἐξαρτῶντες διάκονοι τοῖς ἱερουργοῦσι περιςάμενοι καὶ τοὺς ἱεροὺς ἐπιτηροῦντες εὐχὰς, καὶ τῷ ὡραρίῳ τοῖς ἐν τῷ ἀμβόνι σημαίνουσι διακόνοις τὸν καιρὸν τῆς ὀφειλούσης γίνεσθαι ἐκφωνήσεως τῶν τε κατηχουμένων καὶ τῶν πιςῶν. Quantitas autem sudarii cum expansis ab Hebræis tegatur sipariis, merito a nobis obvelata relinquitur.

§. XIV. Quo tamen majori cum dignitatis pondere sui exequeretur ministerii partes Suffraganeus, inauguratione & initiatione ad officium obeundum opus erat, quemadmodum unicuique munus sacerdotale suscipere allaboranti, ita vel maxime Hebræorum Suffraganeo, quod digniori & potiori magis præesset functioni. Ante omnia id monendum putamus, ob officium palmarium duplex, duplici quoque inauguratum consecratione Suffraganeum. Novimus eum perpetuum Sacerdotum Episcopum, novimus etiam speciali & solenni quidem officio in die Expiationis functum esse. De priori dubium nullum est, consecratione cæteris competente sacerdotibus officio suo eundem obeundo esse consecratum, sub templo quidem primo per unctionem, sub secundo vero per vestes initiationum; At quod alterum attinet, forte scrupulus non levis oriretur momenti. Colligitur id vel nobis tacentibus, ob brevitatem temporis inter pollutionem aut alium Pontificis eventum possibilem intercedentem, commode fieri non potuisse, ut oleo unctionis fieri posset consecratio, vi mandati divini Exod. XXIX. 7. Pontifici Summo munus suum suscepturo injuncta, non quod per septem dies continuanda esset unctio, tametsi enim & hoc certum sit, tamen & per 7. dies continuos officium primo quovis die peractum ratum habebatur. *Maim.* in הלכות כלי המקדש c. IV. §. XIII. sed quod partim oleum deficeret, partim facta vestitu consecratio & efficax satis & accommoda magis huic actui videretur. Vestimentorum proinde induitione peractam Suffraganei contendunt consecrationem Hebræi, sicut in templo secundo oleo fieri non poterat consecratio, eo sc. plane deficiente, ut ne Pontifices quidem eo mediante inaugurarentur, ut tamen hoc non obstante apti haberentur functionibus summi Sacerdotis exequendis, si vel maxime sola accessisset vestium adpositio. Confirmamur in eo a *Maim.* in הלכות כלי המקדש c. I. §. VII. & VIII. his verbis: אין מושחין ממנו לדורות אלא כהנים גדולים ומשוח מלחמה ומלכי בית דוד בלבד אפילו כהן בן כהן מושחין אותו שנאמר והכהן המשיח תחתיו מבניו וגו׳ בבית שני שלא היה שם שמן המשחה היה כ״ג מתרבה בלבישת בגדים בלבד שהיה לובש בגדי כהונה גדולה *Non inungunt illo unquam nisi Pontifices Maximos, Sacerdotem unctum ad bellum & Reges e familia Davidis oriundos tantum. Imo si vel maxime Sacerdos fuerit Pontificis M. filius, nihilosecius ungunt eum, quia dictum est: Unctus loco ejus ex filiis ejus, &c. In templo secundo, quum deficeret Unctionis oleum, consecrabatur Pontifex induitione vestium tantum, cum indueret vestimenta Pontificatui summo competentia.* Conf. *R. Joseph. Kaaro* in Comm. ad hunc loc. Eadem fere repetit *Maimonides* loc. cit. c. IV. §. XII. nisi quod adducto loco subjiciat: כשם שמתרבה בשמן המשחה כך מתרבה בבגדים. *Eo modo quo consecrabatur per oleum unctionis, eo etiam consecratio fiebat per vestimenta.* Eandem instat tibiam *R. Obad. de Bartenora* ad cap. I. Megilla Misch. IX. hæc observans: כהנים ששמשו בבית השני ואף בבית ראשון מן יאשיהו ואילך שנגנזה צלוחית של שמן המשחה בימיו ולא היו כהנים גדולים אלא בלבישת הבגדים בלבד. *Temporibus illorum qui ministrarunt in templo secundo, quin & in templo primo inde a Josia & ævo sequiori, quum abscondita delitesceret ampulla olei unctionis, non evadebant Pontifices maximi nisi vestimentorum induitione sola.* Multo proinde majori jure id dicendum de Pontificis erit Suffraganeo, nil quicquam renuentibus Judæorum Magistris. *R. Is. Abarbanel* sane in פירוש התורה ad Sectionem אחרי מות f. CCXLIX. col. I. lin. hanc ob caussam Pontificem vitiato adsociatum appellat מרובה בבגדים ita inter alia scribens: אם לא היה כ״ג יכול לעבוד משום פסול או טומאה היה עושה העבודה במקומו המרובה בבגדים *Si Pontifex Maximus non fuerit aptus ad ministrandum, ob vitium aut pollutionem quamvis aliam, vice ejus functionem suscipiebat vestimentis initiatus ad has functiones. Maimon* in הלכות יום הכפורים c. I. §. III. שבעת ימים קודם ליום הכפורים מפרישין כהן גדול מביתו ללשכתו שבמקדש ומתקינים לו כהן גדול אחר שאם יארע בזה פסול יעבוד האחר תחתיו בין שיארע בו פסול קודם תמיד בין שיארע בו פסול אחר שהקריב קרבנות זה שנכנס תחתיו אינו צריך חינוך אלא עבודתו מחנכתו מתחיל מעבודה שפסק בה הראשון. *Septem ante expiationis diem diebus segregant Pontificem Maximum a domo ad conclave ejus in sanctuario exstructum. Non minus surrogant ei Pontificem alium, ut, si obti-*

gerit

gerit Pont. vitium, officio fungatur alter vice ejus, sive ei obtigerit vitium ante sacrificium juge confectum, sive vitio afficiatur oblationibus jam dum oblatis. Is tamen, qui ingreditur loco ejus, initiatione non indiget, quippe functio ab eo suscepta consecrat eum. Initium vero facit a functione, in qua substiterat prior. Omnium optime rem edisseruisse videtur *Gemara Cod. Joma* f. XII. ad mentem Mischnæ Doctoribus hanc moventibus Controversiam. אירע בו פסול קודם תמיד של שחר מחנכים אותו בתמיד של שחר אלא אירע בו פסול אחר תמיד של שחר במ׳ מחנכים אותו אמר רב אדא בר אהבא באבנט הניחא למאן דא׳ אבנטו של כהן גדול זה הוא אבנטו של כהן הדיוט אלא למאן דא׳ אבנטו של כהן גדול לא זה אבנטו של כהן הדיוט מאי איכ׳ למימר אמר אביי לובש שמונ׳ ומהפך בצינור׳ וכדרב הונה דאמר ר׳ הונ׳ זר שהפך בצינורה חייב מיתה ורב פפא אמר אבודתו מחנכתו מי לא תניא הכלים שעשה משה משיחתן מקדשתן מכאן ואילך עבודתן מחנכתן הכא נמי עבודתו מחנכתו וגו׳ *Obtigerit Pontifici vitium sacrificio jugi matutino nondum confecto, inaugurare solent Suffraganeum per ipsum sacrificium juge matutinum. Quod si vero obtigerit ei vitium confecto jam sacrificio jugi, quo ritu perficietur initiatio? Reponit Raf Ada filius Ababa: per baltheum. Numquid vero ab ejus standum partibus convenientius, qui dicit? balteus Summi Pontificis, idem est, qui balteus Sacerdotis cujusvis gregarii, an hujus, qui dicit: Balteus Pontificis summi non est balteus Sacerdotis gregarii, secundum quem itaque hic pronunciandum? Dicit Abai: Peracto Sacrificio jugi matutino initiatur (Suffraganeus) 8. vestibus indutus, & fuscinula ferrea in altari exteriore vertit hostiarum membrum aliquod, idque secundum Raf Huna; Nam dicit Raf Huna: Extraneus qui verterit fuscinula membrum aliquod, reus mortis est. Raf Papa contra docet: Officium Suffraganei eundem consecrare. Nonne succurrit traditio? Vasa sanctuarii quæ præpararat Moses unctione consecrata efficiebantur. Ab hoc tempore & temporibus successivis ministeria per ea confecta consecrant ea; Idem itaque dicendum de Suffraganeo, scil. ministerium ab ipso susceptum eum consecrare.* Non lubet jam excutere vestes Suffraganeo adpositas, & adponendi modum, quia hæc cum Pontifice M. ei partim communia fuere, partim ab aliis ante nos fusius agitata sunt; ne itaque molitam a *Braunio*, *Frischmutho*, aliisque molere videamur farinam & scruta aliorum expilare, plura de his dicere detrectamus. Conf. *Horajoth.* Talm. Hierosolym. c. III. fol. XLVII. col. IV.

§. XV. Synedrio Ebræorum præfectos temporibus antiquis, nec uxore, nec liberis legitimo connubii vinculo prognatis, destitui volebant Sapientes, ne qua prole carentes immisericordia erga judiciis expositos tangi præsumerentur. Erudit nos in hoc puncto *Maimon* in הל׳ סנהדרין c. II. §. I. seqq. & *R. Moses Mikkozi* præc. affirm. XCVII. אין מעמידין בכל סנהדרין זקן מופלג בשנים ולא סריס מפני שיש בהן אכזריות ולא מי שאין לא בנים כדי שיהא רחמן. *Non cooptant in synedrium senem capularem & suspiciendum senii ergo nec eunuchum, quod morosus is foret nimium; nec liberis destitutum, ut esset misericors.* Nostro quem describendum curæ nobis duximus Suffraganeo, utrum parilis jugi socialis contigerit felicitas, paulo penitus rimari operæ ducimus pretium. Permissam ei uxorem vi legis divinæ dubio caret, quippe, cum cæteris Sacerdotibus omnibus ea concessa fuerit potestas, quare Sagani eam denegaremus nulla in contrarium obstante causa? Annotasse tamen juvaverit, discrimen conjugii Suffraganei & sacerdotum reliquorum. Pontifici namque præter Scortum, fæminam profanam, ac repudiatam, Vidua etiam prohibebatur; Et in hoc æmulus Pontifici suo erat Suffraganeus; priores omnibus Sacerdotibus interdicebantur, viduam vero impune ducebant; Adstipulatur *Maimonides* in Tr. de Incestu c. XVII. *Et Glossa Gemarica ad Codd. Joma* f. XII. col. II. circa fin. idem infert ex verbis Dd. וכל מצות כהונה גדולה עליו dum docet id in eo consistere, ne caput nudaret, nec laceraret vestes, nec se pollueret ob ullum agnatum mortuum, caveret a vidua ducenda, nec officio fungeretur, nisi 8 indutus vestibus. Causam si quæsiveris ob quam virginem non viduam duxerit & Pontifex & Suffraganeus sanctitatem prætendunt Talm. in *Jevam.* c. VI. Misch. II. III. IV. c. VII. Misch. I. Vid. *Maim.* in הלכות כלי המקדש c. XVII. ה׳ אסורי ביאה c. V. §. X. Id quidem adeo certum est, ut in Cod. *Taanith* sub fin. filiarum Suffraganei quoque mentio injiciatur. תנו רבנן בת מלך שואלת מבת כהן גדול בת כהן גדול שואלת מבת סגן בת סגן שואלת מבת משוח מלחמה בת משוח מלחמה שואלת מבת כהן הדיוט וכל ישראל שואלים זה מזה כדי שלא לבייש את מי שאין לו *Tradunt Doctores nostri* (celebrato XV. mensis Ab ac diebus expiationis) *filiam Regis mutuo petiis-*

se

ſe veſtes a filia Pontificis Maximi, hanc a filia Suffraganei filiam ſuffraganei a filia Sacerdotis gregarii. Cæteras Judæorum virgines idem feciſſe inter ſe, atque ſic veſtibus exornatas proceſſiſſe, ne illæ pudore ſuffunderentur, quæ veſtibus decoris fuerant deſtitutæ.

§. XVI. Sed tempus monet, ut in habitaculum ſuum noſtrum perducamus Suffraganeum, indicaturi ſimul, quo in loco illud ſitum fuerit. Quanquam enim non poſſimus aſſentiri eruditiſſimo *Caſaubono* Exerc. I. adv. Baron. Num. XXII. defendenti totam Levitarum cohortem, cantorum item & miniſteria ſacra quotidie obeuntium in templo præparatis undique conclavibus intruſos, habitaſſe, judicioſe eum perſtringente Celeb. *VVagenſ.* Comm. ad Cod. Sota p. 430. eo tamen ipſo inficias ire non licet, aliquos eorum in templo permanſiſſe ibique fixum habuiſſe domicilium. De hoc ex Maimonide refert *R. Jehuda Leo* Tr. de Deſcript. Templi c. XX. p. 121. erectum eſſe in templo conclave Vicarii Pontificis Maximi, quod ipſum ei ſoli conveniſſe adjicit, cum iret ad miniſtrandum in templo. *Ibidem*, inquit ex verſione *Joh. Sauberti*, *aliud fuit conclave Vicarii Pontificis Maximi, quod ei ſoli conveniebat, cum iret ad miniſtrandum in Templo.* Pauca tamen de ſtructura & ſitu ejus dicere nobis conceſſum eſt, quandoquidem ipſe R. Jehuda conclave memoratum illis accenſeat, quorum locus verus plane ignoretur. Aliqua tamen conjicere licet ratione, conclave illud non multum a domicilio Pontificis Maximi & conclavi Pontificis ad bellum Uncti ad cultum ſuſcipiendum ſe præparaturis ſemotum fuiſſe, quorum illud delineat *Maimon* in הלכות כלי המקדש c. V. §. VII. ex c. II. *Middoth.* his verbis: ובית היה לו מוכן במקדש והוא הנקרא לשכת כהן נרול ותפארתו וכבודו שיהיה יושב במקדש כל יום ולא יצא אלא לביתו בלבד הלילה או שעה או שתים ביום ויהיה ביתו בירושלם ואינו זז משם *Ædicula Pontifici in ſanctuario præparata vocatur conclave Pontificis Maximi; Nam in ſplendorem & majeſtatem ejus cedebat, quod habitaret in ſanctuario, die quovis. Neque enim egrediebatur niſi ad domum ſuam noctu duntaxat, aut per horam unam vel duas tempore diurno, quandoquidem domus eſſet Hieroſolymis, neque inde diſcedebat*, quibus egregie illuſtrandis inſerviunt, diſputata ad Cod. *Sanhedrin* c. II. Hoc vero determinat idem R. ex *Maimonid.* VIII. 24.

§. XVII. Quanto proinde auguſtius & ſplendidius fuerat Suffraganei Pontificis officium, tanto majorem ei olim adjudicatam comperimus dignitatem, quam ipſam ut paucis ſiſtamus oportet, nil obſtante, pleraque jam ex dictis prono fluere alveo; magis enim diſtincte euncta propoſuiſſe noſtro non refragabitur conamini. Summam Suffraganeo dignitatem, ſi quidem honorum Titulis tribuendum quidpiam, conciliaſſe titulum τοῦ כהן גדול *ſeu Pontificis Maximi* ei adjudicatum quivis facile colligat. Hujus quippe vi prærogativa præ omnibus ſummo jure ei attribuebatur Sacerdotibus, quod & pauci eſſent hunc titulum gerentes, & præſumtio foret ad dignitatem hanc evectum autoritate ſua & ſtudio eam ſibi conciliaſſe. Noſtro Suffraganeo titulus hic excellens ſatis minime denegatur, ſed a Rabbinis pariter atque aliis quibuſvis eidem adſignatus deprehenditur. Enim vero *R. Maimon.* in הלכות יום הכפורים c. I. §. III. l. ſup. adducto §. XIV. expreſſe eum appellat כהן גדול אחר *Pontificem ſummum alium*; alium quidem ejus reſpectu, qui pollutione infectus impotentem ſe reddiderat officii Pontificalis exequendi. A *Joſepho* pariter L. XVII. c. VIII. aperte ſalutatum ἀρχιερέα qui inficias ire vellet, næ is omnem veritatem ipſe oppugnatum, dicendum exiſtimamus. Imo diceremus intrepide, jure quodam hoc nomen ſibi noſtrum depoſcere Suffraganeum, dum non modo Principem claſſium ſacerdotalium quemvis titulo ἀρχιερέας inſignitum vel ipſi non diffiteri queant adverſantes, verum etiam proximus a Pontifice locus Suffraganeo adjudicatus, & munus vice Pontificis Maximi pollutione infecti ab eo executum, ſi non extorquet, jure tamen quodam legitimo titulum hunc depoſcit. Quin, ſi *Seldeno* L. I. de Succ. in Pontif. c. IX. præbendus eſſet aſſenſus, vel ideo eo titulo decorandus veniet, quod ſpem haberet Suffraganeus ob majorem dignitatem & ſanguinis proximitatem ſucceſſionis, eo fere modo, quo Ducum & Comitum filii ob ſpem ſuccedendi certam Comites & Duces nuncupari ſoliti ſunt, non inconcinne huc applicans Scevam ἀρχιερέα dictum Act. XIX. 14. & Gamalam Jeſu F. ex *Joſepho* L. IV. Halos. c. XII. Capiant velimus ſibi hoc, qui omnibus nervis eo tendunt, ut demonſtrent Suffraganeum ſummi Pontificis Ἀρχιερέως nomine inſigniri haud quaquam potuiſſe. *Dionyſius Petavius* L. X. Doctr. Temp. c. LVI. p. 254. nulla id ſibi imaginari poteſt ratione, dum neque, ut ait, Auguſtus Cæſarem cooptans poſſit appellari Impera-

perator vel Auguſtus, aut cum Auguſto Imperium adminiſtraſſe. Pari pacto neque Summi Pontificis vicarium & optionem ſummum poſſe appellari Pontificem. Eodem tendit etiam *Joh. Heinricus Deiſkius* in notis ad Goodwini Moſen & Aaronem L. I. c. V. §. XVII. Verum ut taceamus, non diffiteri, eruditiſſimum Petavium quin ambabus potius largiri manibus præter Sacerdotem ſummum alium extitiſſe ſecundum ab eo locum obtinentem præpoſitum, diſpoſitionem etiam eorum agnoſcere cogatur qui nomen hoc impoſuerunt, & ab eorum arbitrio impoſitionem nominis dependere; monebimus ſolum id, magnam intercedere inter appellationem utrorumque diſparitatem. Cæſar, Auguſtus, Elector Palatinus tituli ſunt inferioribus aliis nullo modo competentes; at ἀρχιερέως vox, uti ab omnibus pro confeſſo aſſumitur, adjudicata eſt quoque Claſſium Sacerdotalium Principibus. Quidni ergo jure multo majore eorum Epiſcopo, & omnibus his præpoſito Pontificibus competiiſſe nomen hoc diceretur?

§. XVIII. Dicam tamen hic ſcribit graviſſimam Vir Celeberrimus *Joh. Nicolai* Prof. Antiq. Tubing. in Schediaſmate quodam probaturus, Vicarium Pontificis perpetuum eſſe Non-Ens. §. XVIII. nimium incommode defendens Suffraganeo nomen ἀρχιερέως inuri, vel hanc ob rationem, quod nomen illud pluribus fuerit commune. Verum, ut pace Viri illius dicamus quod res exigit, rem ipſam haudquaquam tangit. Pluribus nomen illud commune extitiſſe quis iret inficias? Prolixa ad minimum id probatione non indiget, aſt qua fronte colligas: E. Suffraganeo nullo poteſt attribui modo. Quicquid uni competit ἁπλῶς id alteri jure optimo competit reſtricte. Determinationes itaque conſulendæ ſunt hanc perſonam vi officii ab aliis quibuſvis eundem titulum participantibus reſtringentes, tumque patebit evidenter ἀρχιερέως nomen ceu appellativum tantum Suffraganeo attribui & pluribus eſſe commune, proprium vero & ab aliis eum ſeparans, ipſiſſimam eſſe Saganis vocem. Interea terriculamento opus videbatur extorquendo aſſenſui, ſi ſponte nolis aſſentiri, coactus concedas oportet. Μορμολύκειον hoc alit *Autoris* §. XXII. *Aut*, inquit, סגן *abſolute vocatur* ἀρχιερεὺς *aut* κατά τι. *Non abſolute, quia ſimpliciter ſummus non erat, ſed majoris Vicarius. Nec* κατὰ τι *quatenus Claſſis Princeps fuiſſet, quia munus Saganicum id neceſſario non involvit.* Adesdum vero, vir Clariſſime, e templo tranſeamus in Synagogam, comite inprimis Samuele Petito. Intueamur Archiſynagogum; non negas eum hoc nomine dictum; nec nos illud inficiamur. Contemplemur Synagogæ Patrem, Archiſynagogi quaſi Vicarium; At is etiam Archiſynagogus ſalutatur. Dubitas? En præſto eſt *Samuel Petitus* c. XXIV. Var. Lect. hanc rem non inconcinne declarans. Scrupulus Viro oriebatur, cur Luc. XIII. 14. Ἀρχισυναγώγου & Act. XII. 15. tamen τῶν Ἀρχισυναγώγων mentio injiciatur. *Patrem*, reponit, *putamus primum fuiſſe ſi ab Archiſynagogo diſcedas, cujus erat Vicarius. Hujus rei conjecturam facimus ex cæteris Judæorum inſtitutis. Nam in magno Synedrio* τῶν *LXXI. erat* אב בית דין *alter* נשיא. *Pari ratione exiſtimamus PP. Synagogarum primos eſſe ab Archiſynagogis. Et fortaſſe hinc eſt, quod plures numerentur.* Ἀρχισυνάγωγοι *non quod plures revera eſſent Archiſynagogi, ſed in unaquaque erat Archiſynagogus & alter ab eo Pater Synagogæ illius vicarius, qui ejusdem nominis honore afficitur. Quemadmodum utut ſummus Pontifex unus eſſet, tamen ejus Vicarius etiam ſummus Pontifex appellatur, ut obſervarunt jam pridem Viri Clariſſimi.* His poſitis commode ſic argueremus: Archiſynagogi Vicarius aut ἀρχισυνάγωγος dicitur abſolute, aut κατά τι. Non abſolute, quia Majoris erat vicarius, nec κατά τι quia nullius Claſſis Princeps eſt, & munus Patris Synagogæ id neceſſario non involvit. E. nullo modo ἀρχισυνάγωγος eſt & dici poteſt? Ne quid autem celemus, parum conducit in re manifeſta pugnare conjecturis maxime cum dudum ante nos conſpiciamus *Campejum Vitringam* L. II. de Synag. Vet. c. V. p. 525. annotaſſe, evidens documentum produci non poſſe quo indubie liceat evincere, Patres Synagogæ Petito Vicarios Ἀρχισυναγώγου nuncupatos, unquam extitiſſe, quamvis & id haud incerta nitatur baſi, unius ejuſdemque Synagogæ plures extitiſſe Archiſynagogos, ſi conferas Act. XIII. 15. XVIII. 8. 17. Corinthiacam Synagogam reperies Criſpum & Soſthenem Archiſynagogos foventem. Unde noſtra quidem ſententia id urgebitur firmius, ſi ad §. præc. XVII. provocantes reponamus ſummo jure munus Saganicum ἀρχὴν quandam involvere, dum requirebatur, ut Suffraganeus noſter omnibus omnino præeſſet Sacerdotibus, ejuſque inprimis, quos ἀρχιερέων titulo inſignitos indubie novimus, curæ & inſpectioni eſſe commiſſos.

§. XIX. Redeamus autem ad declarandam pluribus nostri dignitatem juxta ac eminentiam Suffraganei. Fluit illa ex priori prærogativa, & in ordine ejus conspicua est, in eo consistens quod vi hujus dignitatis secundum a Pontifice M. locum obtineret. Expressit id *Maimon.* in הלכות כלי המקרש c. IV. §. XVI. secutus *Talm. Babyl. Cod. Horajoth.* c. III. f. XLVII. col. IV. ממנין כהן גדול אחר יהיה לכהן גדול כמו המשנה למלך והוא הנקרא סגן והוא הנקרא ממונה ויהיה עומד לימין כהן גדול תמיד וזה כבוד הוא לו וכל הכהנים תחת יד הסגן ועוד ממנין קתיקולין להיות לסגן כמו הסגן לכהן גדול ואין פוחתין משנים *Substituunt Pontifici M. aliquem qui sit intuitu Pontificis Maximi velut secundus a Rege, nomine suo appellatus Sagan. Alio titulo* ממונה *appellatur, seu Præfectus, stans a dextris Pontificis M. perpetuo; id quod dignitatem ei conciliat maximam. Sacerdotes omnes sub potestate sunt Suffraganei. Amplius Catholicanos surrogant, qui sint intuitu Saganis velut Sagan summo Pontifici; non tamen pauciores surrogant duobus.* Vides hinc quanta Suffraganeo nostro profluxerit majestas; dum primo post Pontificem maximum ornatus deprehenditur loco. Eadem sane, dummodo non potior illa erat, qua Mahumedani Adamo in his terris constituto Vicario angelis ob summam qua pollebat rerum omnium scientiam præferendo assignant dum eum خليعة nuncupant *Sura* II. v. 29. Deum angelos allocutum sic introducentes: اني جاعل في الارض خليعة *Certe ego constiturus sum in hac terra Vicarium;* Scilicet, ut intelligas, quo sensu Maimon dixerit Suffraganeum sese similem in modum habere ac משנה למלך comparandum eum duximus duce Historia Orientali cum Persarum Caliphis secundum a Regibus locum & dignitatem tuentibus proximam. Vocis vi خليعة proprie innuere *Successorem* observavit *Ludovicus Maraccius* in Refut. Alcorani ad Suram II. p. XXII. in notis, afferens simul Gelaleddini Scriptoris Arabici testimonium, Adamum hoc nomine insignitum perhibentis, quod vice DEI leges in terra promulgaret, indeque enatum pronunciat, ut supremi gentis Mahumedanæ antistites خلفاء i. e. Caliphæ dicti sint, sive personæ vicariæ, quæ in aliis terris munus Regis exequebantur, proximi a potestate summa Imperantis, ingentem eorum texente Catalogum *Josepho Scaligero* L. II. Canon. Isagg. p. 143. Conf. Hotting. in Hist. Orient. p. 465.

§. XX. Forte tamen omne, quod diximus, expresserimus elegantius, si ad illustrandam & evehendam Suffraganei dignitatem contulerimus Πρωτοσυγκέλλον Protosyncellum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, cujus schema & officium totum si quidpiam aliud ideam totam Ecclesiæ Judaicæ nostro sistit obtutui, ut nec ovo ovum, nec lacti lac magis videatur simile, quam Patriarcha cum suo Protosyncello, Pontifici M. cum suo Suffraganeo. Placuit sane id nominis in dilucidando negotio præsenti tantopere quidem *Scaligero*, adprobante etiam *Isaaco Casaubono* Exerc. XII. ad A. C. XXXI. num. VIII. p. 177. ut non modo L. III. Canon. Isagg. p. 227. Rabbi Chanania, Judæis sæpissime סגן הכהנים nuncupatum, *τοποτηρητὴν* aut *σύγκελλον τȣ Αρχιερέως* in excidio Urbis interfectum salutet, verum & in Prolegg. ad Chronic. Euseb. ad Jac. Aug. Thuanum f. X. fuse innuat, Suffraganeum exactius describi non posse, quam quidem Πρωτοσύγκελλον nobis imaginando, dum, qui Judæis ראשי אבות ii Ecclesiæ Constantinopolitanæ Syncelli, & qui illis Pontificis Suffraganeus, is huic Πρωτοσύγκελλος jure optimo salutatur. Suo tempore Syncellos inter eminebat Georgius Monachus, Tarasii Patriarchæ Syncellus scripto insignis sub hoc titulo: Ἐκλογὴ χρονογραφίας συνταχθεῖσα ὑπὸ Γεωργίȣ Μοναχȣ̃ Συγκέλλȣ γεγονότος Ταρασίȣ Πατριάρχȣ, de quo Cedrenus: ὅ, τε καὶ μόναχος Γεώργιος καὶ Σύγκελλος ἀπὸ καταβολῆς ἀρξάμενος κόσμȣ εἰς Μαξιμιανὸν καὶ Μαξιμῖνον κατέληξε. Hunc ipsum Georgium cum in lucem protruderet publicam *P. Jacobus Goar* in præf. Paris. MDCLII. fol. edita, prolixe & erudite munia & Syncellorum & Protosyncelli digessit. Præterquam enim quod discutiat fusius, an σύγκελλος prout frequentius, an σύγγελλος, an quasi ex συνάγγελος contractum quod lateris stipator Patriarchalis & velut angelus esset fidelissimus, an verius a cella & sacrario, ἀπὸ τȣ̃ κελλίȣ dicendus, eo quod sacrarii Patriarchæ esset Concellaneus, testis & comes assiduus, ac negotiorum & studiorum socius, id simul edocet, quænam præ cæteris officia τȣ̃ Πρωτοσυγκέλλȣ eminuerint. (1) adeo Syncellum in locum Patriarchæ mortui, more tamen temporibus sequentibus antiquato successisse (2) perpetuo Patriarchæ a dextris fuisse (3) tandem id officii dignissimum

obiis-

obiisse. Ni fallimur toti, non inconcinne pleraque succincte complexus *Georgius Cedrenus* ipse, dum Compend. Histor. Part. II. fol. DCCLXXV. eum sic delineat: Ἀνεπλήρωσε δ' αὐτȣ͂ τὴν πρὸς τὸν Βασιλέα πρεσβείαν ὁ λεγόμενος παρ' αὐτοῖς Σέλφος. Δύναται δὲ τȣ͂το τὸ ὄνομα πρὸς τὸν παρ' αὐτοῖς χαλυφᾶν ὅπερ ὁ παρ' ἡμῖν Σύγκελλος πρὸς τὸν Πατριάρχην πάλαι ἐδύνατο· ἐκείνȣ γὰρ ἀποθανόντος αὐτὸς ἀυθὺς ἐς τ̃ τȣ́τȣ θρόνον ἐγκαθίδρυται. Vid. etiam *Carolus Annibal Fabrotus* in Glossar. ad Cedren. voce σύγκελλος. Neque vero nimium a scopo aberrant illi, qui similitudinem quandam Suffraganei indagaturi Vicarium Episcopo absenti aut male affecto substitutum in proscenium ducunt. Eminet hic *Joh. Spencerus* L. III. de LL. Hebræorum Ritual Diss. I. c. II. Sect. IV. p. 792. qui ut confirmet Ecclesiæ Antiquæ PP. ritus Judaicæ e Synagoga retinuisse, inter alia arbitratur, a Judæis etiam profluxisse, ut quem illa Pontificis dixerit Suffraganeum, hæc Suffraganeum Episcopi absentis vicem supplentem. *Et forsan*, inquit, סגן כהן גדול *Vicarius Pontificis Maximi, Suffraganeo illi, qui olim absentis Episcopi vicem supplevit causam & exemplum præbuit*, effatum hoc non tamen sine censura adprobante *Campejo Vitringa* c. III. Prolegg. de Synag. Vet. p. 17. 18.

§. XXI. Amplius id quoque honori & prærogativæ nostri debetur Suffraganei, quod Pontifice mortuo proximus esset, qui in defuncti locum surrogaretur; idque non si causis urgentibus, dum non solum continua rerum sacrarum cura & inspectione rebus circa cultum sacrum magis magisque esset assuetus, sed & cæteros omnes dexteritate & prudentia multis parasangis anteiret. Discere licet hoc ipsum ex *Talm. Hierof. Masseeb. Joma* c. III. ubi 5. officii Saganici partibus & hoc annumeratur: fol. XLI. לא היה כהן גדול מתמנה להיות כהן גדול עד שהוא נעשה סגן *Non constituebatur Pontifex M. ut officio Pontif. fungeretur nisi prius Saganis officio functus esset*. Ne quid vero reticeamus non videtur perpetuo hic servatus esse ordo, cum Historia teste, sæpius Pontifices plane ex aliis delecti sunt partibus, nisi & hoc dicendum foret, non semper requisitum fuisse ut diu ante Suffraganei obirent munia, dummodo aliquam tantum Suffraganei susciperent ad tempus functionem. Vid. *Piske Tosephot* ad Cod. *Menachot*. num. CCXXV. Tandem in eo excelluisse Sagan videtur, quod X. Otiosis בטלנים dictis in Synagogis Judæorum a quibusdam annumeraretur. Si enim secundum *Megilla* c. I. Mischna III. illa demum Civitas magnæ nomen meruit שיש בה עשרה בטלנים *in qua X. essent Otiosi*, villam vero dixere, in qua pauciores, oppido videas, quantum hoc in officio splendoris Sagani accesserit. Si quid *R. Benjamin Tudelensi* credendum, diserte is: *Decem*, ait, *in illa civitate* (loquitur de Bagdade) *sunt* ישיבות *Summi Synedrii caput Doctor Samuel Filius Eli; Præfectus* (סגן) *Levitarum est secundi Caput. D. Daniel tertii Præses est*. At enimvero geminum nos hic aggravat dubium (1) quidem, quod dici tutius putemus, hunc Saganem Otiosis annumeratum, eundem non videri, dum Synagogarum quælibet personam ejusmodi præfectam veneraretur. Vid. *Hotting* L. II. Thes. Philol. cap. III. Sect. II. p. 544. (2) Materiam esse altioris indaginis de officio & personis Decem Otiosorum, & a Viris nobis longe eruditioribus Campejo Vitringa & Jac. Rhenferdio prolixe satis ultro citroque disceptatam; Absit itaque ut infelices nos tantorum sistamus Virorum arbitros, utpote qui in hoc argumenti genere magis exercitatis palmam delaturos nos proni pollicemur.

§. XXII. Lucem hactenus evoluta fœnerantur iis dirimendis, quæ de Zacharia Sacerdote, Patre Johannis Luc. l. 5. disceptantur. Litem nimirum intendunt, stabilituri Zachariam modo laudatum Suffraganei officium administrasse, cumque angelus Johannis annunciaret nativitatem actu in exequendo hoc munere sese occupatum exhibuisse. Fere tamen primus, & quod novimus, solus mentem hanc inferre studuit *Erasmus* dum in c. I. Lucæ: *Cum sorte deligendus esset*, inquit, *qui introiret secretissimum templi secessum, sorte delectus fuit Zacharias, ut ingressus Sancta Sanctorum, quo nemini fas fuit ingredi præter Pontificem aut hujus loco designatum, suffitum poneret in altari*. Inde evidenti colligas indicio, Erasmo in mente hæsisse, vel summum Pontificem Zachariam vel ad minimum Pontificis fuisse Suffraganeum, prout paria ex his verbis elicientem legas *Abrah. Sculteum* L. I. Exerc. Evang. c. VI. Scilicet illud erat σοφὸν φάρμακον *Zachariam Vicarium tunc fuisse summo Pontifici substitutum ob pollutionem aliquam, qua arcebatur a muneris sui executione* monente *Friedr. Spanheimio* Part. II. Dub. Evang. Dub. XIII. p. 213. Equidem summum Zachariam qui vendi-

tent Pontificem, oppido plures sunt, acri tamen censura ab omnibus eruditis subinde excepti, hypothesi eorum partim ceu absurdorum pessimorum genetrice, partim antiquitati Judaicæ minus congrua eliminata & prostrata in totum. Vid. *Rich. Montacutius* Exerc. XI. Anal. Eccles. Sect. IV. p. 388. *Fried. Spanheimius* Part. II. Dub. Evang. Dub. XII. XIII. *J. C. VVagenseilius* ad Sotam c. IX. p. 944. *Jos. Scaliger.* L. III. Canon. Isag. p. 306. 307. Scrupulus tamen de Saganatu Zachariæ motus a nobis huic materiæ intentis ut excutiatur, non erit injustum. Quo vero intimius in rem ipsam penetramus, eo stringentioribus argumentis pro denegando Zachariæ nostro Suffraganei officio movemur, idque gemino præ cæteris fundamento. (1) enim Spir. S. diserte inculcat, Zachariam e certa quadam Sacerdotum classe, quos in Ephemerias distinctos ministeria templi exequi instituerat Moses, amplificaverat David, & confirmaverat Salomo. Vid. *Maimon.* in הלכות כלי המקדש c. IV. §. III. IV. Ἱερεύς τις, inquit Lucas c. I. 5. ὀνόματι Ζαχαρίας, ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά. Prout autem Sacerdotes Gregarii in ephemerias distincti nullum cum dignitate Pontificali habebant commercium, adeo, ut nec adspirare ad successionem in ejus locum jure possent, nedum eo adhuc vivo ministeria exequi soli summo Pontifici competentia. Ita cum ad Aharonis prosapiam minime ad aliam restrictus esset Pontificatus honos, quin imo nemo nisi ante סגן fuisset Pontifex evaserit, ut §. XXI. dictum, liquida fluit consequentia, Zachariam Sacerdotem Ephemeriarum quidem Principem, non vero סגן seu Pontificis dici posse Suffraganeum. Accedit (2) quod præcipuum est paradoxi asserti de Vicariatu Zachariæ momentum, Zachariam scilicet tempore Angelicæ apparitionis in functionibus diei Expiationis fuisse occupatum. Verum demonstratum jam ab aliis ante nos multa hic in unum cumulum coacervari paradoxa: (α) enim non correspondet Locus. Suffraganei functio vice Pontificis expiationis die suscepta, perficiebatur intra velum Sanctum a Sancto Sanctorum discriminans, vid. Lev. XVI. 12. מבית לפרוכת *intra velum* adolendum θυμίαμα jubentis. Zacharias vero κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας εἰσελθὼν εἰς τὸν ναὸν τοῦ Κυρίου Luc. I. 9. ministrabat ad θυσιαστήριον τοῦ θυμιάματος v. 11. ibique θυμίαμα adolebat. Jam vero Altare suffitus erat לפני הפרוכת *ante velum* irriguum reddendum a Pontifice quotannis sanguine hostiæ expiatoriæ egressu ex Sancto Sanctorum jam facto Exod. XXX. 6. 10. invictoque documento fluit, locum suffitus faciendi extra Sanctum Sanctorum stetisse. Clara sunt in hanc rem allata ab *Is. Abarbanele* in פירוש התורה fol. CCLII. col. I. lin. 23. בדביר ההיכל היה בו ארון ובתוכו לוחות הברית וספר תורה בצדו על הארון היה הכפורת עם צורות הכרובים ובהיכל שהיה לפני הדביר היו שלשה כלים השולחן והמנורה ומזבח הקטרת *In adyto Templi erat Arca Fœderis, ac intra eam tabulæ Fœderis, ad latus arcæ Liber Legis; Supra arcam Propitiatorium cum sculpturis Cherubinorum; In templo ipso, ante templi adytum sito tria fuere vasa: Mensa nimirum, Candelabrum aureum, & altare Thymiamatis.* Nulli enim putamus, absonam hanc quempiam arrepturum sententiam, ut defendat, lapidem thuribulo ante arcam imponendo destinatum altare dici, quo de *Abarbanel* rursus loc. cit. f. CCXLIX. col. II. משנגנז הארון בחרבן בית ראשון אבן היתה שם בקדש הקדשים גבוהה מן הארץ שלש אצבעות ועליה מניח את המחתה *Ex quo arca fœderis abscondita esset in templi prioris desolatione, Lapis aderat in S. S. elevatus a terra. 3. digitis, & huic superimponebat Thuribulum*; quandoquidem nec titulo hoc lapis ullibi insigniatur, nec vel ab ipsis intendatur dissentientibus, de altari suffitus non lapide thuribulum recipiente sollicitis. (β) plane discrepat eligendi ad officium modus. Zacharias sorte obtinebat ut poneret incensum, ἔλαχε τοῦ θυμιᾶσαι; Sagan vero nuspiam legitur Sortilegii socius, aut unquam sorte ad officium suum legitime suscipiendum & exequendum compulsus. Scite proinde *Spanheimius* Dubb. Evangg. l. c. p. 214. *Duplex itaque metamorphosis Sacerdotis ex plebe in summum Sacerdotem* (addamus in Suffraganeum) *& suffitus quotidiani secundum legem in actum extraordinarium anno tantum recurrente certa die fieri solitum.*

§. XXIII. Similem prorsus in modum judicium sine omni fieri speramus his observatis difficultate de Quæstione: *An Annas fuerit Caiphæ Pontificis Suffraganeus, nec ne?* Exprimere propemodum vix licet, quanta cum vehementia hæc quæstio sit agitata, inde jam a seculis multis novissime etiam a compluribus recentioris ævi protracta in lucem. *Magna scil. contentione quæsitum ab eruditis Annalium Chronicorumque Scriptoribus, qui nodum illum variis modis tentarunt solvere, ut nostra* faciamus verba *Dionysii*

nysii Petavii L. X. de Doctr. Tem. c. LVI. p. 253. Hinc factum, ut tantis circumsepta redderetur res omnis dubiis ut *J. Lightfoot* Tr. de Minist. Templi c. V. Sect. I. p. 688. non diffiteatur, *materiam esse Doctorum relinquendam judicio*, & *Seldeno* judice *inaccessam atque obscuram nimium* nuncupandam in L. I. de Succ. in Pont. c. XII. Ansam controvertendi dedere verba Luc. III. 2. memorantis initium ministerii Johannei ortum traxisse sub Pontificibus Hanna & Caipha Ἐπ᾽ ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα ἐγένετο ῥῆμα Θεοῦ ἐπὶ Ἰωάννην τὸν τοῦ Ζαχαρίου υἱὸν ἐν τῇ ἐρήμῳ. Non ita pridem est, quando *J. Seldenus* L. I. De Succ. in Pont. c. XII. cum locum hunc rimaretur penitius, in eam deducebatur mentem, ut crederet, Hannam נשיא ut vocant s. Synedrii Principem & Caipham אב בית דין seu Patrem extitisse Synedrii, officia eorum exponente *Maim.* in הלכות סנהדרין c. I. §. III. Hæc sententia docte licet excogitata, & ab aliis, inprimis *Joh. Sauberto* Tr. de Sacerd. & sacr. Ebr. pers. part. I. c. V. approbata, nil obstantibus omnibus erudite satis notatis, alios tamen in suas pertrahere casses nequaquam potuit, tantopere quidem, ut in Baronio suo eam acerrime perstrinxerit *Isaacus Casaubonus* asserens, *se mirari, postquam illa Baronio excidissent, Romæ virum quendam repertum non esse, rerum Judaicarum vel medioeriter peritum, qui sui illum erroris admoneret* Exerc. XIII. ad A. XXXI. num. X. p. 178. cum quibus nos etiam facimus, modeste a viris nostra laude majoribus dissentientes. Nervose huic sese opponebat *Petavius* L. X. de Doctr. Temp. c. LVI. & Baronio *Montacutius* Anal. Eccles. Exerc. VI. Sect. V. f. 227. 228. urgentes, Synedrium Hierosolymitanum e solo non constitisse genere Sacerdotali, sed ex Sacerdotibus, Levitis & Israelitis quibusvis, indeque his Patribus præfectum minus commode Ἀρχιερέα appellari potuisse. Enimvero perspicua satis sunt, quæ edisseruit *Maimonides* in הלכות סנהדרין cap. II. §. II. מצוה להיות בסנהדרין גדולה כהני׳ ולויים שנ׳ ובאת אל הכהני׳ הליים ואם מצאו אפילו היו כולם ישראלים הרי זה מותר *Mos fert, in Synedrium maximum cooptari Sacerdotes & Levitas; Dictum namque* (Deut. XVII. 9.) *Adibis Sacerdotes, Levitas. Ecce vero concessum etiam est, omnes adoptare Israelitas, si reliqui non deprehendantur*. Accedit in causæ patrocinium nullum adductum a Seldeno ejusque asseclis locum, adstruentem indubie, nomine כהן גדול seu ἀρχιερέως Patrem Synedrii unquam fuisse mactatum, quicquid etiam de possibilitate cognominationis obtrudere conetur *Joh. Hammondus* in adnot. ad Luc. III. p. 175. Non potuimus itaque, quin probe pensitata omni aliorum mente illis subscriberemus potius, qui intrepide defendunt alterum ex modo memoratis Suffraganei, alterum vero Pontificis M. vices obiisse. Enimvero evictum putamus ex hactenus suppositis partim Suffraganei munus in Sacerdotio Hebræorum non fuisse insuetum, partim Ἀρχιερέα eundem appellatum esse, quæ duo dubia præbendo reliquis sententiis omnibus assensu remoram injicere videntur, ex hac vero, quam nos dedimus commode eliminantur Militant nobiscum hac in palæstra *Isaacus Casaub.* in Exerc. Anti Baron. Exercit. XIII. ad A. C. XXXI. num. VIII. pag. 176. *Josephus Scaliger* proleg. ad Chronic. Euseb. f. X. edit. Amst. ab A. 1658. *Joh. Leusdenius* ad פרקי אבות L. III. Mischna II. & Philol. Hebr. Mixto. Diss. XXVII. pag. 185. *J. H. Ottho* in Lex. Rabb. Philol. p. 548.

§. XXIV. Equidem conclamatum esset de mente hac, nisi multis sententia præsens obvolveretur obstaculis, quæ nos ab eadem videntur avocare. Eruditissimus *Petavius* unicus fere sufficit, qui palmam nobis reddat dubiam; præterquam enim, quod Is. Casaubonum multorum absurdorum in hoc negotio commissorum reum agat dictamine satis prætorio, insignisque eum convincere studeat inscitiæ, omnibus etiam annititur viribus, ut sententiam hanc Doctorum excutiat mentibus L. X. Doctr. Temp. c. LVI. Pollicem Petavio premit *Joh. Hammondus* in adnot. ad Lucæ c. III. f. 175. 176. *Basnage* in Exerc. H. Crit. ad A. XXVIII. §. IX. p. 231. *Casp. Sagitarius* in Harm. Hist. Pass. J. C. p. II. c. V. §. CXXVII. CXXVIII. omniumque; primo nobis nominandus *Joh. Nicolai* in Schediasm. §. XVII. seqq. Jubet tamen disquirendi mos, ne virorum autoritate terreamur, sed ut excitati magis tantorum divortiis ad rationes eo remandas penitius, adigamur. Palmarium a Petavio & Basnagio objectum huc redit, quod Johanne recensente prius Christus abductus fuerit ad Annam, quam ad Caipham, cum tamen potius ad Caipham ducendus fuisset, tanquam Pontificem M. dignitate multum Annam antecedentem. Facilis tamen his omnibus paratur responsio: (1) Eo ipso potius, dum Suffraganeus inferiorem Pontifice M. obtinebat gradum, Christus vero ad Annam primum fuerat deductus, colligitur,

gitur, inferiori dignitate præditum fuisse Annam Caipha, cum non solum hodiernorum judiciorum, sed & vetustiorum inprimis Judæorum is fuerit mos, ut ante in instantiis, ut vocant, inferioribus, quam coram Synedrio summo aut magistratu superiore institueretur de reo disceptatio Vid. *Maimon.* in הלכות ממרים c. l. §. IV. (2) Johannes rationem hujus processus inculcat, dum c. XVIII. 13. scribit: Ἀπήγαγον αὐτὸν πρὸς Ἄνναν πρῶτον, ἦν γὰρ πενθερὸς τοῦ Καϊάφα ὃς ἦν ἀρχιερεὺς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου. Socer sc. erat Annas, suo associatus genero, ut auxiliares ei supponeret manus, forte etiam quæ *H. Grotii* in libb. Evangg. c. III. p. *660.* conjectura est, *soceri gratia hunc honorem gener impetrarat*. Hinc severe arguit *Casaubonus* Exerc. XVI. §. LXVI. p. 427. *Evangelista ejus facti rationem ex professo reddente; quid novo, frivolo, falso commento opus est?* (3) Constat omnibus, ex quo Pontificalis dignitas facta esset venalis; nec semper personis offerretur muneri huic subeundo aptis, evenisse ut multo plus oneris adjudicaretur Suffraganeo, quam ipsi Summo Pontifici; Indeque emerserit communis Judæorum querela de inscitia templi secundi Pontificum, ductu Cod. *Joma.* c. I. Misch. III. eam repræsentante *R. Obad. de Bartenora* his verbis: במקדש שני היו צריכין לכך שהיו מעמידין כהן גדול שאינם מהוגנים על פי המלכות האלו במקדש ראשון לאו היו מעמידין כהן גדול אלא הגדול שבכהנים בחכמה בנוי בכח ובעשר. *Templi secundi tempore opus his* (respicit verba Pontifici ignaro a Senioribus inculcata) *habuere; constituebant quippe Pontifices maximos minus idoneos decreto Regio; Templo tamen primo durante Pontificem non constituebant, nisi majorem sacerdotibus reliquis sapientia, pulchritudine, virtute & divitiis.* Consequenter simul requirebatur, ut a Suffraganeo major exigeretur rerum peritia ac controversiarum notitia, quam a Pontifice, quippe cui & res indaganda primum & discutiendum, an hujus essent conditionis, ut ipsi committerentur Pontifici; an ita comparatæ, ut Pontificis adprobatione non indigerent? cumque deprehensum id esset, Suffraganei eam componere prudentia relinquebatur, eo modo, quo obortis in Sacerdotum quorumvis consortio litigiis & arbitrum se & diribitorem gerere conveniebat. Dicis: At non solum Caiphæ Annas anteponitur, sed solus quoque ἀρχιερεὺς appellatur. Id vero non officit; posito uno alterum tolli necesse non est; Sufficiat, in aliis scripturæ locis Caiphæ eodem quidem tempore, quo hæc gererentur, non denegari, quod patebit conferenti Marc. XIV. 53. cum Matth. XXVI. 57. parumque stringit illud *Hammondi* ad Luc. III. 2. Aut officium τοῦ Sagan pertinuit ad Annam, aut ad Caipham, quia liquet Annam tum non fuisse Pontificem maximum E. neuter סגן fuit. Enim vero & Caipham Pontificem concedimus & Suffraganeum Annam non fuisse ex ordine male concludi evicimus. E. alter Sagan, alter fuit Pontifex. Nam, quamcunque arripueris sententiam hactenus ad minimum a viris expositam eruditis, nisi aliis eam configi deprehenderis difficultatibus, eo tandem omnis redit disquisitio, quam ob causam Annas Caiphæ præfigatur. Si Baronianam amplecteris, dudum monuit *Muntacutius* Exerc. VI. Sect. V. p. *229.* dicendum sic fuisse Caipha & Anna sacerdotibus. Si duos dicas Pontifices simul fuisse Maximos, non modo dubium videtur, an Annas id unquam ante administratus fuerit officium, sed &, cur Caiphas ceu Pontifex illius ævi alteri subjungatur? Minoris adhuc ponderis est quod ex Act. IV. *6.* urgent, ubi Caiphas appellatur Pontifex illius anni: Ἦν γὰρ ἀρχιερεὺς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου. *Petavius* id urget admodum: *Licet* inquit, *concedatur ejusmodi Vicarium extitisse, tamen amplius aliquid de hoc loco suspicandum est, quia Act. IV. 6. non sine singulari emphasi dicitur de Caipha: Erat enim Pontifex anni illius.* Similem in modum *Casp. Sagittarius* l. c. §. CXXVIII. *hæc nondum solvunt nodum. Ostendunt quidem, cur Annas Pontifex dicatur, non vero cur* Caiphas *hujus anni salutetur Pontifex.* Enimvero vel ipse modo laudatus Sagittarius ansam & Petavio & sibi ipsi respondendi suppeditat, innuens, anni vocem laxius hic accipiendam pro tempore quovis, id quod a stylo Scripturæ alienum haud est. Sic Es. LXI. 2. Messias prædicaturus prædicitur Annum gratiosum, quod cum strictius paulo explicatum fuerit a Valentinianis de anno prædicationis Christi unico, non solum valde a veritate declinarunt historica, sed & omnibus veri cultoribus pœnas dedere, hinc inde castigati a plurimis. Itaque phrasis nostra non nisi Caipham illo tempore pro Pontifice agnosci jubet, ne quis opinetur unico isto anno hoc munus eum obiisse, dum *Josepho* L. XVIII. cap. III. arbitro 7. successive annis & amplius suæ præfuerit functioni. Conf. *Is. Casaubonus* in Exerc. Anti-Baron. XIII. ad A. C. XXXI. num. VIII. pag. *176.* Reliqua

liqua Hammondi, cum facile ſolvantur, ſtudio prætermittimus.

§. XXV. Palmarium pro tota ſententia momentum ſitum videtur in quæſtione: *An Suffraganei Pontificis munus fuerit perpetuum nec ne?* Qua diſcuſſa & toti noſtræ diſquiſitioni, & doctrinæ de Anna & Caipha ſolidum adſtrui putamus fundamentum. A partibus adverſariorum buccinas inflantes, uno ore perpetuitatem & omnibus quidem viribus ſubruere conantur, omnium tamen accerrime *Vir Celeberrimus* ſæpius a nobis ſupra allegatus non ſolum in Diff. alleg. ſed & in notis ad Cunæum L. II. c. VI. p. 240. Verum quod de Baronio in ſimili judicaverat negotio *Caſaubonus* Exerc. XIII. num. VIII. *ave parum felici, eam enim refellit, quæ omnium eſt veriſſima, imo ſola vera*, quamvis ea noviter non ſint prolata, ſed quæ dudum ante illum præter alios protruſit *Rich. Montacutius* Analect. Eccleſ. Exerc. VI. ſect. IV. p. 221. Non enim putamus ullam nos cogere neceſſitatem, ut a ſemel recepta, vel ob hunc arietem dimoveamur mente, quamvis eſſent in argumentis adverſariorum, quæ ſi non dimovere, in mitiorem tamen quempiam flectere partem poſſent. Militant ſane a parte noſtra Judæorum Doctores, quotquot fere ſunt, uno agmine, & evincit receptus Judæorum Canon מעלין בקדש ולא מורידין *Elevant ſemper ad majorem dignitatem in ſanctuario, non vero e ſuperiori in inferiorem deprimunt*, inculcatus Cod. *Menach.* c. XI. Miſchna VII. *Schekalim* c. VI. Miſchn. c. III. הלכות בית הבחירה; §. XVI. Miraberis vero forſan nos ad Rabbinorum tam ſecure provocare placita, cum probe ſciamus quam acerbe olim & acute punxerit in pari negotio Baronium *Montacutius* Anal. Eccleſ. Exerc. I. Sect. V. p. 60. *Rabbini*, inquit, *euge veritatis illi τὰ παιδικὰ omnium bipedum mendaciſſimi, veritatis hoſtes, homines protritæ impudentiæ, ſtultitiæ plane conclamatæ, eruditionis πεγψήματα*. Ut tamen ſcias optimo jure eo nos provocare poſſe, notes velimus, veri quidem periculum in omnibus ut in nos ſuſcipiamus extorſurum neminem, probe nobiſcum reputantes illud *Chriſoſtomi* in Matth. Μή μοι γένοιτο ἀπὸ τοῦ ψεύδους τὴν ἀλήθειαν συςήσασθαι; interim nec illis nos calculum noſtrum dare, qui cum Menochio Patrum potius in ritibus Judaicis quam Judæorum venerantur teſtimonia aut cum Forſtero quoſvis potius quam Judæos ſequi amant, ſed cum *Cunæo* L. II. de Rep. c. IV. moderate judicamus, *Talmudicorum ac Rabbinorum judicia ſemper apud omnes cordatos magnum pondus habuiſſe, quoties de patriis ritibus eorumque ceremoniis orta fuerit diſceptatio*, inprimis cum noſtra adverſus Virum Celeb. directa hic ſit diſputatio, qui non negat Suffraganeum Pontificis ἐφήμερον in die Expiationis Pontifici vicarium ſubſtitutum eſſe, §. XVI. At niſi & hic quicquam valeret Rabbinorum autoritas, vellem ut id ex Scripturæ fontibus aut exſculperet, aut Vicarium ſemel ἐφήμερον lubricis niti fundamentis agnoſceret. Stemus itaque & hic Rabbinorum judicio, viſuri potiora ab Autore adverſus perpetuitatem Suffraganei poſtulata.

§. XXVI. In fronte militat adductum ab Autore §. XII. depromtum a Suffraganei Pontificis perpetui inutilitate. Saganis, inquit, officio non fuit opus, dum Sacerdotes omnes potuerint victimas mactare, ſanguinem ſpargere; Hi itaque omnes ſubſtitui potuiſſent Pontifici pollutione infecto aut operam indigenti vicariam. Quin, ſi perpetuus Sagan decubuiſſet, aut maculam contraxiſſet, cui uſui munus fuiſſet? Ceſſaſſet profecto, vel Vicario ſubſtituendus fuiſſet Vicarius. Dudum ante Autorem ſuis id ſolvendum dederat *R. Jom Tobb.* ad Cod. *Sanhedrin* c. II. Miſchna I. dum dicit: לאו למימרא דכשר הוא לעבור ביום אחר בפסול אלא דביום אחר אין מצוה בכ״ג ורשאי כהן הדיוט לעבור ואין צריך לממונם תחתיו למלאות מקומו *Non eſt, ut dicas, Saganem legitime ſeſe habere ad miniſtrandum die quovis alio, cum obtigerit Pontifici vitium. Enimvero in die alio non eſt ſtatutum ſummo Pontifici offerre, ſed libere quivis ſacerdos miniſterio obeundo admittitur, neque ſuffraganeo opus eſt loco ejus ſupplendo.* Si quid vero introſpicimus limatius, vim dubio ineſſe nullam comperimus. (1) Quando aſſerit Sacerdotes potuiſſe victimas immolare & ſanguinem aſpergere, verum loquitur, at quando inde concludit, non opus fuiſſe Suffraganeo, fallit, de talibus enim rebus an opus fuerint nec ne, non ex noſtro judicandum ingenio, ſed ex conſtitutione ſacrorum recepta, prout in ſimili negotio argumentatur Autor. §. XVI. In aula Principum multi ſæpe ſunt miniſtri primarii quibus omnibus carere potuiſset Princeps, uno ad minimum vel duobus totum conficere valentibus negotium. Standum profecto hic unice judicio & voluntate Principis. In Synedrio Hebræorum LXXI. erant aſſeſſores, concedere facile paucioribus controverſias dirimi potuiſſe perſonis, Deus ta-

tamen numerum hunc elegit, quod ipsi videretur, quippe in talibus rationes indagare nostrum non est, secundum id, quod modeste quondam pronunciavit Abenesra מחשבות השם עמקו ונבהו לאין קץ *Cogitata Dei profunda sunt, & excelsa sine fine*, apud *Sim. de Muis*. Var. Sacr. ad Num. XIX. Unde (2) Licet sacerdotes gregarii habiles essent qui sanguinem aspergerent, victimas mactarent &c. quæstio tamen redit: an id Pontifice maximo offerente vi statutorum integrum fuerit, ut hic Pontificem sublevare, quum is re jam irrita in medio actu oblationes ad finem perducere non valeret. (3) Nimium quantum metuit Autor, ne si forte decubuisset, ut maculam contraxisset Suffraganeus, alius huic substitui coactus fuisset Sagan, & huic porro alius, haud absimilis in hoc puncto R. Jehudæ, quem referunt Talmudici multis solicitudinum nebulis sese immersisse, ratum uxorem Pontifici M. die expiationis substituendam aliam; satis acute institutum ejus repudiantibus aliis. Legimus hoc Cod. *Joma* cap. I. Mischna I. ר׳ יהודה אומר אף אשה אחרת מתקינין לו שמא תמות אשתו שנ׳ וכפר בעדו ובעד ביתו זו אשתו אמרו לו אם כן אין לדבר סוף *R. Jehuda dicit: Surrogant Pontificem alium uxorem etiam aliam, si forte mortem obeat uxor ejus, quia dictum est: Expiabit pro se & familia sua; Dicitur pro familia, h. e. uxore sua. Reponunt Doctores, si sic se res haberet, statueretur progressus in infinitum*. Nam, ut subjungit *R. Maimonides* ad hæc verba commentatus fol. IV. & Autor פירוש המשניות ad Joma cap. I. fol. LXXX. col. III. לפי שאנו אומרים שמא תמות זאת השנית וכן השלישית וכן הרביעית *Nam & nos sic diceremus: Si forte moriatur secunda hæc substituta, & sic tertia, itemque quarta*. Dicimus: Huic Jehudæ Autorem penitus esse æquiparandum. Nam dum illi uxorem semper urgenti substituenda esset alia progrediendo in infinitum, sic hic metuendum, ne & in casu pollutionis Pontificalis Suffraganeorum subordinatio progressum pareret in infinitum. (4) Tandem Autori insolitum non est defendere Suffraganeum ad functionem vicariam solennis expiationis obeundam electum, & id recte quidem. At cogitet, quæsumus vel hoc ipso hypothesin ejus convelli; aut enim maculam Sagan contrahere non potuit, aut si potuit, vicarius ei substituendus requisitus esset, & huic rursus alius in infinitum usque; Si sic ne tunc quidem opus fuit Suffraganeo, id quod a vero alienum & menti Autoris repugnat indubie.

§. XXVII. Nondum vero infestantium laqueos evasit Suffraganeus noster perpetuus; Ad Josephum provocari videas, idque duplici de fonte. *Si* inquit Autor. §. XIII. *Sagan perpetuus fuisset, notum id fuisset, Josepho. Josepho vero insolens est hoc Saganis munus*. Disquirendum hic esset, (1) quantum argumento a silentio Historicorum tribuendum, & an veritati semper fibulam queat imponere, sed in his diffusi esse nolumus, (2) moneremus nonnulla de Josephi autoritate. Id certum, esse quosdam laudibus eum evehentes maximis, uti *Spanheimius* in Summ. H. E. N. T. p. 19. eum laudans *etiam ut Talmudistis antiquiorem testem, cujus candor, fides & cura in tradenda Historia deprædicari satis nequeat*, non sine causa tamen multorum erratorum in scripturam commissorum & disciplinas Talmudicas reum agit eundem cum Saliano *Joh. Seldenus* L. II. De Synedr. Ebr. c. VI. p. 265. Sed, quid? Josepho præterquam quod insolens sit Saganis officium, argumenta etiam suppeditat Thesin funditus evertentia. Cedo itaque argumenta; Cedo argumenta funditus thesin perimentia! Dicis: *Josephus* L. XVII. Antiqu. c. VIII. *refert Josephum Ellemi filium vice Matthiæ sacrum obiisse munus. Sane his verbis Josephus Saganem refutat. Quid est refellere Saganis munus si hoc non est?* Verba profecto sunt, prætereaque nihil. Rem conferamus. Quænam sunt hæ consequentiarum exuviæ? Constitutus est. E non est perpetuus. Quasi vero is, qui ad officium quodpiam solenne constituitur modo moreque solenni, non possit dici constitutus, licet alias ejus vicarius sit perpetuus, eo ipso dum qui constituitur, ad officium solenne determinatur. Imo vero licet hinc demonstrare contrarium, nondum enim evictum dedit *Autor Clar.* hunc Ellemi f. Saganem non extitisse. *Argumentum*, pergit, *est satis clarum*, verum id, at parvi ponderis, clarum est, sed rem ipsam funditus nondum evertens. *Πρῶτον ψεῦδος* eo redit, quod putet Josephum Ellemi f. Pontificem fuisse Maximum, idipsum si serio putat, fallitur. Aut enim fuit Pontifex cum Matthia, aut exauctoratus, aut Sagan. Non cum Matthia, nam ex mente Talmudistarum אין מושחין כהנים גדולין כאחת Nec exauctoratus, unde enim eum ante Pontificalem dignitatem sustinuisse liquet? E. Suffraganeus. Alterum è Josephi scri-

ſcriniis depromtum petit *Autor* §. XV. Poſtquam nimirum inculcaſſet Pontificatum variis obnoxium olim fuiſſe largitionibus, mirum videri ait, nh. de Saganatu muneribus obtento legi, nec apud Joſephum, neque apud ullum Scriptorem alium, cum tamen Pontifice mortuo Sagani proxima ſpes ſuccedendi ſupereſſet. Reſp. tamen & hic eſt in promtu. (1) Licet non negemus nullum hujus facti injicere memoriam, non negandum tamen propterea illud eſt, ſufficiat omnes illos contrarium, nempe Saganatum nunquam fuiſſe venalem nuſpiam confiteri. Interim (2) probabile eſt, tota Sacerdotii facie in deteriora propendente, hoc etiam officium pecuniæ & largitionibus impervium non manſiſſe, quin *e ſipario prodeuntes ſubinde ſuffraganei vel potius Suffraganeorum ſpecies ac Larvæ ſubornatæ, peracta fabula unde venerant ſe receperint*, ut inſtituto noſtro verba applicemus *Petavii* L. X. Doctr. Temp. c. XLVII. manifeſto augurio, verum eſſe, quod de unctione ſub templo ſecundo ingemit *Iſ. Abarbanel* in Comm. in Proph. pr. p. CXCXVI. col. III. והכהן הגדול מזה היה ראוי גם כן שיהיה נבחר עי׳ נביא עם היות שפעמים היו הכהנים הגדולים ממונים במאמר המלכים *Eadem neceſſitas elegit, ut ſummus Pontifex mediante Propheta eligeretur, licet ſæpius præter omnem morem durante Templo ſecundo per diploma Regum Pontifices conſtituerentur*. (3) Inſignis plane inter affectationem Pontificatus & Saganatus intercedit differentia, & ratione petentium & ratione officium hoc veno exponentium. Saganis officium dignitate licet in ſe ſpectatum excelleret, intuitu tamen dignioris reputabatur inferius; humana vero gloriæ cupiditas altiora potius quam viliora expetit. Ii etiam qui venales offerebant dignitates, ſuprema potius tradebant majoribus redimenda pecuniis, quam viliora, minoribus obtinenda ſumtibus. Denique (4) Suffraganei functio ampliorem requirebat prudentiam & non niſi illis offerri ſueverat, qui alios judicio præpollerent, ejus modi vero officia non tam avide appeti ſolent, quin potius ea, quæ minoribus curis & majori regi geſtiunt autoritate.

§. XXVIII. Achilleum reſtat, & primam ducens aciem, nodus fere Gordius & qui ſolus aptus videretur totam hanc hypoteſin funditus evertendi, effatum puto Maimonidis. Maimon eſt, at quantus vir? Inſpiciamus ipſummet, non, quod Autor facie judicioſo Cunæo cunſiſi, ſed ipſa verba ex limpida haurientes ſcaturigine, probe penſitantes illa *Euſebii* L. VII. Præp. Evang. c. VIII, ὅτω δὴ κατὰ τὸ ἀκόλουθον ἡγοῦμαι δεῖν καὶ τὰ Ἑβραίων ἐκ τῶν παρ' Ἑβραίοις ἀλλὰ μὴ ἀλλοθέν ποθεν ἀποδέχεσθαι. Habentur ipſa in הלכות ערב יום הכפורים c. I. §. III. מתקינין לו כהן גדול אחר שאם יארע בזה פסול יעבוד האחר תחתיו עבר יום הכפורים הראשון חוזר לעבודתו והשני עובר וכל מצות כהונה גדולה עליו אלא שאינו עובד בכהן גדול ואם עבר עבודתו כשרה ואם מת הראשון זה השני מתמנה תחתיו *Surrogant Pontifici Maximo Pontificem alium ut, ſi qua ei obtigeri vitium alter loco ejus miniſterio fungatur. Elapſo Expiationis die, ecce, prior ille ad functiones redit priſtinas, alter vero NB. ſe abdicabat. Et quidem omnia eum Sacerdotii ſummi obligabant inſtituta, niſi quod non miniſtraret more Pontificis Maximi. Quodſi tamen miniſtraverit, functio ejus legitime ſe habet. Priore defuncto alter in locum prioris ſurrogabatur.* Hic locus aliquid habet in receſſu, nos tamen ab hypotheſi noſtra ne latum quidem dimovet unguem. Notamus enim (I) de Suffraganei abdicatione diverſam occurrere Doctorum mentem ex *Cod. Joma* Gemaræ f. XII. col. II. ex parte allegata a *R. Joſeph. Kaaro* in כסף משנה ad hunc *Maim.* locum, ſeqq. verbis: תנו רבנן אירע בו פסול ומינו אחר תחתיו ראשון חוזר לעבודתו שני כל מצות כהונה גדולה עליו דברי רבי מאיר רבי יוסי אומר ראשון חוזר לעבודתו שני אינו ראוי לא לכהן גדול ולא לכהן הדיוט כהן גדול משום איבה כהן הדיוט מעלין בקדש ולא מורידין אמר רבי יוחנן הלכה כרבי יוסי ומודה רבי יוסי שאם עבר ועבד עבודתו כשרה ואם מת ראשון שני חוזר לעבודתו ויש לומר דלישנא דכל מצות כהונה גדולה עליו כולל שני דברים אחד שהוא עובד בכהן גדול שני שהוא אסור בדברים שכהן גדול אסור בהם ורבי יוסי לאפליג עליה: אלא במאי דאמר שהוא עובד בכהן גדול אבל במאי דאמר דאסור בדברים שכהן גדול אסור בהם מודה וכו׳ *Tradunt Dd. Si contigerit Pontifici vitium, & conſtituerint alium in ejus locum; cultu finito redire ad functiones ſuas priorem, alterum vero omnia Sacerdotii ſummi obſtringere inſtituta, ex mente R. Meir. R. Joſe dicit: Prior ad functiones ſuas redit, alter nec ad Pont. M. habilis eſt, nec ad ſacerdotem gregarium quemvis. Non ad Pontificem, declinandæ invidiæ ergo. Non ad ſacerdotem gregarium, propterea quod in Sanctuario mos ferat e dignitate inferiori ad altiorem evehere, non e dignitate ſublimiori in humiliorem deturbare. Profert R. Jochanan deciſum ad mentem*

R. Joſe; aſſenſum præbente R. Joſe. quod, ſi ſuo abdicaverit officio & tamen miniſtraverit, functio ejus ſit legitima; mortuo vero priore; Secundus functionem ejus ſuſcipiat. Dicendum tamen de eo, quod docet, omnia Sacerdotii maximi eum obligare inſtituta, complectitur nimirum id regulam geminam, alteram, quod miniſtret pro Pontifice ſummo, alteram, quod prohibeantur ei omnia, quæ ſummo Pontifici interdicebantur. At vero R. Joſe in hoc non diſſentit, verum in eo, dum dicit, miniſtrare eum pro Pontifice M. amice vero conſentit quantum ad id quod dicit, interdici ei res Pontifici ſummo prohibitas. Videre licet ex diſcurſu prolixo diſcordare inter ſe Talmudiſtas, alio hoc, alio aliud profitente. Propterea tamen nec dum res tollitur e medio. Vel proprio enim Autor edocuit exemplo, ob diſſentientes Judæorum ſententias rem rejiciendam non eſſe, Diſſert. §. V. & VI. comprobans, diſſentientibus licet aliis rem tamen ſervandam, & ſtringentioribus ratiociniis aut majori autoritate inſtructo in re hiſtorica aſſenſum præbendum eſſe. Nihilominus (2) Si Maimonidis mentem expiſcemur, quo ſenſu hæc aſſerantur, conſtabit id tantum velle, Saganem non miniſtraſſe eo modo, quo ante expiationis die Pontificis munia exequebatur maximi. Sæpius quippe contingit, ut quæ limitate explicanda veniunt, ponantur abſolute, ſic tamen ut Lectori alios locos conſulenti diſpareat, hæc limitate accipi debere. *In Cod. Horajoth* c. III. Miſchna IV. inculcant Pontificem M. nec retegere caput nec reſcindere veſtes, non abſolute, ſed non peragi diſſectionem eo modo, quo a Sacerdotibus gregariis, mentem Talmudicorum exponente Miſchna V. & *R. Iſmael* in Theſi exotica apud *R. Joſeph* Kaaro in כסף משנה ad *Maim.* הלכות אבל . c. VII. §. VI. ולא יפרום חיינו לומר לא כדרך שבני אדם פורמים *Ne dilaceret, h. e. ne dilaceret eo modo, quo dirumpere aſſolent homines de plebe.* (3) Denique quod maximum eſt, omnis error in verſione autoris iniqua deliteſcit verborum השני עובר *ſe abdicabat* verſione Cunæo potius cui ſe totum commiſerat quam Autori adſcribenda; Quibus fidiculis id extorqueri queat, non percipimus. Si reddideris: *Secundo ipſi miniſtrante* uno omnis concidit ictu difficultas, cum in accurata editione Veneta & recentiſſima Amſtelod. Maim. non legatur עבר abdicavit, עבד miniſtravit; Annon hæc pro nobis militant non contra nos? Si quid judicamus, Autorem vel non inſpexiſſe remur Maimonidem, vel idem illi contigiſſe, quod olim LXX. Interpretibus literas ר & ד, ſæpe inter ſe confundentibus, teſte Pſ. XIX. 14. ubi pro מזדים reddentes *ἀπὸ ἀλλοτρίων* legerunt מזרים & Ezech. XXXIV. 16. אשמיד reddentes *φυλάξω* legerunt quaſi foret אשמיר. Vid. *Glaſſius* Phil. S. p. 83.

* §. XXIX. Relinquere jam Theatrum noſtrum juberemus Suffraganeum, niſi gemina forent brevibus tamen B. L. indicanda. Alterum quidem, ne nos perpetuum licet agnoſcentes Suffraganeum reos agat illius aſſertionis, quaſi ſtatueremus cum gente Pontificia Chriſto etiam dandum ejuſmodi Vicarium in terris perpetuum, cui ut occurreret J. Nic. occaſionem arripuit defendendi, non dari Suffraganeum perpetuum. Ita enim Schediaſm. præf. *Cum*, inquit, *Chriſtus ſolus & verus ſit Pontifex, qui Vicarium non habeat, merito inde in dubium vocatur Sagan perpetuus Pontificis*

* Commenta quæ excogitarunt Theologi Novatores, ut Sacerdotium, ac Epiſcopatum, ab Eccleſia Catholica amolirentur, jugulata, ac penitus proſcripta inveniet ſtudioſus Lector in diſputationibus ferme innumeris quas adornarunt Catholici Theologi. De hoc argumento egregie tractarunt Petronius Card. Maldonatus de Sacrif. Miſſæ, Onuphrius Panvinus de Primatu Petri, Marcus Antonius Cappellus de Pontificatu B. Petri & Ill. Boſſuetus. Juvat tamen in gratiam & ſolamen Catholici ac pii Lectoris Doctiſſimi Eſtii Apoſtoli verba commentantis proferre, quæ ſatis eſſe videntur ad ſtabiliendam Catholicæ Eccleſiæ vetuſtiſſimam fidem. Si Chriſtus (loquitur nomine Hæretici) idem perpetuo manet Sacerdos, & ſi perpetuum habet Sacerdotium: igitur vicarios vel ſucceſſores in Sacerdotio non habet.

Reſpondetur; Eccleſſim Chriſti nullos agnoſcere Chriſti ſucceſſores in Sacerdotio, ſeu Pontificatu. Nam ſucceſſor is dicitur, qui in alicujus defuncti, id eſt, amoti, vel abeuntis, aut certe demortui locum, officium, poteſtatem ſurrogatus eſt. At Chriſtus ſacerdotio nunquam defungitur: manet enim ſacerdos in æternum. Succeſſorem igitur non habet. Nec ita quiſquam Catholicus loquitur, ſi bene & circumſpecte loqui velit. Cæterum vicarios ejus ac miniſtros tum in diſpenſandis Sacramentis, tum in reliquo officio ſacerdotali, agnoſcimus Apoſtolo dicente: *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*, 1. *Cor.* 4. Per hos igitur qui ſemel obtulit ſemetipſum in cruce, offert adhuc quotidie in eccleſia, pro ejuſdem Sacrificii commemoratione, corpus ſuum & ſanguinem; ſicut & per eos verbum prædicationis, & Sacramenta fidelibus erogat. Quare Sacerdotium Chriſti permanens, ac perpetuum non excludit alios ſacerdotes, modo ſubordinatos. Sic enim Deus, æternus ac ſupremus judex, habet ſuos vicarios ac miniſtros judices, id eſt, per quos Dei judicium exercetur in terris, ſicut dicitur *Deut.* 1. & 2. *Par.* 19. cur non & Chriſtus, æternus atque primarius ſacerdos ac Pontifex noſter; poſtquam receptus eſt in cœlum habet vicarios ſuos Sacerdotes? Hactenus Eſtius. Qui plura deſiderat, legat Johannis Heſſeles Tractatum de Cathedræ Petri perpetua protectione ac firmitate, ubi ex Cypriano aliiſque monumentis probatur Romanum Pontificem eſſe verum Chriſti Vicarium.

cis Hebræorum. Quamvis enim ſciamus falcem a nobis hic in aliam mitti poſſe meſſem, monebimus id ſolum nihil hinc pro Pontificiis fluere ſolatii. Præterquam quod dudum evictum, nunquam ad id conſtitutum Papam, certum etiam Vicarium non ſurrogatum, niſi Pontifici, qui vitio ac labe infici poterat; Chriſtus vero *ἀμίαντος* eſt Hebr. VII. 26. nullo proinde indiget Vicario. Nilque ſic metuas a Pontificiis victoriæ. Alterum eo redit, dicendum nobis fuiſſe pluribus de *ϛρατηγῶ τȣ ἱερȣ* Act. V. 24. inquirendumque an Vicarius Pontificis extitiſſet nec ne? ſed nimium nos Lectorem defatigaremus; inde vel alii occaſioni, vel conflictui rem reſervamus, pauca in multis nos dixiſſe profeſſi. Pauca quæ diximus profecto ſunt; plura quippe ſubactis committimus ingeniis. Pauca audentes in re gravi excuſabit ætas, plura in dies tentaturos dextra potentis juvabit. Ardua ſint non deſperandum tamen. Interea Deo immortali, noſtrorum auſuum moderatori grates decernimus decentes, laudeſque infucatis tribuimus præcordiis.





THEODORI RENALDI TATII DISSERTATIO DE SACERDOTE CASTRENSI HEBRÆORUM.

PRÆFATIO.



SAcerdotem castrensem Hebræorum nostris fere oblivione involutum sæculis e tenebris hisce suis in lucem publicam prodire, propterea vel maxime jubemus: quod sæculi præsentis militaribus rebus inprimis intenti ratio, & veterum recordari militiam, sicque a nostris, quos quotidie oculis obversantes habemus, bellicis Sacerdotibus ad illum, quem modo nominavimus; Hebræorum Ministrum oculos convertere suadeat. Hocque eo magis: cum sicut ministerii Ecclesiastici pacis tempore servientis, ita belli quoque, si non eadem, admodum certe similis apud nos & illos deprehendatur [1] facies. Quam utramque intueri si alterutram rectius velis dijudicare; utile æque ac necessarium recte judicaveris, valente & hic illo כשתשאל על האדם שאל מי רעהו כי כל מעשה האדם כמעשה רעהו *Ex socio nosci, qui ex se non cognoscitur*. Age ergo, ut dignitatem, ut munia, ut reliqua Sacerdotum Castrensium Christianis sacris addictorum cognoscamus: nos iis castrensem Hebræorum Sacerdotem socium damus; huncque illius nomine, ut de parallelismo magis constet; compellamus.

[1] Nos enim a temporibus pacis ad belli tempora hic colligendum putamus: & cum illic totus ordo Ecclesiasticus V. Test. ordini nostro in Novo responderit: ministerium belli V. Test. nostro etiam dissimile non fuisse existimamus; præsertim cum, facta hujus cum illo comparatione, fides nostra multum adhuc firmetur. Ad illud assertum vero quod attinet; digna omnino judicamus, quæ hic legantur, celebris apud Anglos Autoris nomine HUGHES erudita verba: *Every one Knovvs very vvell that the Jevvish Form of Government founded by God himself had Levites, Priests and the High. Priest. It is therefore very consentaneous to Reason that our Saviour instituted a Form of Government also in the Christian Church not altogether unlike this. This certainly is no contemptible Argument of it that almost all the Fathers do vvith one Consent most constantly affirm, that the thing vvas so. Nay that vvhich perhaps vvill have more force vvith our Adversaries St. Jerom himself the most strenuous Advocate for the Equality of Orders (as theyare vvont to boast) does most eagerly contend that Deacons hold the same Rank in the Christian Church vvhich Le-*

vites

vites held in the Jevvish, that Presbyters have obtain'd the same Dignity vvhich the Priests of old claim'd; and that Bishops have succeded in the Room of the High Priest. Vid. Ej. Dissert. 2. prælim. ad Chrysost. de Sacerd. Quorum verborum Latino stilo concepta hæc est sententia: *Cuilibet notissimum est, formam regiminis Ecclesiastici Judaicam ab ipso Deo fundatam, Levitas, Sacerdotes & Pontificem summum habuisse. Unde rationi admodum est consentaneum, Servatorem nostrum itidem formam regiminis in Ecclesia Christiana, dictæ (formæ) non admodum dissimilem instituisse. Id certo argumentum hujus rei non contemnendum est, Patres ad unum fere omnes unanimiter asserere, rem ita se habuisse. Et (id quod plus forte roboris ad persuadendum adversariis assertum nostrum habebit) ipse Hieronymus Patronus æqualitatis ordinum Ecclesiasticorum præcipuus (uti illi quidem gloriari solent) acerrime omnium propugnat, Diaconos eodem loco fuisse in Ecclesia Christiana, quo Levitæ in Judaica; Presbyteros, ejusdem dignitatis, cujus olim Sacerdotes; & Episcopos locum Pontificis Maximi occupasse.* conf. *H. DODVVELL c. IX. Libri* cui titulum fecit. *A Discourse concerning the one Priesthood &c.*

§. I. COmpellamus enim titulo Sacerdotis Castrensis Hebræorum *des Hebraischen Feld-Priesters* quem scriptura nomine הכהן, antiquitas nomine משוח מלחמה in scriptis suis salutavit, non quod singularum vocum vis & significatio eam translationem postulet; (sic enim rectius verbo verbum reddentes Sacerdotem unctum belli dixissemus) [1] Sed quod tituli hi in integra phrasi sibi sint æquipollentes: ita ut, quem Hebræi משוח מלחמה, eum Latini castrensem, Germani *einen Feld-Priester* ex genio linguæ suæ appellent. Nos quoque linguæ cujusque genium sequuti, ut insuper comparem unius & alterius, cum officio dignitatem, insinuaremus: eosdem conjunximus.

§. II. Quaquam vero (ut §. *præcedente* monitum) Judæi omissa priore voce, solis posterioribus duabus retentis, Sacerdotem nostrum frequentissime compellent: [2] nos tamen hoc non obstante, titulum illius exprimere integrum non dubitavimus: maxime, quod vox prior brevitatis gratia a Judæis omissa, subintelligenda tamen semper veniat: de essentia tituli supra adscripti cum sit, siquidem id expresse requirebatur; ut quem sacris bellicis præficerent; is e numero כהנים Sacerdotum unus esset. [3]

§. III. Enim vero illud existimandum plane non est; quasi hic hac voce regius aliquis Minister non præcise Sacerdos intelligendus venire possit: [4] ut sic quemadmodum apud gentes alias, qui orationes excitatorias in castris recitarent; ipsi erant Imperatores: ita hic sacra Imperatorum & Regum vice fungentes præcipui Ministri, maxime e familia regia prognati huic officio admoverentur. [5] Etenim id nec vis vocis secundum famosiorem significatum, qui in quam plurimis locis Sacerdotis est; nec ratio contextus, in quo quippe ea sollicite שרי הצבאות v. 5. & 8. & לשוטרים v. 9. contra distinguitur, nec denique antiquitatis testimonium patitur.

§. IV. Taceo quod vox משוח præcedenti alias combinari plane non potuerit: quandoquidem Reges soli & Sacerdotes, neutiquam vero Regum ministri unctionis ritu ad officia sua fuerint initiati. [6] Licet enim diffiteri nequeam, vocem משח, quæ alias proprie ungere denotat; in generaliori interdum significatu illis etiam tribui qui in dignitate aliqua sunt constituti, per eam metonymiæ speciem, qua signum pro signato ponitur, observantibus id etiam Judæorum Interpretibus: [7] In hoc tamen præsenti Sacerdotis bellici nomine res aliter se habet; ubi proprium obtinere significatum, disertæ RABINORUM expressiones arguunt. [8]

§. V. Neque vero est, ut dicas, hanc ipsam vocem משוח nempe, ex glossemate Rabbinorum frustra præcedenti esse appositam, sicque significatum illius determinare nulla ratione posse. Hoc pacto enim ratio ex ipso contextu desumta §. *superiori III.* adducta adhuc contra te militabit: quin hoc glossema frustra non esse appositum, mirus Judæorum hanc in rem consensus evincet in re a commodis eorum tam aliena, evidens sane argumentum, juxta illud Gentis hujus ἀξιομνημόνευτον, ראוי להלוך אחר רוב הרעות *Æquum est: secundum multitudinem suffragantium ut fiat decisio.* Quod sicubi alias, hic certe ubi innumerus fere suffragiorum numerus; locum invenit. Præsertim, cum, quæ in contrarium adferuntur, ejus non censeantur ponderis: ut ab auctoritate adducta nos facile dimoveant. [9]

§. VI. Juvaret interea omnem dirimerere controversiam vox מלחמה: & fortius ungendi significatum præcedentis vocis in hoc nomine sola determinaret; si quod WILH. SCHICKARDUS *in Jure Regio Hebræorum pag.* 77. asserit; unctionis ritum in bello adeo frequentem fuisse, ut Duces belli etiam extra ordinem ungerentur; suo firmatum talo constaret. Ita autem ille: *Quoniam huic oleo virtutem sanctificandi tribuit Scriptura, ideo etiam extra ordinem illos ungebant, quos res publica in subitaneo periculo Duces belli requirebat: ut hoc signaculo ad fortitudinem animarentur. Unde Maimon. Kel. I. & II. e Massechet Kerituth;* משיחי מלחמה *Uncti castren-*

strenses appellantur. Verum enim vero quanquam nos hoc de Sacerdote hoc nostro verum putemus: de reliquis tamen belli Ducibus, gratis asseri, certo judicamus, si non ex alia, ex eadem, quam supra ultimis §. *III.* verbis inclusimus; ratione, sicque genuinis tantum iis, quas *superior*. §. posuimus; rationibus, pro sublevanda assertione nostra; missis sublestis istiusmodi hypothesibus, tuti cœteroquin de veritate ejusdem: insistimus, inhæremus.

§. VII. Suo nunc Sacerdotem Hebræorum castrensem Titulo salutatum, propius accedamus; ipsumque spectemus. Ut vero spectari hoc accuratius possit: primas ejus in loc. *Deuter. XX. v. 2. seq.* Hebrææ Historiæ Veteris luce collustrato, lineas ductas commonstremus. Enim vero Hebræum, quinam nobis rectius delinearent quam Hebræi? Sacerdotem quid evidentius describeret, si non is codex: qui totum, vivis quasi descriptum dedit coloribus Sacerdotium Hebræum? Bellicum Sacerdotem quis locus accuratius pingeret, si non, qui belli rite gerendi præcepta ex professo tradidit?

§. VIII. Dictum ergo Codicem ut promamus locum ante citatum adponamus; & Mosen Hebræum nostrum Hebraice delineantem per Interpretem audiamus: consultum putamus. Mosis vero in l. c. Interpretis *verba hæc*: כי תצא למלחמה על איבך וראית סוס ורכב עם רב ממך לא תירא מהם כי יהוה אלהיך עמך המעלך מארץ מצרים והיה כקרבכם אל המלחמה ונגש הכהן ודבר אל העם ואמר אליהם שמע ישראל אתם קרבים היום למלחמה על איביכם אל ירך לבבכם אל תיראו ואל תחפזו ואל תערצו מפניהם כי יהוה אלהיכם ההלך עמכם להלחם לכא עם איבכם להושיע אתכם ודברו השטרים וגו׳ *Quum egressus fueris ad bellum contra hostes tuos, & videris equos, currus & populum te majorem: ne metuas ab eis; quia Dominus Deus tecum est, qui eduxit te de terra Ægypti. Quum estis in procinctu ad pugnam: accedet Sacerdos; & loquetur ad populum; & dicet ad eos*. Audi Israel! vos hodie congredimini cum hostibus vestris in pugna: ne ergo mollescat cor vestrum; neque timeatis; neque festinetis; neque paveatis a facie eorum! Quoniam Dominus, Deus vester proficiscitur vobiscum; ut pugnet pro vobis contra hostes vestros; & servet vos. *Præcones quoque loquantur &c.*

§. IX. Cui loco ut ex Hebræorum monumentis lucem fœneremur, Philologia facem præferente & Philosophia: Commentaria Judæorum una cum versione eorundem hisce e regione posita exhibere constituimus. In quibus, ne bardi dicamur a bardis Judæis; si aliter fecerimus: [10] Doctorum Mischnicorum commentationem primo post scripturam loco in concilium provocamus. Sit ergo, quem *cap. VIII. Mischn. Sota* complectitur Commentarius *hic*: *Versio celeberr.* Wagens. *hæc*: משוח מלחמה בשעה שמדבר אל העם בלשון הקדש היה מדבר שנאמר והיה כקרבכם אל המלחמה ונגש הכהן זה כהן משוח מלחמה ודבר אל העם בלשון הקדש ואומר אליהם שמע ישראל וגו׳ על איביכם ולא על אחיכם לא יהוד׳ על שמעון ולא שמעון על בנימין שאם תפלו בידם ירחמו עליכם כמו שנאמר ויקומו מאנשים וגו׳ *Sacerdos ad bellum unctus, quando populum alloquebatur, Hebraice verba fecit. Q. S. E.* (*Deut. XX. 2.*) *Et erit, cum procedetis in prælium, ut accedens Sacerdos (is est Sacerdos ab bellum unctus) alloquatur populum (Hebraice videlicet) & dicat eis: Audi Israel &c. contra inimicos vestros (inquam, expeditionem suscipitis) non vero contra fratres vestros. Non (pugnabit tribus) Judæ contra tribum Simeonis aut Simeonis adversus tribum Benjaminis, ut si in illorum manus incideritis, misericordia erga vos utantur: prout S. E. (2. Chron. XXVIII. 15.) Et surgentes homines quidam &c.*

§. X. Quandoquidem vero caussas e Mischna sola non dijudicandas, sed Gemaræ explicationes insuper in subsidium adhibendas dictitent Ebræorum Magistri, ex trita hac eorum regula; קיימא לן דאין למרין הלכה מפי משנה אלא עם מה שבא בגמרא בפירוש i. e. *Firmiter tenemus, non esse formandam decisionem ex iis, quæ docet Mischna, sed tantum ex Gemaræ explicationibus*: (R. JACOBUS CHAGIS *in* דרכי המשנה Darke Hammischna *p.* 126.) Juvabit hic forte Gemaræ disputationem in Mischnam modo adductam exhibere: Præsertim cum, uti non sine Mischna Legem ita nec sine Gemara Mischnam intelligere plene liceat. Id quod prolixe edisseruit AUTOR *Libri* לב טוב *p.* 75. *col.* 1. qui insuper eadem de caussa Mischnam *das* פירוש *von der* מצוה, Gemaram *das* פירוש *von der* משנה appellat. Itaque accipe, Lector. Gemar. Interp. *Authentica hæc: nostram hanc*: (prout illa leguntur in Talmud. Babyl. מסכת סוטה *cap.* 8. *pag.* 42. *ad verba Mischnæ*: מאי משוח מלחמה וגו׳ קאמר הכי קאמר שנאמר ודבר ולהלן אומר משה ידבר והאלהים יעננו בקול מה להלן בלשון הקדש אף כאן בלשון הקדש תלמוד לומר ונגש הכהן ודבר אל העם

יכול

יכול כל כהן שירצה תלמוד לומר ודברו השוטרים מה שוטרים בממונה אף כהן בממונה ואימא כהן גדול דומיא דשוטר מה שוטר שיש ממונה על גביו אף כהן שיש ממונה על גביו כהן גדול נמי האיכא מלך על גבו בעבודתו קאמר· ואימא סגן סגן לאו ממונה הוא דתניא אמר רבי חנינא סגן הכהנים למה סגן ממונה שאם אירע בו פסול בכהן גדול נכנס ומשמש תחתיו *Quid asseritur? Respondetur. Hoc asseritur. Cum hoc loco dicatur* ודבר *&* *alibi etiam* (nempe Exod. XIX. v. 19.) משה ידבר *Moses loquebatur; Deus vero ipsi respondebat voce. Sicut in postremo loco intelligitur lingua sancta* : (Sermo Ebræa lingua factus) *ita eadem & hic intelligenda erit* (Glossa marg. *quod hoc loco sermo sanctus fuerit requisitus; docetur ex illo loco*. R. S. I. Conf. etiam quæ hic habet Commentarius alter in Gemaram תוספות dictus) *Docent Rabbini nostri. Et appropinquabit Sacerdos ille : & alloquetur populum?* [11] *forte qualiscumque Sacerdos, qui id voluerit?* (appropinquabit: & alloquetur populum) *Resp. Textus dicit*. (statim in sequentibus) *& loquentur* שטרים. (exactores) *Quales ergo* שטרים *nempe expresse præfecti* (huic officio) *talis etiam præcise huic officio præstitutus Sacerdos* (intelligendus) *at forte* (dixeris) *Sacerdotem summum hoc in loco designari*. RESPOND. *Schotero*, (moderatori) *similis requiritur. Nam uti* שוטר *præfectum superiorem agnoscit : sic & talis hic requiritur Sacerdos, qui præfectum superiorem agnoscat*. (*Glossa Solutio hæc est prioris objectionis*. NB. *Judex autem Schotero præfectus est: cum* שוטר *creatus sit ad percutiendum eum, quem judex prosterni & plecti jusserit*) *At vero etiam Sacerdos Magn. Superiorem præfectum, Regem nempe habet*, (inquies)? *Resp. In officio*, (seu ministerio) *suo* (ut superiorem præfectum habeat: requiritur) *At dicam* סגן (Pontificis Maximi Suffraganeum, ad hæc verba proferenda aptum esse: quippe qui & ipse præfectus est; & præfectum superiorem insuper agnoscit) סגן *enim nonne præfectus est? cum traditione constet, dici R. Chaninam Segen Sacerdotum*; (hoc est præfectum Sacerdotum conf. תוספתא ad hunc loc.) *Resp. Cui vero rei præstitutus est Segen?* (constat, eum propterea præfectum esse) *ut quum ei* (Sacerdoti Maximo) *immunditia acciderit; ipse ingrediatur* (Sanctum Sanctorum) *& loco ejus ministret*.

(Gl. *Alio vero tempore, ubi pollutus non fuerit Sacerdos Maximus : huic vicario nulla est præfecti dignitas*. Uberius hæc illustrant תוספות *seq. Omnino præfectus fuit* (סגן) *rebus scil. quibus eum præstituerant Sacerdotes fratres ejus sicut tradunt: Et dixit eis præfectus &c. sed ex lege ipsi præfectura nulla est, aut principatus major præ fratribus Sacerdotibus. Nam illi, non nisi talis præfectura competit, qualis & Amarcalis & Gisbaris* (vid. de his Buxtorf. in Lexic. Talmud) *quos evexerunt fratres eorum*.

§. XI. De reliquo, etsi hæc, quæ hactenus, Judæis auctoribus, prolata sunt, ad illustranda commata Scripturæ (*Deut. XX. v. 2. 3. seq.*) sufficere posse censeri queant: cætera etiam, quæ Judæi tradunt; non tam ad lucem loco citato conciliandam quam ampliandam quid conferant, tamen quia secundum ULPIANUM *L. XCIV. D. de R. I. antiqui : non solent ea, quæ abundant, vitiare scripturas* : præterea vero illa, quæ dicturi sumus; dicendis olim fundamenta præbere possint: allegabo in hanc rem difficillimum & prolixum Gemaræ locum ex TALM. BABYL. מסכת יומא *cap. VII. pag. 73.* illique interpretationem meam qualem qualem a latere ponam, spero, fore; ut ille commentarius non nostrum solum negotium ornet & illustret : sed aliis etiam suo tempore commoda præstare possit. Verissimum siquidem illud quod in ויקרא רבא *ad Eccles. V. v. 9.* inculcatur : אפילו דברים שאתה רואה אותן יתירין לעולם אף הן בכלל הנייתן של עולם הן: *Etiam res illæ, quæ fieri in hoc mundo videntur, superflue & inutiliter; utilitatem suam in hoc mundo habent*. Erit forte; ut, quod nobis vehementer placet; aliis quoque non displiceat. Sic itaque. Exponit vero dicta GEMARA *Mischnam Sota VII. n. 5.* hæc verba. כהן גדול משמש בשמנה כלים וההדיוט בארבעה בכתונת ומכנסים ומצנפת ואבנט מוסיף עליו כהן גדול חשן ואפוד ומעיל וציץ באלו נשאלין באורים ותומים: *Sacerdos summus octo utitur vestibus, Idiota vero quatuor tantum*, nempe, *tunica, femoralibus, cidari, baltheo; quibus superaddit Pontif. Maxim. Pectorale & Superhumerale & Pallium & Coronam* (conf. de his Braunium in aureo *tract. de vestit. Sacerd. Hebr. pag. 545. seqq.*) *quibus induti consuluntur de oraculo Urim & Thummim*. Hactenus Mischna; En tibi Gemaram.* גמ' באלו נשאלין באורי' ותומים כי אתא רב דימי אמר בגדים שכהן גדול משמש בהן משוח מלחמה משמש בהן שנ' ובגדי הקדש אשר לאהרון יהיו לבניו אחריו למי שבא בגדולה אחריו מיתיב ר' עדא בר אהב ואמרי לה כדי יכול יהא בנו של משוח מלחמה משמש תחתיו

תחתיו כדרך שבנו של כהן גדול משמש תחתיו ת״ל שבעת ימים ילבשם הכהן תחתיו מבניו אשר יבא אל האהל מועד מי שראוי לבא אל אהל מועד ואם איתא מיחזא חזי אמר ר׳ נחמן בר יצחק הכי קאמר כל שעיקר משיחתו לאהל מועד יצא זה שעיקר משיחתו למלחמה מיתיבי משוח מלחמה אינו משמש לא בארבעה ככהן הדיוט לא בשמונה ככהן גדול א״ל אביי אלא זר משוית ליה לא ככהן גדול משום איבא ככהן הדיוט משום מעלין בקודש ולא מורידין א״ל ר׳ אדא בר אבא לרבה והאי תנא דלית ליה איבא ולא קא משמש דתני׳ דברים שבין כהן גדול לכהן הדיוט פר כהן משיח ופר הבא על כל המצוה ופר יום הכיפורים ועשירית האיפה לא פורע ולא פורם אבל פורם הוא מלמטה וההדיוט מלמעלה ואין מטמא לקרוביו ומצווה על הבתולה מוזהר על הבתולה מוזהר על האלמנה וחזיר את הרוצח ומקריב אונן ואינו חולק ונוטל חלק בראש ומקריב חלק בראש ומשמש בשמונ׳ כלים ופטור על טומאת מקדש וקדשיו וכל עבודות יום הכיפורים אינן כשירות אלא בו וכולן נוהגות במרובה בגדים חוץ מפר הבא על כל המצוה וכולן נוהגות במשיח שעבר חוץ מפר יום הכיפורים ועשירית האיפה וכולן אין נוהגות במשוח מלחמה חוץ מחמשת דברים האמורים בפרשה לא פורע ולא פורם ולא מטמא לקרוביו ומצוה על הבתולה ומוזהר על האלמנה ומחזיר את הרוצח כדברי ר׳ יהודה וחכמים אומרים אינו מחזיר כי לית ליה איבה בדכותיה בדזוטר מניה אית ליה יתיב אבהו וקאמר ליה להא שמעתא משמיה דרבי יוחנן אהדרינהו ר׳ אמי ור׳ אסי לאפיהו איכא דאמרי ר׳ חייא בר אבא אמרה ואהדרינהו ר׳ אמי ור׳ אסי לאפיה ומתקיף לה ר פפא בשלמא ר׳ אבהו משום יקרא רבי קיסר אלא לרבי חייא בר אבא נימרו ליה מימר לא א״ר יוחנן הכי כי אתא רבין אמר נשאל איתמר תני נמי הכי בגדים שכהן גדול משמש כהן משוח מלחמה נשאל בהן Gem. *In hisce* (vestibus) [12] *consuluntur de oraculo Urim & Thummim. Quum supervenit* (huic discursui) *R. Demai: dixit: Vestibus, quibuscum Pontifex summus sacerdotio fungitur; iisdem etiam Sacerdos Castrensis ministerium peragit* (Sanctuarium & ipse octuplici indutus veste ministerii caussa ingreditur) *Q. D.* (Exod. XXIX. v. 29.) *Et vestes Sacerdotis Aaronis erunt etiam filiis ipsius post eum* (servientibus) *in usu* superfluum quum hic videatur ת״ד אחריו mysterium celare quoddam; subsumitur, & includere dignitates omnes, semini Aharonis post eum in ordine servienti, tribuendas. Qualis etiam, & quidem præcipua post S. Sacerdotem Sacerdotis Castr. dignitas est) *Regerit R. Adda bar Ababba: At dicent alii: Forte sic possibile erit; ut Sacerdotis Castrensis filius itidem loco ejus servitia sancta præstet:* (succedendo patri) *quemadmodum filius Summ. Sacerdotis in locum patris sui defuncti aliquando succedit* [13] (Forte dignitas Sacerdotis castrensis hæreditaria erit; ita ut filio ipsius in successionis ratione præ omnibus aliis sit prærogativa: æque ac res se habet cum filio Pontificis Maxim.) *Resp. Scriptura rem decidit verbis statim sequentibus: septem diebus induet eis* (vestibus) *Sacerdotem ex filiis ipsius in locum illius succedentem, qui tentorium conventus ingrediatur, h. e. qui dignus est, ut illud ingrediatur* (die expiationis sollemni, qui ipse erat Sacerdos Maximus. Quo ipso adeo ille excluditur cui non convenit, sanctuarium ingredi quoniam summus Pontifex non est) *At vero, si res ita se habet*: (ut ante asserebatur, octo scilic. vestimentis per annum integrum servire Sacerdotem Castrensem) *dignus utique etiam videtur* (ad hoc, de quo nunc disceptatur; nempe, ut Sanctum Sanctorum ingrediatur; cum scriptum sit de die expiationis, *& expiabit Sacerdos, qui unctus est, & cujus manus impleta fuit*; Quæ impletio manuum mediantibus vestibus facta censenda est, secundum illa loci jam adducti: *Et vestimenta Aharonis erunt etiam filiis ipsius &c.*) *R. Nachman pronunciat* (rem totam omni disceptatione remota ita se habere) *cujus unctio pro fundamento habet ministerium tentorii; eum etiam tentorii rebus præesse, & Sanctum Sanctorum ingredi: cum hoc vero, qui unctione sua ad bellica negotia expedienda destinatus est; rem aliter sa habere* [neque eum alienis se posse immiscere negotiis] *eum non nisi in bellum se conferre. Regerunt alii. Sacerdos Castr. non octo vestibus indutus ministrat instar summi Pontificis, neque tamen etiam quatuor solum, idiotæ exemplo?* (quid igitur fiet de illo?) *Resp. ipsis Abbai,* Α'νόμαλον *illum reputandum esse, & plane singularem in reliquis Sacerdotibus personam; non pro Pontifice Maxim. haberi eum posse vitandæ invidiæ caussa, neque pro vulgari Sacerdote etiam: eo quod quidem ad dignitates superiores evebantur in Sanctuario: non vero ab illis iterum deturbentur* (ut adeo hic etiam Sacerdos ad uncti honores semel admissus deinde rursus ad gregariorum classem, relegari non possit) *In mentem revocat* (interea) *R. Adda bar Abba, illum Doctorem Mischnic.* (qui volebat) *non metuendam esse Pontifici Maximo hujus invidiam: cum*

ipse

ipse octo vestibus non ministret, traditione ita ferente. Hæc illa sunt, quæ discrimen faciunt inter Pontificem summum & gregarium Sacerdotem, juvencus Sacerdotis uncti [14] *juvencus ob errorem Pontificis Maxim.* [15] *& juvencus diei expiationis* [16] *nec non decima pars Ephæ.* (in dies a Pontifice offerenda) [17] *Deinde etiam nec vestes scindebat* (in luctu) [18] *nec caput suum denudabat:* [19] *sed hic* (P. M.) *vestes discindebat inferne; cum Sacerdos gregarius superne* (circa humeros) *id faceret. Præterea propter propinquos suos defunctos se minime polluebat:* [20] *tenebatur itidem præcepto affirmativo de ducenda virgine, & contra interdicto, de non ducenda vidua:* [21] *morte etiam sua homicidam ex urbibus refugii liberabat:* [22] *offerebat porro* (sacrificia) *in luctu:* (licet de oblatis non comederet) [23] *neque etiam dividebat Sacrificia;* (in portiones, eo fine; ut vesperi comederentur: cum, cui comedere non licebat eo die; ei nec ad comestionem sacrificia in portiones dividere, concessum esset) *portionem præterea primus accipiebat: primus etiam suam partem offerebat:* [24] *octuplici amictus vestitu serviebat; liber deinde erat ab immunditie sancti & sanctitatum:* (sic ut eis in ministerio suo non pollueretur) *denique neque ministeria diei expiationis per alium præstari juste poterant, nisi per ipsum. Quæ omnia, vestibus honoratum sacerdotem* (oleo S. in templo secundo deficiente) *æque concernunt, excepto unico juvenco pro peccato ex errore* [contra præceptum aliquod ex negativis] *commisso* [25]. *Conveniunt itidem omnia illa in unctum, qui remotus est* [ab ordinaria functione Pontificis Maxim. in cujus locum propter pollutionem, quæ ei obtigerat die expiationis; erat suffectus, hac conditione; ut hic deinceps rediret ad officium suum; ille abdicaretur] *excepto tamen juvenco die expiationis offerendo, & quotidiana Pontificis Maxim. oblatione decimæ partis Ephæ* [quippe quæ fixum sunt debitum unius personæ, non plurium, Script. teste. [26] *Neutiquam vero illa omnia in Sacerdotem Castr. conveniunt, si non quinque illa in textu citato memorata: Non crines alat: non rumpat vestes* [in luctu] *neque cognatorum caussa se polluat: item, quod de virgine ducenda, & non ducenda vidua præceptum exstat: quodque morte sua homicidas in pristinas sedes restituat secundum mentem R. Jebudæ. Cui tamen sapientes alii contradicunt, asserentes, cum non restituere homicidas, hac moti ratione: quod ipsi a parte æquali is nulla exoriri possit inimicitia: a parte inferioris licet locum habeat:* (ille enim Sacerdos qui cesserat Pontifici Maxim. dignitate ipsi erat æqualis. Unctus belli vero, cum dignitate illo esset inferior; inimicitias ejus non experiebatur.) *Sedit R. Abbu in auditorio quodam; & hunc discursum* [R. Demai, de quo Gemar. in initio : כי אתא ר' דימי] *nomine R. Jochananis propalavit. Qua de re ipsi R. Amme & R. Asse in faciem contradixerunt* [falsum esse perhibentes, hæc talia a R. Jochanane esse asserta] *volunt tamen alii, R. Chaijam bar Abbæ hæc protulisse; hos vero illi contrarios fuisse; Id quod etiam R. Papa verbis suis confirmat, inquiens: Absit: ut hæc de R. Abbu dici possint propter existimationem, qua is apud Regem erat* [quis enim summe honorato ab ipso Rege, qualis R. Abhhu, tam impudenter contradicere ausus fuisset?] *Sed utique esse potest, eos R. Chaijæ bar Abba hæc regessisse:* (quæ antea sunt allegata) *Non dixit ea R. Jochanan.* [His ita inter se invicem disceptatis] *Cum tandem superveniret Rabbin; litem composuit, dicendo. Dictum fuisse* [loco vocis משמש] נשאל (consulitur) *Id quod etiam genuinæ traditioni consonum sit, quæ sic se habet: Vestibus, quibuscum ministerio fungitur summ. Pontifex; in illis de Urim & Tummim Unctus belli consulitur.*

§. XII. Hactenus loco *Deut. XX. v. 2. 3. 4. seq.* historica commentatio Ebræorum lucem conciliavit: commentariis philologica interpretatio facem prætulit: & jam in luce aliqua ex una parte versari, discussis spissioribus tenebris, Sacerdos noster videtur: interim non minor claritas est, quæ ipsi ab altera parte, Philosophia facem suam admovente, oritur. Est equidem [fateor] lumen hocce modo mutuatitium, quale Lunæ respectu Solis est; nihilominus clarissimum: ita quidem, ut ad ejus ortum tenebriones hi, qui contra Solem Philologiæ illustrissimum loqui audent; evanescant: & suas, quas amant, quibusque se abscondant; ignorantiæ tenebras repetant. Age ergo, accendam illam facem! Quomodo vero? Philosophico quodam de hactenus disputatis, judicio. Tu vero, Lector, ad hanc lucem cæcutire nolis: quin potius oculos aperias: & ubi philosophandum etiam in Philologia intellexeris, sereniori fronte nostrum hocce [de-

properatum licet] judicium philosophicum contuearis !

Judicium Philosophicum hoc.

I. E Scriptura sacra certa de sacerdote bellico nostro peti possunt indicia : & certum quendam ex numero Sacerdotum aliorum, gregariorum puta, qui officio illius fungeretur; electum; ritibusque atque cæremoniis sollemnibus inauguratum fuisse, tuto ex phrasibus Script. colligi potest. Idque quod ad primam assertionem, ex ipsa textus inspectione constare, quod ad alteram vero & tertiam per Judæorum adducta commentaria sufficienter probari potest. Recte enim illi argumentis a pari concludunt, quemadmodum שוטרים illi, quorum in textu fit mentio; certi quidam ex aliorum numero electi intelligendi sunt : intelligendum etiam per הכהן certum quendam ex numero gregariorum, Sacerdotem: maxime cum nec Pontificem summum nec Segen e classe superiorum posse intelligi, evicerint; insuper vero ה emphaticum habeant, quod huic voci non otiose præfixum urgere potuerint. Quo digitum intendere videtur R. LEVI BEN GERSON *ad locum citatum* scribens ; הכהן המיוחד לזה *Sacerdotem specialiter ad hoc munus designatum*, intelligens : & *Raschi ad Mischn. Sota cap. VIII.* verba משוח מלחמה hæc nota illustrans: כהן שנתרבה לכך שנאמר ונגש הכהן Id quod utique ה demonstrativum hic indicare videtur, cujus in se spectati emphasis licet nunc eousque extendi non possit; ut unctum etiam peculiari modo Sacerdotem nostrum probet : eo tamen nos facile deducere potest: ut colligamus, singularem officii rationem, singularem etiam inaugurandi modum, rituumque sollemnitatem postulasse. Quod probandum erat.

II. A Judæis in rem hanc uno ore conspirantibus clara satis & sufficientia haberi possunt testimonia. Consequenter factum omne, uti relatum ab illis bona fide est : credi etiam bona fide debet.

III. Creditum etiam sine dubio fuisset : dummodo Judæi hoc in negotio simplici historica narratione contenti, rem, uti gesta memoria Patrum suorum fuerat ; referre nude voluissent. Nempe sic: *Bello ingruente certum quendam e numero Sacerdotum aliorum a Synedrio evocatum, cui munia sacra in bello concrederentur, fuisse; iisque illi sollemniter demandatis, ut ea cum auctoritate eo majori excerceret, a nemine in excercitio eorum impeditus: unctionis eum ritu, vestium numero & aliis, peculiariter consecratum fuisse : idque Patres suos ex Scripturæ Deut. XX. præscripto se agere, existimasse.* Illa certe sola, (nisi me omnia fallunt) rei gestæ fidem sufficientem fecissent: cum tam parum deceat, in rebus historica fide relatis, Judæis PP. fidem denegare, quam parum id, doctissimus Hughes in Anglia notus, in lectione Patrum Græcorum & Latinorum decere existimavit. Quin potius, uti in eorum lectione distinguendum inter ea est, quæ ut Historici nobis referunt ; in quibus eis quippe testibus fidissimis credendum, [27] & ea, quæ privata quadam auctoritate stabiliunt, certis quibusdam inducti rationibus, quæ ipsorum propria æstimanda ac ad Scripturæ normam sunt dijudicanda : ita & in horum, puta Judæorum, lectione, idem, cum ratio sit eadem ; observandum erat.

IV. Cum vero illi ex superabundante, (pro more suo in rebus historica fide relatis & aliis) ad minutissimam quamque circumstantiam Script. testem compellaverint: fidem hoc majorem se facturos arbitrati; fidem immerito licet amiserunt, vanis de caussæ malignitate suspicionibus locum præbentes. Immerito dico; ego enim, si qua alia certa apud Judæos exstat traditio, hanc incertam pronuntiare cum AUTORE DE L' HISTOIRE DES DOGMES ET DES CULTES DE L' EGLISE, [28] non ausim: multo minus ob unam vel alteram circumstantiam, dubiis quibusdam involutam, de veritate facti ipsius ambigendum existimarim. Digna scilicet est, quæ hic observetur regula, ab AUCTORE GALLO [29] *dans Sa methode pour etudier l' histoire pag. mihi* 415. *inculcata. Quand un fait suffisamment ateste & combatu per des inconveniens & des contrarietes aparentes avec d' autres histories: on se doit contenter de la possibilite & de la vraisemblance.*

V. Summatim omnia complectar, & quicquid sit de aliorum judiciis, factum hocce in rebus sacerdotem bellicum concernentibus, avita traditione acceptum; & fide historica a Judæis, votis pariter & vocibus consentientibus absque commodi alicujus intuitu relatum a Scripturæ relatione non alienum, quin potius illi, velut fundamento firmissimo superstructum; difficultatibus licet, (ut ingenue, quod verum est, fatear) in circumstantiis quibusdam laborans, verum

rum judico: & credi absque credulitatis nota posse, quin & debere existimo; idque eo, quod plura ad probandam & asserendam historiæ cujusdam veritatem requiri non posse criteria, confido. Plane digna sunt, quæ hac occasione serio considerentur acutissimi Halensium Philosophi & Mathematici CHRISTIANI WOLFFII, profunde docta effata, quorum sententiam complectitur *in den vernunfftigen Gedancken von den Krafften des menschlichen Berstandes cap.* X. §. 3. *p.* 151. *coll.* cum *cap.* VII. §. 5. *6. pag.* 124.

Hæc hactenus Sacerdotis bellici nostri juxta Scripturam Sacram ex monumentis Hebræorum huc translata fuit delineatio. Satis quidem illa rudis atque indigesta: quam tamen a Rabbinis methodi nostræ leges nescientibus exspectare aliam, aut desiderare vix poteramus; quamque nos eam potissimum ob caussam, qualem invenimus, talem reliquimus, ut de versionis exactitudine ex contextus integri nexu melius constaret: neve discerptis difficiliorum horum Talmudis textuum particulis, hinc inde cum versione adductis, textus vel corruptionem, vel non rite adornatam interpretationem suspicandi querendive aliis ansam daremus. Quod consequutos nos, hac ratione facile speravimus: ubi collata textus Talmudici quæ sedes materiæ est (integri) cum ejusdem authenticis verbis, versione; judicium quoque fieri integrum, resque ad amussim potest examinari. Obversabatur etiam animo illud ARIST. *ad Nicom. VII.* §. 48. Δεῖ ἴσως ὑποτυπώσεσθαι πρῶτον, εἶθ' ὕστερον ἀναγράφειν. *Primum forte oportet, rem rudi calamo informare, post debitis coloribus expolire & illustrare.* conf. PHILOPONUM in *prim. Phys. c.* I. qui rem exemplo pictorum effigiem quandam primum adumbrantium & delineantium, dehinc verro penicillum per easdem lineas denuo ducentium, omniaque accuratius distinguentium, illustrat. Promittimus enim & nos, (id quod pictores faciunt materia hac omni accuratius digesta, reliquisque e collectaneis nostris allatis, Defendentes muneri illi pares nacti, imaginem Sacerdotis nostri vivam magis & integram adornaturos; sequentiaque potissimum CAPITA, ἐὰν ὁ Θεὸς θελήσῃ καὶ ζήσωμεν, expedituros.

I. De iis, qui munus hocce Sacerdotis Castrensis apud Hebræos olim gesserunt, quorumque adhuc in Talmude & Scripturis memoria extat.

II. De qualitatibus ad id munus requisitis.

III. De electione illius, & electi inauguratione cum pertinentibus eo solemnitatibus & cærimoniis.

IV. De auctoritate & dignitate ipsi hisce ritibus collata, privilegiis itemque & juribus.

V. De officio illius & annexis, habitaculo, salariis &c.

VI. Caput consectariorum vice variis Scripturæ locis ex superioribus lucem accendet.

VII. Sacerdotis nostri Vet. Test. in novo Fœdere Antitypum quæret & constituet.

Quibus in capitibus, sive aliquid omissum, sive non justo locatum ordine adverterint alii: id, velim, confidenter moneant, aut etiam, si in ipsa dissertatione, ea quæ hisce capitibus fundamenti quasi loco hic sunt supposita, vacillare existimet, velim opponant. Enimvero committere nolumus, et fundamentis male positis sua ipsius mole ruiturum superædificasse ædificium olim dicamur: qui non nobis ipsi, sed aliis sed posteritati ædificamus.

[1] Vox כהן enim est a radice deperdita כהן in cujus literarum ductibus actum ministerii personæ se præsentissime ad res Domini sui adplicantis cernere licet, כ curvatura sua extremitatibusque ad invicem inclinatis, unius ad aliud adplicationem; littera ה figura sua ר & in eo lineam vetustiori Aleph consimilem, significatu suo præsentissimum statum (qualis ejus, qui jam in portis & præ foribus est; esse dicitur) ן vero figura sua propaginem aliunde derivatam, significatu possessionem alterius delineante; omnibus vero junctim sumtis præsentissimam adplicantis se ad res alterius occupationem (voce dicam: Ministerii actum) imagine pulchra adumbrantibus. Est huic radici confinis Arabum كهن quæ excellentissimum ministrandi actum, muneribus Sacerdotii, Numinisque consultatione seu divinatione peractum pingit: & proinde Arabibus utrumque & præsagire & sacerdotio fungi significat. Hunc significatum radicis vox derivata apud Arabes كاهن Syra ܟܗܢܐ Chaldæa כהנא & Hebræum כהן ubivis fere retinent, non nisi quibusdam locis (quæ KIMCHIUS in suo ספר שרשים p. 58. colum. 229. generaliori ministrandi significatui addicta voluit) exceptis. Vox משוח originem trahit a radice Hebr. משח unxit. Unde etiam cognata משיח & משוח. De quibus omnibus KIMCHIUS in ספר שרשים *pag.* 73. *columna* 290. כלם ענין משיחה בשמן או בזולתו וידוע הוא *omnia illa significatu unctionis oleo factæ, aut alia quacunque materia, adhibentur: quod notum sane est.* Quidni vero? Notissimum utique: & non solum communi sciendi more notum, sed literarum mysteria scrutanti, per excellentiorem & firmiorem cognitionis gradum notissimum, radice משח ideam rei alienis terminis contentæ celeri motu effusæ, impressis alteri ejusdem characteribus, oculis intuentium statim offerente, quin in ductibus literarum singulis repræsentante. Littera מ enim figura sua matricem fœcundam symbolum illius, quod liquida intra se continet suo tempore effundenda, ש dentem triplicatum,

motu concitato pungentem, celerrimi motus ſymbolum, (qualis in liquidis) ח jugum aculeatum, tundendo conjungendove aptum figura exprimit: notione exterius inprimere, copulare importat. Pulchra cum hac voce harmonia conſpirant Arabum مسيح unde مسح Græcorum *μίσγω* unde *μίγνυμι*, Chaldaic. & Syr. משיח משח. Vox מלחמה a לחם quod comedendi, conſumendi ſignificatu in ſcripturis paſſim venit (confer. Proverb. 4. cap. v. 1.) quem ipſum prævia literarum conſideratio monſtrat; ל ſtimuli rem unam verſus aliam dirigentis referente figuram; ח (uti dictum) jugi aculeati, res diverſas copulantis conjungentiſve; מ fœcundæ matricis recipientis & egerentis imaginem ſiſtentibus. A quibus ſi notiones juſte abſtrahas; abſtractas componas: vocem habebis, quæ lingua cibos intra dentes comminuendos dirigere, inque alvum fœcundandi hominis cauſa egerendos deinceps intromittere (quod comedentis eſt) ſignificat. Unde per litteras ה״מ ex האמנתיו auctum præformatumque nomen noſtrum מלחמה ſex vocibus (doctiſſimo LOESCHERO *libro de cauſſis linguæ Hebrææ pag.* 413. id obſervante) ſtipatum: ferro & igne omnia conſumens bellum ſignificat; uti non vane conjectat KIMCHIUS *lib. cit. pag.* 65. *columm.* 260. verbis: והכלל כי כל־לחם ענינו מאכל וכן מזה הענין מלחמה ליהוה לפי שיש במלחמה מאכל החרב מזה ומזה Quorum hæc eſt ſententia: *Regulæ inſtar habendum eſt: quod ubi vox* לחם *occurrit; ſignificatu cibi veniat. Quo in ſignificatu accipienda hæc ſunt, Exod. XVII.* 16. מלחמה ליהוה *bellum Domini: quoniam in bello quicquid hoſti obviam eſt; id cibus gladii undique eſt.* Quod aptiſſime congruit cum verbis Scripturæ 2. Sam. II. v. 26. הלנצח תאכל חרב emphatice a Luth. ſic verſis: *Soll denn das Schwerdt ohne Ende freſſen?* Dictioni huic conſona eſt Arabum لحم (de qua EDMUND. CASTELLUS *in Lexico Heptagl. & Golius in Arabic.*) Græcum *λαιμάω*, *λιχμάω*, *λάχανον*, *λάγανον*. Syr. ܠܚܡ unde ܡܠܚܡܐ minæ.

² Frequentiſſima eſt apud Judæos hæc appellatio & ubivis in ſcriptis eorum locis de hoc Sacerdote agentibus obvia; conf. ſaltem מסכת סוטה cap. VIII. & מסכת הוריות folio XII. MAIMONIDE in הלכות מלכים ומלחמה cap. VII. ſcribente: *Tempore belli præficiunt Sacerdotem, qui loquatur ad populum tempore belli; & eum ungunt oleo unctionis, & hic eſt, qui vocatur* משוח מלחמה Adde huic, omnes, loci Deut. XX. v. 2. Hebræorum Interpretes.

³ Hinc MAIM. *tractatu* מלכים *cap. VII.* ממניך כהן לדבר אל העם־והוא הנקרא משוח מלחמה *ordinant SACERDOTEM, ut loquatur ad populum* (paucis deinde interjectis) *& hic ille ipſe eſt quem vocant Unctum belli.* Conf. R. MOSIS KOTZENSIS ס״מג *p.* 192. *c.* 4. & *R. S. J. in Gloſſa ad Miſchn. Sot. c. VIII.*

⁴ Negari nequit, voce כהן Miniſtrum etiam Regium, non ſemper Sacerdotem (quod GUSSETIUS *in Commentariis linguæ Hebrææ pag.* 365. voluit) deſignari; Idque ex formali ſuæ radicis כהן ſignificatu, quem illa cum græca voce *κονέω* & *διακονέω* cognatis ſuis habet communem. Sic locum 2. Sam. XXV. 26. וגם עירא היארי היה כהן לדויד a Luth. Germanice redditum, *dazu war Ira der Jaïriter David Prieſter*; KIMCHIUS l. c. contra expoſuit: עוזרו ובעל עצתו *Miniſter ejus & Conſiliarius Intimus.* Vocabulo vero כהן generalem miniſtrandi ſignificatum (ex literis ſupra erutum) aperte adſcribit quando recenſitis plurimis Script. S. locis hanc vocem continentibus ita pergit: כלם בענין עבודה בגדולה כי הכהנים היו עוברי השם וראשי העם h. e. *in omnibus illis locis vox* כהן *Miniſterium cum dignitate quadam conjunctum ſignificat. Nam* הכהנים *Sacerdotes erant miniſtri Dei* (in functione ſua) *& capita* ſ. præcipui *populi*. (quod ad dignitatem eorum.) Paucis deinde interjectis apertius eadem eloquitur ſequentibus: וכל עובר נקרא כהן *Omnis vero Miniſter ſtilo Scr. Coben* ſ. Sacerdos *dicitur*. Quæ omnia licet ita ſe habeant ABEN-ESRÆ etiam *in notis ad Geneſ. XIV. v.* 18. *XLI. v.* 50. it. *Pſal. XCIX.* 6. BUXTORFFII (*in Lex. Bibl. p.* 353.) *& aliorum a PFEIFFERO in Dubiis Vex. p.* 621. citatorum ſuffragiis comprobentur: neſcio tamen; an recte locum Pſ. CX. v. 4. אתה כהן לעולם per ſequentia huc tractum, appoſuerit, generaliori ſignificatui, vocem כהן ibi occurrentem adjudicans, hoc commentario: אתה כהן לעולם כלומר עבד יהוה וראש ישראל על־דבר שאתה מלך צדק כמו שהכהן הוא ראש לעם. Quicquid interim ſit de hoc loco; illius expoſitio, ante adductis nihil præjudicat; quippe quæ nobis (ut verum fateamur) admodum ſatisfaciunt: ita quidem, ut SPENCERI *in diſſ. de Theocratia Judaica cap. V. Sect.* 1. *pag.* 335. adducta obſervatione, qua miniſtrandi ſignificatu nondum contentus accedendi & appropinquandi notionem in ſubſidium vocavit; carere nos ſine minimo noſtro incommodo poſſe exiſtimemus. Id quod hac occaſione monere tantum, alias fuſius monſtrare & ad dubia illius reſpondere apud animum conſtituimus. *Quod autem Miniſtri aulæ primarii, intimi, & Magnates titulo pariter Sacerdotum nonnunquam in ſcripturis inſigniantur: id fit exinde: quod in uno tertio conveniant. Quod enim Sacerdotes agunt apud Deum, intercedendo & offerendo pro populo; id & illi apud Regem, Populi libellos ſupplicationum & donaria offerendo.* Verba ſunt *HENR. BENED. STARKII in* ביאורי המקרא ſiv. *Notis ſelectis in loca dubia &c. pag.* 151. *in annotat. ad* 1. *Reg. IV. v.* 2. quas omnes hac occaſione legendas & relegendas lectoribus noſtris commendamus. Contingere etiam potuit; ut, cum Sacerdotii & Imperii, tum apud gentes reliquas, tum apud populum Iſraeliticum olim eſſet conjunctio ita, ut Sacerdos ſummus ſupremus etiam Regni Præſes ordinarie ſtatueretur vel ſecundum alios Princeps inſimul ſacrorum curam gereret; dehinc vero res regni moderandæ Pontifici ſummo ſubtractæ peculiari cuidam perſonæ commendarentur; huic etiam hujuſque Miniſtris cum dignitate priſtinum etiam nomen ceſſerit aut contra. Lege omnino clariſſimum SPENCERUM *libro de legibus Hebræorum ritualibus diſſ.* 7. *de Urim & Thummim cap. VI. p.* 1392. *& pag.* 1402. *ſequ.* conf. etiam M. JON. *Krumbholzen libellum*, cui titulus: *Sacerdotium Hebraicum cap.* 1. *de ſummo Sacerdote pag.* 8. *D. Hickes pag.* 263. *Tract. de Sacerd. Chriſt. of the Chriſtian Prieſthoodt* itemque SCHINDLERUM *in Lexico Pentaglotto ſub voce* כהן nec non EDMUNDUM CASTELLUM *ſub eadem dictione*. Agmen claudat AUTOR elegantis *de Sacerdotio cum Regimine conjuncto Diſſertationis* M. BONAVENTURA *Rieſch*.

⁵ Primum quod attinet, Alexander, Julius Cæſar & alii frequentes ejuſmodi orationes proprio in caſtris ore dixiſſe feruntur. CURTIUM hic velim Autorem facundiſſimum & elegantiſſimum audiamus, cujus hæc ſunt de Alexandro *lib. III. cap. X. pag.* 79. *edit. Ultrajectinæ an.* 1685. *Alexander ante prima ſigna ibat, identidem manu ſuos inhibens, ne ſuſpenſi, acrius ob nimiam feſtinationem concitato ſpiritu capeſſerent prælium, cumque agmen obequitaret, varia oratione, ut cujuſque animis aptum erat, milites adloquebatur. Macedones, tot bellorum in Europa victores &c.* Similem ejuſdem orationem lege apud eundem *lib. VII. cap. III. ab initio*, & apud JUSTINUM *lib. XII. cap. III. n.* 23. C. Julii Cæſaris ad militem ſermones Commentaria illius habent conf. *Libri illius, opera Arnoldi Montani illuſtrati. Edit. Elzevir A.* 1661. *p.* 42. 45. *lib. I. de Bello Gall. it. p.* 646. *L. III.* conf. ibid. *p.* 663. Germanici ad milites orationes legere potes in C. CORNELII TACITI *Annal. lib. II. pag. mihi* 30. *&* 39. Agamemnonem milites verbis ſuis cohortantem audire potes apud HOMERUM *Iliad.* Δ *v.* 234. e quo plura hanc in rem teſtimonia collegit EVERH. FEITHIUS *in Antiquit. Homeric. lib. IV. c.* 14. *p.* 3834. *Tom. VI. Theſaur. Antiquit. Gronov.* Quales tamen aliis etiam demandatas & Hiſtorici volunt, & R. ABRAHAM *Medicus* Autor libri שלטי הגבורים *fol.* 36. *col.* 1. de Romanis diſerte adgnoſcit his verbis: הרומיים לא עשו בלבד בחנייות המחנות כפי לימוד התורה אלא בקרבם

בקרבם אל המלחמה הלכו מכל וכל בעקבות התורה
והעמידו להם אנשים חכמים ונבונים שידברו באזני
העם דברים טובים ונכוחים לחזק את לב הירא ורך
הלבב פן יהפך עורף ולא פנים לאויב וימס לב אנשי
המלחמה כלבבו כנראה בספריהם בסאלוסטיאו וטיטו
ליביאו וסיעתם h. e. *Romani non tantum in castrorum metatione secundum Legis divinæ instituta procedunt, sed bellum jamjam inituri in singulis fere Legis nostræ vestigia premunt. Ordinant enim viros sapientes & prudentes, qui milites verbis bonis & scitis alloquantur; ut animum timentibus & pavidis adderent: ne terga potius quam vultus hostibus darent; atque sociorum corda secum perterrefacerent; prout ex Sallustio, Tito Livio & aliis ejus generis Scriptoribus apparet*. Confer. *Homer. Iliad.* Δ. *v.* 286. *Jul. Cæs. Lib. VII. p. m.* 329. Quod alterum concernit; illi (qui e familia Regia ortum trahunt) titulo כהנים in specie condecorantur: si intimorum Ministrorum vices agant. Nam filii Davidis, qui 1. *Paralip. XVIII. v.* 17. הראשונים ליד המלך *Principes Ministri Regis latera claudentes* dicuntur: rursus 2. *Sam. VIII. v.* 18. voce כהנים sola condecorantur, Syro utrobique ܪ̈ܘܪܒܢܐ *Principes*, Arabi كبيرون *Proceres* Chaldæo רברבין Septuag. Interpret. vero priori loco Πρῶτοι διάδοχοι τῶ Βασιλέως *primi, Regis Vicarii*, posteriori vero Αὐλάρχαι *aulæ Proceres* audiunt. Adi *Biblia Polygl. Angl.*

[6] Regum unctionem demandatam lege 1. *Sam. IX. v.* 16. & *XVI. v.* 3. *collato Psal. LXXXIX. v.* 21. Sacerdotalem vero *Exod. XXX. v.* 23. conf. insimul Maimonid. מורה נבוכים *part. III. cap.* 45. *Tractatum* הוריות *cap. ult. fol. XI.* & R. Salom. Isaacidem *ad Exod. cap. XXX. v.* 33. Prophetarum equidem unctionem communiter urgere solent e 1. *Reg.* XIX. *v.* 16. & *Psalm.* CV. *v.* 17. Suntque ex horum numero Gerhard. *in L. C. T. I. Loc.* 4. *de Persona & officio Christi cap.* I. §. 14. huic suffragantur Patrum plerique Clemens Romanus, Chrysostomus, Augustinus vid. Ursin. *part.* II. *Anal. sacr. lib.* IV. *cap.* 7. Quibus e recentioribus Grotius, Leusden. cit. *Krumbholz*. Doctissimus Buddeus & e Theologorum classe quam plurimi alii assentiuntur. Verumtamen communis licet illa sit sententia: dubia tamen illa adhuc, Scripturæ & Antiquitatis testimoniis destituta. Confirmamur in eo a Maimonide *in* הלכות כלי המקדש *cap.* I. §. 7. & 8. his verbis: אין מושחין ממנו לדורות אלא כהנים גדולים ומשוח מלחמה ומלכי בית דוד בלבד אפילו כהן בן כהן מושחין אותו: *Non inungunt illo* (oleo sacro) *unquam nisi Pontifices Max. Sacerdotem unctum ad bellum & Reges e familia Davidis oriundos &c.* Rationem instituti hujus (quare nempe præter Sacerdotes Reges etiam fuerint uncti) reddere voluisse Grotium suspicamur; quando ille ad verba 1. *Sam. X. v.* 1. *Ecce unxit Te Dominus* (scribit:) *Sacerdotum exemplo uncti sunt & Reges Hebræorum, non Sacerdotes quidem, sed multum habentes sacerdotalis, sedem & jus loquendi in sanctuario, inspectionem in sacra, jus eligendi aut destituendi Pontif. Maxim. aliosque Sacerdotum, & alia ejusmodi.*

[7] Hinc observes, R. Salomonem Hebræis Isaacidem, Christianis vulgo Jarchium dictum celebrem in gente sua exegetam, vocem משיחי *Psal. CV. v.* 8. per גדולי exponere, consentiente etiam Kimchio & Abarbanele; R. Sam. ben-Meir vero in locum *Exod.* XXIX. *v.* 29. verba: ובגדי הקדש' למשחה בהם להתגדל Commentari: למשחה בהם כהם כעין משיחת שמן וגם בכל מקום קורא הגדולים משיחים: Chaldæum præterea Interpretem רבי pro משח usurpare deprehendes *Exod.* XXVIII. *v.* 41. XXIX. *v.* 7. XXX. *v.* 26. nec non *Levitic.* VII. *v.* 35. cujus causam se invenisse putat R. Salom. Isaacides *Exod.* XXX. *v.* 29. ita scribens: כל משיחת משכן וכהנים ומלכים מתורגם לשון ריבוי לפי שאין צורך משיחתם אלא לגדולה כי כן יסד המלך שזה חנוך גדלתו ושאר משיחות כגון רקיקי משוחין ראשית שמנים ימשחו לשון ארמית כלשון עברי *Omnis unctio tabernaculi & Sacerdotum vertitur Chaldaice voce* רבי *quia non necessaria est illorum unctio, nisi ad magnificentiam, sic enim constituit Rex* (nempe Deus) *quoniam ista* (unctio) *est initiatio magnitudinis eorum. In ceteris autem unctionibus velut Laganorum unctorum* (Exod. XXIX. v. 29.) *item* (in illo loco, ubi dicitur) *Primitiis unguentorum ungunt se* (Amos VI. v. 6.) *in hisce* (unctionibus) *dictio Chaldaica eadem est, quæ Hebraica*; conf. Relandi *Antiquit. Hebræas part. II.* §. 6. *p.* 243. ubi ille ad hæc observat. Interpretem Armenum, Scholiastæ Syro laudatum *Act.* I. *v.* 20. ἐπισκοπὴν αὐτῶ reddidisse ܣܥܘܪܘܬܗ *unctionem ejus*, quod *Psal.* CIX. *v.* 8. est פקודתו.

[8] Talis illa Maimonid. *loco in observat. ad* §. II. *citato* ממנין כהן לדבר אל העם ומושחין אותו בשמן המשחה *Constituunt Sacerdotem ad loquendum ad populum: & ungunt eum oleo unctionis* (*sancto*) Quod enim oleo sancto unctus fuerit Sacerdos noster; id ex adducta phrasi colligimus, quam non nisi de sancto oleo adhibent Interpretes Hebræorum. Unde etiam R. Aben-Esra *in Exod.* XXXI. *v.* 25. expresse scribit: וטעם שמן משחת קודש הוא Facit huc locus *Lev.* XXI. *v.* 10. ad mentem Judæorum explicatus & verba Sole clariora Auctoris שלטי הגבורים a Wagens. *not.* I. *ad Mischn. Sota c.* VIII. *Sect.* I. adducta, in quibus prærogativa Sacerdotis Castrensis præ Sagane ex sacra unctione deducitur; & hic illi ob eandem contra distinguitur. Stant a partibus nostris Schickardus, Grotius, Leusdenius, Dassovius, Lundius, quorum ultimus hisce nobis accedit *lib.* III. *der Judischen Heiligthumer cap.* XXVI. *num.* 9. *Es ist dem Kriegs-Gesalbten eine grosse Ehre gewesen, den Leib-Rock anzuziehen. Weswegen er auch ohne Zweiffel zu solchem hohen Wercke gesalbet worden. Wie er denn auch wegen solches heiligen Salb Dels, damit er gesalbet worden, in grossem Ansehen gewesen*. Conferri merentur, quæ idem habet huc facientia *lib.* I. *cap.* XXVIII. *n.* 42. & *n.* 44.

[9] Sunt illa maximam partem sequentia. Dicitur: nihil in Scriptura occurrere, quod specie aliqua pro hujus Sacerdotis unctione possit urgeri: cum tamen illa usum olei hujus sancti plenarie populo Israelitico enarret, personas ac res circa quas illud adhibendum erat; plenissime designans: addat etiam comminationes, si aliquis præter præceptum divinum quicquam ea in re susciperet. Conf. *Exod.* XXIX. *v.* 29. XXX. *v.* 33. *XL. v.* 13. 15. Pergunt, Sacerdotem hunc e gregariorum quippe numero unctione alia non indiguisse teste Scriptura *Exod.* XL. *v.* 15. Instant, summum Pontificem e classe Sacerdotum solum distinctionis & honoris gratia, unctionis privilegio gavisum fuisse. Urgent insuper, oleum sacrum tempore templi secundi defecisse, non deficientibus tamen Sacerdotibus castrensibus. Quæ singula ut nullius esse ponderis ostendamus: hisce ea responsionibus, quasi tot machinis summovemus. Itaque primo dicimus ad primum dubium removendum, nihil licet occurrat pro hujus unctione; nihil reperiri contra eandem. Nihil etiam de Regum unctione dictis in locis, quæ tamen alibi expresse asseritur continetur. Conf. *Psalm.* LXXX. *v.* 51. 1. *Reg.* I. *v.* 39. & R. Aben-Esram *ad Exod.* XXX. *v.* 33. inspice. Ad secundum, fuisse illum e gregariorum numero negamus. Ad tertium limitetur addita voce, *ordinarie, in ministerio pacis, requirimus*. Ad quartum per instantiam defecisse illud etiam in inauguratione summi Pontificis, neque tamen hoc privilegio unctionis illius quicquam derogare potuisse, observamus.

[10] Solent enim Judæi illos, qui Karræorum more textui Scripturæ soli inhærent eumque prout ipsis conveniens videtur, explicant; (*die das* פירוש *von der* מצוות *nicht wolen annehmen* ut loquitur Autor L. לב טוב) tali fere semper pungere dicterio: קרא ולא שנה הרי זה בור Volunt præterea primum in Legem scriptum Commentarium Mischnam esse, primo adeo in interpretatione Legis loco nominandum.

[11] Observasse hic juvabit, Judæorum disserendi rationem tum illam, qua quæstionibus & responsionibus rem agunt; tum vero in primis illam, qua unus aliquis in pericopa perpetuo Opponentis & Respondentis officio fungitur, id quod R. Josua Levita *lib.* הליכות עולם *tractatu*

2. *cap.*

2. *cap.* 2. §. 121. *p.* 84. indicavit *sequ.* שיטת הגמרא לעולם בסוגיא אחד הוא מקשה אחר כאשר תראה בעלי התוספות והחידושים משתדלים בכל מקום לישא וליתן בדברי המקשה מדידה לדידה וזה מפני שהרב המקשה הוא אחד ולא שנים: *Consuetudo Gemaræ perpetua hæc est: in una pericopa unus etiam saltem objicit; quemadmodum deprehendes, auctores additionum & animadversionum* (commentatores) *sibi, ipsis objectiones formare alias ex aliis. Idquod propterea fit; quod Magister opponens unus tantum sit, non duo.* Hisce animadversis rectius locum Gemaræ adductum intelligemus, in quo perpetuus observatur quæstionibus & responsionibus invicem contextis constans commentarius, verborum horum Scripturæ; *Et appropinquabit ille Sacerdos.* Quæritur scil. occasione horum verborum; an Sacerdos aliquis peculiariter e grege Sacerdotum aliorum delectus in censum veniat, an non? Ad prius hoc stabiliendum per remotionem omnium, quæ fieri poterant, objectionum descendit. Dici poterat, vel qualemcunque Sacerdotem, non electum; non unctum; proprio ausu motuve has sibi partes Sacerdotii bellici sumere potuisse; vel summum Pontif. tempore belli has vices subiisse, vel denique Saganem. Si vero hoc: nullum qui ex officio id ageret, distinctum tum a gregariis, tum superioribus Sacerdotibus, Sacerdotem hic requisitum fuisse. Quærit hinc: *Forte qualiscunque Sacerdos, qui id voluerit, appropinquabit* juxta textum Scripturæ? *Forte dices, Sacerdotem Magnum h. loc. intelligi posse? Forte Saganem?* Quibus singulis remotis, quid remanet? nisi hoc, quod ante volebat; Sacerdotem peculiariter e numero aliorum delectum bellicis Sacris præfectum fuisse. Ceterum an Auctor dissertationis hujus Respondentis partes æque bene egerit ac opponentis; sive an dubia sua omnia sufficienter etiam removerit? in id altius inquirendum aliis erit: mihi videtur, quod sic. Videtur præterea: quod in hac veterum disserendi ratione (quam ex Gemara adducta & jam dictis ea de re aliquo modo colligere poteris) divinum quid & altiore dignum indagine repositum sit. Quod si rectius evolvatur: variis Scripturæ locis, multo cum ingenio prolatis Christi cum hostibus suis, discursibus, Paulive creberrimis in suis epistolis secum ipso institutis ratiocinationibus, lucem affundere uberrimam lectoremque miris modis perspicaciorem reddere possit. Vidit aliquid hujus rei in sua, *de origine & progressu rationis disserendi Talmudistarum dissertatione* Leonardus Hoffmann, *Phil. M. Jen. & Ord. Phil. Adj.* Plura se invenisse vir humanissimus pariter & doctissimus D. J. A. Dantzius, *Linguar. olim, nunc Theol. Prof. in Academ. Jen. celeberrimus*, ostensis notis in Epistolam ad Romanos a se conscriptis, comprobavit. Plurima tamen adhuc hoc in negotio superesse, felici mente investiganda, tum demum adverti; ubi in locum Gemaræ ante adductum, & alia ejus generis plura insimul & difficiliora incidi. Sed hæc obiter. Illi interim, quibus hoc datum negotii, quibusque de meliori luto finxit præcordia Titan; laborent: ut, quæ curis eorum hic adhuc relicta sunt; inveniant. Tu vero Lector, dictum tibi credas illud, quod Rabbi Jizchak dixisse fertur *in* מגלה *cap. I.* אם יאמר לך אדם יגעתי ולא מצאתי אל תאמין מצאתי ולא יגעתי אל תאמין יגעתי ומצאתי תאמין *Quod si aliquis dicat: Laboravi; & tamen nil inveni; ne credas. Inveni: & non laboravi: neque sic credas. Ast si dicat: Laboravi: & inveni: meretur fidem.*

* Est Gemara integra nil aliud, quam prolixus in ששה סדרים sex Mischnæ ordines commentarius, ipsis Judæis id non diffitentibus. Fidem faciunt illa AUTORIS *libri* לב טוב *pag.* 75. *col. I. Dernach is das* גלות *langer je groser gevvorden un schvveyrer gevvorden: da haben sich die* חכמים *in derselbigen Zeiten geserckt, dass die* משניות *ach!* חס ושלום *vveren vergessen vveren in der schvveyren, bittern langen* גלות: *Dervveil mir ihr* לשון *nimmer haben gehadt. Da seyn die* חכמים *gangen, die da seyn gevvest* in (Babel) *un haben geschrieben ein* פירוש *auf die* משניות *das is die* גמרא *die mir haben: das ist der* Talmid. &c. Nihilominus ipsa prolixiori etiam (si intelligi debeat) indiget commentario; non quidem propterea, quod in se tam difficilis & obscura sit: ut Oedipo aliquo conjectante magis, quam intelligente opus habeat (nam ea quam Gemara tenet; communis ejus temporis in Babel dialectus fuit, omnibus perspicua, pervia, & intelligibilis) sed quod ingeniorum sagacitas una cum ardore, scripta hæc antiquiora volvendi imminuta sit (*vveil sich die* לבבות מכועט *stynen* כלומר *der* זכרון *mindert sich, und man hat dazu die* לשון הגמרא *vergessen*, verba *auctor. ant. cit.* scribo) nobisque dialecti Babylonicæ ignaris sentibus & spinis obsita horrere omnia in Talmude videntur. Ne mireris ideo, Lector, nos prolixo huic Gemaræ loco prolixiorem parasse interpretationem, & commentario superaddidisse commentarium: Tuis commodis consuluimus: illudque tibi planum ac perspicuum reddere, qua fieri potuit ratione; laboravimus, cujus miram difficultatem & obscuritatem in ipsis doctorum virorum interpretationibus obviam conquesti sunt plurimi. Adjecimus proinde in notis infra scriptis nomina auctorum cum locorum quibus aliquid lucis inesse vidimus, indiciis. Adjecissemus præterea R. SAL. J. Interpretis Talmudici celeberr. glossam integram; quo sic collata eadem cum nostra interpretatione de ejus ἀκρίβεια magis constaret; sed chartæ & tuæ, Lector, patientiæ parcendum nobis fuit. Illos ergo, quorum id nosse interest, an versionem textui ex asse respondentem dederimus, ad fontes ipsos, unde nos omnia hausimus: relegamus, accinentes illis POETÆ illud: *Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ.*

[12] vid. Lundius in *den Judischen Helligth. p.* 417. *n.* 17. Jurieu *dans l' Histoire des dogmes & des cultes &c. pag.* 270.

[13] Vid. Lund. *p.* 491. *n.* 24. *seqq.*

[14] Vid. Jurieu *l. c. part.* II. *p.* 285. *circa finem* Reland. *part.* II. *p.* 139. §. 12. Lund. *p.* 446. *n.* 5.

[15] Rel. *Ant. P.* III. *p.* 303. §. 3.

[16] Jur. *p.* 309. & Rel. *l. c.*

[17] Rel. *p.* 141. *n.* 15. Lund. *p.* 449. *n.* 19.

[18] Jurieu *pag.* 282.

[19] Rel. *part.* II. *pag.* 141. §. 14.

[20] Rel. *l. c.* Lund. *p.* 488. *n.* 20. *seq.*

[21] Lund. *p.* 485. *n.* 1. 2. *seq.*

[22] Jurieu P. II. *p.* 267.

[23] Lund. *p.* 490. *n.* 10.

[24] V. R. Salom. Jarchi *in annot. ad* הוריות *p.* 12. & *in Glossa in h. l.* it. Mischn. Joma *cap.* 1. *n.* 2. *cum Comment.*

[25] Quoniam circa illum juvencum *Uncti* fit expressa mentio *Lev.* IV. *v.* 3. conf. *Gl.* R. Sal. J. *in h. l.*


[26] Conf. R. S. J. *in Gl.*

[27] Verba sunt Auctoris Angli apud eundem *diss. Vita in Chrysostomum de Sacerdot: legenda.* Digna insuper judico quæ hic legantur verba *examinis Historiæ criticæ* Simonis par Mons. Coulan *p.* 63. Il n'en est pas des questions de droit, comme des questions de fait. Les questions de fait sont tellement du ressort de la tradition, qu'on n'en peut juger, que par ses dispositions & par son raport, mais les questions de droit ne dependent d'elles, qu'en tant, qu'elles ont des liaisons avec des questions de fait. Je crois comme je l'ai dit, que St. Matthieu a ecrit l' Evangile, qui porte son nom & que St. Luc. est l'auteur des livres des actes, uniquement, parceque la tradition me l'apprend.

[28] Cujus hæc est *in marg. p.* 268. nota: Une tradition incertaine.

[29] Mr. LANGLET DU FRESNOI.

BLA-



BLASII UGOLINI
DISSERTATIO
DE SACERDOTE CASTRENSI.

Ad illuſtrandum *Deut.* xx. 2. &c. I. De ejus munere. II. Dignitate & Veſtitu.

SAcerdotem Caſtrenſem, qui [1] משוח מלחמה *unctus belli* a Judæis appellatur, ex *Siphri*, *Peſiktha*, *Toſaphtha Sota*, *& Gemara Hieroſolymitana Sota*, antiquiſſimis, & adhuc intactis Philologiæ Sacræ fontibus breviter illuſtrandum ſuſcepimus. Judæi Interpretes hujuſmodi ſacerdotium ex *Deut.* xx. 2. probare contendunt. והיה כקרבכם אל המלחמה על איביכם ונגש הכהן ודבר אל העם ואמר אליהם שמע ישראל אתם קרבים היום למלחמה על איביכם אל ירך לבבכם אל תיראו ואל תחפזו ואל תערצו מפניהם כי יהוה אלהיכם ההלך עמכם להלחם לכם עם איביכם להושיע אתכם ודברו [2] השטרים אל העם לאמר מי האיש אשר בנה בית חדש ולא חנכו ילך וישב לביתו פן ימות במלחמה ואיש אחר יחנכנו ומי האיש אשר נטע כרם ולא חללו ילך וישב לביתו פן ימות במלחמה ואיש אחר יחללנו ומי האיש אשר ארש אשה ולא לקחה ילך וישב לביתו פן ימות במלחמה ואיש אחר יקחנה ויספו השטרים לדבר אל העם ואמרו מי האיש הירא ורך הלבב ילך וישב לביתו ולא ימס את לבב אחיו כלבבו והיה בכלת השטרים לדבר אל העם ופקדו שרי צבאות בראש העם. *Appropinquante autem jam prælio ſtabit Sacerdos ante aciem, & ſic loquetur ad populum. Audi Iſrael, vos hodie contra inimicos veſtros pugnam committitis, non pertimeſcat cor veſtrum, nolite metuere, nolite cedere, ne formidetis eos. Quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra adverſarios dimicabit, ut eruat vos de periculo. Duces quoque per ſingulas turmas, audiente exercitu proclamabunt. Quis eſt homo, qui ædificavit domum novam, & non dedicavit eam? vadat & revertatur in domum ſuam, ne forte moriatur in bello, & alius dedicet eam. Quis eſt homo, qui plantavit vineam, & necdum fecit eam eſſe communem, de qua veſci omnibus liceat? vadat, & revertatur in domum ſuam, ne forte moriatur in bello, & alius homo ejus fungatur officio. Quis eſt homo, qui deſpondit uxorem, & non accepit eam? vadat & revertatur in domum ſuam, ne forte moriatur in bello, & alius homo accipiat eam. His dictis addent reliqua, & loquentur ad populum. Quis eſt homo formidoloſus, & corde pavido? Vadat & revertatur in domum ſuam, ne pavere faciat corda fratrum ſuorum, ſicut ipſe timore perterritus eſt. Cumque ſiluerint duces exercitus, & finem loquendi fecerint, unuſquiſque ſuos ad bellandum cuneos præparabit.* Targum ויהי במקרבכון לאנחא קרבא ויתקרב כהנא וימליל עם עמא ויימר להון שמע ישראל אתון מתקרבין יומא

יומא דין לאנחא קרבא על בעלי דבביכון לא יזוע לבכון לא תרחלון ולא תתבהתון ולא תתברון מן קדמיהון ארי יי אלהכון דמדבר קדמיכון לאנחא לכון קרב עם בעלי דבביכון למיפרק יתכון וימללון סרכיא קדם עמא למימר מן גברא די בנא ביתא חדתא ולא חנכיה יהך ויתוב לביתיה דילמא יתקטיל בקרבא וגבר אוחרן יחנכיניה ומן גברא נצב כרמא ולא אחליה יהך ויתוב לביתיה דילמא יתקטיל בקרב וגבר אוחרן יחליניה ומן גברא די אירש אתתא ולא נסבה יהך ויתוב לביתיה דילמא יתקטיל בקרבא וגבר אוחרן יסבינה ויוספון סרכיא למללא עם עמא ויימרון מן גברא דרחול ותביר לבא יהך ויתוב לביתיה ולא יתבר ית ליבא דאחוהי כלביה ויהי כד ישצון סרכיא למללא עם עמא וימנון רבני חילא בריש עמא *Et eris, cum procedetis ad præliandum prælium, & accedens ſacerdos alloquatur populum, & dicat eis: Audi Iſrael; Vos proceditis hodie ad præliandum prælium contra inimicos veſtros; ne molleſcat cor veſtrum, ne timete, ne expaveſcite neque trepidate in conſpectu illorum; namque Dominus Deus veſter ambulat vobiſcum præliando prælium pro vobis contra inimicos veſtros, ut vos ſervet. Et alloquentur præfecti coram populo, dicentes; Quis eſt homo, qui ædificavit domum novam, & non dedicavit eam? Vadat & revertatur in domum ſuam, ne forte moriatur in bello, & alius vir dedicet illam. Quis eſt homo, qui plantavit vineam, & eam non profanavit? Vadat, & revertatur in domum ſuam ne forte moriatur in bello, & alius vir profanet illam. Quis eſt homo, qui deſpondit uxorem, & non accepit eam? Vadat, & revertatur in domum ſuam, ne forte moriatur in bello, & alius vir accipiat illam. Et pergent præfecti alloqui populum, & dicent; Quis eſt homo formidoloſus, & pavidus corde? vadat & revertatur in domum ſuam ne pavere faciat corda fratrum ſuorum juxta cor ſuum. Et erit deſinentibus præfectis alloqui populum, ut præficiant principes ordinum militarium a fronte populi.* Ubi *Raſchi* כקרבכם אל המלחמה סמוך לצאתכם מן הספר מגבול ארצכם ונגש הכהן המשוח לכך והוא הנקרא משוח מלחמה ודבר אל העם בלשון הקדש שמע ישראל אפילו אין בכם זכות אלא קרית שמע בלבד כדי אתם שיושיע אתכם על אויביכם אין אלו אחיכם שאם תפלו בידם אינם מרחמים עליהם אין זו כמלחמת יהודה עם ישראל שנ׳ להלן ויקומו האנשים אשר נקבו בשמות ויחזיקו בשביה וכל מערומיה׳ הלבישו׳ מן השלל וילבישום וינעילו׳ ויאכילו׳ וישקום וישוכום וינהלום בחמורי׳ לכל כושל ויביאום יריחו עיר התמרי׳ אצל אחיה׳ וישובו שומרון אלא על אויביכם אתם הולכי׳ לפיכך התחזקו למלחמה אל ירך לבבכם אל תיראו ואל תחפזו ואל תערצו ארבע אזהרות כנגד ארבעה דברים שמלכי האומות עושים מניפין בתרסיהם כדי להקישן זה לזה כדי להשמיע קול שיחפזו אלו שכנגדן ויגושו ורומסין בסוסיהם ומצהילין אותם להשמיע קול פרסות סוסיהם וצווחין בקולם ותוקעין בסופרות ומיני משמיעי קול אל ירך לבבכם מצהלת סוסים אל תיראו מהגפת תריסין ואל תחפזו מקול הקרנו׳ ואל תערצו מקול הצווחה כי יי׳ אלהיכם וגו׳ הם באים בנצחונו של בשר ודם ואתם באים בנצחונו של מקום פלשתים באו בנצחונו של גלית מה היה סופו נפל ונפלו עמו ההולך עמכם זה מחנה הארון ולא חנכו לא דר בו חנוך לשון התחלה ואיש אחר יחנכנו ודבר של עגמת נפש הוא זה ולא חללו לא פדאו בשנ׳ הרביעית שהפירות טעונין לאכלן בירושלם או לחללו בדמי׳ ולאכול הדמים בירושלם ויספו השוטרים למה נאמר כאן ויספו מוסיפין זה על דברי הכהן שהכהן מדבר ומשמיע מן שמע ישראל עד להושיע אתכם ומי האיש ושני ושלשי כהן מדבר ושוט׳ משמיע וזה שוטר מדבר ושוטר משמיע הירא ורך הלבב ר׳ עקיבא אומר כמשמעו שאינו יכול לעמוד בקשרי המלחמה ולראות חרב שלופה ר׳ יוסי הגלילי אומר הירא מעבירות שבידו ולכך תלתה לו תורה לחזור על בית וכרם ואשה לכסות על החוזרים בשביל עבירות שבידם שלא יבינו שהם בעלי עביר׳ והרואהו חוז׳ אומר שמא בנה בית או נטע כרם או ארש אשה פן ימות במלחמה ישוב פן ימות שאם לא ישמע לדברי הכהן כדי הוא שימות שרי צבאות שמעמידין זקפין מלפניהם ומלאחוריהם וכשילין של ברזל בידיהם וכל מי שרוצה לחזור הרשות בידו לקפח את שוקו זקיפין בני אדם עומדים בקצה המערכה לזקוף את הנופלים ולחזקה בדברים שובו אל המלחמה ולא תנוסו שתחיל׳ נפילה ניסה. *Cum procederis in prælium.* Prope veſtram egreſſionem ex termino, ex confinio terræ veſtræ. *Et accedet Sacerdos.* Unctus; idcirco vocatur, unctus belli. *Et alloquetur ad populum*; lingua ſancta. *Audi Iſrael*; quamvis in vobis non eſſet aliud meritum, niſi tantum lectio *Audi Iſrael*, ſatis eſt, ut ſervet vos. *Contra inimicos veſtros*; Non ſunt iſti fratres veſtri; in quorum manus ſi incideritis, non miſerebuntur veſtri; Non eſt hoc, ut bellum Judæ cum Iſrael, de quo dictum eſt 2. *Paral.* XXVIII. 15. *Steteruntque viri quos ſupra memoravimus, & apprehendentes captivos, qui nudi erant, veſtierunt de ſpoliis, cumque veſtiſſent eos, & calceaſſent, & refeciſſent cibo ac potu, unxiſſentque propter laborem, & ad-*

adhibuissent eis curam ; quicunque ambulare non poterant , & erant imbecillo corpore , imposuerunt eos jumentis , & adduxerunt Jericho civitatem palmarum ad fratres eorum , ipsique reversi sunt Samariam . Sed contra inimicos vestros vos proceditis ; ideoque roboramini ad bellum . *Ne mollescat cor vestrum , ne timete , neque trepidate , neque expavescite ;* Quatuor admonitiones [3] contra quatuor illa, quæ faciunt reges gentium; collidunt eorum scuta, ut inter se mutuo tinniant, ad edendum sonitum , quo perterrefaciant illos , qui ex adverso consistunt , & cogant , & concalcent equis suis , & excitant eos ad hinnitum, ut audiatur strepitus ungularum suorum equorum , & exclamant vocibus suis, & clangunt cornibus, & aliis speciebus , quæ sonitum emittunt . *Ne mollescat cor vestrum*; ob hinnitum equorum : *ne timete* ob collisionem scutorum ; *neque trepidate* ob sonitum cornuum ; *neque expavescite* ; ob classica ; *Nam Dominus Deus vester ambulat vobiscum &c.* Ipsi veniunt robore humano ; at vos proceditis robore divino ; Philistæi venerunt [4] cum robore Goliathi ; quid tandem evenit ? Ipse cecidit , & illi ciciderunt cum eo . *Ambulat vobiscum* . Hæc sunt castra Arcæ . Et non חנכו, non habitavit in ea; dedicatio significat [5] principium & *alius vir dedicet eam* . [6] Hæc res animæ acerba foret . Et non חללו; non redemit in anno quarto; quod ejus fructus comedendi erant Hierosolymis ; aut ut nummis profanarentur , & comederentur Hierosolymis . *Et pergent præfecti alloqui populum*. Cur dictum est in hoc loco ויספו? Hoc addebant ad verba sacerdotis ; nam sacerdos alloquebatur & proclamabat ex his verbis *Audi Israel* usque ad ; *ut servet vos ; & quis est homo ?* Et secundus & tertius sacerdos alloquebatur; & præfectus proclamabat; & hic præfectus alloquebatur , & præfectus proclamabat ; *Formidolosus , & molli corde* . R. Akiba dicit juxta sensum literalem , qui sc. non potest consistere in conferto agmine , aut intueri gladium strictum . R. Jose Galilæus dicit , hic denotari , qui sibi ob sua peccata metuit; ideoque legem ceteros hic conjunxisse, ut cum his reverti posset in domum , vineam , & ad uxorem ut absconderet illos qui propter peccata sua revertuntur ne putarent , quod essent peccatores; & qui videat eum revertentem, dicat; fortasse ædificavit domum , aut plantavit vineam , aut despondit uxorem ; *ne moriatur in bello* ; revertatur, ne moriatur; si non auscultet verbis sacerdotis , morietur . *Duces exercitus* ; qui disposuerunt viros robustissimos a fronte , aliosque a tergo , ferreas bibennes in manibus habentes , quibus crura amputare licebat eorum , qui fugere volebant ; fortissimi homines consistebant in extremitate aciei , ad corroborandos fugientes , & ad confirmandos verbis , ut reverterentur ad bellum , neque fugerent , quia principium fugæ clades est. *Siphri* 47. in l. c.

והיה כקרבכם אל המלחמה יכול זה יום הקרבים בו למלחמה כשהוא אומר ואמר אליהם שמע ישראל אתם קריבים היום למלחמה הרי היום קריבים בו למלחמה אמור הא מה תלמוד לומר והיה כקרבכם אל המלחמה כיון שמגיעים לספר כהן מתנה עליהם כל התנאים הללו ואמר אליהם שמע ישראל מי האיש הירא ורך הלבב ויספו השטרים למה נאמרו כל הדברים הללו שלא יהיו ערי ישראל נשמורת כדברי רבי יוחנן בן זכאי בוא וראה כמה חס המקום על כבוד הבריות מפני הירא ורך הלבב כשהוא חוזר יאמרו שמא בנה בית שמא ארס אשה וכולן היו צריכים להביא עדותו חוץ מן הירא ורך הלבב ושעדיו עמו שמע קול הגפת תריסים וגבעת קול צהלת סוסים ומרתית קול תקיעת קרנים ונבהל רואה שימוט סייפים ומים יורדים בין ברכיו דבר אחר ואמר אליהם שמע ישראל על אויביכם ולא על אחיכם לא יהודה על שמעון ולא שמעון על יהודה שאם תפלו בידם ירחמו עליכם כעניין שנאמר וישבו בני ישראל מאחיהם ושם היה איש נביא ליי ועתה בני יהודה ובני ירושלם אתה אומר כמה שנאמר להלן ויקומו האנשים אשר נקבו בשמות ויחזיקו בשביה ומערומיהם הלבישום על אויביכם אתם הולכים שאם תפלו בידן אין מרחמים עליכם אל ירך לבבכם אל תיראו ואל תחפזו ואל תערצו מפניכם אל ירך לבבכם מפני צהלת סוסים ואל תראו מפני הגפת תריסים ושפעת עקלגסים ואל תחפזו מקול הקרנות ואל תערצו מקול הצווחה כדרך שאומות העולם עושים מגיפים ומרעים וצווחים ורומסים ואתם באים בניצוחו של מקום. כי יי׳ אלהיכם ההולך עמכם מי שהיה עמכם במדבר הוא יהיה עמכם בעת צרה וכן הוא אומר להלחם לכם עם אויביכם להושיע אתכם מנחשים ועקרבים ורוחות הרעים עד כאן משוח מלחמה מדבר מיכן ואילך ודברו השוטרים אפילו אלמנה אפילו שומרת יבם או אפילו שמע שמרת לו אחיו במלחמה חוזר הכל שומעים דברי כהן מערכי המלחמה והם חוזרים ומספקים מים ומזון לאחיהם ומתקנים את הדרכים ודברו השוטרים יכול דברים אחרים כשהוא אומר ויספו השוטרים לדבר אל העם מלמד שהם הדברים ומה תלמוד לומר ודברו השוטרים כיון שהתחיל שוטר לדבר

כהן משמיע להם כתנאים האילו . ומי
האיש אשר בנה אין לי אלא בונה ירש
לקח ניתן לו במתנה מניין תלמוד לומר
מי האיש אשר בנה בית אין לי אלא
בית מניין לרבות בית התבן ובית
הבקר ובית העצים ובית האוצר תלמוד
לומר אשר בנה יכול אף הבונה בית שער
אכסדרה ומרפסת תלמוד לומר בית מה
בית מיוחד שהוא בית דירה יצאו אילו
שאינן בית דירה ולא חנכו פרט לגזלן
ילך וישוב לביתו ילך וישמע דברי כהן
מערכי המלחמה וחוזר פן ימות במלחמה
אם אינו שומע לדברי כהן סוף שהוא מת
במלחמה ואיש אחר יחנכנו יכול דורו ובן
דורו נאמר כאן אחר ונאמר להלן אחר
מה אחר האמור להלן נכרי אף אחר
האמור כאן נכרי. ומי האיש אשר נטע אין
לי לא נטע ירש לקח ניתן לו· במתנה מניין
תלמוד· לומר מי האיש אשר נטע כרם אין לי
אלא כרם מניין חמשה אילני מאכל
וחמשה אילני סרק תלמוד לומר כרם רבי
אליעזר בן יעקב אומר אין לי אלא
במשמע אלא כרם ולא חללו פרט למבריך
ולא חללו פרט למרכיב ילך וישוב לביתו
ילך וישמע לדברי כהן מערכי המלחמה
ויחזור פן ימות במלחמה אם לא ישמע
לדברי כהן אף מות במלחמה ואיש אחר
יחללנו יכול דורו ובן דורו נאמר כאן אחר
ונאמר להלן אחר מה אחר האמור כאן
נכרי אף אחר האמור כאן נכרי. ומי
האיש אשר אירס אשה אחד המארס את
האשה אלמנה ואפילו שומרת יבם
ואפילו שמע שמת אחיו במלחמה חוזר
ובא לו ולא לקחה באשה הראויה לו פרט
למחזיר גרושתו ואלמנה לכהן גדול גרושה
וחלוצה לכהן הדיוט ממזרת ונתינה לישראל
ובת ישראל לנתין ולממזר ילך וישוב לביתו
ילך וישמע לדברי כהן ויחזור בו . ויספו
השטרים לדבר אל העם למרנו שהם
הדברים הירא ורך הלבב שיש עבירה
בידו בסתר ילך וישוב לביתו רבי עקיבא
אומר הירא ורך הלבב כמשמעו רבי יוסי
הגלילי אומר הירא ורך הלבב זה בן
ארבעים שנה ולא ימס את לבב אחיו
כלבבו מלמד שאם היה אחד מהם מתירא
מן העבירה שבידו כולם חוזרים ובאים.
והיה ככלות השוטרים לדבר אל העם
בעקיבו של עם מעמידים זקפים מלפניהם
וכשילין של ברזל מאחריהם וכל המבקש
לחזור הרשות בידו לקפח את שוקיו
שתחילת ניסה נפילה שנאמר אשר נס
ישראל מפני פלשתים ונס מגפה גדולה
היתה בעם במה דברים אמורים
במלחמת הרשות אבל במלחמת מצות
הכל יוצאים אפילו חתן מחדרו וכלה מחופתה

Et erit cum procedetis in prælium; Crederem hunc fuisse diem, quo procederent in prælium? quando autem dicitur; *& dicet ad illos; Audi Israel; vos proceditis hodie in prælium*; ecce commemoratus est dies, in quo procederent in prælium. At cur dictum est; *cum procedetis in prælium?* Postquam attigegerant fines; Sacerdos legebat has omnes conditiones; *Et dicet ad eos; Audi Israel; Quis est homo formidolosus, & corde pavido?* dicent; *Et pergent præfecti*. Qua de causa dicta sunt hæc? ne sint desolatæ urbes Israelis, juxta verba Raban Jochanan ben Zacai. Veni & vide, quantopere Deus consulat honori hominum; quia quando formidolosus & corde pavido revertetur, dicent, fortasse ædificavit domum; fortasse despondit uxorem; & omnibus necesse est adducere testes excepto formidoloso, & pavido corde, cujus testimonium est in seipso. Si audiat, strepitum classicorum, & effugiat; & strepitum hinnitus equorum, & pertimescat; strepitum clangoris cornuum, & perturbetur, videat ictum gladiorum, & aquæ descendant inter ejus genua. Altera explicatio. *Et dicet ad illos; Audi Israel; contra inimicos vestros*, non vero Juda contra Simeonem, neque Simeon contra Juda; si enim in eorum manus incideritis, miserebuntur vestri; sicuti dictum est: 2. *Paral.* XXVIII. 8. *Ceperuntque filii Israel de fratribus suis &c. Ea tempestate erat ibi propheta Domini &c. Insuper filios Juda; & Jerusalem &c.* Tu dicis, sicut dictum est ibid. vers. 15. *Steteruntque viri quos supra commemoravimus, & apprehendentes captivos, omnesque qui nudi erant, vestierunt. Contra inimicos vestros vos proceditis*, in quorum manus si incideritis, non miserebuntur vestri. *Ne mollescat cor vestrum, ne timete, neque trepidate, neque expavescite ex eorum conspectu. Ne mollescat cor vestrum* ob hinnitum equorum: *Ne timete* propter collisionem scutorum, & 7 agmen cataphractorum; *Neque trepidate* ob sonitum cornuum; *neque expavescite* ob classica; sicuti faciunt gentes mundi; collidunt (scuta) clangunt, vociferantur; & pede solum quatiunt. At vos proceditis in robore Domini. *Quia Dominus Deus vester ambulat vobiscum:* Qui fuit vobiscum in deserto, ipse erit vobiscum in tempore afflictionis; & sic ipse dicit; *ut pugnet pro vobis contra inimicos vestros, ut servet vos* a serpentibus, & scorpionibus, & spiritibus malis; Hactenus loquebatur unctus belli. Hinc & ulterius; *& alloquentur præfecti*. Etiamsi *quis* desponderit viduam, vel si Fratri a Levirum expectaret; siquis audiverat periisse in bello fratrem suum, reverti poterat. Omnes isti auscultabant verbis sacerdotis, qui aciei adornandæ præerat; & abeuntes subministrabant aquas, & alimentum fratribus

bus suis; Crederem quod alii alloquerentur? quando autem dicit; *Et pergent præfecti alloqui populum*; hinc docetur, quod ipsi alloquerentur; at cur dictum est; *& alloquentur præfecti?* Postquam incepit præfectus alloqui, sacerdos proclamabat juxta has conditiones. *Quis est homo, qui ædificavit domum?* Non probo nisi de eo qui ædificavit domum; qui jure hæreditario adeat, qui emat, qui dono acquirat, unde probatur? Ex eo quod dictum est. *Quis est homo, qui ædificavit domum?* Crederem includendam esse domum paleæ, stabulum, lignile, & horreum? Dictum est, *qui ædificavit*. Crederem posse includi, qui ædificavit domum portæ, exedram, & porticum? Idcirco dictum est; *domum*, domum sc. peculiarem, quæ sit domus habitationis. Excluduntur istæ, quæ non sunt domus habitationis. *Et non dedicavit eam*; excluditur qui sit furatus. *Vadat, & revertatur in domum suam. Vadat*, & auscultet verbis sacerdotis, qui aciei adornandæ præerat, *& revertatur*; *ne moriatur in bello*; si vero non auscultaverit verbis sacerdotis, eveniet, ut moriatur in bello; *Et alius homo dedicet illam*; crederem ejus patruum, aut filium patrui sui? Dictum est hic אחר *alius*, pariterque dictum ibi s. *Deut.* XXVIII. 32. אחר *alius*; sicut *alius* dictus eo loco est alienus, ita pariter *alius* dictus hoc loco est alienus. *Quis est homo qui plantavit?* Non probo nisi pro plantante; Si hæreditario jure adeat, si emat, si dono accipiat, unde probatur? Ex eo quod dictum est; *Quis est homo, qui plantavit vineam?* Non probo nisi pro vinea? Si *plantaverit* quinque arbores frugiferas, & quinque arbores steriles, unde probatur? Ex eo quod dictum est *vineam*. R. Eleasar ben Jacob dicit; non probo juxta sensum literalem nisi pro vinea. *Et non profanavit eam*. Excluditur, qui palmites propagat; *Et non profanavit eam*; excluditur, qui surculos immittat. *Vadat & revertatur in domum suam*; *Vadat*, & auscultet verbis sacerdotis; qui aciei adornandæ præerat, *& revertatur*; *ne forte moriatur in bello*; si non auscultaverit verbis sacerdotis, vel morietur in bello; *Et vir alius profanet eam*: Crederem ejus patruum, & filium patrui sui? Dictum est hic אחר *alius*, & dictum est ibi sc. *Deut.* XXVIII. 32. אחר *alius* sicut *alius*, ibi dictus est alienus, ita pariter *alius* hoc loco dictus est alienus. *Quis est homo qui despondit uxorem*; sive desponderit viduam, sive fratria levirum expectet, vel si audierit periisse fratrem suum in bello, revertatur, & abeat in domum suam; *& non accepit eam*; mulierem sibi idoneam; excluditur, quo repetat repudiatam, & sacerdos summus, qui nubat viduæ, & sacerdos vulgaris, qui nubat repudiatæ, & calceo donatæ, & Israelita, qui nubat nothæ & Nethinææ, & Israelitis, quæ nubat Nethinæo, & notho. *Vadat, & revertatur in domum suam; Vadat*, & auscultet verbis sacerdotis, *& revertatur*. *Et pergent præfecti alloqui populum;* Hinc docemur; quod ipsi alloquerentur; *Formidolosus, & pavido corde*; sc. qui in occulto peccaverit; *Vadat & revertatur in domum suam*; R. Akiba dicit; *formidolosus & pavido corde*; hic est vir quadraginta annorum. *Ne mollescat cor fratrum suorum juxta cor suum;* Hinc docetur, quo si unus ex iis fuerit, qui pro suo peccato timeat, omnes abeant, & revertantur. *Et erit desinentibus præfectis alloqui ad populum;* Ab tergo populi; disponebantur viri robustissimi a fronte, & post eos qui ferreas bipennes in manibus habebant, quibus licebat amputare crura eorum, qui fugere volebant; principium enim fugæ clades est; dictum est enim 1. *Sam.* IV. 17. *Fugit Israel coram Philisthiim, & ruina magna facta est in populo*. De quo hæc dicta sunt? de bello arbitrario; at in bello præcepti, omnes egrediuntur; vel sponsus e cubiculo suo, & sponsa ex uranisco suo. *Pesiktha* in l.c.

כי תצא למלחמה במלחמת הרשות הכתוב מדבר כגון מלחמות שהיה עושה יואב בן צרויה דכתיב וישב יואב ויך את אדום בגיא מלח שנים עשר אלף וכתוב אחד אומר שמנה עשר אלף מלמד ששתי מלחמות עשה באדום על אויבך כנגד אויבך וראית סוס ורכב בזמן שאתה עושה רצונו של הקדוש ברוך הוא כל הסוסים וכל הרכב שלהם אינם אלא כסוס אחד ורכב אחד וכן הוא אומר בפרעה סוס ורכבו רמה בים אף על פי שהם דומים בעיניך כעם רב לא תירא מהם כי יי׳ אלהיך עמך המעלך מארץ מצרים מי שהעלך ממצרים הוא יהיה עמך בעת צרה וכן הוא אומר אנכי יי׳ אלהיך המעלך מארץ מצרים הרחב פיך ואמלהו מלמד שארץ מצרים עמוקה וארץ ישראל גבוהה. והיה בקרבכם אל המלחמה לא יום שלוחמין בו אלא יום שמגיעין לספר שכיון שיוצאין מגבול לארץ ישראל ובאין קרוב לגבול אומות העולם היה כהן מתנה עמהם כל התנאין הללו שנאמר ונגש הכהן ודבר אל העם זה כהן משוח מלחמה כמו שהיה פינחס משוח מלחמה במלחמת מדין ואמר אליהם שמע ישראל מאי שמע ישראל אמר רבי יונתן משום רבי שמעון בן יוחאי

אמר להם אפילו אין עמכם מצוה אלא
קרית שמע שאתם קורין בשחרית וערבית
אין אתם נמסרין בידם אתם קרבים זה
יום קריבת המלחמה למלחמה על אויביכם
דעו על אויביכם אתם נלחמים ולא על
אחיכם שאם תפלו בידם מרחמין עליכם
כמו שנאמר להלן ויקומו האנשים אשר
נקבו בשמות ויחזיקו בשביה על אויביכם
אתם הולכים שאם תפלו בידם אין מרחמין
אל ירך לבבכם תנן התם במסכת סוטה
משוח מלחמה בשעה שהוא מדבר אל
העם אינו מדבר אלא בלשון הקדש שנאמר
והיה כקרבכם אל המלחמה ונגש הכהן
ודבר אל העם וכתיב משה ידבר והאלהים
יעננו בקול מה דיבור נאמר להלן בלשון
הקדש אף כאן בלשון הקדש ונגש הכהן
יכול כל כהן שירצה תלמוד לומר ודברו
השוטרים מה שוטרים במִמונים אף כהן
במִמונה אתם קריבים היום למלחמה על
אויביכם ולא על אחיכם לא יהודה על
שמעון ולא שמעון על יהודה שאם תפלו
בידם אין מרחמין עליכם אל ירך לבבכם
מפני צהלת סוסים וציחצוח החרבות אל
תיראו מפני הגפת תריסין ושפעת נלגסים
ואל תחפזו מפני קול הקרנות ואל תערצו
מפני קול הצווחה כנגר מה שאומות
העולם עושין היה אומר להם כהן משוח
מלחמה כי יי׳ אלהיכם ההולך עמכם הם
באים בניצוח בשר ודם ואתם באים בניצוחו
של הקדוש ברוך פלשתים באים בניצוחו
של גלית ומה היה סופו נפל בחרב
והם נפלו עמו אבל אין אתם כן אלא
כי יי׳ אלהיכם ההולך עמכם להלחם לכם
זה מתנה הארץ שהיה מהלך בתוך מחנה
ישראל וכן הוא אומר כי יי׳ אלהיך מתהלך
בקרב מחניך להצילך וגו׳ ודברו השוטרים
כיון שמתחיל השוטר לדבר כהן משמיע
להם הדברים הללו לאמר השיבוני על
דברי מי האיש אשר בנה אחד הבונה
בית הבקר ובית העצים ובית האוצר אחד
הבונה ואחד הלוקח אחד היורש ואחד
הניתן לו במתנה ולא חנכו פרט לגזלן פן
ימות במלחמה אם אינו שומע לדברי כהן
סוף שהוא מת במלחמה ואיש אחר יחנכנו
מן המשפחה ומי האיש אשר נטע כרם
אחד הנוטע כרם ואחד הנוטע חמש אילני
מאכל אפילו מחמשת המינין אחד הנוטע
אחד המבריך אחד המרכיב אחד הלוקח
אחד היורש אחד הניתן לו במתנה ולא
חללו פרט למרכיב שאינו טעון חילול
שנאמר ונטעתם כל עץ מאכל פרט למרכיב
ולמבריך וגו׳ פן ימות במלחמה אם אינו שומע
לכהן סופו שהוא מת במלחמה ומי האיש
אירש אשה אחד המארש בתולה אחד
המארס אלמנה ואפילו שומרת יבם ואפילו
שמע שמרת אחיו במלחמה חוזר ובא לו
ולא לקחה אשה הראויה לו פרט למחזיר
גרושתו משנישאה ואלמנה לכהן גדול
גרושה וחלוצה לכהן הדיוט ממזרת ונתינה
לישראל בת ישראל לממזר ולנתין כל
אלו חוזרין מערכי המלחמה ומספקין מים
ומזון לאחיהם שבמלחמה ומתקנין את
הדרכים ואלו שאינן זזים ממקומן בנה
בית וחינכו נטע כרם וחיללו הנושא את
ארוסתו וכן הוא אומר נקי יהיה לביתו
שנה וגומר מזה אתה למד למחנך בית
ולמחלל כרם ולנושא ארוסתו ששלשתן
ברין אחד הן אינן מספקין מים ומזון ואינם
מתקנים את הדרכים ויספו השטרים לדבר
אל העם רבי עקיבא אומר הירא ורך
הלבב כמשמעו שאינו יכול לעמוד בקשרי
המלחמה ולראות חרב שלופה שכיון שרואה
חרב שלופה מים שותתין לו על ברכיו רבי
יוסי הגלילי אומר הירא ורך הלבב שהוא
מתירא מן העבירות שבידו לפיכך תלתה
לו התורה את כל אלו שיחזור בגללן וכן
הוא אומר פחדו בציון חטאים וגומר וגו׳
וחוזר לו מפני שהוא ירא ורך הלבב
מחמת העבירה שעש׳ ולכן הוא אומר
כי תצא מחנה על אויביך ונשמרת מכל
דבר רע והיה ככלת השטרים כיון שגומרין
דבריהם מיד מעמידין זקפין לפניהם ואחרים
מאחריהם וכשילים של ברזל בידיהם וכל
המבקש לחזור הרשות בידו לנתח את
שוקיו שתחלת נפילה ניסה שנאמר נס
ישראל לפני פלשתים וגם מגפה היתה
בעם במה דברים אמורים במלחמת הרשות
אבל במלחמת מצוה הכל יוצאין ואפילו
חתן מחדרו וכלה מחופתה וכן הוא אומר
והמלך אסא השמיע את יהודה אין נקי
מאי אין נקי אפילו חתן שנאמר בו נקי
יהיה לביתו שנה אפילו הוא בא. *Si exieris ad bellum*, de bello arbtrario textus loquitur, quale fuit bellum, quod gessit Joab filius Sarviæ; scriptum est enim I. *Paral.* XVIII. 12. *Joab filius Sarviæ percussit Edom in valle salinarum, duodecim millia*; & in alio textu dicitur; *decem & octo millia*. Hinc eruitur duo bella gesta fuisse in Edom. *Contra hostes tuos*. Adversus hostes tuos. *Et videris equum & currum*. Quo tempore tu facies voluntatem Dei S. B. omnes equi, & currus eorum non erunt nisi equus unus, & currus unus. Similiter dictum est de Pharaone *Exod.* XV. *Equum & currum dejecit in mare*; *Et quamvis apparuerint oculis tuis, quasi populus maximus, non timebis ab eis*; *quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Ægypti*. Qui eduxit te de terra Ægypti, ipse tecum erit in tempore afflictionis. Et similiter dictum est; *Ego sum Dominus Deus tuus, qui adscendere te feci de terra Ægypti, dilata os tuum, & implebo illud*. Hinc eruitur, Ægyptum fuisse humilem, & terram Israelis excelsam. *Et erit cum procedetis ad bellum*; Non eo die, quo erant pugnaturi; sed die, quo attingebant fines; postquam enim egressi essent ex termino terræ Israelis, & pervenissent intra fines gentium mundi; Sacerdos legebat eis has omnes conditio-

tiones; Dictum est enim; *Et accedens sacerdos alloquetur ad populum*; hic est sacerdos unctus belli, uti fuit Pinchas unctus belli in bello Madian. *Et dicet ad eos*; *Audi Israel*. Quid significat; *Audi Israel?* Dicit R. Jonathan nomine R. Simeonis ben Jochai. Dicebat illis; quamvis in vobis hoc unum præceptum esset de lectione *Audi*, quam legitis mane & vespera, tamen in eorum manus non traderemini. *Vos proceditis in prælium*; hæc erat dies committendi prælii; *ad pugnandum contra inimicos vestros*; contra inimicos vestros vos pugnatis, non contra fratres vestros; in quorum manus si incideritis, miserebuntur vestri; sicuti dictum est 2. *Paral.* XXVIII. 15. *Steteruntque viri, quos supra commemoravimus, & apprehendentes captivos*. *Contra inimicos vestros vos proceditis*, in quorum manus si incideritis, non miserebuntur vestri. *Ne mollescat cor vestrum*; Ibi legimus cap. VIII. *Misnajoth Sota*. Unctus belli, quando alloquebatur populum, non loquebatur nisi lingua sancta; dictum est enim; *Cum procedetis ad bellum, & accedens sacerdos loquetur ad populum*; Similiter scriptum est; *Exod.* XIX. 19. *Mose loquebatur, & Deus respondebat voce*; Sicut allocutio ibi memorata fuit lingua sancta, hoc loco pariter lingua sancta. *Et accedens sacerdos*; Crederem quemvis sacerdotem, cui libuerit? Idcirco dictum est; *& alloquentur præfecti*; sicut שוטרים ex præfectis ita quoque כהן ex præfecto; *Vos proceditis hodie ad bellum contra inimicos vestros*; non vero contra fratres vestros, non Juda contra Simeonem, neque Simeon contra Juda; in quorum manus si incideritis non miserebuntur vestri. *Ne mollescat cor vestrum*, ob hinnitum equorum, & fulgorem ensium. *Ne timete* ob collisiones scutorum, & agmen cataphractorum; *neque trepidate* ob clangorem cornuum; *neque expavescite* ob classica; Contra hæc, quæ gentes mundi faciunt; alloquetur sacerdos unctus belli; *Nam Dominus Deus vester ambulat vobiscum*. Illi veniunt robore humano, at vos proceditis freti robore Dei S. B. Philistæi venerunt confisi robore Goliathi. Quid tandem evenit? Gladio ipse periit, & illi cum eo perierunt. At vobis non ita eveniet; *Nam Dominus Deus vester ambulat vobiscum, ad pugnandum pro vobis*; Hæc sunt castra Divinitatis, quæ ambulabat in medio castrorum Israelis; Pariterque dictum est; *Deut.* XXIII. 14. *Dominus enim tuus ambulat in medio castrorum, ut eruat te &c. Et alloquentur præfecti*; postquam incepit loqui præfectus, sacerdos proclamabat illis hæc verba, dicendo; responde mihi ad mea verba. *Quis est homo, qui ædificavit*. Sive ædificet stabulum, & lignile, & horreum; sive ædificet, sive emat, sive hæreditario jure adeat; sive dono accipiat; *Et non dedicavit eam*. Excluditur, qui furatus sit; *Ne forte moriatur in bello*; si non auscultet verbis sacerdotis, eveniet, ut moriatur in bello, *& alius vir dedicet illam*; ex ea familia. *Quis est homo qui plantavit vineam*. Sive plantaverit vineam, sive plantaverit quinque arbores frugiferas, vel ex quinque speciebus; sive plantaverit, sive palmites propagaverit, sive surculos immiserit, sive emerit, sive jure hæreditario adierit, sive dono acceperit; *Et non profanavit eam*; excluditur, qui palmites immiserit, qui non tenetur profanatione; dictum est enim; *& plantabitis omne lignum frugiferum*; excludit, qui surculos immiserit, & qui palmites propagaverit &c. *ne moriatur in bello*; si non auscultet sacerdoti, eveniet ut moriatur in bello. *Quis est homo, qui despondit uxorem*; sive despondeat virginem, sive viduam, vel fratria Levirum expectet; vel si audierit fratrem suum in bello periisse, abeat, & revertatur; *& non accepit eam*; uxorem sibi idoneam, excluditur, qui restituerit suam repudiatam, quæ nupta sit, & sacerdos magnus, qui despondeat viduam, & sacerdos vulgaris, qui despondeat repudiatam, & calceo donatam, & Israelita, qui despondeat notham, & Nethinæam, & Israelitis, quæ nubat notho, & Nethinæo; omnes isti revertuntur ex ordinationibus belli, & subministrant aquas & alimentum fratribus suis bellantibus, & præparant vias; & isti non moventur de locis suis; qui ædificavit domum, & dedicavit illam, qui plantavit vineam, & profanavit illam, & qui nupsit uxori suæ; Ita enim dictum est *Deuter.* XXIV. 5. *Immunis erit domi suæ annum unum*: Hinc doceris, quod dedicans domum, & profanans vineam, & despondens uxorem, tres omnes in eodem jure comprehenduntur. Non subministrant aquas, & alimentum; neque præparant vias. *Et pergent præfecti alloqui ad populum*. R. Akiba dicit; *formidolosus, & pavido corde*, juxta sensum literalem; qui nequit consistere in conferto agmine, & intueri gladium strictum; quando intuetur gladium strictum; aquæ distillant inter sua genua. R. Jose Galilæus dicit; *formidolosus & pavi-*

pavido corde, qui timet ab ſuis peccatis; eaque de cauſa lex eum conjunxit, cum his omnibus, ut ſimul una recedere poſſent; Quare dictum eſt; *Iſai.* XXXIII. 14. *Conterriti ſunt in Sion peccatores &c. Et revertetur*, eo quod eſt formidoloſus & pavido corde propter peccatum, quod fecit; Atque ita dictum eſt *Deut.* XXIII. 9. *Quando egreſſus fueris contra hoſtes tuos in pugnam, cuſtodies te ab omni re mala. Et erit deſinentibus præfectis*; ſimul ac alloqui deſierunt, ſtatim diſponuntur viri robuſtiſſimi a fronte, aliique a tergo, ferreas bipennes in manibus habentes, quibus permiſſum erat amputare crura eorum, qui fugere volebant; principium enim fugæ, clades eſt; dictum eſt enim I. *Sam.* IV. 17. *Fugit Iſrael coram Philiſthiim, & ruina magna facta eſt in populo.* De quo hæc dicta ſunt? de bello arbitrario; at in bello præcepti omnes egrediuntur, vel ſponſus e cubiculo, & ſponſa ex uraniſco ſuo; Atque ita dictum eſt I. *Reg.* XV. 22. *Rex autem Aſa nuntium miſit in omnem Judam, dicens: Nemo ſit excuſatus.* Quid ſignificat אין נקי; ne ſponſus quidem; de quo dictum eſt *Deut.* XXIV. 5. *Immunis erit domi ſuæ annum unum*; ille quoque egredietur: *Toſaphtha Sota* c. VII.

כי יהוה אלהיכם ההולך עמכם זה השם שנתן בארון שנאמר וישלך אותם משה אלף למטה לצבא אותם ואת פינחס מגיד שפינחס משוח מלחמה וכלי הקדש זה הארון שנאמר ולא יבאו לראות כבלע וגו׳ ויש אומרים אלו בגדי כהונה שנאמר ובגדי הקדש וכו׳ רבי יהודה בן לקיש אומר שני ארונות היו אחד שיוצא עמהן למלחמה ואחד מסרו עמהן במנחה זה שיוצא עמהן למלחמה היה בו ספר תורה שנאמר וארון ברית יהוה נוסע לפניהם וגו׳ והוא שיסרו עמהן במחנה זה שהיו בו שברי לוחות ולוחות שנאמר וארון ברית ומשה לא משו מן המחנה פעמים יוצא ומדבר עמהן אחד בספר ואחד במערכי המלחמה שבספר מהו אומר ילך וישמע דברי כהן במערכי המלהמה מה הוא אומר מי האיש אשר בנה בית חדש ולא חנכו ילך וישוב לביתו נפל ביתו ובנאו הרי זה חוזר רבי יהודה אומר אם חדש בו דבר חוזר ואם לאו אין חוזר רבי אליעזר אומר אנשי שרין חוזרין לבתיהן מפני שמחרשין אותם פעם אחת בשבוע ומי האיש אשר נטע כרם ולא חללו ילך וישוב לביתו אחד הנוטע את הכרם ואחד חמשה אילני מאכל מחמשת המינין אפילו בחמש עירות הרי זה חוזר רבי אליעזר בר יעקב אין לי במשמע אלא כרם מי האיש אשר ארס אשה אחד מארש ואחד מיבם אפילו שומרת יבם לחמשה אחים ואפילו חמשה אחים ששמעו שמת אחיהם במלחמה כולן חוזרין ובאין אין לי אלא בונה ביתו ולא חנכו נטע כרם ולא חללו ארש אשה ולא לקחה בנה בית וחנכו ולא שהה שנים עשר חדש נטע כרם וחללו ולא שהה שנים עשר חדש ארש אשה ולקחה ולא שהה שנים עשר חדש מניין שאין זזין ממקומן תלמוד לומר כי יקח איש אשה חדשה דבר זה בכלל היה ולמה יצא לקיש עליו מה זה מיוחד שארס אשה ולקח׳ ולא שהה שנים׳ עשר חדש שאין זזין ממקומן אף כולן כך למדה תורה דרך ארץ נתמנתה לאדם פרנס יקח לו בית חזרה נתמנתה לו יקח לו שדה חזרה נתמנתה יקח לו אשה שנאמר מי האיש אשר בנה ומי האיש אשר נטע ומי האיש אשר ארש אשה וכן שלמה אמר בה בחכמתו הכן בחוץ מלאכתך וגו׳ הכן בחוץ מלאכתך בית ועתדה בשדה זה שדה אחר ובנית ביתך זה אשה דבר אחר הכן בחוץ מלאכתך זה מקרא ועתדה בשדה לך זה משנה אחר ובנית בתיך זה מדרש דבר אחר הכן בחוץ מלאכתיך זה משנה ועתדה בשדה לך זה מדרש ובנית ביתיך אלו הלכות דבר אחר הכן בחוץ מלאכתך זה מדרש ועתדה בשדה לך אלו הלכות אחר ובנית ביתיך אלו אגדות דבר אחר הכן בחוץ מלאכתך אלו הלכות ועתדה בשדה לך אלו אגדות אחר ובנית ביתיך זה תלמוד רבי אליעזר בנו של רבי יוסי הגלילי אומר הכן בחוץ מלאכתך זה תלמוד ועתדה בשדה לך זה מעשה הטוב אחר ובנית ביתיך בא דרוש וטול שבר ויספו כל השוטרים ונומר הירא ורך הלבב שמתירא מן העבירה שבידו שנאמר למה אירא בימי רע דברי רבי יוסי הגלילי רבי עקיבא מי האיש הירא ודאי מה תלמוד לומר שוב ורך הלבב שאפילו גבור שבגבורים וחזק שבחזקים יהיה רחמן חוזר שנאמר ולא ימס את לבב אחיו כלבבו רבי שמעון אומר כל השומע דברי כהן במערכות המלחמה ואינו חוזר לסוף שהוא נופל בחרב ומפיל ישראל בחרב ומגלה אותם מארצם ובאין אחריהם ויושבין בארצם שנאמר ואיש אחר יקחנה יכול דודו ובן דודו נאמר כאן אחר ונאמר להלן אחר מה אחר האמור להלן נכרי אף אחר האמור כאן נכרי יש יוצאין וחוזרין יוצאין ואין חוזרין ויש שאין יוצאין כל עיקר כל אלו שאמרו יוצאין וחוזרין נותנין פסי העי׳ ומספקין מים ומזון למלחמה ומתקנין את הדרכים ושאר כולן אין חוזרין כל אלו שאמרו אין יוצאין כל עיקר הבונה בית וחנכו ולא שהה שנים עשר חדש ונטע כרם וחלל ולא שהה שנים עשר חדש ארש אשה ולקחה ולא שהה שנים עשר חדש הללו אין נותנין פסי העיר ואין מספקין מים ומזון למלחמה ואין מתקנין את הדרכים רבי יהודה היה קורא למלחמת הרשות מלחמת מצוה אבל מלחמת חובה הכל יוצא אפילו חתן מחדרו וכלה מחופתה

Nam Dominus Deus veſter ambulat vobiſcum; Hoc eſt nomen Dei, quod collocatum erat in Arca; ſicuti dictum eſt *Numer.* XXXI. 4. *Mille viri de ſingulis tribu-*

bubus &c. Dederuntque mille de singulis tribubus ad pugnam; quos misit Moyses ad exercitum cum Phinees; Docemur Phineasum fuisse unctum belli; *Vasa quoque sancta*; hæc est Arca; sicuti dictum est &c. *Num.* IV. 20. *Alii nulla curiositate videant &c.* Alii dicunt, has fuisse vestes sacerdotales, sicuti dictum est *Ex.* XXVIII. 2. *Et vestes sanctitatis*. R. Simeon filius Lakisch, dicit duas fuisse Arcas, quarum altera cum ipsis ad bellum egrediebatur, & altera cum ipsis in castris consistebat; in ea, quæ cum ipsis egrediebatur ad bellum, erat repositus liber legis, sicuti dictum est *Num.* X. 33. *Et Arca fœderis Domini præcedebat eos*. Et in altera, quæ cum ipsis in castris consistebat, erant reposita tabulæ fractæ, & tabulæ; sicuti dictum est *Num.* XIV. 44. *Arca autem testamenti Domini, & Moyses non recesserunt de castris*. Is egrediebatur, & alloquebatur, semel in termino, & iterum in ordinationibus belli; quid dicebat? Vadat, & audiat, verba sacerdotis in ordinationibus belli; Quid dicebat? *Quis est homo, qui ædificavit domum novam, & non dedicavit eam? Vadat & revertatur in domum suam &c.* Si ceciderit domus, & reædificasset, reverti debebat. R. Jehuda dicit, si aliquid innovasset, redibat, si minus, non redibat. R. Eleasar dicit; Incolæ Saronis, revertebantur in domos suas, quia semel singulo septennio eas renovabant. *Quis est homo, qui plantavit vineam, & non profanavit? vadat & revertatur in domum suam*. Sive plantaverit vineam, sive quinque arbores frugiferas ex quinque speciebus, vel in quinque civitatibus, revertebatur. R. Elieser filius Jacobi dicit; ego non probo juxta sensum literalem nisi de vinea. *Quis est homo, qui despondit uxorem?* Sive desponderit uxorem, sive sit levir sive Fratria leviratum expectet ex quinque fratribus; quamvis quinque fratres qui audierint eorum fratrem periisse in bello, omnes revertebantur, & abibant. Mihi non est explicitum in textu nisi qui ædificaverit domum, & non dedicaverit, & qui plantaverit vineam, & non profanaverit, & qui desponderit uxorem, & non acceperit; Qui ædificaverit domum, & eam dedicaverit, at non in ea habitaverit duodecim menses; qui plantaverit vineam, & eam profanaverit, at in ea non fuerit duodecim menses; qui desponderit uxorem, eamque acceperit, at cum ea non fuerit moratus duodecim menses, unde probatur, quod de locis suis non dimoverentur? Ex eo quod dictum est *Deut.* XXIV. 5. [10] *Cum acceperit homo nuper uxorem &c.* Hæc res comprehensa erat cum aliis; cur educta est? ut ex ipsa fieret argumentum. Sicut hoc peculiare est; quod si despondisset uxorem, eamque accepisset, at cum ea duodecim menses non habitasset, non discedebat de loco suo; id quoque de omnibus intelligendum est. [11] Lex nos docet juxta hominum consuetudinem; Quando quis sibi victum acquisivit, domum sibi comparabit; si quid reliquum est, sibi agrum acquiret, siquæ ad vitam necessaria suppetunt, accipiet sibi uxorem; dictum est enim *Deut.* XX. 5. 6. 7. *Quis est homo qui ædificavit domum &c. Quis est homo qui plantavit vineam &c. Quis est homo, qui despondit uxorem?* Atque ita dicit Salomon sua sapientia *Proverb.* XXIV. 27. *Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam. Præpara foris opus tuum*; hæc est domus; Et diligenter *exerce agrum tuum*; hic est ager. *Ut postea ædifices domum tuam*; hæc est uxor. Altera explicatio: *Præpara foris opus tuum*; hoc est studium scripturæ. *Et diligenter exerce agrum tuum*; hoc est studium Misnæ; *ut postea ædifices domum tuam*; hæc est Allegoria. Altera explicatio. *Præpara foris opus tuum*; hoc est studium Misnæ. *Et diligenter exerce agrum tuum*; hæc est Allegoria. *Ut postea ædifices domum tuam*; Hoc est studium constitutionum. R. Elieser fil. R. Jose dicit; *Præpara foris opus tuum*. Hoc est studium Gemaræ. *Et diligenter exerce agrum tuum*; Hoc est bonum opus. *Ut postea ædifices domum tuam*; Veni, & commentare, & recipe mercedem. *Et pergent præfecti alloqui populum, & dicent; Quis est homo formidolosus & pavido corde? vadat & revertatur in domum suam &c. Formidolosus & pavido corde*; Hic est qui timet propter peccata, quæ fecit; sicuti dictum est *Psal.* XLVIII. 6. *Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei &c.* Verba R. Jose Galilæi. R. Akiba dicit; *homo formidolosus*; juxta sensum literalem; quid iterum dicendum erat; *& pavido corde?* Quod etiamsi esset omnium fortium fortissimus, & robustorum robustissimus, & esset misericors, revertebatur; sicuti dictum est, *ne mollescat cor fratrum suorum sicut cor suum*. R. Simeon dicit; Qui audiebat verba sacerdotis in instruenda acie, & non revertebatur, eveniebat, ut gladio periret, & efficeret, ut Israeli pariter secum gladio perirent: & ab sua terra exularent, & ad-

advenirent alii, & eorum terram potirentur; uti dictum est *Deut.* xx. *Et alius homo accipiat eam*. Crederem esse ejus patruum, & filium patrui sui? Dictum est hic אחר *alius*, dictumque est ibi אחר *alius*; sicut alius ibi dictus est extraneus, ita pariter alius hoc loco dictus est extraneus &c. Ex his alii erant, qui exibant, & revertebantur, & alii qui exibant, & non revertebantur, & alii, qui nullo modo egrediebantur; Isti omnes, qui dicebantur exisse, & revertisse subministrabant ligna civitatibus, aquas & alimentum militibus, & præparabant vias; & reliqui omnes non revertebantur. Isti omnes sunt qui nullo modo exisse dicebantur; Qui ædificavit domum, eamque dedicavit, at in ea non fuisset moratus duodecim menses; Qui plantavit vineam, & eam profanavit, at ex ea usum non percepisset duodecim menses; Qui despondit uxorem, eamque accepit, at cum ea non fuisset moratus duodecim mentes. Isti non subministrabant ligna civitatibus, neque aquas & alimentum militibus, neque præparabant vias. R. Jehuda bellum arbitrarium appellabat bellum præcepti; At in bello præcepti omnes egredi debebant, vel sponsus de cubiculo suo vel sponsa de uranisco suo.

Hierof. Sota משוח מלחמה בשעה שהוא מדבר אל העם בלשון הקדש היה מדבר שנאמר והיה כקרבכם אל המלחמה ונגש הכהן זה משוח מלחמה ודבר אל העם בלשון הקדש ואמר אליהם שמע ישראל אתם קריבים היום למלחמה על אויביכם. על אויביכם ולא על אחיכם: לא יהודה על שמעון ולא שמעון על בנימן שאם תפלו בידם ירחמו עליכם. ב׳ כמה שנאמר להלן ויקומו האנשים אשר נקבו בשמות ויחזיקו בשבייה וכל מערומיהם הלבישו מן השלל. על אויביכם אתם הולכין שאם תפלו בידם אין מרחמין עליכם. נ׳ אל ירך לבבכם אל תיראו ואל תחפזו ואל תערצו מפניהם. אל ירך לבבכם מפני צהלת סוסים וציחצוח חרבות. אל תראו מפני הגפת התריסין ושפעת הקלגסים. אל תחפזו מפני קול קרנות ואל תערצו מפני קול צווחה. כי יי׳ אלהיכם ההולך עמכם להלחם לכם עם אויביכם להושיע אתכם. הם באין בנצחת בשר ודם ואתם באין בניצחונו של מקום. פלשתים באו בנצחונו של גוליית ומה היה בסופו סופו שנפל בחרב והם נפלו עמו אבל אתם אין אתם כן אלא כי יי׳ אלהיכם ההולך עמכם להלחם לכם עם אויביכם להושיע אתכם זו מחנה הארון. ד׳ ודברו השוטרים אל העם לאמר מי האיש אשר בנה בית חדש ולא חנכו ילך וישוב לביתו וגו׳. אחד הבונה בית חדש ואחד הבונה בית התבן בית הבקר בית העצים בית האוצרות אחד הבונה ואחד הלוקח ואחד היורש ואחד שניתן לו במתנה. ה׳ ומי האיש אשר נטע כרם ולא חיללו וגו׳ אחד הנוטע את הכרם. ואחד הנוטע חמשה אילני מאכל אפילו מחמשת המינין. אחד הנוטע ואחד המבריך ואחד המרכיב ואחד הלוקח ואחד היורש ואחד שניתן לו במתנה. ו׳ ומי האיש אשר אירש אשה ולא לקחה וגו׳. אחד המארש בתולה ואחד המארש את האלמנה אפילו שומרת יבם ואפילו שמע שמת אחיו במלחמה חוזר ובא לו. כל אילו שומעין דברי כהן מערכי המלחמה וחוזרין ומספקין מים ומזון ומתקנין את הדרכים. ז׳ ואילו שאין חוזרין הבונה בית שער אכסדרה ומרפסת והנוטע ארבעה אילני מאכל או חמשה אילני סרק והמחזיר את גרושתו אלמנה לכהן גדול גרושה וחלוצה לכהן הדיוט ממזרת ונתינה לישראל בת ישראל לממזר ולנתין לא היה חוזר. רבי יהודה אומר אף הבונה בית על מכונו לא היה חוזר. רבי אלעזר אומר אף הבונה בית לבינים בשרון לא היה חוזר. ח׳ ואילו שאינן זזין ממקומן בנה בית וחינכו נטע כרם וחיללו והנושא את ארוסתו והכונס את יבמתו שנאמר נקי יהיה לביתו. נקי לביתו זה ביתו יהיה זה כרמו. ושמח את אשתו זו אשתו. אשר לקח להביא את יבמתו. ואינם מספקין מים ומזון ואינן מתקנין את הדרכים. ט׳ ויספו השוטרים לדבר אל העם ואמרו מי האיש הירא ורך הלבב ילך וישוב לביתו. רבי עקיבא אומר הירא ורך הלבב כשמועו שאינו יכול לעמוד בקשרי המלחמה ולראות חרב שלופה. רבי יוסי הגלילי אומר הירא ורך הלבב זה שהוא מתיירא מן העבירות שבידו לפיכך תלת לו התורה את כל אילו שיחזור בגללן רבי יוסי אומר אלמנה לכהן גדול גרושה וחלוצה לכהן הדיוט ממזרת ונתינה לישראל בת ישראל לממזר ולנתין הרו הוא הירא ורך הלבב. י׳ והיה ככלות השוטרים לדבר אל העם ופקדו שרי צבאות בראש העם. בעיקבו של עם מעמידין זקיפים מלפניהן ואחרים מאחריהן וכשילין של ברזל בידיהן וכל המבקש לחזור הרשות בידיהן לפקח את שוקיו שתחילה נפילה ניסה שנאמר נס ישראל מפני פלשתים וגם מגיפה גדולה היתה בעם. ולהלן הוא אומר וינוסו אנשי ישראל פלשתים ויפלו חללים בהר הגלבוע. במה דברים אמורים במלחמת הרשות. אבל במלחמת מצוה הכל יוצאין אפילו חתן מחדרו וכלה מחופתה. אמר רבי יהודה במה דברים אמורים במלחמת מצוה אבל במלחמת חובה הכל יוצאין אפי׳ חתן מחדרו וכלה מחופתה: משוח מלחמה כו׳. משוח מלחמה למה. בניין דכתיב ודיבר. הרי קרית שמע הרי ודברת בם והיא נאמרת בכל לשון. אלא בניין דכתיב בה אמירה. הרי פרשת וידוי מעשר הרי כתיב בה אמירה והיא נאמרת בכל לשון. אמר רבי חגיי נאמר כאן נגישה. ונאמר להלן ונגשו הכהנים בני לוי מה נגישה שנאמר להלן בלשון הקדש

אף

אף כאן בלשון הקדש. עד כרון כרבי עקיבא דו אמר לשונות ריבויין הן. כרבי ישמעאל דו אמר לשונות כפולין הן. אמר רבי חייא בר אבא נאמר כאן נגישה ונאמר להלן ונגש משה אל הערפל. מה נגישה שנאמר להלן בלשון הקדש. אף כאן בלשון הקדש. לא מסתברא דלא. ופקדו שרי צבאות בראש העם. ואחר כך ונגש הכהן ודבר אל העם. מאן די מתקן לון משמע לון. אין מקרא אמור על סדר בספר את אמר שוטר שומע מפי כהן פרשה ואומרה בכל לשון. אבל בערכי המלחמה מספקין מים ומזון. ומתקנין את הדרכים. רבי חניי בעי כמה דתימר בספר שוטר שומע פרשה מפי כהן ואומרה לעם בכל לשון. ואמור אף בערכי המלחמה כן. התיב רבי חייא בר אדא לא מסתברא דלא והיה ככלות השוטרים לדבר אל העם ואחר כך ונגש הכהן ודבר אל העם. אמר ליה מכיון דאת אמר אין מקרא אמור על הסדר לית שמע מינה כלום. הלכה ב׳ כמה שנאמר להלן כו׳. אמר רבי יוחנן כל שאינו כגון אילו שהיתה ספיקה למחות אל ימחה. רבי אחא בשם רבי יוחנן כשם שמצוה לומר על דבר שהוא נעשה. כך מצוה שלא לומר על דבר שאינו נעשה. אמר רבי לעזר כשם שאסור לטהר את הטמא כך אסור לטמא את הטהור. רבי אבא בר יעקב בשם רבי יוחנן אם באת הלכה תחת ידיך ואין את יודע אם לשרוף אם לתלות לעולם הוי רץ אחר השריפה יותר מן התלייה שאין לך חביב בתורה יותר מפרים הנשרפין ושעירים הנשרפין והן בשריפה. רבי יוסי בעי למירין דבר שאין מצורתו לכאן לדבר שמצורתו לכאן.

הלכה ג׳ אל ירך לבבכם כו׳. כתיב מנגה נגדו עביו עברו. כנגד טומיות שלהן עברו כנגד הכיתים שלהן. ברד כנגד בליצטירא שלהן. וגהלי כנגד טרמנטן שלהן. אש כנגד הנפט שלהן. וירעם משמים כנגד הלפידים שלהן. ועליון יתן קולו כנגד קול הקרנות שלהן. וישלח חצין כנגד החיצים שלהן. ויפיצם מלמד שהיו מפזרין אותן. אמר רבי אבא בר כהנא מלמד שהיו עשויין תיבורת תיבורת והיו החיצים מפזרין אותן והברקים מכניסין אותן. ברקים כנגד החרבות שלהן. ויהמם המםם ועירבבם והפיל סיגנם שלהן. רבי אומר אין לשון הזה ויהמם אלא לשון מגיפה כמה דאת אמר והמם מהומה גדולה עד השמדם. להושיע אתכם זה מחנה הארון. ויש אומרים זה השם שהיה נתון בארון. דתני רבי יהודה בן לקיש אומר שני ארונות היו מהלכין עם ישראל במדבר. אחד שהיתה התורה נתונה בו. ואחד שהיו שברי הלוחות מונחין בתוכו. זה שהיתה התורה נתונה בתוכו היה נתון באהל מועד. הרא היא דכתיב וארון ברית יי׳ ומשה לא משו מקרב המחנה. וזה שהיו שברי הלוחות נתונין בתוכו היה נכנס ויוצא עמהן. ורבנן אמרי אחד היה ופעם אחת יצא ובימי עלי נשבה. קרייא מסייע להן לרבנין אוי לנו מי יצילנו מיד האלהים האלה. מילא דלא חמון מן יומיהון. קרייא מסייע לרבי יהודה בן לקיש ויאמר שאול לאחיה הגישה ארון האלהים. והלא ארון בקרית יערים היה. מאי עבדין לה רבנין היה נכנס הגישה אלי הציץ. וקרא מסייע לרבי יודה בן לקיש הארון וישראל ויהודה יושבים בסוכות. והלא ארון בציון מה היה עבדין לה רבנין סכך שהיה בקירוי שאדיין לא נבנה בית הבחירה. משנגנז הארון נגנז עמו צנצנת המן וצלוחית שמן המשחה ומקלו של אהרן ופרחיו ושקדיו וארגז שהשיבו פלשתים אשם לאלהי ישראל. ומי גנזן יאשיהו. וכיון שראה שכתוב יולך יי׳ אותך ואת מלכך. הרא היא דכתיב ויאמר ללוים המבינים לכל ישראל הקדשים ליי׳ תנו את ארון הקדש בבית אשר בנה שלמה בן דוד מלך ישראל אין לכם משא בכתף. אמר אם גולה הוא עמכם לבבל אין אתם מחזירין אותו למקומו אלא עתה עבדו את יי׳ אלהיכם ואת עמו ישראל. פיטום שמן המשחה ואתה קח לך בשמים ראש מר דרר חמש מאות וגו׳ וקדה חמש מאות בשקל הקדש שהן אלף וחמש מאות מנים. ושמן זית הין. שהן שנים עשר לוג שבו היה שולק את העיקרין דברי רבי מאיר. רבי יהודה אומר שולקן היה במים ונותן שמן על גביהן וכיון שהיה קולט את הריח היה מעבירו כדרך שהפטמין עושין הרא הוא דכתיב ועשית אותו שמן משחת קדש יהיה זה לי לדורותיכם. תני רבי יהודה בן רבי אליעאי אומר שמן משחת שעשה משה במדבר. מעשה ניסים נעשה בו מתחלה ועד סוף שמתחלה לא היה בו אלא שנים עשר לוג שנאמר ושמן זית הין. אם לסוך בו את העצים לא היה מספיק על אחת כמה וכמה שהאור בולע והעצים בולעין. והיורה בולעת וממנו נמשחו המשכן וכל כליו. המנורה וכל כליה ממנו נמשח אהרן ובניו כל שבעת ימי המילואים ממנו נמשחו כהנים גדולים ומלכים. מלך בתחלה טעון משיחה מלך בן מלך אינו טעון משיחה שנאמר קום משחהו כי זה הוא. זה טעון משיחה. אין בנו טעון משיחה. אבל כהן גדול בן כהן גדול אפי׳ עד עשרה דורות טעונין משיחה וכולו קיים לעתיד לבא שנאמר שמן משחת קדש יהיה זה לי לדרתיכם. אין מושחין את המלכים אלא על גבי המעיין שנאמר והרכבתם את שלמה בני על הפרדה אשר לי והורדתם אותו אל גיחון ומשח אותו שם צדוק הכהן ונתן הנביא וגו׳. אין מושחין מלכים אלא מפני המחלוקת מפני מה נמשח שלמה מפני מחלוקתו של ארוניה. יואש מפני עתליה. יורם מפני יהוא. לא כן כתיב קום משחהו כי זה הוא זה טעון משיחה ואין מלכי ישראל טעונין משיחה. יהואחז מפני יהויקים אחיו שהיה גדול ממנו שתי שנים. ולא יאשיהו גנזו. הרא אמרה באפרסמון משחו. אין מושחין את המלכים אלא מן הקרן. שאול ויהוא נמשחו מן הפך שהיתה מלכותן מלכות עוברת.

עוברת. דוד ושלמה נמשחו מן הקרן
שהיתה מלכותן מלכות קיימת. אין מושחין
מלכים כהנים. אמר רבי יודן ענתונדריה
על שם לא יסור שבט מיהודה. אמר רבי
חייא בר ארא על שם למען יאריך ימים
על ממלכתו הוא ובניו בקרב ישראל. מה
כתיב בתריה לא יהיה לכהנים הלוים אמר
רבי יוחנן הוא יוחנן הוא יהואחז. והא
כתיב הבכור יוחנן. בכור למלכות. אמר
רבי יוחנן הוא שלום הוא צדקיהו. והכתיב
השלישי צדקיהו והרביעי שלום. שלישי
לתולדות ורביעי למלכות. צדקיהו שצידק
עליו את הדין. שלום שבימיו שלמה מלכות
בית דוד. לא שלום הוה שמה ולא צדקיהו
הוה שמיה אלא מתניה. הדא היא דכתיב
וימלך מלך בבל את מתניה דודו תחתיו
ויסב את שמו צדקיהו. אמר רבי יוחנן
באמה של ששה טפחים היה הארון עשוי
מאן תנא אמה של ששה טפחים רבי
מאיר היא דתנן רבי מאיר אומר כל
האמות היו בבינוניות על דעתיה דרבי
מאיר דאמר באמה של ששה טפחים היה
הארון עשוי ארכו של ארון חמשה עשר
דכתיב אמתים וחצי ארכו אמה אשתה
ואמה אשתה. ופלגות אמתא תלתא.
וארבעה לוחות היו בו שנים שבורים ושנים
שלימים. דכתיב אשר שברת ושמתם
בארון. והלוחות היו כל אחד ואחד ארכן
ששה טפחים ורחבן שלשה. תן רחבן של
לוחות לאורכו של ארון נשתיירו שם
שלשה טפחים. תנם לאיסטווה ורחבו של
ארון תשעה טפחים דכתיב אמה וחצי
רחבו. אמתא אישתא. ופלגות אמתא
תלתא. וארבעה לוחות היו בו שנים
שבורים ושנים שלימין דכתיב אשר שברת
ושמתם בארון. והלוחות היה כל אחד
ואחד ארכן ששה טפחים. ותן ארכן של
לוחות לרחבו של ארון. נשתייר שם
שלשה טפחים חצי טפח מיכן וחצי טפח
מיכן לשילוט. ומקום שמניחין בו ספר
תורה טפחיים. רבי שמעון בן לקיש אמר
באמה של חמשה טפחים היה הארון עשוי
מאן תנא אמה של חמשה טפחים רבי
יהודה. דתנינן תמן רבי יהודה אומר אמת
הבניין ששה טפחים ושל כלים חמשה. והן
ארון כלי הוא. על דעתיה דרבי יהודה
דאמר של חמשה טפחים היה הארון עשוי
ארכו של ארון שנים עשר טפחים. ומחצה
דכתיב אמתים וחצי ארכו אמתא חמשה
ואמתא חמשה. ופלגות אמתא תרין ופלג
וארבעה לוחות היו בו שנים שלימין ושנים
שבורין דכתיב אשר שברת ושמתם בארון
והלוחות היו כל אחד ואחד ארכן ששה
טפחים ורחבן שלשה. תן רחבן של לוחות
לאורכו של ארון נשתייר שם חצי טפח
אצבע לכתלים מיכן ואצבע לכתלים מיכן
ורחבו של ארון ז׳ טפחי׳ ומחצ׳ דכתיב ואמ׳ וחצי
רחבו. אמתא חמשה טפחים ופלגות
אמתא תרין ופלג וארבעה לוחות היו בו
שנים שלימין ושנים שבורין דכתיב אשר
שברת ושמתם בארון. והלחות היו כל
אחד ואחד ארכן ששה טפחים ורחבן

שלשה. תן ארכן של לוחות לרחבו של
ארון נשתייר שם טפח ומחצה אצבע
לכתלים מיכן ואצבע לכתלים מיכן. וחצי
טפח מיכן וחצי טפח מכאן לשילוט. כיצד
עשה בצלאל את הארון רבי חנינא אמר
שלש תיבות עשאן שתים של זהב ואחת
של עץ ונתן של זהב כשל עץ ושל עץ
כשל זהב וציפהו הדא היא דכתיב וצפית
אותו זהב טהור מבית ומחוץ. מה תלמוד
לומר תצפנו להביא שפתי העליונה. רבי
שמעון בן לקיש אמר תיבה אחת עשאו
וציפהו הדא היא דכתיב וצפית אותו זהב
טהור מבית ומחוץ מה תלמוד לומר תצפנו
אמר רבי פינחס להביא בין נסך לנסך.
כיצד היו הלוחות כתובים. רבי חנניה בן
גמליאל אומר חמשה על לוח זה וחמשה
על לוח זה. ורבנין אמרין עשרה על לוח
זה ועשרה על לוח זה. דכתיב ויגד לכם
את בריתו אשר צוה אתכם לעשות עשרת
הדברים. עשרה על לוח זה ועשרה על
לוח זה. רבי שמעון בן יוחאי אומר עשרים
על לוח זה ועשרים על לוח זה דכתיב
ויגד לכם את בריתו אשר צוה אתכם
לעשות עשרת הדברים עשרים על לוח זה
ועשרים על לוח זה. רבי סימאי אומר
ארבעים על לוח זה וארבעים על לוח זה
מזה ומזה הם כתובים. טטרגונה. חנניה
בן אחי רבי יהושע אומר בין כל דיבור
ודיבור דיקדוקיה ואותותיה ממלאים
בתרשיש. נימא רבא. רבי שמעון בן לקיש
כד הוה מטי להדין קרייא הוה אמר יפה
לימדיני חנניה בן אחי רבי יהושע. מה
הים הזה בין גל גדול לגל גדול גלים
קטנים כך בין כל דבר ודבר דיקדוקיה
ואותותיה של תורה. אמר רבי תנחומא
איתקשיית קומי רבי פינחס אתיא כרבי
יהודה ולא אתייא כרבי מאיר. מה טעמא
דרבי יהודה לקוח את ספר התורה הזה.
על דעתיה דרבי יהודה דו אמר איכן ספר
תורה היה נתון כמין גלוסקוס עשו לו
מבחוץ והיה ספר תורה נתון בתוכו. מה
טעמא דרבי מאיר ונתת את הכפורת על
הארון מלמעלה על דעתיה דרבי מאיר דו
אמר אין מוקדם ומאוחר בתורה ואל
הארון תתן את העדות אשר אתן אליך.
ואחר כן ונתת את הכפורת על הארון
מלמעלה. רבי פינחס בשם רבי שמעון בן
לקיש תורה שנתן הקדוש ברוך הוא עורה
אש לבנה. חרותה אש שחורה. היא אש
ומיכללת באש. חצובה מאש. נתונה מאש
מימינו אש דת למו. הלכה ד׳ אשר
בנה בית. אין לי אלא אשר בנה. לקח
ירש ניתן לו במתנה מניין. תלמוד לומר
האיש מי האיש. מניין הבונה בית התבן
בית הבקר בית העצים בית האוצרות
מניין תלמוד לומר אשר בנה מכל מקום
יכול הבונה בית שער ואכסדרה ומרפסת
יהא חוזר תלמוד לומר בית. מה בית
מיוחד שהוא בית דירה יצאו אילו שאינן
בית דירה. יצא בית שאין בו ארבע
אמות על ארבע אמות. דתני בית שאין
בו ארבע אמות על ארבע אמות פטור מן

המעקה

המעקה ומן המזוזה ומן העירוב ואינו
טובל למעשרות. ואין נותנין לו ארבע
אמות לפני פתחו. ואין עושין אותו חיבור
לעיר. והנודר מן הבית מותר לישב בו.
ואינו צמית ביובל ואינו מטמא בנגעים
ואין הבעלים חוזרין לו במלחמה. מה
תלמוד לומר אשר בנה פרט לשנפל ביתו
ובנאו. אמר רבי יוסי זאת אומרת המחזיר
את גרושתו לא היה חוזר. יכול הבונה
בית בחוצה לארץ יהא חוזר תלמוד לומר
ולא חנכו. את שמצוה לחנכו יצא זה
שאינו מצוה לחנכו. הקדים לו שכרו כמי
שחנכו. נתן לו שכרו לאחר שנים עשר
חדש כמי שלא חנכו. נעלו אם היה בתוכו
חפצים את שדרכו ליבטל עליה כמי שחנכו
ואם לאו כמי שלא חנכו. הלכה ה'
אשר נטע. אין לי אלא אשר נטע.
לקח ירש ניתן לו במתנה מניין. תלמוד
לומר האיש. מי האיש. מניין הנוטע
חמשה אילני מאכל אפילו מחמשת המינין
תלמוד לומר אשר נטע מכל מקום. יכול
הנוטע ארבעה אילני מאכל או חמשה
אילני סרק יהא חוזר. תלמוד לומר כרם
מה כרם מיוחד שהוא של חמש גפנים.
שהיין מניתו שהיין קוסם מערבין בו
ומשתתפין בו ומברכין עליו ומזמנין עליו
ומקדשין בו את הכלה ומנחמין בו את
האבל ונמכר בחנות לשם יין. והמוכר
לחבירו יין סתם לא מכר לו יין קוסם.
ואסור בהורייה ובהיתר נדרים. ועל ביאת
המקדש. לית לך אלא שהוא אסור על
גבי המזבח. וההן בן סורר ומורה צריכה.
יכול הנוטע כרם בחוצה לארץ יהא חוזר
תלמוד לומר ולא חללו. את שמצוה
לחללו יצא זה שאין מצוה לחללו. תני
רבי אליעזר בן יעקב אומר אין משמע
אלא כרם. ודכוותה אין משמע אלא נטע.
תני ולא חללו פרט למבריך ולמרכיב.
אמר רבי יוחנן דרבי אליעזר בן יעקב
היא. אמר רב חסדא דברי הכל היא.
כשהרכיב פירות עבירה. מה אנן קיימין
אם כשהרכיב אילן מאכל על גבי אילן
מאכל. כן כשאינו מינו פירות עבירה הן.
ואם כשהרכיב אילן מאכל על גבי אילן
סרק מין כמינו נוטע כבתחלה הן. אלא כן
אנן קיימין כשהרכיב תאינה שחורה על
גבי תאינה לבנה אימתי הוא מחללו
ברביעית ובחמישית. מסתברא בחמישית.
אבל ברביעית דמים הוא חייב לו. ורבנין
דקסרין אמרין לא מסתברא אלא ברביעית
דכתיב ובשנה הרביעית יהיה כל פריו
קדש הילולים ליי'. הלכה ו' אשר
ארש אשה. אין לי אלא רובה שנשא
ריבה. מניין רובה שנשא אלמנה. אלמון
שנשא ריבה מניין תלמוד לומר אשה מכל
מקום. מה תלמוד לומר חדשה פרט
למחזיר את גרושתו. אמר רבי יוסי זאת
אומרת הנושא את האיילונית הואיל ואין
מצוה לישב עמה אינו חוזר. אפילו שומרת
יבם לחמשה אחים. ודכוותה אפילו בית
אחד לחמשה אחין. תמן אין כל אחד
ואחד ראוי לישב בו. ברם הכא כל אחד
ואחד ראוי לייבם. מה דמי לה קידש אשה
מעכשיו לאחר שנים עשר חדש ושלם
הזמן במלחמה חוזר ובא לו. הלכה ז'
תני רבי יהודה אומר אם חידש בה
דבר חוזר ואם לאו אינו חוזר. סדו בסיד
ופתח בו חלונות לא היה חוזר. היה גדול
ועשאו קטן חוזר. ואחד ועשאו שנים. תני
רבי אלעזר אומר אף אנשי השרון לא
היו חוזרין שהן מתחדשין פעמים בשבוע
אף כהן גדול היה מתפלל עליהן ביום
הכיפורים שלא ייעשו בתיהן קבריהן.
הלכה ח' בנה בית וחנכו ולא שהא
בתוכו שנים עשר חדש. נטע כרם וחיללו
ולא שהא בתוכו שנים עשר חדש. וכולהן
למידין מן האשה. מה אשה צריכה שנים
עשר חדש אף כולהן צריכים שנים עשר
חדש. תני כל אילו שהיו אומרים יושבין
בטילין בתוך העיר ואינן מספקין מים
ומזון ואינן מתקנין את הדרכים שנאמר
ולא יעבר עליו לכל דבר. עליו אינו עובר
אבל עובר הוא על אחרים. הלכה ט'
כתיב ויספו השוטרים. אין לשון זה
ויספו אלא לשון תוספת כאינש דאמר
מוסיף אני על דברי רבי. תנו האחרונים
מן התוספת. אמר רבי יוסי תרין תניין
אינון. מאן דאמר מוסיף אני על דברי
רבי אחד הראשונים ואחד האחרונים אמר
הוא אמר רבו. מאן דאמר האחרונים
מן התוספת הראשונים אמר הוא אמר
רבו והאחרונים אמר הוא ולא אמר רבו.
אמר רבי מנא חד תניי הוא ראשונים
אמר הוא אמר רבו האחרונים אמר
הוא לא אמר רבו. מתניתא פליגא על
רבי יוסי שומע פרשה מפי כהן ואומרה
לעם בכל לשון. וסופא פליגא על רבי
מנא עוד דבר אחד היה מוסיף משלו. אין
תימר כן אפילו על דרבי יוסי לית הוא
פליגא דתני הראשונים אמר הוא אמר
רבו האחרונים אמר הוא לא אמר רבו.
ותני כולהן צריכין להביא ראייה לדבריהן
חוץ מזה שעדיו עמו. ואתייא כמאן דאמר
שאינו יכול לעמוד בקשרי המלחמות וחרב
שלופה. ברם כמאן דאמר שהוא מתיירא
מעבירות שבידו עוד הוא צריך להביא
ראייה. לפיכך תלת לו התורה את כל
אילו שיחזור בגללן שלא לפרסם את
החטאים. ואתייא כיי דאמר רבי לוי בשם
רבי שמעון בן לקיש במקום אשר תשחט
העולה תשחט החטאת לפני יי' שלא
לפרסם את החטאים. הלכה י' כתיב
והיה ככלו' השוטרי' לדבר אל העם ופקדו
שרי צבאות בראש העם. בסוף העם מניין
תלמוד לומר פקדו ופקדו. עד כרוז כרבי
עקיבא. כרבי ישמעאל. רבי ישמעאל
כרבי מאיר דרבי מאיר צווח לסופיה
דחבלא רישיה. אמר רבי מאיר כתיב
החכם עיניו בראשו. הכסיל במה ברגליו.
אמר רבי אבא מרי החכם עד שהוא
בראשו של דבר הוא יודע מה בסופו.
גר גדוד יגודנו. נייסא אתי מנייסתיה
והוא מנייס ליה. כיני מתניתה שתחילת
נפילה ניסה. אמר רבי יוחנן משמעות

ביניהן. רבי יהודה היה קורא למלחמת הרשות מלחמת מצוה. אבל במלחמת חובה הכל יוצא אפילו חתן מחדרו וכלה מחופתה. אמר רב חסדא מחלוקת ביניהן רבנין אמרין מלחמת מצוה זו מלחמת דוד מלחמת חובה זו מלחמת יהושע. רבי יהודה היה קורא מלחמת רשות כגון אנן דאזלין עליהון מלחמת חובה כגון דאתיין אינון עלינן. כתיב והמלך אסא השמיע את כל יהודה אין נקי. מהו אין נקי. רבי סימון ורבנין. רבי סימון אין נקי לביתו שעה א'. ורבנין אמרין לית רבי כרבי. Sacerdos ad Bellum unctus, quando populum alloquebatur, Hebraice verba fecit: Q. S. E. (Deut. XX. 2.) *Et erit cum procedetis in prælium, ut accedens Sacerdos.* (Is est Sacerdos, ad bellum unctus) *alloquatur populum*, (Hebraice videlicet,) *& dicat eis: Audi Israel &c.* Contra inimicos vestros, (*inquam, expeditionem suscipitis,*) non vero contra fratres vestros. Non (*pugnabit tribus*) Judæ, contra tribum Simeonis, aut Simeonis, adversus tribum Benjaminis, ut si in illorum manus incideritis, misericordia erga vos utantur: prout S. E. (2. Chron. XXVIII. 15.) *Et surgentes homines quidam, qui expressi fuerant nominatim, prehenderunt multitudinem illam captivam, & omnes nudos eorum induerunt ex præda; cumque induissent, & calceassent, cibumque & potum dedissent, atque unxissent eos, deduxerunt asinis quemque labantem Jerichuntem, in civitatem palmarum, ad fratres eorum deinde reversi sunt Samariam &c.* Contra hostes (*inquam*) vestros proditis, quorum si in manus incideritis vestri non miserebuntur. (Additur porro Deut. XX. 3.) *Ne mollescat cor vestrum, ne timete, neque trepidate &c.* (*Id est.*) *Ne mollescat cor vestrum* ob hinitum equorum, & fulgorem ensium: *Ne timete*, ob collisiones scutorum & agmen cataphractorum: *Neque trepidate*, ob sonum tubarum: *Neque expavescite*, ob classica. *Nam Dominus Deus vester ambulat vobiscum.* Ipsi adventant robore misello humano, vos vero acceditis freti robore Dei infiniti. Venerant (*olim*) Philistæi cum robore Goliathi; quid tandem evenit? Ad postremum gladio cæsus est, & illi pariter cum eodem. Ammonitæ prodibant (*confidentes*) fortitudini Schobachi; At quis fuit finis istius expeditionis? Tam illius, quam horum strages. Quantum vero ad vos attinet, minime ita vobis res sese habet: *Nam Dominus Deus vester, ambulat vobiscum, præliando pro vobis &c.* Respiciunt hæc comitatum Arcæ. 2. (Legimus Deut. XX. v. 5.) *Deinde alloquentur Diribitores populum, dicendo: Quis est ille vir qui ædificavit domum novam, & non dedicavit eam? Abiens revertitor domum suam.* (*Hæc capienda*) de eo quoque, qui Καρφοδοχεῖον, Stabulum, Lignile aut Horreum condidit. Parque condentis, ementis, hereditario jure adeuntis, vel ex donato impetrantis, ratio est. Item: (*v. 6.*) *Quis est ille Vir, qui plantavit vineam, nec dum ea sacris jam soluta usus est?* Hæc valent tam de eo, qui vineam plantavit, quam qui quinque arbores frugiferas sevit, si maxime sint quinque diversarum specierum. Adde, quod serentis, aut palmites propagantis, vel surculos immittentis, horumque emtoris, heredis, & ex donato possessoris, eadem est ratio. (Succedit v. 7.) *Quis est ille Vir, qui desponsavit Uxorem &c.* Si quis desponsaverat Virginem, aut Viduam, aut si quem Levirum fratria præstolabatur, aut, si quis audiverat, in bello periisse fratrem suum, illi recedendi, abeundique potestas concedebatur. Omnes isti (*de quibus hactenus egimus,*) aures præbuere verbis Sacerdotis, qui aciei adornandæ præerat, & abeuntes, aquam atqne alimenta subministrabant, viasque complanabant. 3. Sequentibus recedere non licebat. Qui condiderat tantum Prothyrum, Perguiam aut Porticum. Qui plantaverat (*non nisi*) quatuor arbores frugiferas, aut quinque steriles. Si quis repetiverat repudiatam. Si quis Pontifex desponsisset sibi Viduam; Sacerdos vero communis, passam repudium, aut donatam calceo. Si Judæus matrimonium inivisset cum notha, aut Nethinæa: Item si cui Nethinæo, vel Spurio, nuptura erat ingenua Israelitis, abeundi venia non dabatur. R. Judas ait, etiam superstruenti domum veteri fundamento, discedere non licuisse. Idem prorsus, R. Eliezer de eo pronunciat, qui domum lateritiam in Sarone condidit. 4. Sequentes ne loco quidem sese movebant. Qui domum ædificaverat, & dedicaverat. Qui vineam plantaverat, & sacris solutis ea uti cœperat. Qui Sponsam domum duxerat, aut fratriam sibi junxerat. Q. S. E. (Deut. XXIV. 5.) *Immunis esto domi suæ annum unum.* Vox לביתו Domum respicit: יהיה Vineam ושמח את אשתו Uxorem recens ductum. אשר לקח Fratriam supperaddit. Iidem quoque nec cibum potumque ministrabant nec vias sternebant. 5. (Legitur Deut. XX. 8.) *Et pergent Diribitores illi alloqui Populum*

lum &c. R. Akiba contendit verba הירא ירך הלבב simpliciter accipienda, de eo nempe, qui nequit consistere in conferto agmine, aut intueri gladium strictum. R. Jose vero Galilæus vult, iis verbis eum notari; qui sibi ob commissum peccatum metuit; hacque de causa Legem cæteros hic coniunxisse, ut cum iis simul secedere posset. R. Jose ait: Summus Sacerdos viduam, Sacerdos gregarius repudiatam, aut calceo donatam; Judæus spuriam aut Nethinæam; Spurius vel Nethinæus, ingenuam ducentes; isti sunt timidi illi & vecordes, (*qui hoc loco memorantur.*) 6. (Porro legitur v. 8.) *Et erit desinentibus Diribitoribus alloqui Populum, ut præficiant Principes ordinum militarium, a fronte Populi: Similiter & a tergo ejusdem.* Nimirum disposuerunt viros robustissimos a fronte, aliosque a tergo, ii ferratas bipennes in manibus habebant, & cuique profugere volenti, crura amputare, iis permissum erat: principium enim fugæ, clades est. Q. S. (1. Sam. IV. 17.) *Fugit Israel coram Philistæis, atque etiam magna plaga fuit in populo.* Sic & alibi (cap. scilicet XXXI. 1.) dicitur: *Fugerunt Israelitæ a conspectu Philistæorum, ceciderunt que confossi* &c. 7. De quo Casu hæc (*quæ de abeundi venia dicta sunt,*) accipienda? De bello arbitrario. At vero in Bello præcepto, omnes in aciem prodibant, etiam Sponsus e cubiculo, & Sponsa ex uranisco suo. R. Judas diversum statuit, & priora etiam de bello præcepti interpretatur, nec nisi in bello defensivo, omnes in universum ex æquo comparere debuisse, opinatur. *Gemara Hierosol. Sota 22. 2.* Unctus belli &c. Unctus belli, qua de causa? Quia scriptum est; *& alloquetur*; Ecce in lectione *Audi Israel* scriptum est; *& dices cum illis*, & quavis lingua recitatur; Verum quia in ea scriptum est אמירה *sermo* ecce Parascha, ubi agitur de confessione decimæ, ecce in ea scriptum est אמירה & qualibet lingua recitatur; Dicit R. Chagi; Dictum est hic נגישה *accedet* pariterque dictum est illic; *Et accedent sacerdotes filii Levi*; sicut נגישה ibi dicta in lingua sancta, ita pariter hoc loco in lingua sancta. Hactenus juxta sententiam R. Akiba, hic dicit, multas fuisse linguas; juxta opinionem R. Ismaelis, hic dicit, duplices fuisse linguas. Dicit R. Chjia bar Aba, dictum est hic נגישה, *accedet*; pariterque illic sc. *Exod.* XX. 21. dictum est; *Et accessit Mose ad caliginem*: sicut נגישה eo loco dicta in lingua sancta; ita pariter hoc loco in lingua sancta. Non est hæc sententia. *Ut præficiant duces exercitus a fronte populi*; & posthæc; *Et accedens sacerdos alloquetur ad populum*; Quod illis præcipiebat, illis proclamabat. Non est textus dictus juxta ordinem; In termimino tu dicis, quod præfectus audiret ex ore sacerdotis Parascham, & quavis lingua recitaret. Verum in ordinationibus belli subministrabant aquas, & alimentum, & præparabant vias; R. Chagi contendit, uti dicis, quod in termino præfectus audiret Parascham ex ore sacerdotis, & populo quavis lingua recitaret; Et dic, quod pariter in ordinationibus belli sic fieret. Respondit R. Chjia bar Ada; non hæc est sententia; *Et erit desinentibus præfectis alloqui ad populum*; Et posthæc: *Et accedens sacerdos alloquetur ad populum.* Respondit illi, postquam tu dicis quod textus non sit dictus juxta ordinem, nihil hinc intelligitur. *Constitutio II.* Uti dictum est eo loco &c. Dicit R. Jochanan; Id omne, quod non sit illi simile, satis est ad impediendum, non debet impedire. R. Acha nomine R. Jochanan; sicuti præceptum dicitur de re, quæ non perficitur, ita pariter præceptum quod non dicitur de re, quæ perficitur. Dicit R. Eliezer; sicuti vetitum est purificare immundum, ita pariter vetitum est polluere mundum. R. Ba bar Jacob nomine R. Jochanan, si veniat constitutio sub tuam potestatem, neque scias atrum sit comburendum, an suspendendum, semper sequi debes combustionem potius, quam suspensionem, quia nihil tibi in lege gratius est juvencis, & hircis, qui erant comburendi; & illi combustione *absumebantur.* R. Jose contendit explicandam esse rem, cujus præceptum non est ex hoc loco, ab re, cujus præceptum est ab illo loco. *Constitutio III. Ne mollescat cor vestrum &c.* Scriptum est *Psal.* XVII. 12. *Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt*, contra eorum immunditcase, seu spiritus malos. *Transierunt* contra turmas: *Grando* contra eorum balestras. *Et carbones* contra eorum tormenta bellica. *Ignis* contra eorum naphthan. *Et intonuit de cœlo* contra eorum faces. *Et altissimus dedit vocem suam.* Contra eorum tubas. *Et misit sagittas suas* contra eorum sagittas. *Et dissipavit eos*; dispregebant illos. Dicit R. Ba bar Cahna, docet, quod facerent varias arcas, & sagittæ dispergebant illos; *Et fulgura* in illos penetrabant; *fulgura* contra eorum gladios; *& conturbavit*

turbavit eorum turmas, & confudit eos, & profligavit eorum præfectos, Rabi dicit non significat ויהמם nisi cladem; sicut tu dicis; *Deut.* VII. 23. *Et incidet illos donec penitus deleantur. Ut servet vos*; hæc sunt castra Divinitatis; Et alii dicunt, fuisse Dei nomen quod in Arca repositum erat. Docens R. Jehuda ben Lakisch dicit duas fuisse arcas, quæ procedebant cum Israele in deserto; alteram, in qua lex reposita esset, & alteram, ubi positæ erant tabulæ fractæ; alteram, in qua erat lex, fuisse collocatam in tabernaculo conventus, de qua scriptum est *Num.* XIV. 44. *Arca autem testamenti Domini, & Moyses non recesserunt de castris*; & alteram, ubi tabulæ fractæ repositæ erant, cum illis ingrediebatur, & egrediebatur; At sapientes dicunt, unam tantummodo fuisse; & una tantum vice fuisse egressam, & tempore Eli captam est. Textus favet sapientibus 1. *Sam.* IV. 8. *Quis nos salvabit de manu deorum sublimium istorum?* Quod nunquam viderant a diebus suis. Textus favet R. Jehuda ben Lakisch 1. *Sam.* XIV. 18. *Et ait Saul: Admove arcam Dei*. Atqui tum temporis arca erat in Kirjath jearim. Quid ergo facient sapientes nostri? (i. e. quid respondebunt?) Ingrediebatur; *admove mihi laminam*. Et textus favet R. Jehuda ben Lakisch 2. *Sam.* XI. 11. *Arca Dei & Israel, & Juda habitant in papilionibus*; nonne Arca erat in Sion? Quid respondebunt ad hoc sapientes. Operimentum, quod erat in papilione, antequam ædificaretur domus electa: Postquam abscondita est arca, cum ea absconditum est vasculum mannæ, lecythus olei unctionis, & virga Aaronis cum floribus, & amygdalis suis; & scrinium quod miserunt Philistæi donum Deo Israelis. Quis eam abscondit? Josia. Postquam enim vidit, quod scriptum est *Deut.* XXVIII. 36. *Ducet te Dominus, & regem tuum*. Hoc est quod scriptum est. 2. *Paral.* XXXVI. 3. *Levitis quoque, ad quorum eruditionem omnis Israel sanctificabatur Domino, locutus est: Ponite arcam in sanctuario templi, quod ædificavit Salomon filius David rex Israel, nequaquam enim ultra portabitis*. Dixit; si in captivitatem abducetur vobiscum Babylonem, nequaquam vos restituetis in locum suum; *nunc autem ministrate Domino Deo vestro, & populo suo Israel*. Compositio olei unctionis. *Exod.* XXX. 23. *Sume tibi aromata, primæ myrrhæ & electæ quingentos siclos &c. Casiæ quoque quingentos siclos in pondere sanctuarii*; quæ sunt mille & quingentæ minæ. *Olei de Olivis mensuram hin*; quæ conficit duodecim logos; in quibus elixabantur radices; verba R. Meir. R. Jehuda dicit; elixabantur in aquis, quibus super infundebatur oleum; & postquam exceptus erat odor, miscebantur juxta consuetudinem unguentariorum; Hinc scriptum est Ibid. *Faciesque unctionis oleum sanctum erit hoc mihi in generationes vestras*. Docens R. Jehuda discipulus R. Elai dicit; In oleo unctionis, quod fecit Mose in deserto, quam multa facta sunt miracula, a principio usque ad finem! Quod in principio non erant nisi duodecim logi; sicuti dictum est; *Olei de olivis mensuram hin*; si ad ungendum ligna; non satis erat, quantum vero absorbsit ignis, quantum ligna, quantum ahenum! Atque ex eo unctum est tabernaculum, & omnia ejus vasa, & mensa & omnia ejus vasa; candelabrum, & omnia ejus vasa, Aaron, ejusque filii integro septiduo impletionum; sacerdotes summi, & Reges; Rex a principio ungendus est; Rex regis filius non est ungendus; Dictum est enim 1. *Sam.* XVI. 12. *Surge, unge eum, ipse est enim*. Hic ungendus erat; at filius ejus non erat necesse ut ungeretur. Verum sacerdos summus filius summi sacerdotis, vel ad decem generationes ungendi erat; & hoc omne servandum erat in futurum tempus; Dictum est enim; *Oleum unctionis sanctum hoc erit mihi in generationes vestras*. Non unguntur reges nisi prope fontem; dictum est enim 1. *Reg.* I. 33. *Et imponite Salomonem filium meum super mulam meam, & ducite eum in Gihon; Et ungat eum ibi Sadoc sacerdos, & Nathan propheta &c.* Non unguntur reges nisi propter dissensionem: Quare igitur unctus est Salomon? propter contentionem Adoniæ; & Joas propter Athaliam; Joras propter Jehu; non ne ita scriptum est *Sam.* l. c. *Surge, unge eum, ipse est enim?* Iste erat ungendus; at reges Israelis non erant ungendi. Johanam propter Joakim fratrem suum, qui biennio erat major natu. Nonne Josia abscondit? Hoc dicit, quod ex balsamo ungerentur. Non unguntur reges nisi ex cornu. Saul & Jehu uncti sunt ex lenticula, ideoque eorum regnum non fuit durabile. David & Salomon uncti fuerunt ex cornu, ideoque eorum regnum fuit stabile. Non unguntur reges sacerdotes; Dicit R. Jodan Ganotandria ex eo quod dicitur Gen. XLIX. 10. *Non auferetur sceptrum*

de

de Juda. Dicit R. Chjia bar Ada ex eo quod dicitur *Deut.* XVII. 20. *Ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus super Israel*. Quid postea scriptum est? *Non erit sacerdotibus Levitis*. Ibid. XX. I. Dicit R. Jochanan, erat idem Johanan ac Joakam; Atqui scriptum est, I. *Paral.* III. 15. *Primogenitus Johanan*; Primogenitus respectu regni. Dicit R. Jochanan; Idem erat Sellum ac Sedecias. Atqui scriptum est; *Tertius Sedecias, quartus Sellum*. Tertius respectu generationis, & quartus respectu regni. Sedecias, quia justum fuit super eo judicium. Sellum, quia in ejus diebus absolutum est regnum domus David. Non fuit nomen ejus Sellum, neque Sedecias, at ejus nomen fuit Matthania. Hinc scriptum est 2. *Reg.* XXIV. 17. *Et rex Babylonis constituit regem Matthaniam patruum ejus imposuitque nomen ei Sedeciam*. Dicit R. Jochanan, cubito sex palmorum constructam fuisse arcam; Qui docet fuisse cubitum sex palmorum, est R. Meir; Legitur enim; R. Meir dicit; Omnes cubiti erant mediocres; juxta mentem R. Meir, qui dicit, cubito sex palmorum constructam fuisse arcam; longitudo arcæ erat quindecim palmorum; Scriptum est enim *Exod.* XXV. 10. *Cujus longitudo habeat duos & semis cubitos*; cubitum sex palmorum, & cubitum sex palmorum, & dimidium cubitum trium palmorum. Et quatuor tabulæ ibi repositæ erant, duæ fractæ, & duæ integræ; scriptum est enim; *Quas ante fregisti, ponesque eas in arca*; Et singularum tabularum longitudo erat sex palmorum, & trium latitudo. Attribue latitudinem tabularum longitudini arcæ, reliqui erunt tres palmi. Legitur; longitudo & latitudo arcæ, erat novem palmorum; scriptum est enim *Ex.* XXX. 10. *Latitudo cubitum & dimidium*; cubitum sex palmorum, & dimidium cubitum trium palmorum. Et quatuor tabulæ in ea erant, duæ fractæ, & duæ integræ, scriptum est enim *Deut.* X. 2. *Quas ante confregisti ponesque eas in arca*. Singularum tabularum longitudo erat sex palmorum; Attribue longitudinem tabularum latitudini arcæ, reliqui sunt tres palmi, dimidius hinc inde cubitus pro Dominatore, i. e. pro volumine legis & spatium, ubi collocatus erat liber legis, erat duorum palmorum. R. Simeon ben Lakisch dicit, cubito quinque palmorum fuisse arcam constructam; Qui docet fuisse cubitum quinque palmorum, est R. Jehuda; Ibi enim legimus; R. Jehuda dicit, cubitum ædificii fuisse sex, & vasorum quinque palmorum. Num arca erat vas? Juxta mentem R. Jehuda, qui dicit cubito quinque palmorum fuisse arcam constructam; Longitudo arcæ erat duodecim palmorum cum dimidio; scriptum est enim *Exod.* XXV. *Cujus longitudo habeat duos cubitos, & semis*; cubitum quinque palmorum, & cubitum quinque palmorum, & dimidium cubitum duorum palmorum cum dimidio; & quatuor tabulæ ibi repositæ erant, duæ integræ, & duæ fractæ; scriptum est enim; *Deut.* X. 2. *Quas ante confregisti, ponesque eas in arca*. Et singularum tabularum longitudo erat sex palmorum, & trium latitudo. Attribue latitudinem tabularum longitudini arcæ, reliquus erit dimidius palmus, & digitus hinc inde ad latera; Et latitudo arcæ erat septem palmorum cum dimidio; scriptum est enim *Exod.* ibid. *Latitudo cubitum & dimidium*; cubitum quinque palmorum cum dimidio cubito duorum palmorum cum dimidio. Et in ea repositæ erant quatuor tabulæ; duæ integræ, & duæ fractæ; scriptum est enim *Deut. Quas ante confregisti ponesque eas in arca*. Et singularum tabularum longitudo erat sex palmorum, & trium latitudo. Attribue longitudinem tabularum latitudini arcæ, reliquus erit palmus cum dimidio, digitus hinc inde ad latera; & dimidius palmus hinc inde pro Dominatore, i. e. pro volumine legis. Quomodo fecit Bezaleel arcam? R. Chanina dicit; tres arcas fecit; duas aureas; & unam ligneam; Ligneam indidit aureæ, & auream alteram indidit ligneæ, & obduxit auro. Hinc scriptum est; *Exod.* XXV. *Et deaurabis eam auro purissimo intus & foris*. Cur dictum est; *Et obduxit*? ad includendum labium ejus superius. R. Simeon ben Lakisch dicit. Arcam unam tantum fecerunt, & auro obduxerunt; Hinc scriptum est. *Exod.* l. c. *Et deaurabis eam auro purissimo intus & foris*; Cur dictum est *& obduxit*? Dicit R. Pinchas; ad comprehendendum spatium inter asserem & asserem. Quomodo scriptæ erant tabulæ? R. Chananja ben Gamalielis dicit; quinque super hac, & quinque super altera tabula; At sapientes nostri dicunt; decem super hac tabula, & decem super altera tabula; Scriptum est enim *Deut.* IV. 13. *Et ostendit vobis pactum suum, quod præcepit, & decem verba*. Decem super hac tabula, totidemque super altera. R. Simeon ben Jochai dicit. Viginti super hac, totidemque super altera; Scriptum est enim;

enim; *Et ostendit vobis pactum suum, quod præcepit, & decem verba*. Viginti super hac, totidemque super altera. R. Simai dicit; quadraginta super hac, totidemque super altera. Ex utraque parte erant scriptæ, tetragognæ. Chananja ben Achi; R. Jehosua dicit, inter omnes & singulas allocutiones subtiles considerationes, & ejus literæ plenæ hyacintho; quasi mare magnum. R. Simeon ben Lakisch; quando veniebat ad hunc textum; dicebat, optime me docuit Chananja ben Achi, R. Simeon; sicut in hoc mari inter fluctus & fluctus magnos sunt fluctus parvi, ita pariter inter singula verba sunt subtiles disputationes & literæ legis. Dicit R. Tanchuma disputatum fuit coram R. Pinchas; constitutio juxta mentem R. Jehuda, non vero juxta sententiam R. Meir. Quænam est ratio R. Jehuda? Dictum est. *Deut.* XXXI. 26. *Tollite librum istum legis &c.* Juxta sententiam R. Jehuda, qui dicit, ubinam liber legis repositus erat? In parte exteriori quasi scriniolum factum est, in quo repositum erat liber legis. Quænam est ratio R. Meir? ex eo quod dictum est *Exod.* XXV. 21. *Et impones arcæ propitiatorium in parte superiori*. Juxta mentem R. Meir qui dicit, non est prius & posterius in lege; *Et super arca pones testimonium, quod dabo tibi*. Ibid. 21. Et posthæc: *Et impones Arcæ propitiatorium in parte superiori*, R. Pinchas nomine R. Simeonis ben Lakisch; Lex, quam dedit Deus S. B. in parte superiori erat ignis albus; sculptura ignis niger, erat ignis, & commixta igni, exsculpta ex igne, data ex igne uti dictum est *Deut.* XXXIII. 2. *In dextera ejus ignea lex. Constitutio IV. Qui ædificavit domum*. Non probo nisi pro eo, qui ædificavit domum; qui emit, hæreditario jure adiit, & dono accepit, unde probatur? ex eo quod dictum est, *homo; quis est homo*? qui ædificavit domum paleæ, stabulum, lignile, horreum, unde probatur? ex eo quod dictum est, *qui ædificavit*; semper. Crederem, quod qui ædificaret domum portæ, & exedram, & porticum, revertatur? Dictum est *domum*; sicut domus peculiaris est domus, quæ possit habitari, excluduntur hæ, quæ non sunt domus habitationis; excluditur domus, quæ non pateat quaquaversum quatuor cubitos; Traditio extat; domus quæ non pateat quaquaversum quatuor cubitos, libera est lorica, mezuza, commixtione, atque decimatione fructuum; neque illi attribuunt quatuor cubitos ante portam; neque in illa faciunt societatem pro civitate; & qui vovit se a domo abstinere, licet in illa habitare; & non redimitur in jubilæo, neque plagis lepræ polluitur; neque ejus domini revertuntur in bello. Cur dictum est; *qui ædificavit?* excluditur ille, qui ædificat domum, quæ jam diruta sit. Dicit R. Jose; hoc dicis; qui restituit suam repudiatam, non revertitur. Crederem, quod qui ædificarit domum extra terram, reverteretur? Dictum est; & non *dedicavit eam*; domum sc. quæ ob præceptum dedicanda est, excluditur hæc, quæ ex præcepto non est dedicanda; Si ei merces anticipata est, quasi dedicasset; si data sit ei merces post duodecim menses perinde est, ac si non dedicasset. Si clausisset, & in ea essent res prætiosæ, quæ ex ejus consuetudine abolerentur; perinde est ac si dedicasset, si minus, consideratur quasi non dedicasset. *Constitutio V. Qui plantavit*. Non probo nisi de eo, qui plantavit; qui emit, qui hæreditario jure adiit, qui dono accepit, unde probatur? Ex eo quod dictum est; *homo; Quis est homo*? Unde probatur de eo, qui plantavit quinque arbores frugiferas, vel ex quinque speciebus? ex eo quod dictum est; *qui plantavit*, semper. Crederem, quod qui plantaret quatuor arbores frugiferas, & quatuor arbores steriles, reverteretur? Dictum est *vineam*; sicut vinea est peculiaris, quæ contineat quinque vites, excluditur hæc, quæ non continet quinque vites; quod vino ejus turcularis, quod erat vinum acre, faciunt commixtionem, societatem benedicunt, & faciunt convivium, & sanctificant sponsam, & consolantur lugentem, & titulo vini venditur in officinis; Qui vendit socio suo vinum simpliciter, non potest illi vendere vinum acre; & interdicitur a docendo, & a dissolvendis votis, & ab ingressu sanctuarii; Non est tibi nisi quod vetitum sit, ut offeratur super altare; & hoc necesse est pro filio contumaci, & rebelli. Crederem, quod qui plantaret vineam extra terram, reverteretur? Dictum est; *& non profanavit eam;* Quæ ex præcepto profananda est, excluditur hæc, quæ ex præcepto non profanatur. Traditio: R. Eliefer bar Jacob dicit, non comprehenditur nisi vinea; & similiter non comprehenditur nisi plantans. Traditio: *Et non profanavit eam*; excluditur palmites propagans, & surculos immittens; Dicit R. Jochanan quid

ex

est R. Eliefer ben Jacob. Dicit R. Chafda; ex omnium confenfu confirmatur; quod incoculantis fructus funt peccatum. Quomodo nos explicabimus? fi inoculaverit arborem frugiferam fuper arbore frugifera, fpeciem fuper ea, quæ non est ejufdem fpeciei, fructus funt peccatum; fi vero inoculaverit arborem frugiferam fuper arbore fterili, fpeciem juxta eandem fpeciem, tanquam in principio funt. Sed hoc modo nos explicabimus; fi inoculaverit ficum nigram fuper ficu alba; quandonam profanatur? in quarto, & in quinto; Probabiliter in quinto, at in quarto tenetur pretio. At fapientes Cæfarienfes dicunt, probabiliter in quarto; fcriptum est enim; *Levit.* XIX. 24. *Quarto autem anno omnis fructus eorum fanctificabitur laudabilis Domino*. *Constitutio VI. Qui defpondit uxorem*. Non probo nifi de adolefcente adolefcentulam defpondente, unde probatur adolefcens viduam defpondens? viduus defpondens adolefcentulam unde? ex eo quod dictum est; *uxorem*, femper. Cur dictum est *novam*? ad excludendum qui reftituit repudiatam; Dicit R. Jofe; hoc dixifti, quod defpondens fterilem, quandoquidem non ei præcipitur, ut cum ea moretur, revertatur; Includitur vel fratria Levirum expectans ex quinque fratribus, & fimiliter vel domus una pro quinque fratribus. Ibi nemo est dignus, qui cum ea habitet; Hic quoque omnes funt digni ad Leviratum. Cui hoc fimile videtur? Si defpondat uxorem ftatim poft duodecim menfes, & abfolvat tempus in bello, abit, & revertitur. *Constitutio VII.* Traditio: R. Jehuda dicit; fi aliquid innovat, revertitur, fi minus, non revertitur. Si calce obduxiffet, & aperuiffet ibi feneftras, non revertitur; Si fuerit magna (Domus) & parvam faciat, revertitur; fi una fuerit, & faciat duas, revertitur. Traditio: R. Eleafar dicit; vel incolæ Saronis non revertuntur, qui bis fingulo feptennio renovabant; etiam facerdos magnus orat pro illis in die expiationum, ne eorum domus illis fiant fepulcra. *Constitutio VIII.* Si ædificarit domum, & dedicaverit, at in ea non habitaverit duodecim menfes; fi plantaverit vineam, & profanaverit, at in ea non permanferit duodecim menfes; Hæc omnia demonftrantur ex uxore; ficut uxori neceffarii funt duodecim menfes, ita pariter his neceffarii funt duodecim menfes. Traditio: Omnes ifti, de quibus dictum est, morantur otiofi in urbe, neque fubminiftrant aquas & alimentum, neque præparant vias; dictum est enim *Deuter.* XXIV. 5. *Nec ei quicquam neceffitatis injungetur publicæ*; Illi non injungetur onus, at aliis onus injungetur. *Constitutio IX.* Scriptum est: *Et pergent præfecti*; fenfus hujus vocis ויספו *& addent* explicandus juxta fenfum תוספת fc. additamenti, quafi vir qui dicat; addam ego fuper fermones mei magiftri. Legunt; pofteriores ex addimento. Dicit R. Jofe; funt duo doctores, qui dicit; addam ego fuper fermones mei magiftri, tam priores quam pofteriores dicit ipfe, dicit ejus magifter. Qui dicit pofteriores ex additamento priores dicit ipfe, & dicit ejus magifter, pofteriores ipfe dicit, at ejus magifter non dicit. Dicit R. Mena; Traditio hæc: priores dicit ipfe & dicit ejus magifter pofteriores dicit ipfe, at ejus magifter non dicit. Traditio contra R. Jofe; Audiebat Parafcham ex ore Sacerdotis, & proclamabat ad populum quavis lingua. Finis opponitur R. Mena; præter hæc aliquid de fuo addebat. Non ita dicendum; non est pariter oppofitio contra R. Jofe; traditio enim extat; priores dicebat ipfe, & ejus magifter, pofteriores dicebat ipfe, at non dicebat ejus magifter. Extat traditio; omnes opus habebant adducere demonftrationem, pro rebus fuis, excepto hoc, cujus teftimonium cum eo erat. Et conclufio est juxta mentem illius qui dicit, quod non poffet confiftere in acie conferta, & intueri gladium ftrictum. Hic juxta mentem illius qui dicit; timebat propter fua peccata; præterea debebat adducere demonftrationem; idcirco hos omnes lex conjunxit, ut reverterentur, ne peccatores manifeftarentur; & fententia est juxta id quod dicit R. Levi nomine R. Simeonis ben Lakifch; fcriptum est enim *Levit.* VI. 25. *In loco ubi offertur holocauftum, immolabitur facrificium pro peccato coram Domino*; Ne manifeftarentur peccatores. *Constitutio X.* Scriptum est; *& erit, defínentibus præfectis alloqui ad populum, ut præficiant principes exercitus a fronte populi*; a tergo populi unde probatur? ex eo quod dictum est; *præficiant*, *& præficiant*; Hactenus juxta mentem R. Akiba; juxta mentem Samuelis. R. Samuel fentit cum R. Meir; R. Meir exclamabat; ad finem exitii ibi est principium. Dicit R. Meir; fcriptum est; *oculi fapientis in capite ejus*. Stulti ubinam? in pedibus ejus. Dicit R. Aba Mari; Sapiens quando est in rei principio novit, qualis fit ejus finis. Dictum est *Genef.* XLIX. 19. *Gad ac-*

accinctus præliabitur ante eum: exercitus venit ad pugnandum, & pugnavit. Ita ſe habet Miſna; principium cladis eſt fuga. Dicit R. Jochanan; Ex his eruitur; R. Jehuda bellum arbitrarium legebat bellum præcepti; At in bello ex debito omnes egrediuntur, vel ſponſus de cubiculo ſuo, vel ſponſa ex uraniſco ſuo. Dicit R. Chaſda; diſſenſio eſt inter illos; Sapientes dicunt; bellum præcepti eſt bellum David; bellum ex debito eſt bellum Joſue. R. Jehuda legebat bellum arbitrarium, qnando nos illos inſequimur, bellum ex debito, quando illi contra nos procedunt. Scriptum eſt enim I. *Reg.* XV. 22. *Rex autem Aſa nuntium miſit in omnem Judam dicens; nemo ſit immunis; quid nemo ſit immunis?* R. Simeon, & Sapientes: R. Simeon; Non ſit quietus in domo ſua, ne una quidem hora, & Sapientes dicunt, ne puerorum quidem magiſtri.

II. Dignitate unctus belli poſt Pontificem maximum ceteros Sacerdotes antecelluit. I. Unctione ſacra, qua inaugurabatur; ut habetur apud *Maimonidem* in conſtitutionibus de *Regibus & de bello* cap. VII. אחד מלחמת מצוה ואחד מלחמת הרשות ממנין כהן לדבר אל העם בשעת המלחמה ומושחין אותו בשמן המשחה וזהו הנקרא משוח מלחמה Tam in bello præcepti, quam in bello arbitrario conſtituunt ſacerdotem, qui alloquatur ad populum tempore belli, & ungunt oleo unctionis, & appellatur *unctus belli*. Hujus unctionis cauſa a *R. Abrahamo ben David* in *Schilte Haggibborim* fol. 35. cap. 4. סגן, i. e. Vicario ſummi Pontificis præfertur. בבית הראשון היו מושחין גם כן כהן המדבר אל העם שנקרא בעבור זה משוח מלחמה היה המשוח מלחמה קודם לסגן מפני מעלת המשיחה זה כי לא ימשחו לעולם הסגן מצד מה שהוא סגן Templo primo ſuperſtite unctus quoque fuit ſacerdos, qui exercitum alloquebatur, quique ideo unctus belli dictus eſt. Iſte vero unctus belli anteibat vicarium *ſummi Pontificis* ob excellentiam unctionis, nam vicarii nulla ad id munus ſacro oleo inauguratio. *Toſaphtha Horajoth* cap. II. משוח בשמן המשחה קודם למרובה בגדים מרובה בגדי׳ קודם למשוח מלחמה משוח מלחמה קודם לסגן Unctus oleo unctionis anteibat pontificem multiplicatum veſtibus, Pontifex multiplicatus veſtibus unctum belli, unctus belli Vicarium. *Hieroſol. Horajoth* 48. 2. כהן גדול קודם לנביא נביא קודם למשוח מלחמה Sacerdos ſummus anteibat prophetam, propheta unctum belli. II. in multis parem cum ſummo Pontifice, in aliis inferiorem dignitatem obtineret. *Hieroſ. Joma* 38. 4. יכול יהא משוח מלחמה מביא עשירית האיפה תל׳ תהתיו מבניו את שבנו עובד תחתיו מביא עשירית האיפה יצא משוח מלחמה שאין בנו עובד תחתיו ומנייך למשוח למלחמה שאין בנו עובד תחתיו תל׳ שבעת ימים ילבשם הכהן תחתיו מבניו וגו׳ את שהוא בא אל אוהל מועד לשרת בקודש ומניין שהוא ממתנה להיות כהן גדול שנ׳ ופינחס בן אלעזר נגיד היה עליהם לפנים יי׳ עמו ר׳ יוסי כד הוה בעי מקנתרה לר׳ לעזר בי ר׳ יוסי הוה אמר לפנים עמו לפנים עמו בימי זמרי מיחה בימי פילגש בגבעה לא מיחה מניין שהוא נשאל בשמונה ר׳ חייה בשם ר׳ יוחנן ובגדי הקדש אשר לאהרן יהיו לבניו אחריו מה תל׳ אחריו אלא לגדולה של אחריו ומנייך שהוא עובד בשמנה ר׳ ירמיה בשם ר׳ יוחנן ובגדי הקדש אשר לאהרן מה תל׳ אחריו לקדושה של אחריו אמר ליה ר׳ יונה עמך הייתי לא אמר עובד אלא נשאל וכמה נשאל אייתי רב הושעיה מתניתא דבר קפרא מן דרומא ותנא וחכמים אומרים אינו עובד לא בשמונה של כהן גדול ולא בארבעה של כהן הדיוט אמר רבי בא בדין היה שיהא עובד בארבעה ולמה אינו עובד שלא יהו אומרים ראינו כהן גדול פעמים עובד בארבעה פעמים בשמונה אמר ר׳ יונה ולא מבפנים הוא עובד ולא מבחוץ וטועין מבפנים לבחוץ Crederem, quod unctus belli afferret decimam Ephæ? Idcirco dictum eſt *Levit.* VI. 22. *Sacerdos, qui jure patri ſucceſſerit*; cujus filius miniſtrat ejus loco, affert decimam partem Ephæ, excluditur unctus belli, cujus filius ejus loco non miniſtrat. Et unde probatur, quod filius uncti belli ejus loco non miniſtret? Ex eo quod dictum eſt. *Exod.* XXIX. 30. *Septem diebus utetur illa, qui pontifex pro eo fuerit conſtitutus de filiis ejus & qui ingredietur tabernaculum teſtimonii, ut miniſtret in ſanctuario*. Excluditur unctus belli, qui non ingreditur in tabernaculum conventus, ut miniſtret in Sanctuario. Et unde probatur, quod ſtatuitur, ut ſit ſacerdos ſummus; dictum eſt enim I. *Paral.* IX. 20. *Phinees autem filius Eleazari dux eorum coram Domino cum cum eo* erat R. Joſe quæſivit in atrio a R. Elieſer diſcipulo R. Joſe; reſpondit לפנים עמו לפנים עמו tempore Zambri percuſſit, tempore Pelgas in colle non percuſſit. Unde probatur, quod octo veſtibus indutus [*in Urim & Thummim*] conſuleretur? R. Chjia nomine R. Jochanan, dictum eſt *Exod.* XXIX. 29. *Veſtem autem ſanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii ejus poſt eum.* Cur dictum eſt *poſt eum?* Ad dignitatem ejus poſterorum. Et unde proba-

batur, quod octo vestibus ministraret? R. Jeremia nomine R. Jochanan; dictum est *Exod.* ibid. *Vestem autem sanctam, qua utetur Aaron*; Cur dictum est *post eum?* ad sanctificationem ejus posterorum. Dixit illi R. Jona; tecum eram; non dixit; ministrat, sed consulitur & quomodo consulitur? Venit R. Jehosua. Misna Car Caphra ex Roma, & docet. At sapientes dicunt, non ministrat octo vestibus sacerdotis summi, neque quatuor sacerdotis vulgaris. Dicit Rabi; argumento probatur, quod ministrare deberet quatuor vestibus; at cur non ministrabat? Ne dicerent; Vidimus sacerdotem summum aliquando quatuor, & aliquando octo vestibus ministrantem. Dicit R. Jona; Nonne intus ministrabat? Nonne foris consulebatur? Errant ab loco interiori ad exteriorem. *Gemara Babylon. Joma* 72. 2.

כי אתא רב דימי אמר בגדים שבהן גדול משמש בהן משוח מלחמה משמש בהן שנאמר ובגדי הקדש אשר לאהרן יהיו לבניו אחריו למי שבא בגדולה אחריו מתיב רב אדא בר אהבא ואמרי לה כה יכול יהא בנו של משוח מלחמה משמש תחתיו כדרך שבנו של כהן גדול משמש תחתיו תלמוד לומר שבעת ימים ילבשם הכהן תחתיו בבניו אשר יבא אל אהל מועד מי שראוי לבא אל אהל מועד ואם איתא מהזא חזי אמר רבי נחמן בר יצחק הכי קאמר כל שעיקר משיחתו לאהל מועד יצא זה שעיקר משיחתו למלחמה מתיבי משוח מלחמה אינו משמש לא בארבעה ככהן הדיוט לא בשמנה ככהן גדול משום איבה ככהן הדיוט משום מעלין בקדש ולא מורדין אמר ליה רב אדא בר אבא לרבא האי תנא דלית ליה איבה ולא קא משמש דתניא דברים שבין כהן גדול לכהן הדיוט פר כהן משיח ופר הבא על כל המצות ופר יום הכפורים ועשירית האיפה ולא פורע ולא פורס אבל פורס הוא מלמטה והדיוט מלמעלה ואין מטמא לקרובין ומצוה על הבתולה ומוזהר על האלמנה ומחזיר הרוצח ומקריב אונן ואינו אוכל ואינו חולק ונוטל חלק בראש ומקריב חלק בראש ומשמש בשמנה כלים ופטור על טומאת מקדש וקדשיו וכל עבודות יום הכפורים אינו כשרית אלא בו וכולן נוהגות במרובה בגדים חוץ מפר הבא על כל המצות וכולן נוהגות במשיח שעבר חוץ מפר יום הכפורים ועשירית האיפה וכולן אין נוהגות במשוח מלחמה חוץ מחמשה דברים האמורין בפרשה לא פורע ולא פורס ולא מטמא לקרוביו ומצוה על הבתולה ומוזהר על האלמנה ומחזיר את הרוצח כדברי רבי יהודה וחכמים אומרים אינו מחזיר כי לית ליה איבה ברכותיה בדזוטר מיניה אית ליה יתיב רבי אבהו וקאמר ליה להא שמעתא משמיה דרבי יוחנן אהדרינהו רבי אמי ורבי אסי לאפיה איכא דאמרי רבי חייא בר אבא אמר ואהדרינהו רבי אמי ורבי אסי לאפיהו ומתקיף לה רב פפא בשלמא רבי אבהו משום יקרה רבי קיסר אלא לרבי חייא בר אבא נימרו ליה מימר לא אמר רבי יוחנן הכי כי אתא רבין אמר נשאל איתמר תניא נמי הכי בגדים שכהן גדול משמש בהן משוח מלחמה נשאל בהן

Etenim venit R. Dimi dicens; vestibus, quibus ministrabat sacerdos summus, ministrabat unctus belli; Dictum est enim *Exod.* XXIX. 29. *Vestem autem sanctam qua utetur Aaron, habebunt filii ejus post eum*; sc. ille vestietur, qui venit ad hanc dignitatem post eum. Respondit R. Ada bar Ahabha. At dicent alii; Crederem, quod filius uncti belli ejus loco ministraret sicut filius summi sacerdotis ejus loco ministrabat? Idcirco dictum est Ibid. vers. 30. *Septem diebus utetur illa, qui pontifex pro eo fuerit constitutus de filiis ejus; & qui ingredietur in tabernaculum testimonii, ut ministret in sanctuario*; qui dignus est, ut ingrediatur in tabernaculum conventus; Recte autem ita se re habet. Dicit R. Nachman bar Isaach; sic dicit; Cujus unctio pro fundamento habet tentorium, excluditur hic, cujus unctio pro fundamento habet bellum. Regerunt. Unctus belli non ministrat quatuor, uti sacerdos vulgaris, neque octo vestibus, uti summus sacerdos. Respondit ipsis Abai, alienus erat reputandus; non potuisse haberi pro summo sacerdote ad evitandam invidiam, neque pro sacerdote vulgari, quia in sanctuario adscendunt, non descendunt. Dicit R. Ada bar Aba ל׳ Raba juxta doctorem illum Mischnicum, non metuendam fuisse sacerdoti summo hujus invidiam, eo quod octo vestibus non ministraret; extat enim traditio. Hæc sunt discrimina, quæ intercedunt inter sacerdotem summum & sacerdotem vulgarem; juvencus sacerdotis uncti; & juvencus, qui adducitur pro omnibus præceptis, & juvencus diei expiationum, & decima pars Ephæ; non scindebat vestes, nec caput denudabat; vestes inferne discindebat, sacerdos vulgaris superne; non polluebatur morte cognatorum, & jubebatur de ducenda virgine, & admonebatur de vidua non ducenda, & restituebat homicidam; offerebat præterea in luctu, at non comedebat, neque dividebat; at partem accipiebat in principio, & partem in principio offerebat; & ministrabat octo vestibus, & liber erat ab immunditie sanctuarii, & ejus sanctitatum; & omnia ministeria diei expiationum non erant legitima nisi per ipsum,

Et hæc omnia concernebant ſacerdotem multiplicatum veſtibus, excepto juvenco, qui offerebatur pro omnibus præceptis; & hæc omnia concernebant pariter unctum, qui remotus fuit, excepto juvenco diei expiationum, & decima parte ephæ. At hæc omnia non conveniebant in unctum belli; exceptis his quinque, quæ in Paraſcha commemorata ſunt; Ne crines alat, ne rumpat veſtes, neque cognatorum cauſa ſe polluat; pariter jubetur de virgine ducenda; & non ducenda vidua, & reſtituit homicidam juxta verba R. Jehuda; at Sapientes dicunt; non reſtituit; quia a parte æqualis nulla ipſi oriri poſſet inimicitia, quamvis locum habeat a parte inferioris. Sedit R. Abhu, & hanc traditionem nomine R. Jochanan retulit; Contradixerunt in ejus faciem R. Amme, & R. Aſſe; Alii dicunt, R. Chjia bar Aba dixiſſe; & contradixerunt in faciem ejus R. Amme, & R. Aſſe; Quod confirmat R. Papa; Abſit, ut hoc dicatur de R. Abhu, propter honorem, quem apud regem conſecutus erat. At fieri poteſt, quod illi ידו R. Chjiæ bar Abba regeſſerint; non dixit ea R. Jochanan. Venit Rabin, dicens; conſulebatur (*ſc. octo veſtibus*) dictum eſt. Extat etiam traditio, Veſtibus, quibus ſacerdos ſummus miniſtrabat, unctus belli conſulebatur. *Toſaphta Horajoth* Cap. II. אלו דברים שבין כהן גדול לכהן הדיוט פר הבא על כל המצות ופר יום הכיפורים ועשירית האיפה לא פורע ולא פרס אבל פורס מלמטה והדיוט מלמעלה אין מטמא לקרובין ומצוה על הבתולה ומוזהר על האלמנה ומחזיר את הרוצח ומקרב אונן ואינו אוכל מקריב חלק בראש ונוטל חלק בראש וכל עבודת יום הכיפורים אינה כשרה אלא בו ופטור על טומאת מקדש וקדשיו וכולן נוהגין במרובה בבגדים שעבר חוץ מפר הבא על כל המצות וכולן אין נוהגין במשוח מלחמה חוץ מחמשה דברים שפרש הכתוב בפרשה לא פורע ולא פורס ואין מטמא לקרוביו ומצוה על הבתולה ומוזהר באלמנה ומחזיר את הרוצח דברי רבי יהודה וחכמים אומרים אין מחזיר את הרוצח. Hæc ſunt, quæ intercedunt inter ſacerdotem ſummum & ſacerdotem vulgarem; juvencus, qui affertur pro omnibus præceptis, & juvencus diei expiationum, & decima pars Ephæ; Non ſcindebat veſtes, nec caput denudabat; At inferne lacerabat veſtes, & ſacerdos vulgaris ſuperne, non polluebatur cauſa cognatorum, & jubebatur de virgine ducenda, & monebatur de non ducenda vidua, & reſtituebat homicidam; & offerebat lugens, at non comedebat; offerebat partem in principio, & omne miniſterium diei expiationum non erat legitimum niſi per ipſum; & liber erat ab immunditia ſanctuarii, & ejus ſanctitatum. Et hæc omnia conveniebant in ſacerdotem multiplicatum veſtibus qui remotus fuit, excepto juvenco qui offerebatur pro omnibus præceptis. At hæc omnia non conveniebant in ſacerdotem unctum belli, exceptis his quinque, quæ commemorata ſunt in Paraſcha; ne rumpat veſtes, ne crines alat, neque cognatorum cauſa ſe polluat; jubetur pariter de virgine ducenda, & non de ducenda vidua admonetur, & reſtituit homicidam; verba R. Jehuda; at ſapientes dicunt; non reſtituit homicidam. *Siphra* 17. 4. משיח אין לי אלא משיח בשמן המשחה מרובה בגדים מניין ת״ל והכהן יכול שאני מרובה אף משוח מלחמה ת״ל תחתיו מבניו את שבנו עומד תחתיו מביא עשירית האיפה יצא משוח מלחמה שאין בנו עומד תחתיו ומניין שאין בנו עומד תחתיו ת״ל שבעת ימים ילבשם הכהן תחתיו מבניו אשר יבוא אל אהל מועד לשרת בקודש בנו עומד תחתיו יצא משוח מלחמה שאינו בא אל אהל מועד לשרת בקודש *Unctus*; non probo niſi pro uncto, multiplicatus veſtibus unde probatur? Ex eo quod dictum eſt; *Sacerdos*. Crederem poſſe includere unctum belli? Dictum eſt; *ejus loco*; ex filiis ejus; cujus filius, qui ſtatuitur ejus loco, affert decimam partem Ephæ; excluditur unctus belli, cujus filius non ſtatuitur ejus loco; Et unde probatur, quod ejus filius in ejus gradu non ſtatueretur? Ex eo quod dictum eſt; *Septem diebus utetur illa, qui pontifex pro eo fuerit conſtitutus de filiis ejus, & qui ingredietur in tabernaculum teſtimonii, ut miniſtret in ſanctuario*; qui ingreditur in tabernaculum conventus, ut miniſtret in ſanctuario, ejus filius ejus loco conſtituitur; excluditur unctus belli, qui non ingreditur in tentorium conventus, ut miniſtret in ſanctuario. Vide *Hieroſ. Megillah* 72. *Hieroſ. Sotah* 19. 2. *Hieroſ. Horajoth* 47. 4. *Toſaphtha Joma*.

NO.

N O T Æ.

[1] UNctus belli &c. ut distingueretur a summo sacerdote, qui הכהן משיח *Sacerdos unctus κατ' ἐξοχὴν* appellatur, uti legitur ut præteream innumera Scripturæ loca, *Lev.* IV. 2. אם הכהן משיח; *Et si sacerdos unctus*. Ubi *Siphra*. משיח יכול זה המלך ת"ל הכהן אי הכהן יכול המרובה בבגדים ת"ל משיח המשיח שאין על גביו משיח *Unctus*. Crederem hunc esse regem? Dictum est *sacerdos*; si sacerdos; crederem esse sacerdotem multiplicatum vestibus? Dictum est; *unctus*; unctus, cui nemo unctus sit superior. *Gemara Hierosf. Horajoth* 47. 3. תני כהן משיח מביא פר אין מרובה בגדים מביא פר ולא כ"רמ מ"ט דר"מ משיח ומה ת"ל כהן להוציא למרובה בגדים מ"ט דרבנן משיח יכול זה המלך ומה ת"ל כהן לרבות למרובה בגדים הכא את מר להוציא למרובה בגדים וכא את מר לרבות למרובה בגדים א"ר הילא כל מדרש ומדרש לעניינו אילו נאמר משיח ולא נאמר כהן הייתי אומר על העלם דבר מביא פר ועל שגגות המעשה מביא שעיר הרי צורך הו' שיאמר כהן או אילו נאמר כהן ולא משיח הייתי אאמור זה המלך אם תאמר כפר קרמה פרשת מלך שיוטל על העלם דבר מביא פר ועל שגגת המעשה שעיר הוי צורך הוא שיאמר משיח וצורך הוא שיאמר כהן. Traditio: Sacerdos unctus afferebat juvencum, at multiplicatus vestibus non afferebat juvencum; At non ita sentit R. Meir; Quænam est ratio R. Meir? Dictum est; *unctus*; at cur dictum est; *sacerdos*? ad excludendum sacerdotem multiplicatum vestibus. Quænam est ratio sapientium? Dictum est, *unctus*: Crederem hunc esse regem? At cur dictum, est *sacerdos*? ad includendum multiplicatum vestibus. Hic tu dicis ad excludendum multiplicatum vestibus, & illic tu dicis ad includendum multiplicatum vestibus. Dicit R. Ela; quælibet expositio juxta ejus argumentum. Si dictum esset *unctus*, & non dictum esset *sacerdos*, dicerem, quod propter rei absconsionem afferret juvencum, & propter facti ignorantiam afferret hircum; ideo necessario dicendum erat, *sacerdos*. Aut si dictum esset (ita legendum est; או אילו נאמר משיח ולא כהן aut si dictum esset *unctus*, & non dictum esset *sacerdos*) *sacerdos*, & non dictum esset *unctus*, dicerem hunc esse regem; si dicas de juvenco, qui præcedit Paraſcham regis, si illi occultata sit res; afferat juvencum, & propter ignorantiam facti afferat hircum; necessario dicendum erat, *unctus*, & necessario dicendum erat *sacerdos*.

[2] שוטרים &c. Varie hanc vocem varii Interpretes exponunt; *Chaldæus* פורעניך, & סרכין cum *Hierosolymitano vindices* interpretatur; *Jonathan* סרכין אלימין *vindices potentes*; *Græcus γραμματοεισαγωγεῖς*, *Vulgatus Magistros*, *Syrus* ܣܦܪ̈ܐ & *Scribas*. *Arabs Erpenianus* ورؤسا & *Præfectos*, *Saadias Gaon* وعفا & *Peritos* M. S. *Pocockii* وكتبا & *scribas*. *Samaritanus* [illegible] & *scribas*; *Tavvasius Persa* فهقندن Judæi Hispanienses קי רבוטורוש אי אלגואזילים Græcobarbara *καὶ ῥαβδοφόρους*, cum qua consentit *Maimonides* cap. 1. *Sanhed.* שוטרים אלו בעלי מקל ורצועה והם עומדין לפני הדיינין ומסבבין בשוקים ועל החניות לתקן השערים והמדות ולהכות כל מעוות וכל מעשיהם על פי הדיינים וכל שיראו בו ערות דבר מביאין אותו לבית דין ודנין אותו כפי רשעו *Ministri*; hi sunt qui utuntur baculo & loro, aut flagello, & circumeunt in plateis & tabernis, ut rectificent & ordinent mensuras, atque percutiant cunctos inique agentes ex ore Judicum; & in quocunque viderint turpitudinem rei, adducunt in domum judicii, quæ judicet eam juxta delictum suum. *Mose* Kozensis præcept. affir. 97. ושוטרים הם הרודים את העם אחר מצות במקל ורצועה עד שיקבלו עליהם את הדין *Voce* שוטרים appellantur illi, qui fustibus & flagris in populum animadvertunt, donec obtemperent judicio.

[3] Contra quatuor illa &c. *Gemara Babyl.* ad h. l. במלחמה מהו אומר אל ירך לבבכם אל תיראו ואל תחפזו ואל תערצו כנגד ארבעה דברים שאומות העולם עושים מגפין ומריעין וצווחין ורומסין. Quid in prælio proclamabat? *Ne mollescat cor vestrum, ne timete, neque trepidate, neque expavescite*; Contra illa quatuor, quæ faciunt gentes mundi; collidunt scuta, clangunt, vociferantur, & pede solum quatiunt. Fere his similia de equis refert Philostratus lib. 2. cap. 5. Μὴ ἐὰν ἐκπλήττεσθαι τὸν ἵππον, ὅτε δουπήσειεν ἀσπὶς, ἢ ἀστράψειαν αἱ κόρυθες, καὶ παιανιζόντων τε καὶ ἀλαλαζόντων βοὴ γένοιτο. Ne permittat (*qui equum instituit*) ut percellatur, cum sonat clypeus, aut galeæ fulgent, aut Pæana canentium, aut ululantium fit clamor.

[4] Cum robore Goliathi &c. *Gemara Babyl.* ibid. פלשתים באו בנצחונו של גלית וגו' גלית אמר רבי יוחנן שעמד בגלוי פנים לפני המקום שנאמר ברו לכם איש וירד עלי ואין איש אלא המקום שנאמר יהוה איש מלחמה אמר הקדוש ברוך הוא הריני מפילו ביד בן איש שנאמר ודוד בן איש אפרתי הוא אמר רבי יוחנן משום רבי מאיר בשלשה מקומות לכוו פיו לאותו רשע אחד ברו לכם איש וירד עלי ואידך אם יוכל להלחם אתי והכני והיינו לכם לעבדים ואידך הכלב אנכי כי אתה בא אלי במקלות דוד נמי קאמר ליה אתה בא אלי בחרב ובחנית ובכידון ודוד אמר ליה ואנכי בא אליך בשם יהוה צבאות אלהי מערכות ישראל אשר חרפת Venerunt Philistæi cum robore Goliathi &c. *Cur vocatus est* Goliath? Dicit R. Jochanan, quia constitit vultu impudenti contra Deum. Dictum est enim 1. *Sam.* XVII. 8. *Seligite vobis virum, qui descendat contra me*. Voce autem *Viri* Deus notatur; dictum est enim *Exod.* XV. 3. *Dominus est vir bellator*. Ait igitur Deus B. Ecce ego occumbere eum faciam manu cujusdam, qui dicitur filius viri; Dictum est enim 1. *Sam.* XVII. 12. *David autem filius Ephratæi*. Dicit R. Jochanan nomine R. Meir. Tribus vicibus iste impius a suomet ore captus est. Semel (*quando v.* 8. *dixit*). *Seligite vobis virum qui descendat contra me*. Deinde v. 9. *Si prævalebit pugnando contra me, ita ut percutiat me, certe erimus vobis servi*. Denique v. 43. *An Canis sum quod venis contra me baculo*? Atqui etiam ipse David illi v. 45. dicit. *Tu venisti contra me cum gladio & cum hasta, & cum scuto*. Sed subjungit postea David. *Ego autem venio contra te in nomine Dei exercituum, Dei acierum Israeliticarum, quem probro affecisti*.

[5] Principium &c. *Michlal Jophi* fol. 39. col. 4. התחלת סאכילה בבית חדש יקרא חנוך ומנהג הוא שעושים סעודה ושמחה באכילה הראשונה שיאכלו בבית חדש ולפיכך אמר ולא חנכו. Principium comestionis, quod fit in domo nova, vocatur חנוך i. e. *dedicatio*. Mos est enim, fieri convivium & lætitiam in hac prima comestione, quam comedunt in domo nova; atque ea de causa dictum &, ולא חנכו & *non dedicavit eam*.

[6] Non חללו &c. Male meo judicio *Aben Ezra*, qui hunc locum ita censet interpretandum; *Quis est homo, qui plantavit vineam, & nondum saltavit in illa*? מנהג היה לחול בכרמים. Erat more receptum, ut in vineis choreas ducerent. Videtur potius scriptura respexisse ad *Levit.* XIX. 29. ubi arbores recens plantatæ tribus prioribus annis præputiatæ & interdictæ censebantur, ut ex his quicquam comedere nefas haberetur; quarto vero anno fructus Deo consecrandi erant; & quinto anno promiscuus fructuum usus concedebatur; Idcirco optime *Vulgatus* transtulit. *Quis est homo qui plantavit vineam, & nec dum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat*? In l. c. *Levit.* ita dictum est. וכי תבאו אל הארץ ונטעתם כל עץ מאכל וערלתם ערלתו את פריו שלש שנים יהיה לכם ערלים לא יאכל ובשנה הרביעית יהיה כל פריו קדש הלולים ליהוה ובשנה החמשת תאכלו את פריו להוסיף לכם תבואתו אני יהוה אלהיכם. *Quando ingressi fueritis terram, & plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum; poma quæ germinant, immunda*

erunt vobis nec edetis ex eis. Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino: Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma, quæ proferunt: Ego Dominus Deus vester. Targum

ואר׳ תעלון לארעא ותצבון כל אילן
דמיכל ותרחקון רחקא ית אביה תלת שנין יהי לכון
מרחק לאבדא לא יתאכיל ומשתא רביעתא יהי כל
אביה קודש תושבחן קדם יי ובשתא חמישתא תיכלון
ית אבוה לאוספא לכון עללתיה אנא יי אלהכון.

Quando ascenderitis in terram, & plantaveritis omne lignum fructiferum removebitis præputium proventus ejus, per tres annos erit vobis abominatio ad perdendum, non comedetur; & anno quarto sanctum erit laudabile Domino; & anno quinto comedetis proventum ejus, ut addatur vobis proventus ejus. Ego Dominus Deus vester. Ubi *Siphra*

כי תבואו יכול
משבאו לעבר הירדן תלמוד לומר אל הארץ הארץ
המיוחדת כי תבואו ונטעתם פרט לנטעתן גוים עד
שלא באו לארץ או יכול שאני מוציא את שנטעו
גוים משבאו לארץ תלמוד לומר כל עץ מיכן
אמרו עד שבאו אבותינו לארץ ומצאו שנטע פטור
נטעו אף על פי שלא כיבשו חייב ונטעתם
פרט לעולה מאיליו ונטעתם פרט למרכיב ולמבריך
מיכן אמרו סיפוק גפנים סיפוק על סיפוק אף
על גב שהבריכה בארץ מותר רבי מאיר אומר
מקום שכחה יפה מותר מקום שכחה רע אסור אין לי
אלא שנטע אגוז ושקד נטע ייחור מניין תלמוד לומר
כל עץ עץ מאכל ולא עץ סרק עץ מאכל פרט
לנוטע לסייג ולקורות ולעיצים רבי יוסי אומר אפילו
אומר הפנימי למאכל והחיצון לסייג הפנימי חייב
והחיצון פטור אמר רבן שמעון בן גמליאל במה
דברים אמורים בזמן שנטע לסייג ולקורות ולעצים
דבר שהוא ראוי להם שאין ראוי להם מניין תלמוד
לומר כל עץ נטעו לעצים וחישב עליו לאכילה מניין
תלמוד לומר כל עץ מאימתי הוא מונה לו משעת
נטיעתו פריו פרט לעלים ולולבים ולמי גפנים ולמי
סמדר או יכול שאני מוציא את ענקילקלות וחנוסר
תלמוד לומר פריו פריו דברי רבי יוסי הגלילי רבי
עקיבא אומר וערלתם את ערלתו ערלים לרבות
כולם שלש שנים יכול בתוך שלש שנים הוא אסור
ולאחר שלש שנים יהיה מותר תלמוד לומר יהיה לכם
להביא את הנוטע לרבים רבי יהודה אומר לכם פרט
לנוטע לרבים רבי שמעון בן אלעזר משמו הנוטע
לרבים חייב בערלה עלה מאיליו לרבי פטור מן
הערלה לא יאכל אין לי אלא שלא יאכל מניין שלא
יצבע בו ושלא יהנה בו תלמוד לומר וערלתם ערלים
ערלים לרבות את כולם מניין לשלשים יום לפני ראש
השנה הרי הן ככל השנה תלמוד לומר ובשנה
הרביעית יהיה כל פריו להביא את הפרט ואת
העוללות מדברי בית הילל בית שמאי אומר יש לו
הפרט ויש לו עוללות והעניים פודים לעצמם בית
הילל אומרים כולו לגת קדש מה קדש אמור להלן
טעון חומש וביעור אף קדש האמור כאן טעון חומש
וביעור הילולים מלמד שהוא טעון ברכה לפניו
ולאחריו מיכן היה רבי עקיבא אומר לא יטעום אדם
כלום קודם שיברך מניין לשלשים יום לפני ראש השנה
הרי הן בכלל השנה תלמוד לומר ובשנה החמישית
תאכלו את פריו להוסיף לכם תבואתו רבי יוסי
הגלילי אומר הרי אתה כמוסיף פירות חמישית על
פירות רביעית מה פירות חמישית לבעלים אף פירות
רביעית לבעלים רבי עקיבא אומר דברה תורה כנגד
היצר שלא יהיה אדם אומר הרי ארבע שנים אני
מצטער בו חנם לכך נאמר להוסיף לכם תבואתו
תבואתו מלמד שאין נפדה אלא תבואה מיכן אמרו
אין פודין את הרבעי עד שיבוא לעונת המעשרות

Quando ingressi fueritis terram; crederem, postquam trangressi essent Jordanem? Idcirco dictum est *terram*; terram peculiarem. *Quando ingressi fueritis terram, & plantaveritis*: Excludit, sic plantassent gentiles, priusquam igrederentur terram. Aut crederem non posse excludi, si plantassent gentiles, postquam ingressi essent in terram? Idcirco dictum est; *omne lignum*. Hinc dixerunt, quod priusquam ingressi essent patres nostri in terram, & plantatum invenissent, liber erat; si plantassent, quamvis terram non subegissent, tenebatur. *Et plantaveritis*, excludit quod sponte cresceret; *Et plantaveritis*: excludit, qui inoculaverit, & propagaverit; Hinc dixerunt: insitio super vitibus, insitio super insitione, quamvis in terra propagaverit, licita est. R. Meir dicit; ubi jus ejus est bonum, licitum est, ubi malum, vetitum est. Non probo, nisi quando plantasset nucem, & amygdalam; si ramum arboris plantasset, unde probatur. Ex eo quod dictum est. *Omne lignum*; *fructiferum*; non lignum sterile; excluditur, qui plantaverit pro sepe, aut pro tignis, aut pro lignis; R. Jose dicit; vel si dixisset interius pro cibo, & exterius pro sepe, interius tenetur, & exterius licitum est. Dixit Raban ben Gamalielis; de quo hæc dicta sunt? Quando plantasset pro sepe, tignis, & lignis, sc. rem, quæ sit illis conveniens; res quæ non sit illis conveniens unde probatur? Ex eo quod dictum est. *Omne lignum*. Si pro lignis plantasset, & deinde pro cibo destinaret, unde probatur? Ex eo quod dictum est; *Omne lignum*. Ex quo tempore numerat? a tempore ejus plantationis. *Fructus ejus*; excludit frondes, & germina, & aquas vitis, & aquas omphacii; Aut crederem non posse excludere uvas immaturas, & omphacium? Idcirco dictum est; *fructus ejus*; *fructus ejus*; verba R. Jose Galilæi. R. Akiba dicit; *Et relinquetis ejus præputium*; *præputia*; ad includendum omnia. *Per tres annos*. Crederem intra tres annos vetitum esse, & post tres annos esse licitum? Idcirco dictum est; *erit vobis*; ad includendum, qui plantaverit pro multis. R. Jehuda dicit: *vobis*; ad excludendum, qui plantat pro multis. R. Simeon ben Eleasaris suo nomine dicit; qui plantat pro multis, tenetur præputio; si sponte crescat, absolvitur a præputio. *Non comedetur*. Non probo nisi quod de illo non comedat, quod eo tingere, atque uti non possit, unde probatur? וערלתם ערלים; ad includendum omnia; unde probatur, quod triginta dies ante principium anni perinde reputantur ac integer annus? Ex eo quod dictum est; *Quarto autem anno omnis fructus eorum*; ad includendum granum, & racemos; juxta verba scholæ Hillel; Schola Schammai dicit; Si habeat granum, & racemos, pauperes sibi ipsis redimere debent; At schola Hillel dicit; omnia pro torculari. *Sanctus*, sicuti sanctitas alibi commemorata tenebatur quinta parte, & remotione, ita pariter sanctitas hic commemorata tenetur quinta parte & remotione; *Laudabilis*; ad docendum, quod antea & postea ad benedictionem obligaretur; Hinc dixit R. Akiba; nemo gustabit, antequam benedicat. Unde probatur, quod triginta dies ante principium anni per inde habentur, ac integer annus? Ex eo quod dictum est; *Quinto autem anno comedetis ejus fructum, ad addendum vobis ejus proventum*. R. Jose Galilæus dicit; Ecce tu venis ad addendum fructus anni quinti fructibus anni quarti. Sicut fructus anni quinti erant pro dominis, ita pariter fructus anni quarti pro dominis. R. Akiba dicit; Lex loquitur de tentatione; nequis dicat; per quadriennium ego frustra laboro; idcirco dictum est; *ad addendum vobis ejus proventum*; *ejus proventum*; ad docendum, quod non redimeretur nisi in proventu: Hinc dixerunt, quod non redimerentur fructus anni quarti, nisi quando advenisset tempus, quo decimarentur. *Pesiktha* 25.

וכי תבאו אל הארץ המיוחדת ונטעתם פרט לנטעו
גוים עד שלא באו ישראל ונטעתם פרט לעולה
מאיליו כל עץ מאכל ולא עץ סרק עץ מאכל פרט
לנוטע לסייג ולקורות מאימתי הוא מונה משעת
נטיעתו וערלתם ערלתו ערלה בכל מקום מאוסה
ערלה שהגוים נתגנו בה שנאמר כי כל הגוים ערלים
וכאן אומר וערלתם ותרחקון עיקר ערלה מאוס את
פריו פרט מעלין ולולבין שלש שנים יהיה לכם
ערלים לרבות את שלאחר שלשה שנים שבאו מתוך
שלש שנים שהן אסורים לא יאכל אפילו בהנאה
ובשנה הרביעית יהיה כל פריו קדש להביא שלשים
יום לפני ראש השנה שהוא בכלל שנה קדש הלולים
מלמד שהוא טעון ברכת לפניו ולאחריו מיכאן אמר
רבי עקיבא במסכת ברכות לא יטעום אדם כלום
קודם שיברך ובשנה החמישית פעמים שבחמישית
חייבין עליו משום רביעית להוסיף לכם תבואתו אמר
רבי עקיבא שלא יאמר אדם ארבע שנים אני מצטער
בו חנם לפיכך נאמר להוסיף לכם תבואתו מלמד
שאינו נפדה אלא תבואה מכאן אמרו אין פודין את
הרבעי עד שיבוא לעונת המעשרות.

Quando ingressi fueritis terram; excludit, quod plantassent gentiles, antequam Israelitæ in terram ingressi essent; *Et plantaveritis*, excludit, quod sponte crescit. *Omne lignum fructiferum*; non vero li-

gnum

gnum sterile. *Lignum fructiferum*. Excludit, qui plantaverit pro sepe, & pro tignis. A quo tempore numerat? a tempore ejus plantationis; *Et removebitis ejus præputium*. Præputium semper rejicit præputium; quia gentiles pacti sunt in eo. Dictum est enim. *Omnes gentes præputiatæ*. Et hoc loco dictum est; *Et removebitis, & repelletis*. Fundamentum præputii est rejectio. *Fructum ejus*; Excludit frondes, & germina. *Per tres annos erit vobis præputium*; ad includendum, quod etiam post tres annos, si ingrediantur intra tres annos, quod sit vetitum. *Non comedetur*; vel usus est interdictus. *Anno autem quarto erit omnis ejus fructus sanctus*; Ad includendum, quod triginta dies ante principium anni, comprehendant annum. *Sanctus laudabilis*. Ad docendum quod obligetur antea & postea ad benedictionem. Hinc dixit R. Akiba in Misnajoth *Berachot*; nequis de qualibet re gustet, antequam benedicat. *Anno autem quinto*. Aliquando vel in quinto quarti causa tenentur. *Ad addendum vobis proventum*. Dicit R. Akiba; nequis dicat quatuor annis frustra ego laboro; Idcirco dictum est; *ad addendum vobis proventum*. Hinc dixerunt; non redimunt plantam anni quarti, donec eo deveniat, ut possit decimari.

7 Hæc res animæ &c. *Abarbanel* comment. in *Pentat.* fol. 375. col. ab *Raschi* sententia quæ videtur verisimillima dissentit. יש לעניין למה זכר בנה בית נטע כרם נשא אשה ולא דכר אחר ולמה אמר ואיש אחר יחנכנו ואיש אחר יחללנו ואיש אחר יקחנה כי אחר שאדם ימות מה לו אם איש אחר יחנך את ביתו או יקח את אשתו או יחלל את כרמו ואם היות שכתב רש״י ואיש אחר יחנכנו ודבר עגמת נפש הוא זה הנה השכל בלתי סובל שיקשה על האדם שאיש אחר יחנך את ביתו שעדיין לא דר בו ולא שלמה מלאכתו יותר משיקשה עליו שהבית אשר דר בו ונתעדן בתוכו איש אחר יירשנו וכן בעניין האשה יותר יקנא האדם על אשתו שכבר לקחה יותר משיקנא על ארוסתו שלא נתייחד עמו אבל עניין זה כלו נאמר על האיש שהתחיל בדבר שיש מצוה בתכליתו ובהשלמתו והיו מאוייו וחפצו להגיע הדבר ההוא על תכליתו מפני קיום המצוה ועבודת האלהים אשר בו ולכן זכר מי האיש אשר בנה בית שיהיה בו עניין המצוה שזכר כי תבנה בית חדש ועשית מעקה לגגך וזכר נטע כרם ולא חללו מפני המצוה שהיה בזה בשנה הרביעית לפדות אותו או לחללו ברמים ולהעלותם לירושלם ולאכלם שם וזכר אשר ארש אשה ולא לקחה שהיה מצוה לקחת אשה ולעסוק בפריה ורביה הנה אם כן לא העניין מפני עגמת נפש ומדאגת הדבר בעצמו מפני התאוה הנופלת כי אם לפי שלא באה המצוה לידו בתאותו ולא הספיקו הימים לקיימה ולזה יקנא באיש אחר יחנכנו ואיש אחר יחללנו ואיש אחר יקחנה שתתקיים המצוה על ידי זולתו ולא על ידו והדאגה הזאת אין אפשר שתהיה לאדם אחרי דירתו בבית ואחרי היות הכרם בידו שנים רבות ואחרי לקיחת האשה והתעסקותו בפריה ורביה כמצות התורה. Operæ pretium est indagare cur expressa fiat mentio ædificationis domus, plantationis vineæ, & contracti matrimonii, neque alterius cujusdam rei: Quare itidem dicatur; Et vir alius dedicet domum; Et vir alius profanet vineam; Et vir alius uxorem ducat? Nam ubi quis mortuus est, quid sua id refert, si vir alius utatur domo sua aut ejus sponsam accipiat, aut ejus vineam profanet? Atque etsi annotat *Raschi* (*ad verba.*) *Et vir alius dedicet eam*; rem acerbam id fore. Neque enim sana ratio concedit, angi quem, quod alius suam domum dedicet, quam nondum incoluit, & cujus opus necdum complevit, magis quam ut angatur; quod domus quam inhabitavit, & in qua toties genio indulsit, ad alium sit perventura hæredem. Eadem ratio est de fœmina. Majores enim dolores sentit vir, ob (*deserendam*) uxorem pridem ductam, quam ob sponsam suam, quæ tori nondum facta sit socia. Nimirum omnia hæc attinent ad eum, qui rem quandam exorsus est, cujus scopus atque perfectio bonum aliquod opus in lege præceptum involvit, atque eapropter animo suo desiderat rem illam ad finem perducere, quo bonum illud opus effectum reddat, eodemque Deo debitum cultum præstet. Hac igitur de causa mentio fit viri, qui domum condidit; nam hic præceptum quoddam includitur *Deut.* XXII. 8. memoratum; Cum *ædificas domum novam, tum facies loricam ad tectum tuum*. Illam ipsam ob rationem meminit porro plantationis vineæ; quam quis nondum profanavit, annexum enim præceptum, ut anno quarto redimatur, & pecunia Hierosolymas deportanda, ibidemque consumenda sacris suis solvatur. Meminit denique ex eodem fonte sponsæ, quæ nondum domum ducta, quia mandatum divinum extat de matrimonio contrahendo, & liberis procreandis. Quæ cum ita sint, non erat illud negotium ob mœrorem animi, reique ipsius dolorem, quod voluptate aliqua corporali carendum esset, sed quia contra votum, bonum opus edere prohibebatur, nec tempus suppetebat, præceptis defungi; atque hanc ob causam invidet alteri, ut ædes suas initiet, vineam suam profanet, sponsamque suam sibi conjugio jungat, cum præceptum divinum per alium, & non per sese complendum animadvertat. Fieri autem nequit, ut iste mœror apud quem locum habeat, postquam ædes suas incoluit, vineam multos jam annos possedit, uxoreque ducta prolem ex ea suscepit, atque præstitit, quod in lege divina facere jussus est.

8 Agmen Cataphractorum &c. הקלנסים *Maimonides clavos*, seu *cæstus* interpretatur; vult enim השרביטין שראשיהן עקומין הקלנסים fuisse baculos capitibus recurvatis; additque מכין בהן האבנים ועל ידי כך קופצין ומכין בקרסול האנשים והסוסים ומפילין גבורתן וכחן. Feriunt iis lapides, qui hac ratione dissilientes, talos tam virorum quam equorum petunt, & robur enervant. *Raschi* per חיילות i. e. *exercitus* interpretatur. Dissentit ab his *R. Abraham ben David in Schiltbe Haggibborim* הנה לעניות דעתי הקלנסים אינן כלי זין המכים אבל כלים מבהילים ומרעידים בקולם ודומיא לשאר חברים הכתובים במשנה שהם צהלת הסוסים והגפת תריסין זה על זה וקול הקרנות וקול הצוחה וצחצות החרבות היינו להט החרבות המכה בהלכם השמיע עד שיראה אורם למרחוק להבעית האויבים וכמו שהתריסין הם להגן ולא להכות כן הקלנסים לא יעשו באנשים חבורה ומכה טריה כי הם להשמעת קול בלבד ולהזק לב אנשי המלחמה וללמד להם אם בהלחמם ילכו לפנים או יחזרו לאחור או אם יכו באויבים במהירות או במתון יקראו קלנסים בעבור שמשמיעים קול גס היינו גדול הנשמע למרחוק והם הכלים הנקראים בלשון יון תימפאנון כתוב במין באיפסילון עם חירק תחת האלף במי בפי ונושה באלפא בניי באומיקרון ובניי שבצרופ׳ יחד תקראו תימפאנון ובלאטינו גם כן טימפאנום ובלעז טאמבורו. At vero, juxta meum mediocre ingenium, voce הקלנסים nequaquam armorum genus, quibus in feriendo usus est, significatur, sed sunt instrumenta, quæ suo sono terrorem & metum incutiunt, ac affinitatem habent cum rebus ceteris, de quibus Misna *Sota* mentionem facit; quæ sunt; hinnitus equorum, scutorum collisio, sonitus nimirum ille, qui editur ex mutua scutorum collisione, tubarum clangor, classica, & fulgor ensium, quo postremo notatur flammeus nitor ensium, rutilando solem feriens, ut e longinquo appareat splendor, hostesque præstringat. Uti vero scuta ad sui defensionem, non vero læsionem inimicorum attinet, sic & pariter id genus instrumentorum, quod קלנסים appellatur, non facit ad vulnera aut plagas infligendas, sed tantum sono ciendo servit, tum ut militantibus animus addatur, tum ut moneantur, num in præliando progredi, an retrocedere debeant, item num citato impetu an vero pedetentim hostis sit invadendus. Atque vocantur hæc instrumenta קלנסים, quod edant קול גס, *vocem crassam*; h. e. ingentem, quæ e longinquo percipi potest. Græce tale instrumentum appellatur תימפאנון, scriptum cum ταῦ, ὖψιλόν (vocali sexta, quam cave cum secunda confundas) μῦ, πῖ duriusculo, ἄλφα, νῦ, quæ si conjungantur literæ, efficiunt τύμπανον, & latine *Tympanum* dicitur, & Italice *Tamburo*.

9 Hactenus loquabatur &c. *Abarbanel* comment. in *Pentat.* fol. 372. col. 2. ראוי שתדע שכפי דעת חז״ל בספרי לא היו פרשות האזהרות האלה

האלה כסדר הפרשה כי השנית והשלישי היו נעשורת תחלה סמוך ליציאת מגבול ארצם והראשונה היתה נעשית בשעת המלחמה וכמו שכתב והיה בקרבכם אל המלחמה ונגש הכהן ודבר אבל לא נכתבו כאן כי אם כפי סדר שעלתם לא כפי סדר זמנם ומעלרת המבריזים כי ראוי היה שיקדם זכרון השגחה אלהירת המוחלט הנעשת על ידי כהן המשוח ואחריה ההכרזה המיוחרת על חפץ האנשים לקיום המצורת אף על פי שאין עושין עדיין אותם בפועל ואחריה הכרזת העברינים הפושעים או היראים ופחותי הלבב Scias velim, quod juxta sententiam sapientum nostrorum f. m. in *Siphri*, istæ proclamationes non fuerint institutæ ea serie qua apud Mosen describuntur. Secunda enim, sc. *de iis qui domum novam ædificarint &c.* & tertia *de timidis*, primæ edebantur, cum jam Judæi moturi essent e terminis suæ regionis. At quæ initio exprimuntur, cum jam instabat prælium, fuere promulgatæ; Atque hinc dicitur: *Et erit cum procedetis in prælium, & accedens sacerdos dicet*; Ceterum in Scriptura allocutiones istæ tantum dignitatis, non vero temporis, aut eas instituentium respectu recensentur. Æquum enim erat, ut priore loco mentio fieret verborum prolatorum a Sacerdote, quæque insuper ad Dei singularem providentiam attinent, ut deinde subjicerentur ea, quæ volentes facere bonum aliquod opus, etsi nondum compleverant respiciunt. Denique illa de peccatoribus, sceleratis, timidis, & ignaris postremum locum jure meritoque occupabant.

[10] *Cum acceperit &c. Siphri* 51. 3. כי יקח איש אשה חדשה אין לי אלא בתולה מניין לרבורת ארוסה ושומרת יבם תלמוד לומר ושמח ארת אשתו מכל מקום אם כן למה נאמר חדשה מי שחדשה לו פרט למחזיר גרושתו ואלמנה לכהן גדול וגרושה וחלוצה לכהן הדיוט ממזרת ונתינה לישראל ברת ישראל לנתין ולממזר לא יצא בנצבא יכול לא יצא בנצבא אבל יספיק כלי זיין ומים ומזון תלמוד לומר ולא יעבור עליו לכל דבר שומע אני אף בנה הבירת וחנכו נטע כרם וחיללו אירס אשה ולקחה תלמוד לומר עליו אינו עובר אבל עובר הוא על אילו נקי יהיה לביתו זה ביתו יהיה זו כרמו ושמח את אשתו אשתו זו אשה אשר לקח להביא את יבמתו. *Cum acceperit homo uxorem novam. Deut.* XXIV. 5. Non probo nisi pro virgine; unde probatur ad includendam desponsatam, & fratriam levirum expectantem? Ex eo quod dictum est; *ut lætetur cum uxore sua*; semper. Si ita est, cur dictum est; *novam?* Quæ sit illi nova; excluditur, qui restituit repudiatam suam, & vidua sacerdoti summo; & repudiata, & calceo donata sacerdoti vulgari, notha & Nethinæa Israelitæ, Israelitis Nethinæo & notho. *Non procedet ad bellum.* Crederem quod non procederet ad bellum, sed subministraret instrumenta bellica, & aquas, & alimentum? Idcirco dictum est; *Nec ei quippiam necessitatis injungatur publicæ*; Crederem etiam comprehendi posse illum qui domum ædificaverit, & dedicaverit, & qui plantaverit vineam, & profanaverit, & qui desponderit uxorem, & acceperit? Idcirco dictum est; *illi nequid necessitatis injungatur publicæ*, sed istis injungetur. *Sed erit immunis domi suæ*, vox לביתו domum respicit, יהיה vineam; ושמח ארת אשתו; *ut lætetur cum uxore sua*; זו אשתו אשר לקח hæc est mulier quam accepit. *Ut lætetur cum uxore sua*; ad comprehendendam fratriam levirum suum expectantem. *Pesiktha* 91. 3. כי יקח איש אשה חדשה אחד בתולה אחד אלמנה ושומרת יבם חדשה פרט למחזיר גרושתו שאינה חדשה לו לא יצא בצבא זה צבא המלחמה ולא יעבור עליו לכל דבר שאינו מפסק מים ומזון לאחיו שבמלחמה כאותן שחוזרין מערכי המלחמה נקי יהיה לביתו שנה אחת להביא כונס ליבמתו ושמח את אשתו אשר לקח. *Cum acceperit homo uxorem novam*; tam virginem, quam viduam, & fratriam levirum expectantem; *novam*: ad excludendum illum, qui suam repudiatam restituit, quæ non est illi nova; *Non procedet ad bellum*, hic est exercitus belli, *nec ei quippiam necessitatis injungatur publicæ*; sc. non subministrabit aquas & alimentum fratribus suis bellantibus, sicut illi, qui revertuntur ab ordinationibus belli. *Sed erit immunis domi suæ uno anno*; ad includendum levirum, qui ingreditur ad fratriam; *Ut lætetur cum uxore sua, quam accepit.* Fere eadem dicit *Josephus* lib. IV. *Antiquit.* cap. 8. *Τοὺς νεωστὶ δειμαμένους οἰκίας οἷς οὔπω χρόνος ἀπολαύσεως αὐτῶν ἐνιαύσιος, καὶ φυτεύσαντας, οὔπω δὲ καρπῶν μετεσχηκότας, ἐὰν κατὰ χώραν. Καὶ τοὺς μνηστευσαμένους δὲ, καὶ νεωστὶ γεγαμηκότας, μὴ πόθῳ τούτων φειδόμενοι τοῦ ζῆν καὶ τηροῦντες ἑαυτοὺς εἰς τὴν τούτων ἀπόλαυσιν ἐθελοκακήσωσι περὶ τὰς γυναῖκας.* Immunes sint a militia, qui ædificata nova domo, nondum integrum annum illa sunt usi, tum qui plantata vinea, nondum ex ea fructus perceperunt, & præter hos, qui desponsata uxore, nondum eam domum duxerunt, ne harum rerum desiderio sibi parcentes, in gratiam uxorum parum fortiter rem gerant.

[11] Lex nos docet &c. *Gemara Babyl. Sota* תנו רבנן אשר בנה אשר נטע אשר ארש ללמדך תורה דרך ארץ שיבנה אדם בית נוטע כרם ואחר כך נשא אשה ואף שלמה בחכמתו הכן בחוץ מלאכתך ועתדה בשדה לך אחר ובנית ביתך הכן בחוץ מלאכתך זה בית ועתדה בשדה לך זה כרם אחר ובנירת ביתיך זו אשה דבר אחר הכן בחוץ מלאכתך זה מקרא ועתדה בשדה לך זה משנה אחר ובנירת ביתך זה תלמוד דבר אחר הכן בחוץ מלאכתך זה מקרא ומשנה ועתדה בשדה לך זה תלמוד אחר ובנית ביתך אלו מעשים טובים ר׳ אלעזר בנו של ר׳ יוסי הגלי לי אומר הכן בחוץ מלאכתך זה מקרא ומשנה ותלמוד ועתדה בשדה לך אלו מעשים טובים אחר ובנירת ביתך דרוש וקבל שכר. Tradunt sapiente; *immunitas a bello concessa est*, ædificanti, plantanti, & uxorem despondenti; te docet lex humano more, ut quis primum ædificet domum, & plantet vineam, & posthæc uxorem ducat. *Salomon* pariter in sua sapientia dixit *Prov.* XXIV. 27. *Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam. Præpara foris opus tuum*; hæc est domus; *Et diligenter exerce agrum tuum*; hæc est vinea. *Ut postea ædifices domum tuam*; hæc est uxor. Alia expositio; *Præpara foris opus tuum*. Hæc est Scriptura. *Et diligenter exerce agrum tuum*. Hæc est Mischna. *Ut postea ædifices domum tuam*. Hæc est Gemara. Alia expositio. *Præpara foris opus tuum*. Hæc est Scriptura, & Mischna. *Et diligenter exerce agrum tuum*. Hæc est Gemara. *Ut postea ædifices domum tuam*. Hæc sunt opera bona. R. Eleasar fil. R. Jose Galilæi dicit. *Præpara foris opus tuum*. Hæc est Scriptura, Mischna, & Gemara. *Et diligenter exerce agrum tuum*. Hæc sunt bona opera. *Ut postea ædifices domum tuam*. Hæc est merces, quam quis docens promeretur. Ea quæ spectant *Sacerdotem Castrensem*, hisce monumentis satis illustrata sunt.

FINIS.

INDEX
CAPITUM OPUSCULORUM,
Quæ in hoc volumine continentur.